R M Dawson

Apl '928

Legenda Aurea, que Lombardica hystoria nominatur: compilatur per Fratem JACOBUS DE VORAGINE, GOTHIC LETTER, *title printed in red and black, with the prin'er's device, numerous quaint woodcut capitals*, sm. folio, *whole bound, olive morocco, extra, gilt edges*, RARE, £2 10s Lugdini ab Jacob Huguetan, 1512

From the library of Sir Henry and Lady Meysey-Thompson, with bookplate of Edward Shipperdson. Some

JACOBI A VORAGINE

Legenda Aurea

VULGO HISTORIA LOMBARDICA DICTA.

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM

RECENSUIT

DR. TH. GRAESSE,

POTENTISSIMI REGIS SAXONIAE BIBLIOTHECARIUS.

CUM APPROBATIONE REV. ADMINISTRATORIS ECCLESIASTICI PER SUPERIOREM LUSATIAM.

DRESDÆ & LIPSIÆ,

IMPENSIS LIBRARIAE ARNOLDIANAE.

MDCCCXLVI.

PRAEFATIO.

Si quis unquam medii aevi auctor opere suo gloriam atque admirationem sibi conciliavit, profecto Jacobus ille a Voragine, quem sanctorum vitas compilasse constat, per tria fere et quod excedit saecula prae omnibus ejusdem argumenti *scriptoribus summas* consecutus est laudes. Sane quidem potissimum inde a saeculo quinto decimo haud pauci exstitere, qui eum credulitatis atque vanitatis accusarent, unde effectum est, ut quodammodo negligeretur atque fere in oblivionem cederet. Atqui recentior aetas recte intellexit, quam largus fons christianorum mythorum fabularumque in eo lateat, quo ad interpretandos plurimos medii aevi poetarum atque rerum scriptorum obscuriores locos bene utaris, praesertim quum vel ipse Jacobus noster, quod attinet ad fabulosas, quas interdum retulit, historiolas, dum*modo accurat*ius ejus verba perpendamus, neutiquam omnia, quae tradit, pro veris haberi velit, sed identidem se relata tantum referre nec, num revera res ita se habuerint, testari posse disertis verbis moneat. Qua de re haud inutile visum est, opus illud, quod majores nostri aureum nominarunt, ex tenebris et sordibus, quibus hucusque obductum jacebat, rursus in lucem proferre atque, quoad ejus fieri posset, emendatum atque correctum prelo submittere. Quo accuratior autem et diligentior nova hujus legendarum compilationis recensio existeret, plura de codicibus atque libris editis ejus praemittere in animo erat, simulque etiam de *fontibus*, quibus Jacobus noster usus est, atque de singularum legendarum fabularumque iis insertarum origine pauca monere, vitam etiam auctoris et chronologicum vitarum sanctorum indicem addere. At quoniam moles totius operis nimis aucta esset, quum et legendas ab aliis genuinae Jacobi

compilationi superadditas, ne quid deesse videretur, adjecissem, hoc, quod modo prodit, volumine tantummodo textum, quam potui plenissimum atque emendatissimum, potiori lectionis varietate addita exhibui, reliqua altero volumini reservaturus. Unde nunc sufficiet monuisse, me manum auctoris optime redditam invenisse in editione illa ab Eberto (Lexic. Bibliogr. T. I. p. 872. sq. nr. 10672$^{b.}$) accuratius descripta atque in publica bibliotheca regia Dresdensi asservata. Qua de re textum ad hunc librum, quem in notulis Edit. Princ. nomine designavi, constituendum atque ope optimae notae codicum emendandum censui, maximam vero operam impendi distinguendis atque interpungendis singulis enuntiationibus periodisque, quarum quanta adhuc fuerit confusio, neminem fugit. Ut autem et exterior hujus operis habitus aevum, cui debetur, referret, retinui antiquam nonnullorum vocabulorum scribendi rationem, ita ut voces, quales sunt: martir, ydolum etc., hic illic inveniantur. Nec etymologias illas perversissimas, quibus maxime claudicat Jacobus noster, emendari necessarium duxi, quum annotationibus secundo hujus editionis volumini inserendis saniora afferre liceat et ubique fere satis eluceat, quid auctor sibi voluerit. Inde, ne longus sim, hoc tantum addo, me in recensendis locis ex sacra scriptura a Jacobo nostro allatis plurimum debere viro magnificentissimo doctissimoque, Müllero, consistorii catholici Saxon. praesidi, qui, qua est benevolentia atque doctrina, singulas plagulas iterum iterumque perlegere atque, quae parum recte se habere viderentur, corrigere ab initio operis usque ad finem non desiit: cui viro hic summas me agere gratias animus jubet.

Scripsi Dresdae Kal. Novembr. MDCCCXLV.

INDEX CAPITUM.

Incipit prologus super legenda sanctorum. Alias Lombardica hystoria, quam compilavit frater Jacobus natione Januensis, ordinis fratrum praedicatorum.

Universum tempus praesentis vitae in quatuor distinguitur, scilicet in tempus deviationis, renovationis sive revocationis, reconciliationis et peregrinationis. Tempus deviationis fuit ab Adam, postquam scilicet a Deo deviavit, et duravit usque ad Moysen et istud tempus repraesentat ecclesia a septuagesima usque ad Pascha. Unde et tunc legitur Genesis liber, scilicet in quo ponitur deviatio primorum parentum. Tempus renovationis sive revocationis incepit a Moyse et duravit usque ad nativitatem Christi. In quo homines per prophetas ad fidem revocati sunt et renovati. Et istud tempus repraesentat ecclesia ab adventu Domini usque ad nativitatem Christi. Unde tunc legitur Ysaias, ubi de hac revocatione aperte agitur. Tempus reconciliationis est tempus, in quo per Christum sumus reconciliati. Et istud tempus repraesentat ecclesia a Pascha usque ad Penthecosten. Unde et tunc legitur Apocalypsis, ubi plene agitur de mysterio hujus reconciliationis. Tempus peregrinationis est tempus praesentis vitae, in quo peregrinamur et in pugna semper sumus. Et illud tempus repraesentat ecclesia ab octava penthecosten usque ad adventum Domini. Unde tunc leguntur libri Regum et Machabeorum, in quibus de multiplici pugna agitur, per quam nostra pugna spiritualis signatur. Tempus autem illud, quod est a natali Domini usque ad septuagesimam, partim continetur sub tempore reconciliationis, quod est tempus laetitiae, scilicet a natali usque ad octavam epyphaniae et usque ad septuagesimam. Et potest accipi hic quadrupliciter temporum narratio. Primo penes quatuor temporum distinctiones, ut hiems referatur ad

primum: ver ad secundum: aestas ad tertium: autumnus ad quartum. Et ratio appropinquationis satis patet. Secundo penes quatuor partes diei, ut nox referatur ad primum: mane ad secundum: meridies ad tertium: vespera ad quartum. Licet autem prius fuerit deviatio quam renovatio, tamen ecclesia omnia sua potius incipit in tempore renovationis quam deviationis, id est in adventu potius quam in septuagesima, et hoc duplici ratione. Primo ne videatur incipere ab errore, tenet enim rem et non sequitur ordinem temporis, sic ut et evangelistae saepius faciunt. Secundo quoniam per adventum Christi omnia renovata sunt; propter quod tempus istud dicitur tempus revocationis Apocal. III: Ecce ego nova facio omnia. Congrue igitur in hoc tempore renovationis ecclesia omnia officia sua renovat. Ut igitur ordo temporis ab ecclesia distinctus servetur, primo agemus de festivitatibus, quae occurrunt infra tempus renovationis, quod tempus repraesentat ecclesia ab adventu usque ad nativitatem domini. Secundo de illis quae occurrunt infra tempus quod partim continetur sub tempore reconciliationis partim sub tempore peregrinationis, quod tempus repraesentat ecclesia ab adventu usque ad septuagesimam. Tertio de illis quae occurrunt infra tempus deviationis, quod tempus repraesentat ecclesia a septuagesima usque ad Pascha. Quarto de illis, quae occurrunt infra tempus reconciliationis quod tempus repraesentat ecclesia a pascha usque ad octavam penthecosten. Quinto de illis quae occurrunt infra tempus peregrinationis, quod tempus repraesentat ecclesia ab octava penthecosten usque ad adventum.

Explicit prologus. Incipit legenda sanctorum vel Lombardica hystoria.

CAP. I.

De adventu Domini.

Adventus domini per quattuor septimanas agitur ad significandum *quod quadruplex* est adventus: scilicet in carnem, in mentem, in mortem et ad judicium. Ultima autem septimana vix finitur, quia sanctorum gloria, quae dabitur in ultimo adventu, nunquam terminabitur. Hinc est etiam quod primum responsorium primae dominicae adventus computato gloria patri quattuor versus continet ut praedictos quattuor adventus designet. Quis autem aut cui magis conveniat, prudens lector attendat. Licet autem quadruplex sit adventus, tamen ecclesia specialiter de duplici: sed in carnem et ad judicium videtur memoriam facere sicut in officio ipsius temporis patet. Hinc est etiam quod jejunium adventus partim est exsultationis partim moeroris. Nam ratione adventus in carnem dicitur jejunium exsultationis: ratione adventus ad judicium domini jejunium moeroris. Et ad hoc innuendum ecclesia cantat tunc quaedam cantica laetitiae: et hoc propter adventum misericordiae et exsultationis: quaedam vero deponit, et hoc propter adventum severae justitiae et moeroris. Circa adventum igitur in carnem tria videri possunt: scilicet adveniendi opportunitas, adventus necessitas et utilitas. Opportunitas veniendi attenditur primo ex parte hominis qui primo in lege naturae convictus fuit de defectu cognitionis divinae. Unde et tunc in pessimos errores idololatriae cecidit: et ideo coactus est clamare ac dicere: Illumina oculos meos etc. Deinde advenit lex jubens in qua convictus est de impotentia; cum prius clamaret: nondum est qui impleat sed qui jubeat. Ibi enim est solummodo eruditus: sed non a peccato liberatus: nec per aliquam gratiam ad bonum adjutus et ideo coactus est clamare ac dicere: Non deest qui jubeat, sed deest qui impleat. Opportune

1*

igitur filius dei advenit, quum homo de ignorantia et impotentia convictus fuit ne si forte ante venisset homo, suis meritis salutem adscriberet et ideo medicinae gratus non esset. Secundo ex parte temporis quoniam venit in plenitudinem temporis etc. Galat. VII. At ubi venit plenitudo temporis etc. Augustinus. Multi dicunt quare non ante venit Christus, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt omnia tempore. Denique ubi venit plenitudo temporis. Venit ille qui nos liberavit a tempore. Liberati antem a tempore venturi sumus ad illam aeternitatem, ubi nullum est tempus. Tertio ex parte vulneris et morbi universalis. Quare enim quando morbus erat universalis opportunum fuit universalem exhiberi medicinam. Unde dicit Augustinus. Quod tunc magnus venit medicus, quando per totum mundum magnus jacebat aegrotus. Unde ecclesia in septem antiphonis, quae cantantur ante nativitatem domini, ostendit multiplicitatem sui morbi et ad quemlibet petit remedium medici. Antem siquidem adventum filii dei in carnem eramus ignorantes sive caeci, poenis aeternis obligati, servi diaboli, mala peccati consuetudine juncti, tenebris obvoluti, exsules a patria expulsi. Ideoque indigemus doctore, redemptore, liberatore, eductore, illuminatore et salvatore. Quia igitur ignorantes eramus et ideo ab ipso doceri indigebamus et ideo statim in prima antiphona clamamus: O sapientia quae ex ore altissimi prodisti etc. Veni ad docendum nos viam prudentiae. Sed parum prodesset, si doceremur et non redimeremur, et ideo ab ipso redimi postulamus, cum in secunda clamamus: O adonay et dux domus israhel etc., veni ad redimendum nos in brachio extento. Sed quid prodesset, si essemus docti et redempti, si adhuc post redemptionem detineremur captivi, et ideo liberari petimus, cum in tertia clamamus: O radix yesse etc. Veni ad liberandum nos, jam noli tardare. Sed quid prodesset captivis, si essent redempti et liberati, sed tamen nondum essent ab omni vinculo absoluti, ut scilicet suae potestatis essent et libere, quo vellent, ire possent. Parum igitur prodesset, si nos redemisset et liberasset, si tamen adhuc vinctos teneret. Et ideo ab omnibus peccati vinculis educi petimus, cum in quarta clamamus: O clavis david etc. Veni et educ vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris et umbra mortis. Sed quia illi, qui diu fuerunt in carcere, habent oculos tenebratos nec clare videre possunt, ideo post absolutionem a carcere restat nos esse illuminandos, ut videamus, quo ire debeamus. Et ideo in quinta cla-

mamus: O oriens splendor lucis etc. Veni et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis. Sed si essemus docti redempti et ab inimicis penitus liberati et illuminati, quid valeret, nisi deberemus salvari, et ideo in duabus sequentibus salvari petimus et dicimus: O rex gentium etc. Veni salva hominem quem de limo formasti. Item o Emanuel etc. Veni ad salvandum nos domine deus noster. In prima autem petimus salutem gentium. Unde dicitur: O rex gentium. In secunda salutem Iudaeorum, quibus Deus dederat legem. Unde dicitur: O Emanuel rex et legifer noster.

De utilitate adventus Domini.

Utilitas autem adventus Christi a diversis sanctis diversimodo assignatur. Ipse namque Deus sicut patet Luc. IV. propter septem *utilitates* se venisse et missum esse testatur dicens: Spiritus domini super me etc. Ubi per ordinem dicit, se missum esse ad pauperum consolationem, ad contritorum sanationem, ad captivorum liberationem, ad indoctorum illuminationem, ad peccatorum remissionem, ad totius humani generis redemptionem, ad meritorum retributionem. Augustinus autem ponit tres utilitates adventus Christi dicens: In seculo isto maligno quid abundat, nisi nasci, laborare et mori. Haec sunt mercimonia regionis nostrae et ad tales merces mercator ille descendit. Et quia omnis mercator dat et accipit, dat quod habet, et accipit quod non habet, Christus in ista mercatura dedit et accepit. Accepit, quod hic abundat, scilicet nasci, laborare et mori, dedit renasci, resurgere et in aeternum regnare. Item venit ad nos coelestis negotiator, accipere contumeliam et dare honorem, subire mortem et dare vitam, haurire ignominiam et dare gloriam. Gregorius autem ponit IV. utilitates sive causas sui adventus dicens: studebant omnes superbi de Adam stirpe geniti prospera vitae praesentis appetere, adversa devitare, opprobria fugere, gloriam appetere. Venit inter eos incarnatus dominus adversa appetens, prospera spernens, opprobria amplectens, gloriam fugiens. Ideo Christus exspectatus veniens nova docuit, docens nova mirabilia exercuit, mira faciens prava toleravit. Bernardus quoque alias ponit dicens: triplici morbo miserabiliter laboramus; nam et faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur. Si temperamus facere bonum, deficimus. Si conamur resistere malo, superamur. Necessarius est primum salvatoris adventus, ut in nobis

per fidem habitans illuminet caecitatem nostram et nobiscum manens adjuvet infirmitatem nostram et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Haec Bernardus. Circa secundum adventum, scilicet ad judicium, duo videnda sunt, scilicet antecedentia judicium et comitantia. Antecedentia sunt tria. Signa terribilia, Antichristi fallacia et ignis vehementia. Signa antem terribilia praecedentia judicium ponuntur quinque, Luc. XXI. Erunt signa in sole et luna et stellis et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum. Tria signa determinantur Apocal. VI. Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus: et luna facta est sicut sanguis, et stellae ceciderunt super terram. Sol igitur dicitur obscurari, vel quantum ad sui luminis privationem, ut patre familias, id est, homine moriente quasi lugere videatur, vel quantum ad majoris lucis, id est, claritatis Christi Jesu superventionem, vel quantum ad metaphoricam locutionem, quia secundum Augustinum tam severa erit vindicta divina, quod etiam sol ipsam respicere non audebit. Vel quantum ad misticam significationem, quia sol justitiae Christus tum obscurus erit, quia nullus ipsum confiteri audebit. Coelum autem dicitur hic aerium et stellae vocantur a substantia, quia habent similitudinem stellarum, et dicuntur stellae cadere de coelo secundum vulgi opinionem, quando substantia descendit. Unde et scriptura conformat se communi modo loquendi, tunc autem maxime fiet talis impressio, quia ignea qualitas abundat. Et hoc facit dominus ad terrorem peccatorum vel stellae dicuntur cadere, quia igneas comas emittent vel multi, qui videbantur stellae, de ecclesia cadent, vel quia retrahent lumen suum, ut minime videantur. De quarto signo quod erit pressura in terris legitur Matth. [XXIV] XXIII: Erit tunc tribulatio qualis nunquam fuit ab initio mundi etc. Quintum signum scilicet confusionem maris quidam existimant esse, quod mare cum magno fragore peribit a pristina qualitate secundum illud Apocal. XXI: et mare jam non est; vel secundum alios ille somnus erit, quoniam non sine murmure magno XL cubitus super montes elevabitur et postea deprimetur. Vel ad litteram secundum Gregorium: tunc fuit nova et inaudita maris et fluctuum perturbatio. Hieronymus autem in annalibus Hebraeorum invenit XV signa praecedentia judicium. Sed utrum continue futura sint an interpolatim, non expressit. Prima die eriget se mare XL cubitus super altitudinem montium stans in loco quasi murus. Secunda die tantum descendet ut vix videri possit. Tertia

die marinae belluae apparentes super mare dabunt rugitus usque ad coelum et earum mugitus solus Deus intelliget. Quarta ardebit mare et aqua. Quinta arbores et herbae dabunt rorem sanguineum: in hac etiam quinta die, ut alii asserunt, omnia volatilia coeli congregabuntur in campis, unumquodque genus in ordine suo, non gustantia, nec bibentia, sed vicinum adventum judicis formidantia. Sexta ruent aedificia. In hac etiam VI die, ut dicitur, fulmina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum concurrentia. Septima petrae ad invicem collidentur et in quatuor partes scindentur et unaquaeque pars, ut dicitur, collidet alteram nescietque homo sonum illum, sed tantum Deus. Octava fiet generalis terrae motus, qui adeo erit magnus, ut dicitur, quod nullus homo, nullum animal stare poterit, sed ad solum omnia prosternentur. Decima exibunt homines de cavernis et ibunt velut amentes nec mutuo sibi loqui poterunt. Undecima surgent ossa mortuorum et stabunt super sepulchra ab ortu solis usque ad occasum, ut inde mortui exire valeant. Duodecima cadent stellae: omnia enim sidera errantia et stationantia spargent ex se igneas comas et iterum tunc valde generabuntur a substantia: in hac etiam die dicitur, quod omnia animalia venient ad campos mugientia nec gustantia nec bibentia. Tredecima morietur viventes, ut cum mortuis resurgant. Quarta decima ardebit coelum et terra. Quinta decima fiet coelum novum et terra nova et resurgent omnes. Secundum quod praecedit judicium, erit antichristi fallacia. Ipse enim omnes decipere conabitur quatuor modis. Primo per callidam suasionem sive scripturae falsae expositionem. Nitetur enim persuadere et ex scriptura firmare, se esse Messiam in lege promissum, et legem Christi destruct et suam statuet. Psalm.: Constitue domine legislatorem super eos etc. Glossa: id est antichristum legis pravae latorem. Daniel XI. Et dabunt abominationem et desolationem templi. Glossa: Antichristus in templo Dei sedebit quasi Deus ut legem Dei auferat. Secundo per miraculorum operationem. II. Thess. II: Cujus adventus erit secundum operationem Satanae [1]) in omnibus verbis et signis et prodigiis et mendaciis. Apocal. XIII: Fecit signa ut etiam ignem faceret de coelo in terram descendere. Glossa: Ut apostolis datus est spiritus sanctus in specie ignis et illi dabunt spiritum malignum in specie ignis. Tertio per do-

1) Vulgata loco verborum „in omnibus verbis" legit: in omni virtute, deinde pro verbis et mendaciis offert mendacibus.

norum largitionem. Dan. XIII. Dabit eis potestatem in multis et terram dividet gratuito. Glossa: Antichristus deceptis dona multa dabit et terram suo exercitui dividet. Quos enim suo terrore subjugare non potuit, avaritia subjugabit. Quarto per tormentorum illationem. Daniel VIII: Supra quam credi potest, universa vastabit. Item Gregorius loquens de Antichristo: Robustos quippe interficit, cum eos, qui invicti sunt, corporaliter vincit. Tertium quod praecedet judicium, erit ignis vehementia, qui quidem praecedit faciem judicis. Illum enim ignem emittet Deus. Primo propter mundi innovationem: purgabit enim et renovabit omnia elementa, unde et ad instar aquae diluvii, XV cubitis montibus altior erit, sicut dicitur in hystoria scholastica, quia opera hominum tantum ascendere [1]) poterant. Secundo propter hominum purgationem, quia illis qui tunc vivi reperientur, erit locus purgatorii. Tertio propter majorem damnatorum cruciationem. Quarto propter majorem sanctorum illuminationem. Nam secundum Basilium Deus facta mundi purgatione dividet calorem a splendore et totum calorem mittet ad regiones damnatorum, ut amplius crucientur, et totum splendorem ad regionem beatorum, ut amplius jucundentur. Concomitantia ante judicium erunt plura. Primum est disceptatio judicis. Judex enim in vallem Josaphat descendet et bonos et malos judicabit, bonos a dextris et malos a sinistris statuet. Et credendum est in loco eminenti eum futurum, unde caeteri poterunt eum videre. Nec intelligendum est, quod omnes intra illam valliculam concludantur, quia hoc esset puerile, ut dicit Hieronymus, sed quod erunt ibi et in locis circumjacentibus. In parva autem terra innumerabilia millia hominum esse possunt, maxime quando constringuntur. Et si necesse fuerit, electi erunt in aëre corporum agilitate. Damnati vero etiam esse poterunt divina suspendente [2]) virtute. Quia et tunc judex cum malis disceptabit et eos pro operibus misericordiae, qui non habuerunt, objurgabit et tunc omnes super se plangent, secundum quod ostendit Chrysostomus secundum [3]) Matthaeum dicens: plangent se Judaei videntes viventem et vivificantem, quem quasi hominem mortuum existimabant, et [4]) consurgentes se corpori vulnerato scelus suum denegare non poterunt. Plangent se et gentiles, qui variis disputationibus philosophorum decepti irrationabilem stultitiam putaverunt esse Deum colere cruci-

---

1) non, addunt recentiores. 2) operante, edd. recent. 3) super, edd. rec. 4) Rectius recent.: convincentes se de corpore vulnerato.

fixum. Plangent se Christiani peccatores, qui magis dilexerunt mundum, quam Deum vel Christum. Plangent se haeretici, qui purum hominem crucifixum dixerunt, cum viderunt ipsum esse judicem, in quem compunxerunt Judaei. Plangent se omnes tribus terrae, quod nec resistendi virtus est contra eum nec fugiendi facultas ante faciem ejus est nec poenitentiae locus nec satisfactionis tempus. Est angustia enim omnium rerum nihilque iis remanet praeter luctum. Secundum est differentia ordinis. Nam sicut dicit Gregorius: in judicio quatuor erunt ordines, duo ex parte reproborum, et duo ex parte electorum. Alii enim judicantur et pereunt sicut hi, quibus dicitur: Esurivi et non dedistis mihi manducare etc. Alii vero non judicantur et pereunt, sicut hi, de quibus dicitur: qui non crediderit, jam judicatus est. Quia nec judicis verba percipiunt, qui *ejus fidem* nec verbo tenus servare voluerunt. Alii judicantur et regnant, sicut viri perfecti, qui alios judicabunt, non quod sententiam ferant, quia hoc solius judicis est, sed dicuntur judicare, id est, judicanti assistere. Et illa assistentia erit primo ad sanctorum honorem. Magnus enim honor erit, cum judice sessionem habere. Juxta quod [1]) promisit dicens: sedebitis super sedes etc. Secundo ad sententiae confirmationem. Sententiam judicis adprobabunt, sicut aliquando illi, qui judicanti assistunt, ejus sententiam approbant et ad ipsam approbandam subscribunt, Psalm.: ut faciant in iis judicium conscriptum etc. Tertio ad malorum condemnationem, quos quidem condemnabunt ex vitae suae operatione. Tertium est insignia passionis, scilicet crux, clavi et cicatrices in corpore. Haec enim erunt primo in ostensionem suae gloriosae victoriae et ideo in excellentia gloriae apparebunt. Unde Chrysostomus super Matth.: Crux et cicatrices radiis solis erunt lucidiores. Item considera, quanta sit virtus crucis. Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum ut discas, quantum crux et luna lucidior et sole praeclarior est. Secundo in ostensionem suae misericordiae, ut ex hoc ostendatur, quod misericorditer boni sunt salvati. Tertio in ostensionem suae justitiae, ut ex hoc ostendatur, quam justissime reprobi sunt damnati, quia scilicet tantum pretium sui sanguinis contemserunt, unde in haec verba iis exprobrabit, ut dicit Chrysostomus super Matthaeum dicens: ego propter vos homo factus sum, propter vos alligatus sum et delusus et caesus et crucifixus,

1) Recent. legunt: promisit dominus Matth. XIX dicens.

ubi est tantarum injuriarum mearum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi pro redemtione animarum vestrarum. Ubi servitus vestra, quam mihi pro pretio sanguinis mei dedistis? Ego super gloriam meam vos habebo, quum essem Deus apparens homo: et viliorem me omnibus rebus vestris fecistis. Nam omnem rem vilissimam terrae amplius dilexistis, quam justitiam meam et fidem. Haec Chrysostomus. Quartum est severitas judicantis, non enim flectetur timore, quia omnipotens est. Chrysostomus. Nec resistendi virtus est contra eum nec fugiendi facultas etc. Nec munere poterit corrumpi, quia ditissimus est. Bernardus. Veniens [1]) veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda quam astuta verba, et conscientia bona quam marsupia plena. Ille enim est, qui non falletur verbis nec flectetur donis. Item Augustinus. Exspectatur dies judicii et aderit ille aequissimus judex, qui nullius potentis personam accipit, cujus palatium auro et argento nullus episcopus vel abbas vel comes corrumpere poterit [2]). Nec odio, quia optimus est. In eum enim, quia optimus est, odium cadere non potest. Sapient. XI. Nihil odisti eorum quae fecisti. Nec amore, quia justissimus est. Unde etiam fratres suos, id est falsos Christianos non liberabit. Psalm.: Frater non redimet. Nec errore, quia sapientissimus est. Leo papa: Iste est tremendus aspectus, cui [3]) pervium est omne solidum et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur et si non voce mens loquitur. Et ideo cum ejus sapientia sit talis et tanta, contra ipsius sapientiam nihil valebunt allegationes advocatorum, nec sophismata philosophorum, nec praeclarissima eloquia oratorum, nec astutiae versutorum. De his quatuor sic dicit Hieronymus: quanti illic elingues et muti feliciores loquacibus erunt, quo ad primum, quanti pastores philosophis, quo ad secundum, quanti rustici oratoribus, quo ad tertium, quanti hebetes argutiis praeferendi sunt Ciceronis, quo ad quartum. Quintum est [4]) accusator horribilis. Tres enim tunc accusatores contra peccatorem stabunt. Primus est dyabolus, qui tunc accusabit. Augustinus: praesto tunc erit dyabolus recitans verba professionis nostrae et objiciens nobis quaecunque fecimus, in quo loco et in qua hora peccavimus, et quid boni facere tunc debuimus, dicturus est enim ille adversarius: Aequissime judex

---

1) antiquiores recte omittunt: veniens. 2) Verba Nec odio — redimet omittit Ed. Princ. 3) Ed. Princ. Dresd. 1472 legit: tibi parvum est esse solidum. 4) Male Edit. Pr. Dresd. excusatio offert.

judica istum meum esse ob culpam, qui tuus esse voluit per gratiam, tuus est per naturam, meus per miseriam, tuus ob passionem. meus ob suasionem, tibi inobediens, mihi obediens, a te accepit immortalitatis stolam, a me accepit hanc pannosam, qua indutus est, tunicam, tuam vestem dimisit, cum mea huc venit. Aequissime judex judica illum meum esse et mecum damnandum esse. Heu poteritne talis aperire os, qui talis invenitur, ut juste cum dyabolo deputetur. Haec Augustinus. Secundus accusator erit proprium scelus. Peccata enim propria unumquemque accusabunt. Sapient. IV. Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi et transducent illos ex adverso iniquitates eorum. Bernardus. Tunc loquentia simul ejus opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, sed semper tecum erimus et tecum ad judicium pergemus; multisque et multiplicibus criminibus eum accusabunt. Tertius accusator erit totus mundus. Gregorius. Si quaeris, quis te accusabit, dico, totus mundus. Offenso enim creatore offenditur totus mundus. Chrysostomus super Matthaeum. In illo die nihil est quod respondeamus, ubi coelum et terra, aqua, sol et luna, dies et noctes et totus mundus stabunt ante Deum adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum. Et si omnia tacerent, ipsae tamen cogitationes nostrae et opera specialiter stabunt adversum nos ante deum nos fortiter accusantes. Sextus est testis infallibilis. Tres enim testes tunc adversum se habebit peccator. Unum supra se habebit peccator, scilicet Deum, qui erit judex et testis. Jerem. XXIX. Ego sum judex et testis dicit dominus. Alium intra se scilicet conscientiam. Augustinus: Quisquis futurum judicem times, praesentem conscientiam corrige. Sermo enim tuae causae testimonium et conscientiae tuae. Tertium juxta se, scilicet proprium angelum ad custodiam deputatum, qui tamquam conscius omnium, quae fecit, contra eum testimonium perhibebit. Job. XX. Revelabunt coeli, (id est angeli,) iniquitatem ejus. Septimum est accusatio peccatoris de hoc, sicut dicit Gregorius: O quam angustae erunt tunc viae reprobis. Superius erit judex iratus, inferius horrendum chaos, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita daemonia ad supplicium trahentia, intus conscientia urens, foris mundus ardens. Miser peccator sic deprehensus quo fugiet? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Octavum est sententia irrevocabilis. Illa enim sententia nunquam poterit revocari nec ab illa poterit appellari. Triplici enim de causa appellatio in causis judicialibus non

recipitur. Primo propter judicis excellentiam, unde a rege ferente sententiam appellari in regno suo non potest, quia in regno suo nullum supra se habet. Similiter nec ab imperatore vel papa potest appellari. Secundo propter criminis evidentiam, quia quando crimen notorium est, non potest appellari. Tertio propter rem non differendam, quia res non recipit dilationem, quia forte ex dilatione detrimentum pateretur. Similiter non appellatur propter hanc triplicem rationem. Ab illa sententia etiam non poterit appellari a papa. Primo propter judicis excellentiam, quia judex ille nullum supra se habet, sed ipse omnes excedit aeternitate, dignitate et potestate, unde ab imperatore vel papa posset aliquo modo appellari ad Deum. A Deo autem ad nullum licet, quia supra se nullum habet. Secundo propter criminis evidentiam, omnia enim scelera et crimina reproborum ibidem nota erunt et manifesta. Jeremias: Aderit illa dies, in qua facta nostra quasi in quadam tabula picta demonstrabuntur. Tertio propter rem non differendam. Nihil enim, quod ibi agitur, differentiam patitur, sed omnia in momento, in ictu oculi peraguntur.

CAP. II.

De sancto Andrea apostolo.

Andreas interpretatur decorus vel respondens vel virilis ab ander [1]), quod est vir; et dicitur Andreas, quasi anthropos, i. e. homo, ab ana, quod est sursum, et tropos, quod est conversio, quasi sursum ad coelestia conversus et ad suum creatorem erectus fuit. Ergo decorus in vita, respondens in sapienti doctrina, virilis in poena et antropos in gloria. Ejus passionem presbiteri et dyacones Achayae seu Asiae, sicut oculis suis viderant, conscripserunt.

1. Andreas et quidam alii discipuli tribus vicibus a domino sunt vocati. Primo enim vocavit eos ad sui notitiam. Sicut quando stante Andrea die quadam cum Johanne magistro suo et alio cum discipulo, audivit a Johanne: Ecce agnus Dei etc. et statim cum alio discipulo venit et vidit, ubi manebat Jesus et manserunt apud

---

1) Alii edron, vulgo andor. Legendum: Ander.

illum die illo. Inveniensque Andreas fratrem suum Symonem, adduxit eum ad Jesum. Sequenti autem die ad piscationis opera redierunt, postmodum secundo vocavit eos ad sui familiaritatem. Sicut cum die quadam turbis irruentibus ad Jesum juxta stagnum Genesareth, quod dicitur mare Galilaeum, navim intravit Symonis et Andreae et capta multitudine magna piscium vocatisque Jacobo et Johanne, qui erant in alia navi, secuti sunt eum et iterum ad propria redierunt. Sed postea tertio et ultimo vocavit eos ad sui discipulatum, sicut quando ambulante Jesu juxta idem littus vocavit eos de piscatione dicens: Venite post me faciam vos etc. Qui relictis omnibus secuti sunt eum eique semper postmodum adhaeserunt nec ultra ad propria redierunt. Nihilominus tamen vocavit Andream et quosdam de suis discipulis ad apostolatum, de qua vocatione dicitur Marc. III. Vocavit ad se quos voluit ipse et venerunt ad eum et fecit ut essent duodecim cum eo. Post ascensionem domini divisis apostolis Andreas apud Scythiam, Matthaeus vero apud Margundiam praedicavit. Viri autem illi praedicationem Matthaei penitus respuentes ei oculos eruerunt et vinctum incarceraverunt post paucos dies occidere eum disponentes. Interea angelus domini Sancto Andreae apparuit et Margundiam ad sanctum Matthaeum ire praecepit; quo respondente, se viam nescire, jussit ut ad ripam maris iret et ad primam navem, quam inveniret, intraret. Qui vel ocius jussa complens ad urbem praedictam venit angelo duce et prospero vento flante: et invento aperto carcere Sancti Matthaei eoque viso flevit plurimum et oravit. Tunc dominus Matthaeo reddidit beneficium duorum luminum, quibus eum privaverat nequitia peccatorum. Matthaeus autem ab inde recessit et Antiochiam venit. Andrea vero Margundia remanente irati illi de evasione Sancti Matthaei Andream apprehendunt et per plateas ligatis manibus pertrahunt: cumque ejus sanguis efflueret, pro iis oravit et ad Christum eos sua oratione convertit, inde in Achayam proficiscens [1]). Hoc autem quod dicitur de hujusmodi liberatione Matthaei et restitutione duorum luminum per Andream non puto dignum fidei, ne in tanto evangelista minoratio infima [2]) denotetur, quasi sibi non potuerit obtinere, quod Andreas ei tam facile impetravit. — — **2.** Quidam juvenis nobilis dum invitis parentibus apostolo

---

1) Ed. Dresd. a. 1472. omittit punctum post vocem: peccatorum positum omniaque verba sequentia excepto solo vocabulo: proficiscens.

2) Recentiores male: infirma.

adhaesisset, parentes ejus domum in qua morabatur cum apostolo, succenderunt. Cumque jam in altum flamma succresceret, puer accepta ampulla super ignem sparsit et statim ignem exstinxit, illis autem dicentibus: filius noster magus est effectus. Dum per scalas vellent ascendere, a Deo sunt excaecati, ut ipsas scalas penitus non viderent. Tunc quidam exclamans ait: ut [1]) quid vos stulto labore consumitis, Deus pugnat pro iis et vos non videtis. Cessate jam, ne in vos ira Dei descendat. Multi ergo videntes domino crediderunt, parentes vero ejus post quinquaginta dies mortui in monumento sunt positi. — — 3. Quaedam mulier cuidam homicidae conjuncta cum parere non posset, sorori suae dixit: vade et pro me Dyanam dominam nostram invoca. Cui invocanti ait dyabolus: cur me invocas, cum tibi prodesse non possim? Sed vade ad Andream apostolum, qui sororem tuam poterit adjuvare. Ad quem cum ivisset et apostolum ad sororem periclitantem duxisset, dicit ei apostolus: recte hoc pateris, quia male duxisti, male concepisti et daemones consuluisti. Sed tamen poenitere et in Christum crede et puerum projice. Qua credente abortivum protulit et dolor cessavit. — — 4. Senex quidam nomine Nicolaus adiit apostolum dicens: domine, ecce septuaginta anni vitae meae sunt, in quibus semper luxuriae deservivi. Accepi autem aliquando evangelium orans Deum, ut mihi amando [2]) continentiam largiretur. Sed in ipso peccato inveteratus et a mala concupiscentia illectus statim ad opus solitum revertebar. Quadam igitur vice concupiscentia inflammatus oblitus evangelium, quod super me posueram [3]), ad lupanar ivi statimque meretrix dixit mihi: egredere senex, egredere, quia angelus Dei es, tu ne me contingas neque huc accedere praesumas: video enim super te mirabilia. Stupefactus ad verba meretricis recolui, quod mecum evangelium detulissem. Nunc igitur, Sancte Dei, pro salute mea tua pia oratio intercedat. Audiens hoc beatus Andreas flere coepit et a tertia usque ad nonam oravit et surgens noluit comedere, sed ait: non comedam, donec sciam, si dominus miserebitur hujus senis. Cumque diebus quinque jejunasset, venit vox ad Andream dicens: obtines Andrea pro sene. Sed sicut per jejunium macerasti te, sic, se et ipse affligat jejuniis ut salvetur. Sicque fecit et in sex mensibus in pane et aqua jejunavit et postmodum plenus bonis operibus

---

1) Forte scribendum ad. 2) Recentiores: amodo, rectius fortasse, quia haec particula saepius a scriptoribus aevi medii loco conjunctionis: modo usurpatur. 3) Alii posuerat offerunt.

in pace requievit. Venit igitur vox ad Andream dicens: per orationem tuam Nicolaum, quem perdideram, acquisivi. — — 5. Quidam juvenis Christianus secretius Sancto Andreae dixit: mater mea pulchrum me videns de opere me illicito tentat: cui dum nullatenus assentirem, judicem adiit, volens in me crimen tantae nequitiae retorquere, sed ora pro me, ne moriar tam injuste, nam et accusatus penitus reticebo malens vitam perdere, quam matrem meam tam turpiter infamare. Juvenis igitur ad judicium vocatur et illuc eum Andreas prosequitur. Accusat constanter mater filium, quod se voluerit violare. Interrogatus pluries juvenis, an res taliter se haberet, nihil penitus respondebat. Tunc Andreas matri dixit: crudelissima feminarum, quae per tuam libidinem unicum filium vis perire. Tunc illa praeposito dixit: domine, huic homini filius meus adhaesit, postquam hoc agere voluit sed nequivit. Iratus itaque judex jussit puerum in saccum linitum pice et bitumine mitti et in flumine projici, Andream vero in carcere reservari, donec excogitaret supplicium, quo periret. Sed orante Andrea tonitruum horribile omnes terruit et terrae motus ingens cunctos prostravit et mulier a fulmine percussa et arefacta corruit. Orantibus autem caeteris apostolum, ne perirent, oravit pro iis et omnia cessaverunt. Tunc praepositus credidit et domus ejus tua. — — 6. Cum autem esset apostolus in civitate Nicaea, dixerunt ei cives, quod extra civitatem secus viam septem daemones erant, qui praetereuntes homines occidebant. Quibus ad jussum apostoli ante populum in specie canum venientibus praecepit, ut illuc irent, ubi nulli hominum nocere possent. Qui statim evanuerunt. Illi autem homines hoc viso fidem Christi receperunt. Et cum venisset ad portam alterius civitatis ecce quidam juvenis mortuus ferebatur. Quaerente apostolo quid ei accidisset, dictum est ei, quod septem canes venerunt et eum in cubiculo necaverunt. Et lacrimans apostolus ait: scio domine, quod fuerunt daemones, quos a Nicaea urbe repuli. Dixitque patri: quid dabis mihi, si suscitavero filium tuum? Cui ille: nil carius ego possidebam, ipsum ergo tibi dabo. Et facta oratione surrexit et apostolo adhaesit. — — 7. Cum quidam viri numero quadraginta ad apostolum navigio venirent, ut ab eo fidei doctrinam reciperent, ecce a dyabolo mare concitatur et omnes pariter submerguntur. Cum autem eorum corpora ad litus delata fuissent, ante apostolum deportantur et ab eo continuo suscitantur. Qui omnia, quae sibi acciderunt narraverunt. Unde in quodam hymno ipsius legitur: quaterdenos juvenes submer-

sos maris fluctibus vitae reddidit usibus [1]). — — **8.** Beatus igitur Andreas in Achaya consistens totam cum ecclesiis implevit et plurimos ad fidem Christi convertit. Uxorem quoque Aegeae proconsulis fidem Christi docuit et sacro baptismatis fonte ipsam regeneravit. Audito hoc Aegeas Patras civitatem ingreditur compellens Christianos ad sacrificia ydolorum, cui occurrens Andreas dixit: oportebat ut tu qui judex hominum esse meruisti in terris, judicem tuum qui in coelis est, agnosceres et agnitum coleres et colendo animum a falsis Diis penitus revocares. Cui Aegeas: tu es Andreas, qui superstitiosam praedicas sectam, quam Romani principes nuper exterminare jusserunt. Ad quem Andreas: Romani principes nondum cognoverunt, quomodo filius Dei veniens docuerit ydola esse daemonia, quae hoc docent, unde offendatur Deus, ut offensus ab iis avertatur et aversus non exaudiat et non exaudiendo ipsi a dyabolo captiventur et captivati tamdiu deludantur, donec nudi de corpore exeant, nihil secum praeter peccata portantes. Cui Aegeas: ista vana Jesus vester praedicans crucis patibulo est affixus. Cui Andreas: pro restauratione nostra non pro culpa sua crucis patibulum sponte suscepit. Ad quem Aegeas dixit: cum a suo discipulo fuerit traditus et a Judaeis tentus, et a militibus crucifixus, quomodo tu dicis, eum sponte crucis subiisse supplicium? Tunc Andreas quinque rationibus coepit ostendere Christum voluntarie passum fuisse. Scilicet ex eo quod passionem suam praevidit et discipulis futuram praedixit; ecce, inquiens, ascendimus Hierosolyma etc. Et ex eo quod Petro eum ab hoc avertere cupienti dure indignatus fuit dicens: vade post me Satana etc. et ex eo quod utriusque scilicet patiendi et resurgendi se potestatem habere manifestavit dicens: potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam. Et ex eo quod proditorem praecognovit, cum panem intinctum ei dedit, nec tamen vitavit. Et ex eo, quod locum, in quo proditorem venturum sciebat, elegit et his omnibus se interfuisse asseruit. Addit Andreas, quod mysterium crucis magnum esset. Cui Aegeas: mysterium dici non potest, sed supplicium. Verumtamen ubi mihi non obtemperaveris, ipsum mysterium te faciam experiri. Cui Andreas: si crucis patibulum expavescerem, crucis

---

1) Post haec verba male Recentiores interpolaverunt hanc periodum aperte spuriam et nexui plane contrariam: „Item magister Johannes Beleth ait de festo sancti Andreae. Sciendum est, inquit, quod niger fuit colore, barba prolixa, statura mediocri".

gloriam non praedicarem. Audire a te volo mysterium crucis, si forte credas ipsum agnitum colas ut salveris. Tunc coepit ei mysterium redemtionis pandere et quam congruum et necessarium fuerit, quinque rationibus persuadere. Prima ratio est, quod quia primus homo per lignum mortem suscitavit [1]), congruum fuit, ut secundus eam [2]) per lignum pelleret patiendo. Secunda quod quia de immaculata terra factus fuerat praevaricator, congruum fuit, ut de immaculata nasceretur virgine reconciliator. Tertia quod quia Adam ad cibum vetitum incontinenter manus extenderat [3]), congruum fuit, ut secundus Adam in cruce immaculatas manus extenderet. Quarta quod quia Adam cibum suavem vetitum gustaverat, congruum fuit ad hoc, quod contrarium pelleretur contrario, ut Christus esca fellea cibaretur. Quinta quia ad hoc quod Christus nobis suam immortalitatem conferret, congruum fuit, ut nostram sibi mortalitatem assumeret. Nisi enim Deus factus fuisset mortalis, homo non fieret immortalis. Tunc Aegeas dixit: haec vana tuis narra et mihi obtempera diisque omnipotentibus sacrifica. Cui Andreas: omnipotenti Deo agnum immaculatum quotidie offero, qui postquam a toto populo comestus fuerit, vivus et integer perseverat. Aegea, quomodo hoc fieret, requirente, dixit Andreas: ut formam discipuli assumeret. Cui Aegeas: ego cum tormentis a te exigam rei notitiam. Iratusque jussit eum in carcere recludi. Mane facto tribunali sistitur et ad sacrificia ydolorum iterum invitare coepit dicens: nisi mihi obtemperaveris, in ipsam, quam laudasti, crucem faciam te suspendi. Cumque ei multa supplicia minaretur, respondit: quidquid tibi videtur in suppliciis majus excogita; tanto enim regi meo ero acceptior, quanto fuero pro nomine ejus in tormentis constantior. Tunc jussit eum a viginti uno hominibus caedi et caesum manibus et pedibus cruci alligari ut sic longiorem reciperet cruciatum. Cumque duceretur ad crucem, factus est concursus populorum dicentium: innocens sanguis ejus sine causa damnatur. Quos tamen rogavit apostolus, ne suum martirium impedirent. Videns autem Andreas a longe crucem salutavit eam dicens: salve crux, quae in corpore Christi dedicata es et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. Antequam in te adscenderet dominus, timorem terrenum habuisti: modo vero amorem coelestem obtinens

1) Alii, recentiores tamen ex glossa vel ex sequentibus legunt „intulerat praevaricando". 2) Alii malunt: mortem — repelleret. 3) Verba: congruum — extenderet male omittit Edit. Dresd. 1472.

pro voto susciperis. Securus igitur et gaudens venio ad te, ut tu exsultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te: quia amator tuus semper fui et desideravi amplecti te. O bona crux, quae decorem et pulchritudinem de membris domini suscepisti. Diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione [1]) quaesita, aliquando concupiscenti animo praeparata. Accipe me ab hominibus et redde me magistro meo, ut per te me accipiat, qui per te me redemit. Et haec dicens se exuit et vestimenta carnificibus tradidit sicque eum in crucem, ut jussum fuerat, suspenderunt. In qua biduo vivens viginti [2]) millia hominum adstantium praedicavit. Tunc minitante turba Aegeae mortem et dicente, virum sanctum mansuetum et pium non debere ita pati, venit ut ipsum deponeret. Quem videns Andreas dixit: quid tu ad nos venisti, Aegea, si pro poenitentia, ipsam consequeris, si autem ut me deponas, scias, quod ego vivus de cruce non descendam. Jam enim video regem meum, qui me exspectat. Et cum vellent eum solvere, nullo modo poterant ad eum pertingere, quia statim eorum brachia stupida reddebantur. Videns autem Andreas, quod plebs volebat eum deponere, hanc orationem in cruce fecit, ut dicit Augustinus in libro de poenitentia. Ne me permittas domine descendere vivum, sed tempus est, ut commendes terrae corpus meum: tamdiu enim portavi jam, tamdiu super commendatum vigilavi et laboravi, quod vellem jam ab ipsa obedientia liberari et isto gravissimo indumento spoliari. Recordor quantum in portando onerosum, in domando superbum, in foyendo infirmum, in coercendo laetum [3]) laboravi. Scis, domine, quoties a puritate contemplationis retrahere me contendebat, quoties a dilectissimae quietis suae somno me excitare obtendebat, quantum et quoties [4]) dolorem ingerebat. Qui igitur tamdiu, ut potui, pater benignissime pugnanti restiti et tua ope superavi. A te justo remuneratore et pio posco, ne mihi id ultra commendes: sed depositum reddo. Commenda alii nec me [5]) illo ultra impedias, et resurrecturum servet et reddat, ut ipsum quoque meritum sui laboris recipias. Terrae id commenda, ut me amplius vigilare non oporteat et libere ad te fontem vitae indeficientis gaudii tendere anxiantem non retrahat nec impediat. Haec Augustinus. His dictis splendor nimius de coelo veniens dimidia hora eum circumdedit, ita ut nullus

---

1) Ed. Princ. male: quae ita aliquando. 2) Alii: millibus. 3) Alii ex glossa: lascivum. 4) Alii, fortasse rectius: laborem. 5) Ed. Pr. quam mavult.

cum videre posset, et abscedente lumine simul cum ipso lumine spiritum tradidit. Maximilla vero uxor Aegeae tulit corpus Apostoli sancti et honorifice sepelivit, Aegeas vero antequam domum suam rediisset, arreptus a daemone in via coram omnibus expiravit. Ajunt quoque de sepulchro sancto Andreae mannam in modum farinae et oleum cum odore emanare, a quo, quae sit anni futuri fertilitas, incolis regionis ostenditur. Nam si exiguum profluit, exiguum terra exhibet fructum, si copiose, copiosum. Hoc forte antiquitus verum fuit, sed modo ejus corpus apud Constantinopolitanos translatum esse perhibetur. — — 9. Episcopus quidam religiosam habens vitam beatum Andream inter caeteros sanctos in veneratione habebat, ita quod in cunctis suis operibus hunc semper titulum praeponebat: ad honorem Dei et beati Andreae. Invidens igitur viro sancto, hostis antiquus, ad eum decipiendum tota se calliditate contulit seque in formam mulieris pulcherrimae transformavit. Venit igitur ad palatium episcopi asserens se velle confiteri eidem. Mandat episcopus, ut suo poenitentiali confiteatur, cui plenitudinem tradiderat potestatis. Renuntiat illa, quod nulli hominum nisi sibi secreta suae conscientiae revelet, sicque convictus episcopus eam ad se venire praecepit. Cui illa: obsecro domine miserere mei, ego vero in annis puellaribus, ut cernitis, constituta et a pueritia delicate nutrita, nec non et regia stirpe progenita [1]) huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus rex, itaque valde potens cuidam magno principi me volebat in conjugium sociare, cui respondi [2]): omnem torum abominor maritalem, quia virginitatem meam Christo in perpetuum dedicavi et ideo nunquam possem in carnalem copulam consentire. Denique sic artata quod oportebat me aut ejus voluntati [3]) obedire aut [4]) terrae diversa subire supplicia latenter fugam inii, magis eligens exulare quam sponso meo fidem infringere. Audiens vero vestrae sanctitatis praeconium sub alas vestrae protectionis confugi, sperans me apud vos locum reperire quietis, ubi possim contemplationis [5]) carpere secreta silentia praesentisque vitae vitare naufragia et perturbationem mundi fugere perstrepentis. Admirans in ea episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, tam immensum fervorem et tantae eloquentiae venustatem placita et benigna voce respondit: esto secura,

---

1) Ed. Pr. etiam. 2) Recentiores legunt: quod omnem — abominarer. 3) Recentiores intrudunt: durissimae. 4) Recentiores malunt certe, quod damnandum videtur. 5) Alii legunt: capere.

filia, ne formides, quia ille, ob cujus amorem te et tuos et tua tam viriliter contemsisti, tibi ob hoc et in praesenti cumulum gratiae et in futuro plenitudinem gloriae largietur. Sed et ego servus ejus me et mea tibi offero, eligasque tibi, ubi placuerit, mansionem: volo autem hodie mecum prandere debeas. Cui illa [1]): noli inquit, pater, noli de hac re me rogare, ne forte ex hoc aliqua mali suspicio [2]) perveniat et nitor famae vestrae denigrationem aliquam patiatur. Ad quam episcopus dixit: plures erimus et non soli. Et ideo nullum mali suspicionis scrupulum in aliquo poterit generari. Venientes itaque ad mensam episcopus et illa ex opposito consederunt caeteris residentibus hinc et inde. Intendit in eam crebro episcopus ejusque faciem non desinit intueri et pulchritudinem admirari. Sicque dum oculus figitur, animus sauciatur, et dum ejus faciem non desinit intueri, antiquus hostis cor ejus gravi jaculo vulneravit. Perpendit hoc ipse dyabolus et pulchritudinem suam coepit magis ac magis augere jamque episcopus proximus erat consensui, ut eam de illicito opere attentaret, quando possibilitas se offerret, tunc subito quidam peregrinus venit ad ostium crebris ictibus pulsans et magnis clamoribus postulans sibi aperiri, cumque aperire nollent et ille magnis clamoribus et ictibus nimis iis fieret importunus, interrogat episcopus mulierem, si ingressum illius peregrini hominis acceptaret? Cui illa dixit: proponatur sibi aliqua quaestio gravis, quam si enodare sciverit, admittatur, si autem nescierit, tamquam inscius et indignus ab episcopi praesentia repellatur. Favent ejus omnes sententiae et quis sufficiens esset hanc quaestionem proponere sciscitantur. Cumque nullus inveniretur, episcopus dixit: quis enim nostrum ad hoc tam sufficiens est, quam vos o domina, quae caeteros nos et eloquentia praeceditis et sapientia nobis omnibus amplius rutilatis. Vos igitur hanc proponite quaestionem. Tunc illa dixit: interrogetur, quod est majus mirabile, quod Deus unquam in parva re fecerit. Interrogatus de hoc peregrinus per nuntium dixit: diversitas et excellentia facierum: inter tot enim homines, qui fuerunt ab initio mundi et usque in finem futuri sunt, duo reperiri non possent, quorum facies per omnia similes sint [3]) vel essent, et in ipsa quoque tam minima facie omnes sensus corporis Deus collocavit. Audientes omnes ejus responsio-

1) Ed. Princ. fortasse rectius: nolo. 2) Ed. Pr. legit: perveniret — pateretur. 3) Verba vel essent male omittunt recentiores.

nem admirantes dixerunt: vera et optima est solutio quaestionis. Tunc mulier ait: proponatur sibi secunda quaestio gravior, in qua melius possumus sapientiam ejus experiri: quaeratur ab eo, ubi terra sit altior omni coelo. Percunctatus de hoc peregrinus respondit: in coelo empyreo, ubi residet corpus Christi. Corpus enim Christi, quod est altius omni coelo, est de nostra carne formatum: porro caro nostra quaedam terrea substantia est; cum ergo corpus Christi super omnes coelos sit et de nostra carne originem duxerit, caro autem nostra de terra sit condita, constat, quod ubi corpus Christi residet, ibi procul dubio terra altior coelo manet. Refert nuntius, quod responderat peregrinus, et ecce omnes responsionem ejus mirabiliter approbant et magnifice sapientiam ejus laudant. Tunc illa iterum dixit: fiet ei tertia quaestio gravissima et occulta et ad solvendum difficilis et obscura, ut sic ejus sapientia tertio comprobetur et dignus sit, ut ad mensam episcopi merito admittatur. Quaeratur ab eo, quanti spatii sit a terra usque in coelum. Requisitus de hoc peregrinus nuntio dixit: vade ad eum, qui te misit ad me et de hoc diligenter percunctare; ipse enim melius me hoc novit et ideo tibi de hoc melius respondebit, nam ipse illud spatium mensuravit, quando de coelo in abyssum cecidit, ego autem de coelo nunquam cecidi et illud spatium nunquam mensuravi: non enim est mulier, sed dyabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris. Audiens hoc nuntius vehementer expavit et ea, quae audierat, coram omnibus recitavit. Mirantibus itaque omnibus et stupentibus, antiquus hostis de medio eorum evanuit. Episcopus autem rediens ad se redarguit amare semet ipsum et de perpetrata culpa veniam lamentabiliter precabatur, misitque nuntium, ut peregrinus introduceretur, sed nequaquam amplius invenitur. Tunc episcopus populum convocavit et iis evidenter exposuit ordinem gestae rei praecepitque, ut omnes jejuniis et orationibus insisterent, si forte dominus revelare alicui dignaretur, quisnam ille peregrinus fuerit, qui eum a tanto periculo liberavit. Revelatum autem est illa nocte episcopo, quod beatus Andreas fuerit, qui pro liberatione ipsius se posuerit in habitu peregrini. Coepit igitur episcopus in devotione Sancti Andreae magnifice crescere ac eum exinde in reverentia plus habere. — — **10**. Cum praepositus cujusdam civitatis agrum Sancti Andreae abstulisset et ob hoc gravissimis febribus orante episcopo fuerit correptus, ille episcopum rogavit, ut pro se oraret, et agrum sibi redderet, sed cum orante

episcopo sanitatem recepisset, agrum iterum usurpavit. Tunc episcopus orationi se dedit et omnes lampades ecclesiae fregit dicens: hoc lumen non accendetur, donec dominus se de suo inimico vindicet et ecclesia, quod amisit, recuperet. Et ecce praepositus gravissimis iterum febribus laboravit misitque nuntios episcopo, ut pro se oraret, et agrum suum et alium sibi similem redderet. Cui cum episcopus semper responderet: jam oravi et exaudivit me Deus, ipse ad eum se portari fecit et ut ecclesiam intraret ad orandum, coegit. Episcopus dum ecclesiam ingreditur, subito moritur et ager ecclesiae restituitur. —

CAP. III.

De sancto Nicolao.

Nicolaus dicitur a nicos, quod est victoria, et laos, quod est populus, id est Nicolaus, quasi victoria populi i. e. vitiorum quae et popularia et vilia sunt; vel victoria proprie, quia multos populos vita et doctrina docuit vitia et peccata vincere. Vel Nicolaus dicitur a nicos, quod est victoria et laus, quasi victoriosa laus; vel a nitor et laos, quod est populus, quasi nitor populi. Habuit enim in se ea, quae nitorem et munditiam faciunt. Nam secundum Ambrosium mundat sermo divinus, mundat vera confessio, mundat sancta cogitatio, mundat bona operatio. Ejus legendam doctores Argolici conscripserunt. Est autem Argos secundum Ysidorum civitas Graeciae, unde Argolici Graeci vocantur. Alibi quoque legitur, quod Methodius patriarcha eam Graece conscripsit, quam Johannes diaconus in latinum transtulit et plura addidit.

1. Nicolaus civis Paterae urbis ex divitibus et sanctis parentibus originem duxit. Pater ejus Epiphanes, mater vero Johanna dicta est. Quem cum primaevo juventutis suae flore parentes genuissent, deinceps caelibem vitam duxerunt. Hic prima die dum balnearetur, erectus stetit in pelvi. Insuper quarta et sexta feria tantum [1]) semel sugebat ubera. Factus autem juvenis aliorum devitans lascivias ecclesiarum potius terebat limina et quidquid ibi de sacra scriptura intelligere poterat, memoriter retinebat. Parentibus vero suis defunctis cogitare coepit, qualiter tantam divitiarum

1) hoc vocabulum: semel in nonnullis deest antiq. edition.

copiam non ad laudem humanam sed ad Dei gloriam dispensaret. Tunc quidam [1]) contermineus suus satis nobilis tres filias virgines ob inopiam prostituere cogitur, ut sic infami eorum commercio aleretur. Quod ubi sanctus comperit, scelus abhorruit et massam auri panno involutam in domum ejus per fenestram nocte clam jecit et clam recessit. Mane autem surgens homo massam auri reperit et Deo gratiam agens primogenitae nuptias celebravit. Non multo post tempore Dei famulus simile peregit opus. Quod rursus ille reperiens et in laudes immensas prorumpens de caetero vigilare proposuit, ut sciret, quis esset, qui suae inopiae subvenisset. Post paucos etiam dies duplicatam auri massam in domum projecit, ad cujus sonitum ille excitatur et Nicolaum fugientem insequitur talique voce alloquitur: siste gradum teque aspectui ne subtrahas meo, sicque accurrens velocius Nicolaum hunc esse cognovit; mox humi prostratus osculari volebat pedes ejus, quod ille [2]) refutans ab eo exegit, ne eum quamdiu viveret, publicaret. — — **2.** Post hoc Mireae civitatis defuncto episcopo convenerunt episcopi, illi ecclesiae de episcopo provisuri. Aderat autem inter eos quidam magnae auctoritatis episcopus, ad cujus electionem omnium sententia dependebat. Cum igitur cunctos jejuniis et orationibus insistere monuisset, nocte illa vocem audivit dicentem sibi, ut hora matutina fores ecclesiae observaret et quem primum ad ecclesiam, cujus etiam nomen esset Nicolaus, venire conspiceret, ipsum in episcopum consecraret. Hoc ergo aliis revelans episcopis admonuit, ut omnes orationibus insisterent et ipse pro foribus excubaret. Mirum in modum in hora matutinali quasi a Deo missus ante omnes se agebat Nicolaus, quem apprehendens episcopus dixit ei: quod tibi nomen est? Ille ut erat columbina simplicitate plenus, inclinato capite: Nicolaus, inquit, vestrae sanctitatis servus. Quem in ecclesiam ducentes licet [3]) plurimum renitentem in cathedram collocarunt Ipse autem eandem, quam prius, humilitatem et morum gravitatem in omnibus sectabatur, in oratione pervigilabat, corpus macerabat, mulierum consortia fugiebat, humilis erat in omnes suspiciendo, efficax in loquendo, alacer in exhortando, severus in corripiendo. — — **3.** Fertur quoque, sicut legitur in Cronica quadam, Nicolaum Nicaeno interfuisse concilio. Quadam autem die dum quidam nautae pericli-

---

1) Recentiores legunt: convicaneus. 2) Recentiores: refugiens, quod rectius videtur. 3) Antiquiores pessime: populum legunt.

tarentur, ita cùm lacrimis oraverunt: Nicolae famule Dei, si vera sunt, quae de te audimus, nunc ea experiamur. Mox quidam in ejus similitudinem apparuit dicens: ecce assum! vocastis enim me. Et coepit eos in antennis et rudentibus aliisque juvare navis armamentis; statimque cessavit tempestas. Cum autem ad ejus ecclesiam venissent, quem nunquam ante viderant, sine indice cognoverunt. Tunc Deo et sibi de liberatione gratias egerunt, quod ille divinae misericordiae et eorum fidei, non suis meritis attribuere docuit. — — 4. Quodam tempore totam provinciam Sancti Nicolai fames valida [1]) perculit, ita ut omnibus deficerent alimenta. Audiens autem vir Dei naves onustas tritico portui applicasse, illuc statim proficiscitur rogans nautas, ut saltem in centum modiis per quamlibet navem fame periclitantibus subvenirent. Cui illi: non audemus, pater, quia mensuratum est Alexandriae, oportet in horrea imperatoris nos reddere. Quibus Sanctus dixit: facite nunc, quod dico et vobis in Dei virtute promitto, quod nullam minorationem habebitis apud regium exactorem. Quod cum fecissent, et eandem mensuram, quam Alexandriae acceperant, reddidissent ministris imperatoris, miraculum referunt et Deum in suo famulo magnifica laude attollunt. Frumentum autem secundum uniuscujusque indigentiam vir Dei distribuit, ita ut miraculose duobus annis non tantum ad victum sufficeret, sed etiam ad usum seminis abundaret. — — — 5. Cum autem regio illa ydolis deservisset, prae caeteris nefandae Dyanae simulacrum populus coluerat adeo, ut usque ad tempus viri Dei nonnulli rustici praedictae religioni exsecrabili deservirent ac sub quadam arbore consecrata Dyanae quosdam ritus gentilium exercerent. Ac vir Dei praedictum ritum de omnibus finibus expulit ipsamque arborem praecidi mandavit. Iratus ex hoc contra eum hostis antiquus oleum Mydyaton, quod [2]) in naturam in aqua et lapidibus ardet, confecit seque in formam religiosae feminae transfigurans quibusdam ad virum Dei navigantibus in quadam saginula obviavit sicque affata est eos: mallem ad Sanctum Dei venire vobiscum, sed nequeo: rogo ergo vos, ut hoc oleum ad ejus ecclesiam offeratis et ob mei memoriam exinde aulae ejus parietes liniatis, et statim evanuit. Et ecce aliam cernunt naviculam cum honestis personis, inter quos erat simillimus sancto Nicolao, qui sic ait illis: heu quid mulier illa locuta est vobis vel quid attulit? Illi autem

---

1) Alii legunt: percussit. 2) Recentiores ex glossa legunt: contra.

cuncta per ordinem narraverunt. Quibus ille: haec est impudica Dyana, et ut me verum dicere comprobetis, oleum illud in mare projicite. Quibus projicientibus ingens ignis in mari succenditur et contra naturam diutius in mari ardens conspicitur. Venientes igitur ad servum Dei ajebant: vere tu es ille, qui nobis in mari apparuisti et a dyaboli insidiis liberasti. — — 6. Per idem tempus cum quaedam gens Romano imperio rebellasset, contra eam imperator tres principes Nepotianum, Ursum et Apilionem misit, quos portui Adriatico ob ventum contrarium applicatos beatus Nicolaus ut secum comederent, invitavit, volens ut gentem suam a rapinis compescerent, quas in nundinis exercebant. Interim dum Sanctus abesset, consul corruptus pecunia tres innocentes milites jussit decollari. Quod ut vir sanctus audivit, rogavit principes illos, ut secum illuc usque gradu concito properarent, veniensque ad locum, ubi decollandi erant, invenit eos [1]) poplite flexo et facie jam velata et spiculatorem ensem super eorum capita jam vibrasse. At Nicolaus zelo accensus et in lictorem se audacter ingessit et gladium de ejus manu eminus propulit innocentesque solvens eos incolumes secum duxit. Illico ad praetorium consulis properat et fores clausas vi reserat. Mox illi consul accurrens salutavit eum. Aspernens hoc Sanctus dixit: inimice Dei, legis praevaricator, qua temeritate praesumsisti tanti conscius sceleris vultum aspicere nostrum? Quem postquam plurimum objurgasset, ad preces tamen illorum ducum eum poenitentem benigne recipit. Recepta igitur benedictione imperiales nuntii iter peragunt et [2]) impios sine sanguine hostes subdunt redientesque ab imperatore magnifice sunt recepti. Quidam autem eorum felicitatibus invidentes, praefecto imperatoris prece et pretio suggesserunt, ut eos apud imperatorem [3]) de laesae majestatis crimine accusaret. Quod cum imperatori suggessisset, ille nimis furore repletus eos incarcerari praecepit ac sine aliqua interrogatione illa eos nocte occidi mandavit. Quod cum a custode [4]) didicissent, sciderunt vestimenta sua et gemere amare coeperunt. Tunc unus eorum, scilicet Nepotianus, recolens quod beatus Nicolaus tres innocentes liberaverat, exhortatus est alios, ut ejus patrocinia flagitarent. Quibus orationibus sanctus Nicolaus nocte illa Constantino imperatori apparuit dicens: cur illos principes tam injuste com-

1) Alii male: pollice. 2) Recentiores perperam: imperio. 3) Ed. Princ. male legit: dolosae manifestatis crimine. 4) Ed. Princ. male decidissent.

prehendisti et morti sine crimine [1]) addixisti? Surge velox eosque quantocius dimitti jubeto. Si [2]) non autem, oro Deum, ut tibi suscitet bellum, in quo tu corruas et bestiis cibus fias. Cui imperator: qui es tu, qui hac nocte palatium meum ingressus talia audes loqui? Cui ille: ego sum Nicolaus Mireae civitatis episcopus. Sic et praefectum similiter terruit per [3]) visum dicens: mente et sensu perdite, cur in necem innocentium consensisti? Perge cito et eos liberare stude. Si non autem, corpus tuum vermibus scaturiet et domus tua citius destruetur. Cui ille: quis es tu, qui nobis tanta minaris? Scito, inquit, me esse Nicolaum Mireae civitatis episcopum. Utrisque evigilantibus statim mutuo sua somnia pandunt et pro illis incarceratis continuo mittunt. Quibus autem imperator: quas magicas artes nostis, ut tantis nos illudatis somniis? Cui responderunt, se magos non esse nec mortis sententiam meruisse. Tunc imperator: nostis, inquit, hominem, cui nomen est Nicolaus? At illi audito hoc nomine manus extenderunt ad coelum, rogantes Deum, ut eos sancti Nicolai meritis a praesenti periculo liberaret. Et cum imperator totam vitam ejus et mirabilia ab iis didicisset, dixit iis: ite et Deo gratias agite, qui vos ejus precibus liberavit. Sed et de nostris eidem afferte gaudiolis rogantes eum, ut ulterius mihi minas non inferat, sed pro me et regno meo ad dominum preces fundat. Post paucos dies praedicti viri ad Dei famulum se prosternunt dicentes: vere famulus Dei es, vere cultor et amator Christi. Cumque sibi omnia per ordinem retulissent, ille elevatis in coelum manibus immensas Deo laudes retulit ac bene instructos principes ad propria remisit. — — 7. Cum autem dominus vellet eum assumere, rogavit dominum, ut angelos suos sibi mitteret, et inclinato capite angelos ad se venire vidit et dicto psalmo: in te domine speravi usque, in manus tuas etc. tradidit spiritum anno domini CCC. XL. III., ubi coelestium melodia audita est. Qui dum sepultus fuisset in tumba marmorea, a capite fons olei et a pedibus fons aquae profluxit et usque hodie ex ejus membris sacrum resudat oleum valens in salutem multorum. Successit autem ei quidam vir bonus, qui tamen de sede sua ab invidis est depulsus. Quo ejecto oleum fluere desiit, sed eo revocato protinus emanavit. Post multum vero temporis Turci Miream urbem destruxerunt, XLVII

---

1) Ed. Princ. male: abdicasti. 2) vulgo sin, ita ex emendatione; similiter paulo post. 3) post visum intrudit Ed. Pr. verbum: circuit.

vero milites Barenses illuc profecti quatuor monachis sibi astantibus tumbam sancti Nicolai aperuerunt ossaque ejus in oleo natantia in urbem Baream detulerunt, anno domini millesimo octuagesimo septimo. — — 8. Vir quidam ab uno Judaeo quandam summam pecuniae mutuo accepit, jurans super altare sancti Nicolai, cum alium fidejussorem habere nequiret, quod quam citius posset, sibi redderet. Tenente autem ille diu pecuniam Judaeus eam expostulavit, sed eam sibi reddidisse affirmat. Trahit ergo eum ad judicium et juramentum indicitur debitori. Ille baculum cavatum, quem auro minuto impleverat, secum detulerat, ac si ejus adminiculo indigeret. Volens igitur facere juramentum Judaeo baculum tradidit reservandum. Juravit ille, quod plus igitur reddiderit etiam, quam deberet. Facto juramento baculum suum repetiit et Judaeus ignarus astutiae eum sibi reddidit. Rediens autem, qui fraudem fecerat, in quodam bivio oppressus corruit somno currusque cum impetu veniens eum necavit et plenum baculum auro fregit et aurum effudit. Audiens hoc Judaeus concitus illico venit cumque dolum vidisset et a multis ei suggereretur, ut aurum reciperet, omnino renuit, nisi qui defunctus fuerat, ad vitam beati Nicolai meritis redderetur, asserens, se, si hoc fieret, baptismum suscepturum et Christianum futurum. Continuo qui defunctus fuerat, suscitatur et Judaeus in Christi nomine baptisatur. — — 9. Quidam Judaeus videns beati Nicolai virtuosam potentiam in miraculis faciendis, imaginem ejus sibi fieri praecepit eamque in sua domo collocavit, cui res suas, cum aliquo longius iret, cum minis commendabat haec vel similia verba dicens: ecce Nicolae, omnia bona mea tibi custodienda committo et nisi omnia bene custodieris, ultionèm expetam de te verberibus et flagellis. Quadam igitur vice dum ille abesset, fures adveniunt, cuncta rapiunt, solam imaginem derelinquunt. Judaeus autem rediens et se spoliatum videns imaginem alloquitur talibus vel similibus usus verbis: domine Nicolae, nonne in domo mea [1]) te posueram, ut res meas a latronibus servares? Cur hoc facere noluisti et latrones quare non prohibuisti? Igitur dira tormenta recipies et pro latronibus poenam lues; sicque damnum meum in tuis recompensabo tormentis et furorem meum in tuis refrigerabo verberibus et flagellis. Accipiens ergo Judaeus imaginem dire eam verberat direque flagellat. Mira res prorsus et stupenda. Dividentibus furibus, quae rapuerant, Sanctus Dei tamquam

1) Ed. Rec. omnes fere praeferunt vos et tum legunt servaretis — noluistis — prohibuistis, deinde vero male recipies etc.

in se verbera recepisset, apparuit, haec vel similia verba dicens: cur tam dire pro vobis flagellatus sum? cur tam crudeliter verberatus? cur tormenta tot passus? Ecce quomodo corpus meum livet! Ecce qualiter effusione sanguinis rubet! pergite citius et cuncta reddite quae tulistis: alioquin Dei omnipotentis in vos ira desaeviet, ita ut scelus vestrum in medium publicetur et quilibet vestrum suspendium patiatur. Ad quem illi: quis es tu qui nobis talia loqueris? Et ille: ego sum Nicolaus, servus Jesu Christi, quem Judaeus ille pro rebus suis, quas tulistis, tam condeliter flagellavit. Territi illi ad Judaeum veniunt, miraculum referunt, ab eo quid imagini fecerit, audiunt, cuncta reddunt, sicque et latrones ad viam redeunt rectitudinis et Judaeus fidem amplectitur salvatoris. — — **10.** Vir quidam pro amore filii sui litteras addiscentis festum sancti Nicolai annuatim solemniter celebrabat. Quadam igitur vice pater pueri convivium praeparavit et multos clericos invitavit. Venit autem dyabolus ad januam in habitu peregrini petens eleemosynam sibi dari. Jubet quantocius pater filio ut det eleemosynam peregrino. Properat puer, sed peregrinum non inveniens insequitur abeuntem. Cumque ad quoddam compitum pervenisset, apprehendens dyabolus puerum, eum strangulavit. Quod audiens pater vehementer ingemuit, corpus tulit, in thalamo collocavit coepitque prae dolore clamare et dicere: fili dilectissime, quomodo est vobis? Sancte Nicolae haeccine est merces honoris, quem vobis tamdiu exhibui. Et cum haec et similia diceret, statim puer quasi de somno evigilans oculos aperuit et surrexit. — — **11.** Vir quidam nobilis rogavit beatum Nicolaum, ut sibi filium a domino impetraret, promittens, se filium ad ecclesiam ejus ducturum et scyphum aureum oblaturum. Filius igitur nascitur et ad aetatem perducitur et scyphus fieri jubetur. Qui dum sibi valde placeret, suis eum adaptavit usibus et alium aeque valentem fieri praecepit. Navigantibus itaque ad ecclesiam sancti Nicolai jubet pater filio, ut in illo scypho, quem primo fieri fecit, aquam sibi afferret. Puer autem, quum vellet haurire cum scypho, in mare cecidit et statim disparuit. Pater autem amare flens nihilominus votum suum perfecit. Veniens igitur ad altare sancti Nicolai cum obtulisset secundum scyphum tamquam projectus cecidit de altari; cum autem eum elevasset et super altare iterum posuisset, rursus de altari longius est projectus. Mirantibus omnibus ad tam grande spectaculum, ecce puer sanus et incolumis advenit primum scyphum suis gestans

manibus, narravitque coram omnibus, quod quando in mare cecidit, statim beatus Nicolaus affuit et eum illaesum servavit. Sicque pater ejus laetus effectus utrumque scyphum beato Nicolao obtulit. —

— 12. Quidam vir dives meritis beati Nicolai filium habuit, quem Adeodatum vocavit. Hic Sancto Dei capellam in domo sua construens omni anno festum ejus solemniter celebravit. Erat autem locus ille situs juxta terram Agarenorum. Adeodatus ergo quadam vice ab Agarenis capitur et in servitutem regis eorum deputatur. Sequenti anno dum festum sancti Nicolai pater ejus devote celebraret et puer scyphum pretiosum tenens regi assisteret, recolit suam captionem et parentum dolorem et gaudium, quod in domo sua ea die fiebat, coepitque altius suspirare. Quorum suspiriorum causam dum rex minis extorsisset, ait rex: quidquid tuus Nicolaus agat, tu hic nobiscum manebis. Et subito facto vento vehementi totamque domum concutiente puer cum scypho rapitur et ante fores ecclesiae, ubi parentes agebant sollemnia, collocatur et magnum gaudium omnibus generatur. Alibi legitur tamen, quod praedictus juvenis fuit de Normandia, qui ultra mare pergens a Soldano capitur et [1]) ab ipso saepe verberatur: qui dum in festo sancti Nicolai verberaretur [2]) et in carcere inclusus fleret et pro sua liberatione et pro laetitia, quam tunc habere consueverant parentes ejus, subito obdormivit et evigilans in capella patris sui se invenit.

CAP. IV.

De Sancta Lucia virgine.

Lucia dicitur a luce. Lux enim habet pulchritudinem in aspectione, quia, ut dicit Ambrosius, lucis natura haec est, ut omnis in aspectu ejus gratia sit. Habet etiam diffusionem sine coinquinatione, quia per quaecunque immunda diffusa non coinquinatur; rectum incessum sine curvitate, longissimam lineam pertransit sine morosa dilatione. Per hoc ostenditur, quod beata virgo Lucia habuit decorem virginitatis sine aliqua corruptione, diffusionem caritatis

1) Alii: ante eum. 2) Verba: et in carcere — liberatione omittit Ed. Pr. 1472, addit tamen negationem non ante vocem: pro. Recentissimae autem deinde recte legunt: consueverant parentes ejus, antiquiores omittunt enim parentes ejus et legunt: consueverat.

sine aliquo immundo amore, rectum incessum intensionis in Deum sine aliqua obliquitate, longissimam lineam divinae operationis sine negligentiae tarditate. Vel Lucia dicitur quasi lucis via.

1. Lucia virgo Syracusana nobilis genere audiens famam sanctae Agathae per totam Siciliam divulgari, sepulchrum ejus adiit cum matre sua Euthicia annis quatuor fluxum sanguinis incurabiliter patiente. Inter ipsa igitur missarum solemnia contigit, ut illud evangelium legeretur, in quo dominus mulierem ab hac passione sanasse narratur. Tunc Lucia matri dixit: si credis his quae leguntur, crede Agatham illum semper habere praesentem, pro cujus nomine sustinuit passionem: si ergo ejus sepulchrum credens contigeris, perfecta continuo sanitate gaudebis. Igitur recedentibus cunctis et matre et filia juxta sepulchrum in oratione exsistentibus Luciam somnus arripuit viditque Agatham in medio angelorum gemmis ornatam stantem et dicentem sibi: soror mea Lucia, virgo Deo devota, quid a me petis, quod ipsa poteris praestare continuo matri tuae? Nam ecce per fidem tuam sanata est. Evigilans autem Lucia matri suae dixit: mater mea, ecce sanata es: per ipsam ergo te deprecor, quae suis orationibus te sanavit, ne mihi de caetero nomines sponsum, sed quidquid mihi datura eras pro dote, pauperibus elargire. Cui mater ait: tege prius oculos meos et quidquid volueris, de facultatibus facito. Ad quam Lucia: quod moriens das, ideo das, quia ferre tecum non potes: da mihi, dum vivis, et mercedem habebis. Cum ergo rediissent, fit quotidie distractio rerum et dantur in necessitatibus pauperum. Interea dum patrimonium distribuitur, ad sponsum notitia pervenit: requirit sponsus a nutrice de his. Respondit illa caute, quod utiliorem possessionem sponsa sua invenisset, quam suo volebat nomine comparare, et ideo videbatur aliquanta distrahere. Credidit stultus carnale commercium et coepit auctor esse vendentium. Venditis autem omnibus et pauperibus erogatis sponsus trahit eam coram Paschasio consulari, dicens eam christianam esse et contra leges agere Augustorum. Invitante igitur Paschasio ad sacrificia ydolorum respondit: sacrificium placens Deo est, visitare pauperes et eis in necessitatibus subvenire: et quia amplius non habeo, quid offeram, me ipsam sibi tribuo offerendam. Cui Paschasius: ista verba tibi simili stulto [1]) narrare poteris, mihi autem, qui principum decreta custodio, ista frustra perse-

1) Recentior. addunt christiano.

queris. Ad quem Lucia: tu principum tuorum decreta custodis et ego Dei mei legem custodiam. Tu principes times et ego Deum timeo. Tu illos offendere non vis, et ego Deum offendere caveo. Tu illis placere desideras et ego ut Christo placeam concupisco. Tu ergo fac quod tibi utile esse cognosces et ego faciam, quod utile mihi esse perspexero. Cui Paschasius: patrimonium tuum cum corruptoribus expendisti et ideo quasi meretrix loqueris. Cui Lucia: patrimonium meum in tuto loco constitui, corruptores autem mentis et corporis nunquam scivi. Respondit Paschasius: qui sunt corruptores corporis et mentis? Lucia dixit: corruptores mentis vos estis, qui suadetis ut animae suum deserant creatorem. Corruptores vero corporis sunt, qui corporalem delectationem praeponunt epulis sempiternis. Paschasius dixit: cessabunt verba, cum perventum fuerit ad verbera. Cui Lucia dixit: verba Dei cessare non possunt. Cui Paschasius: tu ergo Deus es? Respondit Lucia: ancilla Dei sum, qui dixit: cum steteritis ante reges et praesides etc. Non enim vos estis etc. Paschasius dixit: in te ergo spiritus sanctus est? Cui Lucia: qui caste vivunt, templum spiritus sancti sunt. Cui Paschasius: ego faciam te duci ad lupanar, ut ibi violationem accipias et spiritum sanctum perdas. Cui Lucia: non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, nam si me invitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Nunquam autem voluntatem meam ad consensum poteris provocare. Ecce corpus meum ad omne supplicium est paratum. Quid moraris? Incipe fili dyaboli desideria poenarum tuarum exercere. Tunc Paschasius lenones fecit venire, dicens iis: invitate ad eam omnem populum et tamdiu illudatur, donec mortua nuntietur. Volentes autem eam trahere, tanto pondere spiritus sanctus eam fixit, ut omnino eam movere nequirent. Fecitque Paschasius mille viros accedere et manus ejus et pedes ligare, sed eam nullatenus poterant movere; tunc et cum viris mille paria boum adhibuit, sed tamen virgo domini immobilis permansit. Vocatis autem magis, ut suis incantationibus moveretur, omnino moveri non potuit. Tunc dixit Paschasius: quae sunt illa maleficia, quod una puella a mille viris non moveretur? Lucia dixit: non sunt ista maleficia, sed beneficia Christi. Porro si adhuc decem millia adhibueris, aeque ut primum immobilem me videbis. Putans vero Paschasius secundum quorumdam figmenta, quod lotio fugarentur maleficia, jussit eam lotio perfundi, cumque nec sic moveri posset, angustiatus nimis copiosum ignem circa eam

accendi picemque resinam et fervens oleum super eam fundi jussit. Dixitque Lucia: inducias impetravi martirii mei, ut credentibus timorem auferam passionis et non credentibus vocem insultationis. Videntes autem amici Paschasii eum angustiari, in gutture ejus gladium immerserunt, quae nequaquam loquelam amittens dixit: annuntio vobis pacem ecclesiae redditam Maximiano hodie mortuo et de regno suo Dyocletiano expulso, et sicut civitati Catanensi soror mea Agatha data est protectrix, sic et ego civitati Syracusanae concessa sum interventrix. Dum haec virgo loquitur, ecce ministri Romanorum veniunt, Paschasium apprehendunt, vinctum ad Caesarem secum ducunt. Audierat enim Caesar, quod universam provinciam fuerat depraedatus. Veniens ergo Romam et senatui accusatus pariter et convictus capitali sententia est punitus. Virgo vero Lucia de loco, in quo percussa est, mota non est nec spiritum tradidit quoadusque sacerdotes venirent, et corpus domini ei traderent, et omnes astantes amen domino responderunt. In eodem loco autem est sepulta et ecclesia fabricata. Passa autem est tempore Constantini et Maxentii circa annos domini CCCX.

CAP. V.

De sancto Thoma apostolo.

Thomas interpretatur abyssus vel geminus, quod et Graece Didimus dicitur; vel Thomas a thomos, quod est divisio sive sectio. Dicitur ergo abyssus eo, quod profunditatem divinitatis penetrare meruit, quando ad sui interrogationem Christus sibi respondit: ego sum via veritas et vita. Dicitur geminus eo, quod resurrectionem Christi quasi geminate et in duplum quam alii cognovit. Nam illi cognoverunt videndo, iste videndo et palpando. Divisio sine sectio dicitur, quia mentem suam ab amore mundi divisit vel quia ab aliis in fide resurrectionis divisus et sectus fuit. Vel dicitur Thomas quasi totus means in Dei scilicet amore et contemplatione. Habuit enim tria, quae in ipso indicaverunt fuisse amorem Dei, de quibus dicit Prosper in libro de vita contemplativa: quid est Deum diligere, nisi animo concipere fervidum visionis Dei affectum, peccati odium et mundi fastidium. Vel Thomas dicitur a theos, quod est Deus et meus. Unde Thomas quasi Deus meus, et hoc propter

illud quod dixit, cum certificatus credidit: dominus meus et Deus meus.

1. Thomas apostolus cum esset apud Caesaream, apparuit ei dominus dicens: rex Indiae Gundoferus misit praepositum Abbanem quaerere hominem architectoria arte eruditum. Veni igitur et mittam te ad eum. Cui Thomas: domine, quo vis mitte me pater ad Indos. Cui Deus: vade secure, quia ero custos tui. Cumque Indos converteris, ad me cum palma martirii venies. Cui Thomas: dominus meus es et ego servus tuus: fiat voluntas tua. Cumque praepositus per forum ambularet, dixit ei dominus: quid comparare vis, juvenis? Cui ille: dominus meus misit me, ut conducam servos in arte architectoria eruditos, ut romano opere sibi palatium construatur. Tunc dominus tradidit ei Thomam asserens eum plurimum in tali arte peritum. Navigantes autem ad quandam civitatem venerunt, in qua rex filiae suae nuptias celebrabat. Hoc cum praeconisari fecisset, ut omnes nuptiis interessent, alias regem offenderent, contigit illum Abbanem et apostolum introire. Puella autem Hebraeam fistulam in manu gerens unumquemque laude aliqua commendabat vidensque apostolum intellexit, hunc esse Hebraeum, eo quod non manducaret, sed oculos ad coelum fixos haberet. Cumque puella coram eo hebraice caneret dicens: unus est Deus Hebraeorum, qui creavit omnia et fundavit maria, apostolus ipsa haec eadem verba repetere satagebat. Videns autem pincerna, quod non manducaret nec biberet, sed tantum oculos fixos ad coelum haberet, apostolum Dei in maxillam percussit. Cui apostolus: melius est, ut in futuro indulgentia tibi tradatur et hic transitoria plaga reddatur: non hinc surgam, donec manus, quae percussit, huc a canibus afferatur. Hic igitur ad hauriendam aquam abiit et leo ipsum occidens sanguinem ejus bibit. Lacerantibus autem canibus ejus corpus, unus niger canis manum ejus dextram in medium convivium apportavit, quo viso omnis turba obstupuit et puella ejus verba referens projecta fistula ad pedes apostoli se projecit. Hujus autem ultionem reprobat Augustinus in libro contra Faustum et asserit, a pseudo hoc fuisse insertum, unde et legenda haec quo ad plura suspecta habetur. Posset tamen dici, quod non animo impetrandi [1]), sed modo praedicendi dictum sit. Si tamen Augustini verba diligenter inspiciantur, non penitus reprobare ista videntur. Ait enim sic in eodem libro:

---

1) Recentiores: imprecandi, non male

perlegimus scripturas apocryphas [1]): legunt scripturas apocryphas Manichaei, nescio a quibus [2]) sutoribus fabularum sub apostolorum nomine scriptas, quae suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctae ecclesiae recipi mererentur, si sancti et docti homines, qui tunc in hac vita erant et examinare poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. Ibi tamen legunt, apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus et prorsus incognitus, a quodam ministro palma percussum imprecatum fuisse homini continuam saevamque vindictam. Nam quum egressus fuisset ad fontem unum et aquam convivantibus ministraret, in eum leo incurrens interemit manumque ei, qua caput apostoli levi ictu percusserat, a corpore avulsam secundum verbum ejusdem apostoli id optantis atque imprecantis canis intulit mensis, quibus ipse apostolus discumbebat. Quid hoc videri crudelius potest? Verum quia ibi, nisi tamen fallor, hoc etiam scriptum est, quod ei veniam in saeculo futuro petierit. Facta est autem compensatio benificii majoris, ut et apostolus, quam carus Deo esset, per hunc timorem commendaretur ignotis et illi post hanc vitam quandoque finiendam in aeternum consolarentur. Utrum illa vera sit an conficta narratio, nihil mea nunc interest. Certe enim Manichaei, a quibus illae scripturae, quas canon ecclesiasticus respuit, tamquam verae ac sincerae acceptantur, saltem haec coguntur fateri, illam patientiae virtutem, quam docet dominus dicens: si quis te percusserit in maxillam dextram, praebe ei sinistram, posse esse in praeparatione cordis, etiamsi non exhibeatur gestu corporis et expressione verborum, quandoquidem apostolus palma percussus potius dominum rogavit, ut injurioso homini in futuro saeculo parceretur, in praesenti autem illa injuria non multa relinqueretur, quam vel praebuit ferienti alteram partem, aut ut iterum feriret, admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum et exterius requirebat correctionis exemplum. Sive hoc verum sit sive confictum, cur nolunt credere tali animo famulum Dei Moysen ydoli fabricatores gladio prostravisse. Si autem poenas illas comparamus, quid simile ferro interimi et a feris cruciari atque laniari? Quandoquidem judices publicis legibus servientes majoris criminis reos bestiis subdi et gladio percuti jubent. Haec Augustinus. Tunc apostolus ad petitionem regis sponsum et sponsam benedixit: da, inquiens, domine adolescentibus his benedi-

---

1) Ed. Pr. perlegimus. 2) Recentiores: fictoribus.

ctionem tuae dextrae et in eorum mentibus semina semen vitae. Abeunte autem apostolo in manu juvenis est repertus plenus dactylis palmae ramus, comedentibus vero sponso et sponsa de fructibus ejus ambo obdormiunt et somnium simile ambo cernunt. Videbatur etenim iis, quod rex gemmatus eos amplecteretur et diceret: apostolus benedixit vos, ut aeternae vitae participes sitis. Evigilantibus autem et mutuo sibi somnia revelantibus apostolus ad eos ingreditur dicens iis: rex meus vobis modo apparuit et me clausis januis huc adduxit, ut super vos benedictione mea [1]) habeatis carnis integritatem, quae est omnium regina virtutum et fructus salutis perpetuae. Virginitas [2]) soror est angelorum, possessio omnium bonorum, victoria libidinum, fidei trophaeum, expugnatio daemonum et aeternorum securitas gaudiorum. De libidine autem corruptio gignitur, de corruptione pollutio nascitur, de pollutione autem reatus oritur, de reatu confusio generatur. Haec illo referente duo angeli apparuerunt dicentes iis: nos sumus angeli vobis ad custodiam deputati, qui, si apostoli bene servaveritis monita, offerimus Deo omnia vota vestra. Eos igitur apostolus baptisavit et de fide diligenter edocuit. Post multum vero temporis sponsa nomine Pelagia sacro velamine consecrata martirium patitur et sponsus nomine Dyonisius illi civitati in episcopum ordinatur. — — **3.** Post haec autem apostolus et Abbanes ad regem Indiae pervenerunt. Designato vero ab apostolo mirabili palatio et copioso thesauro accepto rex in aliam provinciam proficiscitur et apostolus universum thesaurum populo elargitur. Per totum autem biennium, quo abfuit rex, apostolus praedicationi institit et innumerabilem populum ad fidem convertit. Rediens autem rex et quae Thomas fecerat, discens, ipsum cum Abbane in ima retrudit carceris, ut postmodo vivos excoriatos ultricibus daret flammis. Interea Gad frater regis moritur et ei sepulchrum cum ambitione nimia praeparatur. Quarta autem die quam mortuus fuerat, resurrexit et stupefactis omnibus cunctisque fugientibus dixit fratri suo: hic homo, frater, quem excoriare et incendere disponebas, amicus Dei est et omnes angeli famulantur ei. Qui me in paradisum ducentes quoddam mihi ostenderunt palatium ex auro et argento et lapidibus pretiosis mirabiliter fabricatum, et cum ejus pulchritudinem admirarer, dixerunt mihi: hoc est palatium, quod Thomas fratri tuo exstruxerat, cumque di-

1) Recentiores addunt fructificam. 2) Antiquiores: virginitatis legunt et referunt per appositionem ad vocem salutis.

cerem: utinam janitor ejus essem, dixerunt mihi: frater tuus se illo fecit indignum; si vis in illo manere, rogabimus dominum, ut te suscitare dignetur, ut illud a fratre tuo possis emere, reddens ei pecuniam, quam se existimat perdidisse. Et haec dicens cucurrit ad carcerem apostoli, fratri suo postulans indulgeri, abjectisque vinculis rogare apostolum coepit, ut vestem acciperet pretiosam. Cui apostolus: ignoras, quod nihil carnale, nihil terrenum gestiunt, qui cupiunt habere in coelestibus potestatem? Egredienti autem apostolo de carcere rex occurrit et obvolutus ejus pedibus veniam postulabat. Tunc apostolus ait: multum vobis praestitit Deus, ut secreta sua vobis ostenderet. Credite in Christum et baptisamini, ut aeterni regni participes sitis. Dixit ei frater regis: vidi palatium, quod fratri meo fecisti, et illud comparare merui. Cui apostolus: hoc in potestate fratris tui est. Cui rex: illud erit meum. Apostolus fabricet tibi aliud, quod si forte nequiverit, mihi et tibi unum hoc commune erit. Respondit apostolus: innumerabilia palatia sunt in coelo ab initio saeculi praeparata quae fidei [1]) (precibus sive) pretio et eleemosinis electis comparantur. Divitiae autem vestrae ad illa vos antecedere possunt, sequi vero omnino non possunt. — — 4. Post unum autem mensem fecit apostolus pauperes omnes illius provinciae congregari, quibus congregatis debiles et infirmos seorsim stare jussit et super eos oravit, cumque qui docti fuerant, respondissent, Amen, coruscatio de coelo veniens tam apostolum quam caeteros fere per horam dimidiam sic perlustravit, ut omnes se putarent ictu fulguris interiisse, erigens autem se apostolus dixit: surgite, quia dominus meus sicut fulgur venit eosque sanavit. Exsurgentes autem omnes sani Deum et apostolum glorificaverunt. Tunc apostolus coepit eos docere et duodecim gradus virtutum assignare Primus est, ut in Deum crederent, qui est unus in essentia et trinus in personis, deditque iis triplex exemplum sensibile, quomodo sint in una essentia tres personae. Primum est, quia una est in homine sapientia et de illa una praecedit intellectus, memoria et ingenium. Nam ingenium est, inquit, ut quod non didicisti, invenias: memoria. ut non obliviscaris, quae didiceris, intellectus, ut intelligas, quae ostendi possunt vel doceri. Secundum quod in una vinea tria sunt, scilicet lignum,

---

1) Edit. Princ. omittit haec verba, quae ex glossemate nata videntur, ut recentiores deinde electis vocem delent.

folia et fructus et haec omnia tria unum sunt et una vinea sunt. Tertium est quod caput unum quatuor sensibus constat, in uno enim capite sunt visus, gustus, auditus et odoratus et haec plura sunt et unum caput sunt. Secundus gradus est, ut baptismum susciperent. Tertius est, ut se a fornicatione continerent. Quartus ut se ab avaritia temperarent. Quintus ut gulam restringerent. Sextus ut poenitentiam tenerent. Septimus, ut in his perseverarent. Octavus ut hospitalitatem amarent. Nonus ut voluntatem Dei in faciendis quaererent et ea ope complerent. Decimus ut eam in non faciendis quaererent et ea vitarent. Undecimus, ut caritatem amicis et inimicis impenderent. Duodecimus, ut in custodiendis his vigilem curam haberent. Post praedicationem vero baptisati sunt novem millia virorum exceptis parvulis et mulieribus. — — 5. Post hoc autem in superiorem Indiam abiit, in qua innumeris miraculis insignis coruscavit. Sinticem etiam amicam Migdomiae uxoris Carisii, cognati regis, apostolus illuminavit dixitque Migdomia ad Synticem: putas si potero eum videre? Tunc Migdomia de consilio ejus habitum mutavit et inter pauperes mulieres, ubi apostolus praedicabat, advenit. Apostolus autem coepit vitae hujus miseriam praedicare dicens inter caetera: quoniam vita hic est vita misera, casibus subjecta et adeo fugitiva, ut cum teneri creditur, effugiat labefacta. Deinde coepit quatuor rationibus exhortari, ut verbum Dei libenter audirent, ipsum verbum Dei quatuor rerum generibus comparando, scilicet collyrio, ex eo quod oculum nostri intellectus illuminat, passioni, ex eo quod nostrum affectum ab omni carnali amore purgat et mundat, emplastro, ex eo quod peccatorum nostrorum vulnera sanat, cibo, ex eo quod nos coelestium amore delectat; et sicut, inquit, haec aegroto non valent, nisi ea in se receperit, sic nec animae languenti verbum Dei prodest, nisi illud devote audierit. Praedicante igitur apostolo Migdonia credidit et deinceps viri thorum abhorruit. Tunc Carisius a rege impetravit et apostolum in carcere posuit. Ad quem veniens Migdonia rogavit, ut sibi ignosceret, quod propter eam in carcerem missus esset; quam ille benignus consolans haec omnia se libenter pati asseruit. Carisius autem regem rogavit, ut reginam sororem suae uxoris ad eam mitteret, si forte eam revocare posset. Missa regina convertitur ab ea, quam volebat pervertere, visisque tot miraculis, quae apostolus faciebat, dixit: maledicti sunt a Deo, qui non tot signis credunt et operibus. Tunc apostolus omnes qui aderant, de tribus

breviter instruxit, scilicet ut ecclesiam diligerent, sacerdotes honorarent et assidue ad audiendum verbum Dei convenirent. Revertente autem regina dixit ei rex [1]): ut quid tamdiu morata es? Quae respondit: putabam Migdoniam stultam esse, et sapientissima est et me ad apostolum Dei ducens viam veritatis me cognoscere fecit et nimis stulti sunt, qui in Christum non credunt. Noluitque regina regi deinceps copulari. Stupefactus autem rex dixit cognato suo: dum tuam uxorem recuperare vellem, meam perdidi et pejor mihi mea effecta est, quam tua tibi. Tunc rex jussit apostolum ligatis manibus ad se adduci praecipiens ei, ut ad suos viros conjuges revocaret. Apostolus autem triplici exemplo ostendit, quamdiu in errore persisterent, hoc facere non deberent, videlicet exemplo regis, exemplo turris, et exemplo fontis. Unde, dixit, tu cum sis rex, non vis habere coinquinata servitia, sed mundos servos pariter et ancillas. Quanto magis credere debes Deum amare castissima et munda servitia? Quid ergo culpor, si Deum amare praedico in servis suis, quod diligis et in tuis. Fabricavi turrim excelsam et dicis mihi ut ego, qui fabricavi, eam destruam? Fodi terram profundam et eduxi fontem de abysso, et dicis mihi, ut obstruam illum? Tunc iratus rex afferri jussit ardentes laminas ferreas et apostolum stare nudis pedibus super eas. Protinus autem nutu Dei fons ibi erupit et eas exstinxit. Tunc rex consilio cognati sui eum in fornacem ardentem mitti fecit, quae sic refrigerata est, ut die altera sanus inde exiret et illaesus; dixitque regi Carisius: fac illum offerre sacrificium Deo solis, ut Dei sui iram incurrat, qui ab his eum liberat. Cumque ad hoc urgeretur, dixit regi: praestantior es quam factura tua et quoniam tu verum Deum negligis et picturam colis, tu putas, quod sicut Carisius Deus mihi irascetur, postquam adoravero Deum tuum: magis autem irascetur Deo tuo eumque comminuet [2]) adoratu, igitur eum adoro. Si ergo me adorante Deum tuum Deus non evertet illum, sacrificabo illi, si autem sic, tu credes Deo meo. Cui rex: adhuc mecum de pari loqueris [3]). Praecipit igitur apostolus hebraice daemoni, qui in eo erat, ut quam cito coram ydolo genua flecteret et statim ydolum comminueret. Flectens igitur apostolus genua dixit: ecce adoro, sed non ydolum: ecce adoro, sed non metallum: ecce adoro, sed

---

1) Fortasse legendum ad quid. 2) Vocabulum adoratu videtur spurium esse. 3) Verba praecepit — comminueret spuria et ex sequentibus orta videntur.

non simulacrum: adoro autem dominum meum Jesum Christum, in cujus nomine praecipio tibi, daemon, qui in eo latitas, ut simulacrum istud comminuas. Statimque sicut cera liquefactum est. Tunc omnes sacerdotes mugitum dederunt, pontifex autem templi elevans gladium apostolum transverberavit dicens: ego vindicabo injurias Dei mei. Rex autem et Carisius aufugerunt videntes, quod populus vellet apostolum vindicare et pontificem vivum incendere, christiani autem corpus apostoli tulerunt et honorifice sepelierunt. Post longum tempus scilicet circa annos domini CC. et XXX. corpus apostoli in Edessam civitatem, quae olim dicebatur Rages Medorum, translatum est, Alexandro imperatore ad Syrorum preces hoc faciente. In illa autem civitate nullus haereticus, nullus Judaeus, nullus paganus potest vivere, nec tyrannus aliquis ibi nocere, postquam *Abagarus* rex illius civitatis epistolam manu salvatoris scriptam accipere meruit. Nam si quando gens contra civitatem illam insurrexerit, infans baptisatus super portam stans epistolam illam legit et ea die tam salvatoris scriptis quam apostoli Thomae meritis hostes aut fugiuntur aut pacantur. Isidorus in libro de vita et obitu sanctorum sic de isto apostolo dicit: Thomas discipulus Christi ac similis salvatori, audiendo incredulus, videndo fidelis fuit. Hic evangelium praedicavit Parthis, Medis, Persis, Hircanis et Bactrianis, et intrans orientalem plagam et interna gentium penetrans ibi praedicationem suam usque ad titulum suae passionis perduxit. Hic lanceis transfixus occubuit. Haec Isidorus. Chrysostomus quoque ait, quod dum Thomas ad regionem Magorum, qui ad Christum adorandum venerant, devenisset, eos baptisavit et facti sunt adjutores fidei christianae.

CAP. VI.

De nativitate domini nostri Jesu Christi secundum carnem.

De festivitatibus, quae eveniunt infra tempus, quod partim continetur sub tempore reconciliationis et partim sub tempore peregrinationis.

Dicto de festivitatibus, quae occurrunt infra tempus renovationis

quod incepit a Moyse et prophetis et duravit usque ad adventum Christi in carnem, quod tempus repraesentat ecclesia ab adventu usque ad nativitatem domini inclusive. Sequitur de festivitatibus, quae eveniunt infra tempus, quod partim continetur sub tempore reconciliationis, partim sub tempore peregrinationis, quod tempus repraesentat ecclesia a nativitate usque ad septuagesimam, sicut supra in prologo dictum est.

Nativitas domini nostri Jesu Christi secundum carnem, ut quidam ajunt, completis ab Adam quinque millibus ducentis XXVIII annis vel secundum alios VI millibus vel secundum Eusebium Caesariensem in Chronicis suis quinque millibus nongentis tempore Octaviani imperatoris facta est et computatio autem sex millium annorum inventa fuit a Methodio potius mystice quam chronice. Veniente autem ipso filio Dei in carnem, tanta pace universus mundus gaudebat, ut toti orbi unicus Romanorum imperator pacifice praesideret. Hic dictus est Octavianus a prima impositione, Caesar a Julio Caesare, cujus fuit nepos, Augustus ab augmento rei publicae, Imperator a dignitatis honore, qui ad differentiam aliorum regum fuit primo hoc nomine insignitus. Nam sicut nasci voluit, ut nobis pacem temporis et pacem aeternitatis tribueret, sic voluit, ut nihilominus ortum suum pax temporis illustraret. Caesar igitur Augustus universo praesidens orbi scire voluit, quot provinciae, quot civitates, quot castra, quot villae, quot homines in toto orbe essent, et jussit, ut dicitur in hystoriis scholasticis, ut omnes homines ad urbem, unde trahebant originem, pergerent et quilibet denarium argenteum (qui valebat decem nummos usuales, unde et denarius dicebatur) praesidi provinciae tradens, se subditum romano imperio profiteretur. Nam et nummus imaginem proferebat Caesaris et subscriptionem nominis. Dicebatur autem professio et descriptio, sed diversa consideratione. Professio enim dicebatur, quia quilibet, quando reddebat praesidi provinciae censi caput, id est denarium illum, qui sic vocabatur, ponebat super caput suum et proprio ore profitebatur, se esse subditum romano imperio, unde dicebatur professio, id est proprio ore fassio, et fiebat hoc coram omni populo. Descriptio autem dicebatur, quia numerus eorum, qui censum capitis ferebant, certo determinabatur numero et redigebatur in scriptis. Haec autem descriptio primo facta est a praeside Syriae Cirino. Prima dicitur, ut in iisdem hystoriis scholasticis habetur, quantum ad Cirinum. Quia enim Judaea in umbilico terrae nostrae habita-

bilis esse dicitur, provisum est, ut in ea inchoaretur et deinde per circumstantes regiones et alii praesides prosequerentur. Vel prima dicitur universalis, quia aliae praecesserunt particulares. Vel forte prima capitum in civitate fiebat a praeside, secunda civitatum in regione a legato Caesaris, tertia regionum in urbe coram Caesare. Joseph autem cum esset de genere David a Nasareth in Betlehem profectus est. Cum autem beatae Mariae tempus pariendi instaret et ipse de suo reditu nesciret, eam secum assumpsit et in Betlehem secum duxit, nolens thesaurum sibi a Deo commissum in aliena manu dimittere, sed ipse per se volens illum cura pervigili custodire. Cum ergo Betlehem appropinquasset (ut frater Bartholomaeus in sua compilatione testatur, et de libro Infantiae salvatoris est sumptum), vidit beata virgo partem populi gaudentem, partem gementem. Quod sibi angelus exponens ait: pars populi gaudens est populus gentilis, qui in semine Abrahae aeternam benedictionem accipiet. Pars autem gemens est plebs Judaica, a Deo suis meritis reprobata. Cum igitur ambo Betlehem venissent et quia pauperes erant et quia omnia hospitia alii, qui propter hoc ipsum venerant, occupaverant, nullum hospitium habere potuerunt, deverterunt ergo in communi transitu, qui (ut dicitur in hystoriis Scholasticis) erat inter duas domos, operimentum habens, qui de versorium dicitur, sub quo cives ad colloquendum vel ad convescendum in diebus otii vel pro aëris intemperie devertebant. Ubi forte Joseph praesepe bovi et asino fecerat vel secundum quosdam rustici, cum ad forum veniebant, animalia sua ibidem ligabant, et ideo praesepe ibi constructum erat. Ipsa igitur nocte media diei dominicae beata virgo filium suum peperit et in praesepio super foenum reclinavit, quod foenum, ut habetur in hystoriis Scholasticis, beata Helena postmodum Romam detulit, a cujus foeni comestione bos et asinus abstinebant. Notandum autem quod nativitas Christi fuit mirabiliter facta, tum ex parte generantis, tum ex parte geniti, tum ex parte modi generandi. Ex parte generantis, quia ipsa fuit virgo ante partum et virgo post partum, et hoc scilicet, quod virgo manens peperit, quinque modis ostensum est. Primo per prophetiam Jesaiae VII: ecce virgo concipiet etc. Secundo per figuram: hoc enim figuratum fuit et per virgam Aaron, quae sine omni humano studio floruit, et per portam Ezechielis, quae semper clausa permansit. Tertio per custodiam: Joseph enim ex eo, quod ipsam custodivit, testis suae virginitatis exstitit. Quarto per expe-

rientiam: cum enim (ut in compilatione Bartholomaei habetur et de libro Infantiae salvatoris sumptum fuisse videtur) beatae Mariae pariendi tempus instaret, Joseph licet Deum de virgine nasciturum non dubitaret, morem tamen gerens patriae obstetrices vocavit, quarum una vocabatur Zebel et altera Salome. Zebel igitur considerans et inquirens et ipsam inveniens exclamavit virginem peperisse, Salome autem dum non crederet, sed hoc probare similiter vellet, continuo aruit manus ejus, jussu tamen angeli sibi apparentis puerum tetigit et continuo sanitatem accepit. Quinto per miraculi evidentiam: Romae enim, ut testatur Innocentius papa tertius, duodecim annis pax fuit, igitur Romani templum pacis pulcherrimum construxerunt et ibi statuam Romuli posuerunt. Consulentes autem Apollinem, quantum duraret, acceperunt responsum, quousque virgo pareret. Hoc autem audientes dixerunt: ergo in aeternum durabit. Impossibile enim crediderunt, quod unquam pareret virgo. Unde in foribus templi titulum nunc scripserunt: templum pacis aeternum. Sed in ipsa nocte qua virgo peperit, templum funditus corruit et ibi est modo ecclesia Sanctae Mariae Novae. Secundo fuit mirabiliter facta ex parte geniti. Nam sicut dicitur Bernhardus: quia in eadem persona aeternum antiquum et novum mirabiliter convenerunt, aeternum, id est, divinitas, antiquum, id est caro ab Adam transducta, novum, id est anima de novo creata. Iterum, sicut idem dicit, tres mixturas vel tria opera fecit Deus, ita mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec amplius facienda sint. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Prima valde mirabilis, quia conjuncta sunt limus et Deus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et tanta sublimitas. Nihil enim Deo sublimius et nihil limo vilius. Secunda nihilominus valde mirabilis. A saeculo enim nondum est auditum, quod virgo esset, quae peperit, et quod mater esset, quae virgo permansit. Tertia et prima et secunda inferior, sed non minus fortis. Mirum est enim, quomodo cor humanum fidem his duobus accommodavit. Quomodo credi potuit, quod Deus homo esset, et quod virgo manserit, quae peperisset. Haec Bernardus. Tertio fuit mirabiliter facta ex parte modi generandi. Ejus enim partus fuit supra naturam, ex eo quod virgo concepit. Supra rationem, ex eo quod Deum genuit, supra humanam conditionem, ex eo quod sine dolore peperit, supra consuetudinem, ex eo quod de spiritu sancto concepit; non enim genuit virgo ex humano semine, sed ex mistico spiramine. Nam

spiritus sanctus de purissimis et castissimis sanguinibus virginis accepit et inde corpus illud formavit. Et sic quartum modum mirabilem faciendi hominem Deus ostendit. Nam sicut dicit Anselmus: Deus potest quatuor modis hominem facere, scilicet sine homine et femina, sicut fecit Adam, de homine sine femina, sicut fecit Evam, de homine et femina, sicut communis probat usus, de femina sine viro, sicut hodie mirabiliter factum est. Secundo ejus nativitas fuit multipliciter ostensa. Ostensa est enim per omnes gradus creaturarum. Est enim quaedam creatura, quae tantum habet esse, sicut pure corporea, ut lapides; quaedam quae habet esse et vivere, sicut vegetabilia et arbores; quaedam quae habet esse et vivere et sentire, sicut animalia; quaedam, quae habet esse, vivere, sentire et discernere, sicut homo; quaedam quae habet esse vivere, sentire, discernere et intelligere, sicut angelus. Per has omnes creaturas hodie Christi nativitas est ostensa. Prima autem creatura, id est, pure corporea, triplex est, scilicet opaca, transparens sive pervia, et lucida. Primo ergo ostensa est per pure corpoream opacam, sicut per destructionem templi Romanorum, ut supra demonstratum est, et per ruinam etiam aliarum statuarum, quae tunc in aliis locis plurimis ceciderunt. Legitur etiam in hystoria scholastica, quod Jeremias propheta in Aegyptum descendens post mortem Godolyae regibus Aegypti signum dedit, quod eorum ydola corruerent, cum virgo filium parturiret. Quapropter sacerdotes ydolorum ymaginem virginis puerum in gremio bajulantem secreto loco templi statuerunt et eum ibi adorabant. Sed a Ptolemaeo rege postea interrogati, quid hoc sibi vellet, [1]) dixerunt paternae traditionis hoc esse misterium, quod a sancto viro et propheta eorum majores acceperant et sic in rebus venturis credebant. Secundo per pure corpoream transparentem et perviam. Nam in ipsa nocte nativitatis dominicae, obscuritas noctis in claritatem diei versa est. Romae etiam (ut attestatur Orosius et Innocentius papa tertius) fons aquae in liquorem olei versus est et erumpens usque in Tibrim profluxit et toto die illo largissime emanavit Prophetaverat enim Sibylla, quod quando erumperet fons *olei*, nasceretur Salvator. Tertio per pure corpoream lucidam, sicut per corpora supercoelestia. Nam in ipsa die nativitatis secundum antiquorum relationem, (ut ait Chrysostomus), magis super queu-

1) Verba: dixerunt — mysterium omittit perperam Ed. Princ.

dam montem orantibus, stella quaedam juxta eos apparuit, quae formam pueri pulcherrimi habebat et in ejus capite crux splendebat. Qui magos alloquens dixit, ut in Judaeum pergerent et ibi natum puerum invenirent. In ipsa etiam die tres soles in oriente apparuerunt, qui paulatim in unum corpus solare redactae sunt. Per quod signabatur, quod trini et unius Dei notitia orbi imminebat, vel quia natus erat ille, in quo tria, scilicet anima, caro et divinitas in unam personam convenerunt. In hystoriis tamen scholasticis dicitur, quod non ipsa die nativitatis tres soles apparuerunt, sed ante per aliquod tempus, scilicet post mortem Julii Caesaris, quod Eusebius in Chronica asserit. Octavianus insuper imperator (ut ait Innocentius papa tertius) universo orbe ditioni Romanae subjugato in tantum senatui placuit, ut eum pro Deo colere vellent. Prudens autem imperator se mortalem intelligens immortalitatis nomen sibi noluit usurpare. Ad illorum instantiam Sibyllam prophetissam advocat, scire volens per ejus oracula, an in mundo major eo aliquando nasceretur. Cum ergo in die nativitatis domini consilium super hac re convocasset et Sibylla sola in camera imperatoris oraculis insisteret, in die media circulus aureus apparuit circa solem et in medio circuli virgo pulcherrima, puerum gestans in gremio. Tunc Sibylla hoc Caesari ostendit, cum autem imperator ad praedictam visionem plurimum admiraretur, audivit vocem dicentem sibi: haec est ara coeli, dixitque ei Sibylla: hic puer major te est et ideo ipsum adora. Eadem autem camera in honore Sanctae Mariae dedicata est, unde usque hodie dicitur Sancta Maria Ara Coeli. Intelligens igitur imperator, quod hic puer major se erat, ei thura obtulit et Deus de caetero dici recusavit. De hoc autem Orosius ita dicit: Octaviani tempore hora circiter tertia repente coelo liquido ac puro et sereno circulus ad speciem coelestis [1]) alicujus arcus orbem solis ambivit, quasi venturus esset, qui ipsum solem solus mundumque totum et fecisset et regeret. Haec Orosius. Idem ait Eutropius. Refert quoque Timotheus hystoriographus, se in antiquis Romanorum hystoriis invenisse, quod Octavianus XXXV. regni anno capitolium adscendit et quis post se rempublicam gubernaret, a Diis sollicite requisivit et audivit vocem sibi dicentem: puer aethereus ex Deo vivente, sine tempore genitus, non multum post ex intemerata virgine Deus homo nasciturus

---

1) Ed. Princ. addit alicujus, sed male omittit arcus.

sine macula. Hoc audito ibi aram aedificavit, cui hunc titulum inscripsit: haec est ara filii Dei viventis. Secundo ostensa est et manifestata per creaturam, quae habet esse et vivere, sicut sunt plantae et arbores. In hac enim nocte (ut Bartholomaeus in sua compilatione refert) vineae Engadi, quae proferunt balsamum, floruerunt, fructum protulerunt et liquorem dederunt. Tertio per creaturam, quae habet esse, vivere et sentire, sicut sunt animalia. Proficiscens enim Joseph in Betlehem cum Maria praegnante duxit secum bovem, forte ut ipsum venderet et censum pro se et pro virgine solveret et de residuo viveret, et unum asinum, forte ut virgo super eum veheretur. Bos igitur et asinus miraculose dominum cognoscentes flexis genibus ipsum adoraverunt. Ante etiam Christi nativitatem per aliquot dies (ut ait Eusebius in Chronica) cum quidam ararent boves, ad aratores dixerunt: homines deficient, segetes proficient. Quarto per creaturam, quae habet esse, vivere, sentire et discernere, ut est homo, sicut per pastores. Nam in ipsa hora pastores super gregem suum vigilabant, sicut bis in anno in longioribus et brevioribus noctibus anni consueverant. Mos enim fuit antiquitus gentibus in utroque solstitio, scilicet aestivali circa festum Johannis baptistae, et hyemali circa nativitatem domini vigilias noctis custodire ob solis venerationem, qui forte etiam apud Judaeos ex usu cohabitantium inoleverat. Ipsis igitur angelus domini apparens et salvatorem natum nuntiavit et quomodo inveniretur signum dedit. Factaque est cum eo multitudo angelorum dicentium: Gloria in altissimis Deo etc. Pastores ergo venientes totum, sicut angelus dixerat, invenerunt. Sic iterum manifestata est per Caesarem Augustum, qui tunc praeceptum dedit, ne eum aliquis Deus vocare auderet, sicut Orosius testatur. Forte enim cum visionem illam circa solem vidisset, recolens simul de ruina templi et de fonte olei et intelligens quod in mundo natus esset, qui major erat, nec Deus nec dominus vocari voluit. In quibusdam quoque Chronicis legitur, quod appropinquante die nativitatis domini Octavianus per mundum vias publicas fieri praecepit et omnia debita Romanis dimisit. Sic etiam manifestata est per Sodomitas, qui omnes in toto mundo illa nocte exstincti sunt, sicut dicit Hieronymus super illud: lux orta est iis tanta scilicet, quod omnes laborantes in illo vitio exstinxit, et hoc fecit Christus, ut omnes eradicaret, ne in natura, quam assumpserat, tanta de caetero immunditia inveniretur. Nam, ut dicit Augustinus, videns Deus vitium

contra naturam in humana natura [1]) fieri, desiit incarnari. Quinto per creaturam, quae habet esse, vivere, sentire, discernere et intelligere, sicut angelus. Angeli enim ipsam Christi nativitatem pastoribus annuntiaverunt, ut superius dictum est. Tertio ejus nativitas nobis est utiliter exhibita. Primo ad daemonum confusionem. Nam hostis jam nobis ut ante praevalere non potest, unde legitur, quod sanctus Hugo, abbas Cluniacensis in vigilia nativitatis domini vidit beatam virginem in ulnis tenentem filium et dicentem: adest dies, in quo prophetarum oracula renovantur. Ubi nunc est hostis, qui ante hunc diem hominibus praevalebat! Ad hanc vocem dyabolus de humo prorupit, ut verbis dominae insultaret, sed mentita est iniquitas sibi, quoniam dum officinas fratrum circumiret, ipsum ab oratorio devotio, a refectorio lectio, a dormitorio stramenta vilia, a capitulo patientia rejecit. In libro quoque Petri Cluniacensis legitur, quod in vigilia nativitatis domini sancto Hugoni abbati Cluniacensi apparuit beata virgo filium in gremio tenens et cum eo ludens, qui dicebat: nosti mater, quod diem natalis mei ecclesia cum magnae laudis tripudio celebrat; et ubi est nunc dyaboli virtus vel quid dicere poterit vel quid facere? Tunc dyabolus videbatur quasi de humo surgere aut dicere: etsi in ecclesiam, ubi laudes tuae fiunt, intrare non possum, sed tamen capitulum, dormitorium et refectorium introibo. Quod ille attemptans invenit ostium capituli nimis artum sibi [2]) grosso, ostium dormitorii nimis depressum sibi elato, ostium refectorii repagulatum impedimentis a caritate scilicet servientium, aviditate audiendi lectiones et sobrietate cibi et potus et sic confusus evanuit. Secundo ad veniae impetrationem, unde legitur in quodam libro exemplorum, quod cum quaedam mulier lubrica ad cor tandem rediisset, de venia desperabat, nam cogitans de judicio reputabat, se esse ream de inferno, de coelo reputabat se esse immundam, de passione reputabat se esse ingratam, cogitans vero quod pueri de facili placantur, Christum per suam infantiam adjuravit et vocem de sua venia audire meruit. Tertio ad infirmitatum curationem. De hac etiam nativitatis utilitate dicit Bernardus: triplici morbo laborat genus humanum, in principio, in medio et in fine, id est, nativitate, vita et morte. Nativitas erat immunda, vita perversa, mors periculosa.

1) Recentiores fortasse rectius loco vocabuli *fieri* praeferunt *fere*.
2) Edit. Pr. male *grossum* offert, quod refert ad sequens *ostium*.

Venit Christus et contra hunc triplicem morbum attulit triplex remedium. Natus enim est, vixit et obiit. Ejus nativitas purgavit nostram, ejus vita instruxit nostram, mors illius destruxit nostram. Haec Bernardus [1]). Quarto ad nostram superbiae humilitatem, unde dicit Augustinus, quod humilitas filii Dei, quam nobis in incarnatione exhibuit, fuit nobis in exemplum, in sacramentum, et in medicamentum. In exemplum convenientissimum, quod homo imitaretur altum sacramentum, quo peccati nostri vinculum solveretur, et summum medicamentum, quo tumor nostrae superbiae sanaretur. Haec Augustinus. Superbia enim primi hominis sanata est per humilitatem Christi. Et notandum, quod convenienter humilitas salvatoris correspondeat superbiae proditoris. Superbia enim primi hominis fuit contra Deum, usque ad Deum et supra Deum. Fuit contra Deum, quia fuit contra ejus praeceptum, quo praeceperat, non de ligno scientiae boni et mali comederent. Fuit etiam usque ad Deum, quia usque ad appetitum divinitatis, credens quod dyabolus dixerat: eritis sicut Dii. Fuit et supra Deum, sicut dicit Anselmus, volendo quod Deus illum velle nolebat. Tunc enim suam voluntatem posuit supra voluntatem Dei, at filius Dei, secundum Johannem Damascenum, humiliavit se propter homines, non contra homines, usque ad homines et supra homines; propter homines, quia propter eorum utilitatem et salutem, usque ad homines per nascendi modum consimilem, supra homines per nascendi modum dissimilem. Nam ejus nativitas et secundum aliquod nobis similis fuit, quia scilicet natus est ex muliere et per eandem portam propagatus, et secundum aliquod dissimilis, quia de spiritu sancto ex Maria virgine natus est.

CAP. VIII.

De sancta Anastasia.

Anastasia dicitur ab ana, quod est sursum, et stasis, quod est stans sive status, quia sursum stetit a vitiis et a peccatis ad virtutes.

Anastasia nobilissima Romanorum filia praetaxati [2]) illustris,

---

1) Hic edit. Princ. ex glossa male addit: De utilitate etiam ipsius nativitatis Christi. 2) Legendum videtur praetextati.

sed pagani, a matre sua Fantasta christiana et a beato Chrysogono fidem Christi edocta est, tradita autem Publio in uxorem languorem simulans semper se ab ejus consortio abstinebat. Qui audiens eam cum una tantum ancilla in vili habitu Christianorum carceres circuire et iis necessaria ministrare, fecit eam arctissime custodiri, ita ut etiam eidem alimoniam denegaret, volens autem eam sic perimere, ut posset in ejus largissimis possessionibus lascivire. Putans igitur se mori dolorosas epistolas Chrysogono mittebat et ille consolatorias remittebat. Interea vir ejus moritur et illa a carceribus liberatur. Haec habebat tres ancillas pulcherrimas, quae sorores erant: quarum una dicebatur Agapete, altera Thionia et altera Yrenia. Quae cum christianae essent et praefecti monitis nullatenus obedirent, in cubiculum eas reclusit, ubi coquinae utensilia servabantur. Praefectus autem in earum ardens amorem ad eas ivit, ut suam libidinem exerceret. Qui in amentiam versus, putans se tractare virgines, cacabos, patellas, caldaria et similia amplectens osculabatur, et cum ex hoc satiatus fuisset, foras exiit nigerrimus et deformis et vestimentis concisis. Quem servi, qui eum pro foribus exspectaverant, sic aptatum videntes, cogitantes quod in daemonem versus esset, eum verberibus affecerunt et fugientes solum reliquerunt. Cumque imperatorem adiret, ut de hoc conquereretur, alii virgis percutiebant, alii lutum et pulverem in eum projiciebant, suspicantes, quod in furiam versus esset. Oculi autem ejus tenebantur, ne sic se deformem videret. Quapropter mirabatur plurimum, cum sic eum omnes deridebant, quem in tanto honore habere consueverant. Videbatur enim ei, quod ipse et omnes albis vestibus essent induti. Putans vero, cum sic se deformem ab aliis didicisset, quod puellae sibi per artem magicam hoc fecissent, jussit eas coram se exspoliari, ut eas saltem nudas aspiceret, sed statim earum vestimenta sic corporibus adhaeserunt, ut nullo modo exui valerent. Praefectus autem prae admiratione ita obdormivit stertens, quod etiam a pulsantibus non poterat excitari. Tandem virgines martirio coronantur et Anastasia ab imperatore cuidam praefecto traditur, ut si eam sacrificare faceret, postmodum in uxorem eam haberet. Cumque eam in thalamum induxisset et eam amplexari vellet, statim caecus effectus est. Deos adiit quaerens, si evadere posset. Responderunt dicentes: quia sanctam Anastasiam contristasti, nobis traditus es et amodo semper nobiscum in

inferno torqueberis. Cumque domum reduceretur, inter manus puerorum vitam finivit. Tunc Anastasia alii praefecto traditur, ut eam in custodia detineret. Audiens enim, quod infinitas possessiones habéret, privatim dixit ei: Anastasia, si vis esse Christiana, fac quod praecepit dominus tuus. Ille enim praecepit: qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet etc. Omnia igitur, quae habes, mihi da et vade quo volueris et vere Christiana eris. Cui illa respondit: Deus meus praecepit, vende omnia quae habes et da pauperibus et non divitibus; cum ergo dives sis, contra praeceptum Dei facerem, si aliquid tibi darem. Tunc Anastasia diro [1]) carceri fame crucianda traditur, sed a Sancta Theodora, quae jam per martirium coronata fuerat, per duos menses esca coelesti pascitur. Tandem cum ducentis virginibus ad insulas Palmarias ducta est, ubi multi propter nomen Christi fuerant relegati. Post aliquos vero dies praefectus omnes ad se vocavit et Anastasiam ad palos ligatam ignibus concremavit, alios vero diversis suppliciis interemit. Inter quos unus erat qui pluries propter Christum multis divitiis spoliatus semper dicebat: Christum saltem mihi non auferetis. Appollonia autem corpus sanctae Anastasiae in viridario facta ibi ecclesia honorifice sepelivit. Passa est autem sub Dyocletiano, qui coepit circa annos domini CCLXXXVII.

CAP. VIII.

De sancto Stephano.

Stephanus graece, latine dicitur corona, sed hebraice norma. Fuit autem corona, id est, principium martirum in novo testamento, sicut Abel in veteri. Fuit etiam norma, id est, exemplum et regula aliis patiendi pro Christo, sive vere agendi et vivendi, vel pro inimicis orandi. Vel Stephanus dicitur, quasi strenue fans, quod patet in suo sermone et in luculenta divini verbi praedicatione [2]). Vel Stephanus dicitur quasi strenue stans vel fans anus, id est strenue sive laudabiliter stans et instruens et regens anus, id est viduas,

1) Ed. Pr. perperam cruci. 2) Verba: pro — orandi omittit Ed. Pr. fortasse ex glossa nata. Similiter in sequentibus verba: et in praedicatione.

quibus ab apostolis fuerat praefectus, quae ad litteram anus erant. Est ergo corona propter principium martirii, norma propter exemplum patiendi et bene vivendi, strenue fans propter luculentam praedicationem, strenue [1]) stans propter viduarum laudabilem instructionem.

1. Stephanus fuit unus de septem dyaconibus, ab apostolis in ministerium ordinatis. Crescente enim numero discipulorum conversi ex gentibus adversus conversos ex Judaeis murmurare coeperunt, ex eo quod viduae eorum in ministerio quotidiano contemnebantur. Hujus autem murmuris causa dupliciter potest intelligi, aut quia viduae eorum in ministerio non admittebantur, aut quia prae caeteris in quotidiano ministerio gravabantur. Apostoli enim, ut expeditius praedicationi insisterent, viduis ministrationem commiserant. Videntes itaque apostoli murmurationem ortam pro administratione viduarum, volentes hoc murmur sedare congregata omni multitudine dixerunt: non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Glossa. Quia meliora sunt fercula mentis quam dapes corporis. Considerate ergo, fratres, ex vobis viros boni testimonii VII plenos spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opere. Glossa: ut ministrent vel ministrantibus praesint. Nos vero orationi et praedicationi instantes erimus. Et placuit sermo omni populo et multitudini et elegerunt septem, quorum beatus Stephanus primus et primicerius exstitit et adduxerunt eos ad apostolos et imposuerunt super eos manus. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa in populo. Invidentes igitur Judaei et eum superare et convincere cupientes triplici modo eum vincere aggressi sunt, scilicet disputatione, testium productione et tormentorum illatione. Sed tamen ipse disputantes superavit, testes falsos convicit et de suis tortoribus triumphavit. Et in qualibet pugna adjutorium sibi de coelo datum est. In prima enim ei datus est spiritus sanctus, qui sapientiam ministraret. In secunda vultus angelicus, qui falsos testes terreret. Et in tertia visus est Christus adjuvare paratus, qui martirem confortaret. In qualibet igitur pugna ponit historia tria, scilicet aggressum praelium, collatum adjutorium et adeptum triumphum. Historiam igitur breviter percurrentes haec omnia videre poterimus. — —

2. Cum igitur beatus Stephanus multa signa faceret et frequentius

1) Ed. Rec. praeferunt fans anus.

populo praedicaret, Judaei sibi invidentes primum praelium cum eo inierunt, ut eum per disputationem vincerent. Surrexerunt enim quidam de synagoga libertinorum a regione sic dictorum, vel libertinorum, id est filiorum libertorum. Libertini enim dicuntur filii libertorum, id est eorum, qui de servitute manumissi sunt et libertate donati. Et sic de stirpe servili fuerunt, qui primo fidei restiterunt et Cyrenensium a Cyrene civitate et Alexandrinorum et eorum qui erant a Cilicia et Asia disputantes cum Stephano. Ecce primum praelium. Deinde subjungit triumphum et non poterant resistere sapientiae, postremo ponit adjutorium et [1] spiritum, qui loquebatur. Videntes igitur, quod per hunc modum pugnandi eum non possent superare, ad secundum modum se callide convertunt, ut scilicet eum falsis testibus superarent. Submiserunt enim duos falsos testes, qui eundem de quadruplici blasphemia accusarent. Adducentes itaque eum in concilium falsi testes eum de quatuor accusabant, scilicet de blasphemia in Deum, in Moysem, in legem et in tabernaculum sive templum. Ecce praelium. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in consilio, videbant faciem ejus tamquam faciem angeli. Ecce auxilium. Deinde ponitur hujus secundae pugnae victoria, cum falsi testes de his omnibus confutantur. Dixit enim princeps sacerdotum, si hoc ita se haberet. Tunc beatus Stephanus de illis quatuor, quae sibi falsi testes imposuerunt, se per ordinem excusavit. Et primo excusavit se de blasphemia in Deum dicens, Deum, qui locutus fuit patribus et prophetis, Deum gloriae fuisse. Ubi Deum tripliciter commendavit, secundum quod hoc verbum potest tripliciter exponi. Est enim Deus gloriae, id est collativus gloriae, in Regum II: qui honorificaverit me, glorificabo eum; vel Deus gloriae, id est, contentivus gloriae, Proverb. VIII: mecum sunt divitiae et gloria; vel Deus gloriae, id est, Deus cui a creatura debetur gloria, id est regi saeculorum immortali etc. Commendat igitur Deum tripliciter, scilicet quod sit gloriosus, glorificatus et glorificandus. Deinde excusat se de secunda blasphemia in Moysem multipliciter commendando. Commendat enim eum praecipue a tribus, scilicet a zeli fervore, quod percutientem Aegyptium interfecit, a miraculorum operatione, quae in Aegypto et in deserto fecit, et a Dei familiaritate, quia pluries cum Deo fami-

1) Rec. Ed. non male spiritui, quod referebant ad verbum regens resistere.

liariter locutus fuit. Postmodum excusat se de tertia blasphemia, quae erat in legem, ipsam tripliciter commendando, scilicet ex ratione dantis, qui fuit Deus, ex ratione ministrantis, qui fuit Moyses talis et tantus, et ex ratione finis, quia dat vitam. Postmodo coepit se purgare de quarta blasphemia, quae erat in tabernaculum et in templum, ipsum tabernaculum quadrupliciter commendando, scilicet quod fuit a Deo praeceptum, fieri in visione ostensum a Moyse consummatum et arce testimonii contentivum. Templum autem dixit tabernaculo successisse. Sic ergo beatus Stephanus crimine sibi objecto rationabiliter se purgavit. — — 3. Videntes igitur Judaei, quod nec in isto secundo modo eum superare valerent, tertium modum assumunt et tertiam pugnam ineunt, ut scilicet saltem tormentis et suppliciis eum superarent. Quod ut vidit beatus Stephanus, volens praeceptum dominicum de [1]) fraterna correctione servare, tribus modis eos conatus est corrigere et a tanta malitia cohibere, scilicet pudore; timore et amore. Primo pudore, ejus duritiam cordis et sanctorum necem improperando. Dura, inquit, cervice et in circumcisis cordibus et auribus vos semper spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri, ita et vos. Quem enim prophetarum patres vestri non sunt persecuti? et occiderunt eos, qui pronuntiabant de adventu justi. Ubi, sicut dicit Glossa, tres gradus malitiae eorum ponit. Primus est, quod spiritui sancto restiterunt. Secundus est: prophetas persecuti sunt. Tertius est: crescente malitia eos occiderunt. Scilicet quia frons mulieris meretricis facta erat iis et nesciebant erubescere nec sic a concepta malitia destiterunt. Immo audientes haec dissecabantur cordibus suis et stridebant dentibus in eum. Postmodum ergo correxit eos timore per hoc scilicet, quod Jesum stantem a dextris Dei se videre perhibuit, quasi paratum se adjuvare et adversarios condemnare. Cum enim esset Stephanus plenus spiritu sancto intuens in coelum vidit gloriam Dei et ait: ecce video coelos apertos et filium domini stantem a dextris virtutis Dei. Licet igitur jam pudore et timore correxerit eos, non tamen adhuc destiterunt, sed deteriores quam prius fuerunt. Exclamantes enim voce magna continuerunt aures suas. Glossa: ne blasphemantem audirent. Et impetum fecerunt unanimiter in eum et projicientes eum extra civitatem lapidabant. In hoc secundum legem se agere arbitrantes

---

1) Ed. Pr. offert superna.

quod blasphemum extra castra mandaverat lapidari. Et illi duo falsi testes, qui in eum primum lapidem mittere debebant, secundum legem dicentem: prima manus testium lapidabit etc., tum deposuerunt vestimenta sua, ne illius tactu coinquinarentur vel ut ad lapidandum expeditiores redderentur, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus et postea vocatus est Paulus. Qui dum lapidantium vestimenta custodiret, et eo quod ad lapidandum eos expeditiores redderet, quasi manu omnium lapidavit. Cum autem eos nec pudore nec timore a tanta posset nequitia retrahere, tertium modum adhibuit, ut saltem eos amore coerceret. An non eximius amor fuit, quem iis ostendit, quoniam pro se et pro ipsis oravit? Pro se quidem oravit, ne sua passio prolongaretur et sic ipsi rei noxa majori tenerentur, pro ipsis autem oravit, ne iis hoc in peccatum imputaretur. Lapidabant, inquit, Stephanum invocantem et dicentem: Domine Jesu accipe spiritum meum. Positis autem genibus clamavit voce magna dicens: domine ne statuas *illis hoc* peccatum, quia [1]) nesciunt quod faciunt. Et vide amorem mirabilem, quia orando pro se stetit, orando pro suis lapidatoribus genua flexit, quasi plus orationem, quam pro ipsis faciebat, quam illam, quam pro se effundebat, cuperet exaudiri. Pro ipsis autem potius quam pro se genua flexit, quia, ut dicit Glossa ibidem, quorum major iniquitas majus supplicandi remedium postulabat. In hoc etiam martir Christum imitatus est, qui in passione sua pro se oravit dicens: pater in manus tuas commendo spiritum meum, et pro suis crucifixoribus dicens: pater ignosce illis etc. Et cum hoc dixisset, obdormivit in domino. Glossa: pulchre dictum est, obdormiit, et non, mortuus est, quia obtulit sacrificium dilectionis et obdormivit in spe resurrectionis Facta est autem lapidatio Stephani eodem anno, quo dominus ascendit, in proximo mense Augusti, tertia die intrante. Sanctus vero Gamaliel et Nicodemus, qui erant pro christianis in omnibus consiliis Judaeorum, sepelierunt eum in agro ipsius Gamalielis et fecerunt planctum magnum super eum et facta est magna persecutio christianorum, qui erant in Jherusalem, quia occiso beato Stephano, uno de principibus, alios graviter persequi coeperunt, in tantum quod omnes christiani praeter apostolos, qui erant caeteris fortiores, per totam Judaeorum provinciam sunt dispersi, juxta quod dominus praeceperat iis: si vos persecuti fuerint

1) Ed. Pr. omittit verba: quia — faciunt.

in una civitate, fugite in aliam. — — 4. Refert Augustinus doctor egregius beatum Stephanum innumeris miraculis claruisse et mortuos sex suis meritis excitasse, multos a variis languoribus curasse. Praeter haec autem alia refert miracula, digne memoriae commendanda. Ait enim, quod flores super altare beati Stephani ponebantur et inde ablati super infirmos ponebantur, panni etiam de ejus altari sumti et super aegros impositi multis exstiterunt infirmantibus in medelam, nam sicut ait in libro XXII de civitate Dei, flores ipsi de altari assumti cujusdam mulieris caecae oculis impositi sunt et illa continuo lumen recepit. Refert quoque in eodem libro, quod, cum quidam vir primarius civitatis, nomine Martialis, infidelis esset et nequaquam converti vellet, cum tamen plurimum aegrotaret, gener suus valde fidelis ad ecclesiam sancti Stephani venit et de ipsis floribus, qui super altari erant, accipiens et ad caput sui soceri flores ipsos latenter posuit. Super quos cum ille dormiisset, protinus ante diluculum clamavit, ut ad episcopum mitteretur. Cum autem episcopus abesset, sacerdos ad eum venit et ipsum, cum et credere diceret, baptisavit. Hic quamdiu vixit, hoc verbum semper in oratione habuit: Christe accipe spiritum meum, cum tamen hic beati Stephani ultima verba nesciret. — — 5. Aliud similiter in eodem refert miraculum, quod quaedam matrona, nomine Petronia, cum diu infirmitate gravissima torqueretur et multa adhibens remedia nullum sentiret liberationis vestigium, tandem quemdam Judaeum consuluit, qui annulum quendam cum quodam lapide ei tribuit, ut ipso annulo cum chorda ad nuda corporis cingeretur, ut ex virtute illius beneficium reciperet sanitatis. Sed dum hoc sibi nil valere conspiceret, ad ecclesiam protomartiris properavit et pro salute sua instantius beatum Stephanum exoravit. Tunc subito insoluta chorda et illaeso annulo remanente annulus in terram prosiliit et continuo perfecte sanatam se sensit. — — 6. Aliud similiter in eodem non minus mirabile refert miraculum. Apud namque Caesaream Capadociae quaedam nobilis matrona erat, viri quidem destituta solatio, sed nobili vallata multitudine filiorum, nam decem filios habuisse dicitur, quorum septem mares et tres feminae fuisse perhibentur. Quadam igitur vice dum mater ab iis offenditur, maledictionem suam filiis imprecatur, subito autem maledictionem matris divina vindicta subsequitur, et omnes poena simili et horribili feriuntur. Nam omnes tre-

more membrorum omnium horribiliter sunt percussi, quapropter nimium dolentes et eorum civium oculos non ferentes per totum orbem vagari coeperunt et quocumque ibant, omnium in se convertebant aspectum. Ex his autem duo, frater et soror, Paulus et Palladia Hypponem venerunt et ipsi Augustino ibidem episcopo, quae sibi contigerant, narraverunt. Cum ergo jam quindecim diebus ante Pascha ecclesiam beati Stephani frequentantes sanitatem ab ipso multis precibus postulassent, in ipso die Paschae cum frequens populus praesens esset, unus ex iis Paulus repente cancellum introivit et ante altare cum multa fide et reverentia se prostravit in oratione, et cum adstantes rei exitum exspectarent, subito surrexit sanus, a tremore corporis deinceps alienus. Cum autem ad Augustinum fuisset adductus, ipse eum ad populum protulit et sequenti die libellum de narratione ejus iis recitandum promisit. Cum autem sic ad populum loqueretur et soror illius ibidem omnibus membris tremens assisteret, surgens illa e medio beati Stephani concellos intravit et statim velut obdormiens subito sana surrexit. Ipsa similiter in medium producitur et de utriusque sanitate Deo et beato Stephano immensae gratiae referuntur. Orosius namque a Hieronymo ad Augustinum rediens quasdam reliquias sancti Stephani detulit, ad quas praedicta et plura miracula facta sunt. — — — 7. Notandum autem, quod beatus Stephanus hoc die passus non est, sed ea die, ut dicitur, qua ejus inventio celebratur. Cujus autem inventio hac die dicitur exstitisse, sed quare festa mutata sunt, dicetur, cum de inventione agetur. Ad praesens autem hoc dixisse sufficiat, quod duplici de causa ecclesia haec tria festa, quae sequuntur nativitatem domini, sic voluit ordinare. Prima est, ut Christo sponso et capiti omnes sui comites adjungantur. Natus enim Christus, sponsus sponsae ecclesiae, in hunc mundum tres sibi comites adjunxit, de quibus comitibus dicitur in Canticis: dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus. Candidus, quo ad Johannem evangelistam pretiosum confessorem, rubicundus quantum ad Stephanum protomartirem, electus ex millibus, quantum ad turbam innocentium virginalem. Secunda ratio est, ut sic ecclesia omnium martirum genera secundum gradus dignitatis in simul adunaret, quorum quidem martirii Christi nativitas causa fuit. Est enim triplex martirium, unum voluntate et opere, secundum voluntate et non opere, tertium opere sed non voluntate. Pri-

mum in beato Stephano, secundum in beato Johanne, tertium in innocentibus.

CAP. IX.

De sancto Johanne apostolo et evangelista.

Johannes interpretatur Dei gratia, vel in quo est gratia, vel cui donatum est, vel cui donatio a Deo facta est. Per hoc intelliguntur IV privilegia, quae fuerunt in beato Johanne. Primum est praecipua Christi dilectio. Christus enim prae caeteris apostolis eum dilexit et majora dilectionis et familiaritatis signa ostendit. Et inde dicitur Dei gratia, quia domino gratiosus. Etiam plus Petro ipsum dilexisse videtur. Sed est dilectio animi et signi. Et illa, quae est signi, duplex est. Una quae consistit in familiaritatis ostensione, et alia in beneficiorum exhibitione. Quantum ad primum utrumque aequaliter dilexit, quantum ad secundum, plus Johannem, quantum ad tertium plus Petrum. Secundum est carnis incorruptio, quia virgo a domino est electus et inde dicitur, in quo est gratia. In ipso enim fuit gratia pudicitiae virginalis, unde et de nuptiis volens nubere a domino vocatus fuit. Tertium est secretorum revelatio. Et inde dicitur, cui donatum est. Eidem enim donatum est, multa secreta et profunda nosse, sicut divinitate verbi et consummatione saeculi. Quartum est matris Dei recommendatio, et inde dictum est, cui donatio facta est. Maxima enim donatio a domino tunc eidem facta est, quando mater Dei in ejus custodia donata est. Ejus vitam Miletus Laodiceae episcopus scripsit, quam Ysidorus in libro de ortu et vita vel obitu sanctorum patrum abbreviavit.

1. Johannes apostolus et evangelista dilectus a domino et virgo electus post Penthecosten divisis apostolis in Asiam est profectus, ubi ecclesias multas fundavit. Domitianus igitur imperator ejus intelligens famam accersitum eum in dolium ferventis olei ante portam latinam mitti jussit, ille autem inde exiit illaesus, sicut a corruptione carnis exstiterat alienus. Videns igitur imperator, quod nec sic a praedicatione desisteret, eum in Pathmos insulam in ex-

silium relegavit, ubi solus degens apocalipsim scripsit. Eodem anno imperator propter sui nimiam crudelitatem occiditur et a senatu, quidquid fecerat, revocatur sicque factum est, ut sanctus Johannes, qui cum injuria in insulam deportatus fuerat, cum honore Ephesum rediret, occurrente ei universa turba et dicente: benedictus, qui venit in nomine domini. Cum autem ingrederetur urbem, Drusiana ejus dilectrix, quae suum plurimum desiderabat adventum, mortua efferebatur. Parentes igitur ejus viduae et orphani dixerunt ei: sancte Johannes, ecce Drusianam efferimus, quae tuis semper monitis obsecundans nos omnes alebat tuumque plurimum desiderabat adventum dicens: o si videam apostolum Dei, antequam moriar. Ecce tu venisti et te videre non potuit. Tunc jussit feretrum deponi et corpus resolvi dicens: dominus meus Jesus Christus suscitet te, Drusiana, surge et vade in domum tuam et para mihi refectionem. Statim illa surrexit et coepit ire sollicita de jussione apostoli, ita ut sibi videretur, quod non de morte, sed de somno excitasset eam. — — **2.** Altera autem die Craton philosophus in foro populum convocavit, ut ostenderet, quomodo hic mundus contemnendus esset. Duos enim ditissimos juvenes fratres pretiosissimas gemmas distracto toto patrimonio emere fecerat, et eas in conspectu omnium confringi jusserat. Contigit igitur apostolum illuc transitum facere vocansque ad se philosophum hujusmodi mundi contemtum triplici ratione condemnavit. Primo quia ore hominum laudatur, sed divino judicio condemnatur; secundo quia ex tali contemtu vitium non curatur et ideo vanus est, sicut medicina vana dicitur, ex qua morbus nequaquam curatur; tertio quia contemtus meritorius est, qui sua pauperibus elargitur, sicut dominus juveni dixit: si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus. Cui Craton dixit: si vere Deus magister tuus est et vult, ut harum gemmarum pretium pauperibus erogetur, fac ut reintegrentur, ut ad ejus facias gloriam, quod ego ad hominum feci famam. Tunc beatus Johannes gemmarum fragmenta in manum suam recolligens oravit, et factae sunt integrae sicut prius, statimque philosophus et illi duo juvenes crediderunt et gemmas vendentes pretium pauperibus erogarunt. — — **3.** Duo insuper juvenes honorati horum exemplo venditis omnibus et pauperibus erogatis apostolum sunt secuti. Quadam autem die videntes servos suos pretiosis indumentis fulgentes, in uno vero pallio se egentes, contristari coeperunt. Quod cum sanctus Johannes advertisset, eo

quod facie tristes essent, virgas et lapides a littore maris deferri fecit et eos in aurum et gemmas convertit. Qui jussu apostoli universos aurifices et gemmarios per septem dies quaerentes reversi sunt dicentes, quod illi nunquam tam purum aurum et tam pretiosas gemmas se vidisse testati sunt, dixitque iis: ite et redimite vobis terras, quas vendidistis, quia caelorum praemia perdidistis, estote floridi, ut marcescatis, estote divites temporaliter, ut in perpetuum mendicetis. Tunc apostolus contra divitias diutius coepit disputare, ostendens, quod VI sunt, quae debent nos ab immoderato divitiarum appetitu retrahere. Primum est scriptum, unde recitavit hystoriam de divite epulone, quem Deus reprobavit, et de Lazaro paupere, quem Deus elegit. Secundum est natura, quia homo sine divitiis nascitur et nudus et sine divitiis moritur. Tertium est creatura, quia sol, luna, sydera, pluvia, aër omnibus sunt communia et communiter sua beneficia largiuntur: sic et inter homines omnia communia esse deberent. Quartum est fortuna. Dixit enim, quod servus efficitur nummi et dyaboli: nummi, quia non possidet divitias, sed ipse a divitiis possidetur; dyaboli, quia juxta evangelium amator pecuniae servus est Mammonae. Quintum est cura, quia habent curam et sollicitudinem diurnam et nocturnam in acquirendo, in custodiendo timorem. Sextum est jactura et ostendit, quod divitiae sunt causa jacturae, quae est in acquisitione duplicis mali, scilicet mali in praesenti, quod est elatio, et mali in futuro, quod est aeterna damnatio, et alterius, quod est in perditione aeterna, scilicet duplicis boni, in praesenti, quod est gratia, et boni in futuro, quod est aeterna gloria. — — — 4. Cum igitur sanctus Johannes contra divitias taliter disputaret, ecce juvenis quidam mortuus efferebatur, qui triginta dies habebat, quod uxorem acceperat. Veniens igitur mater, vidua et caeteri, qui eum flebant, ad pedes apostoli prociderunt rogantes, quod hunc quoque, sicut Drusianam in nomine Dei suscitaret. Flente igitur apostolo diutius et orante, continuo resurrexit praecepitque ei, ut illis duobus discipulis enarraret, quantam incurrissent poenam et quantam gloriam perdidissent. Qui multa de gloria paradisi et de poenis inferni, quas viderat, enarravit dicens: o miseri, vidi angelos vestros flentes et daemones gratulantes, dixitque iis, quod perdidissent aeterna palatia, quae sunt gemmis coruscantibus fabricata, claritatis mirabilis contentiva, copiosis epulis referta, deliciis plena, gaudiis glo-

riosa permansura. De inferno autem octo poenas dixit, quae his versibus continentur:

Vermes et tenebrae, flagellum, frigus et ignis
Daemonis aspectus, scelerum confusio, luctus.

Tunc ille, qui fuerat suscitatus, et illi duo discipuli ad pedes apostolorum se prosternentes rogabant, ut misericordiam consequerentur. Quibus apostolus ait: XXX diebus poenitentiam agite, inter quos orate, ut virgae et lapides ad naturam pristinam revertantur. Quod cum factum esset, ait iis: ite et unde tulistis virgas et lapides, deferatis. Quod cum fecissent et virgae et lapides in sui naturam reversi essent, omnium virtutum gratiam, quam habuerant, receperunt. — — 5. Cum autem beatus Johannes per totam Asiam praedicasset, cultores ydolorum seditionem in populo concitantes Johannem ad templum Dyanae trahebant [1]) cogentes eum sacrificium offerre, quibus Johannes hanc disjunctionem proposuit, ut aut ipsi ad invocationem Dyanae ecclesiam Christi everterent et ipse ydolis sacrificaret, aut ipse ad invocationem Christi templum Dyanae everteret et ipsi in Christum crederent. Huic ergo sententiae cum major pars populi consensisset exeuntibus cunctis de templo oravit apostolus et funditus templum corruit et Dyanae imago penitus comminuta est. Aristodemus autem pontifex ydolorum in populo seditionem maximam concitavit, ita ut una pars contra aliam ad praelium pararetur. Cui apostolus: quod tibi vis, faciam ut placeris. Cui ille: si vis, ut credam in Deum tuum, dabo tibi venenum bibere et si nullam in te laesionem [2]) videro, verus Deus dominus tuus apparebit. Cui apostolus: fac ut locutus es. Et ille: volo ut ante alios morientes videas, [3]) ut sic amplius pertimescas. Pergens igitur Aristodemus ad proconsulem duos viros decapitandos petiit et coram iis omnibus venenum dedit, qui mox ut venenum dedit, biberunt et spiritum exhalaverunt. Tunc apostolus calicem accipiens et signo crucis se muniens totum venenum bibit et nullam laesionem incurrit, quapropter Deum omnes laudare coeperunt. Aristodemus autem dixit: adhuc mihi inest dubietas, sed si veneno mortuos suscitaverit, absque dubio vere credam. Tunc apostolus ei tunicam suam tribuit. Cui ille: cur mihi tunicam tuam dedisti?

---

1) Ed. Princ. 1472. male omittit verba cogentes eum et deinde quoque post vocem invocationem: Dyanae ecclesiam. 2) Recentiores: intulerit praeferunt. 3) Ed. Pr. male legit: et ut amplius partim escas.

Cui apostolus: ut sic confusus a tua infidelitate discedas. Cui ille: numquid tunica tua me credere faciet. Et apostolus: vade et mitte eam super corpora defunctorum dicens: apostolus Christi me misit ad vos, ut in Christi nomine exsurgatis. Quod cum fecisset, illico surrexerunt. Tunc apostolus pontificem et proconsulem credentes cum omni parentela sua Christi nomine baptisavit, qui in honorem beati Johannis ecclesiam construxerunt. — — — **6.** Refert beatus Clemens, sicut in IV libro ecclesiasticae hystoriae invenitur, quod quodam tempore apostolus quemdam juvenem pulchrum et fortem convertit et eum cuidam episcopo sub depositi nomine commendavit. Post aliquod autem tempus juvenis dereliquit episcopum et factus est princeps latronum. Apostolus itaque ad episcopum venit et suum depositum requisivit. Cumque ille de pecunia intelligeret et ex hoc vehementer stuperet, dixit ei apostolus: juvenem illum a te repeto, quem tibi tam studiose recommendavi. Cui ille: pater sancte, in anima mortuus est et in tali monte cum latronibus degit, quorum ipse princeps est. Quibus auditis vestem suam scidit et caput suum pugnis feriens: bonum, inquit, te custodem fratris animae dereliqui. Confestim igitur sibi equum parari jussit et ad illum montem intrepidus cucurrit. Quem cum juvenis inspexisset, prae pudore nimio statim equum ascendit et velocius aufugit. Apostolus autem aetatis oblitus urget calcaribus equum et post tergum clamitat fugientis [1]): ut quid fili dilectissime fugis patrem et inermem senem? Ne timeas fili, quia pro te Christo rationem reddam et certe pro te libenter moriar, sicut pro nobis Christus est mortuus. Revertere, fili, revertere, quia dominus me misit. Qui audiens compunctus rediit et amarissime flevit. Apostolus autem ad pedes ejus procidit et manum tamquam per poenitentiam jam purgatam osculari coepit. Jejunante igitur et orante pro eo apostolo veniam impetravit ipsumque postmodum in episcopum ordinavit. — — — **7.** Legitur quoque in eadem hystoria ecclesiastica et habetur in glossa super secundam canonicam Johannis, quod cum Johannes apud Ephesum balnea lavandi gratia introisset et ibidem Cerinthum haereticum vidisset, protinus exiliit dicens: fugiamus hinc, ne balnea super nos corruant, in quibus lavatur Cerinthus veritatis inimicus. — **8.** Cum avis quaedam, quae perdix dicitur [2]), ut

---

1) Similiter ut supra pag. 14. Ergo loco: ad quid positum esse putans retinui tamen lect. vulg. 2) Verba: ut — collationum omittunt antiquiores.

ait Cassianus in libro collationum, viva beato Johanni a quodam oblata fuisset et ille eam quasi demulcendo tangeret et contrectaret, quidam adolescens hoc videns ad coaevos suos ridendo dixit: videte, quomodo ille senex cum avicula sicut puer ludit. Quod beatus Johannes per spiritum recognoscens juvenem ad se vocavit et quid in manu teneret, inquisivit. Cui cum se arcum tenere diceret, ait: quid inde facis? Et juvenis: aves inde ac bestias sagittamus. Cui apostolus: qualiter? Tunc juvenis coepit arcum tendere et tensum in manu tenere. Sed cum nil ei apostolus diceret, juvenis arcum distendit. Cui Johannes: quare, fili, arcum distendisti? Et ille: quia, si diutius tensus teneretur, ad jacienda jacula infirmior redderetur. Et apostolus ad hoc: sic et humana fragilitas ad contemplationem minus valida fieret, si semper in suo rigore persistens fragilitati suae interdum condescendere recusaret. Nam et aquila cunctis avibus celsius volat et solem clarius conspicit et tamen naturae necessitate ad ima descendit: sic et humanus animus, cum se modicum a contemplatione retrahit, crebra innovatione ardentius ad coelestia tendit. — — **9.** Beatus igitur Johannes, ut testatur Hieronymus, cum ipse usque ad ipsam suam ultimam senectutem Ephesi moraretur, et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur nec plura verba dicere posset, ad quamlibet pausam hoc dicebat: filioli diligite alterutrum. Tandem fratres, qui cum eo erunt, admirantes, quod semper eadem diceret, dixerunt ei: magister, quare semper eadem loqueris? Qui respondit: quia praeceptum domini est, et si solum hoc fiat, sufficit. — — **10.** Refert quoque Helinandus, quod cum Johannes evangelista evangelium scribere deberet, prius indixit jejunium, ut orarent se digna scripturum. Fertur autem ipsum pro illo loco secretissimo, in quo divina scripturus secesserat, orasse, ut nullas huic insistens operi ventorum ibi aut imbrium injurias pateretur. Hancque eidem loco usque hodie reverentiam elementa servare dicuntur. Haec Helinandus. — — **11.** Cum igitur esset nonaginta octo annorum et a passione domini, secundum Ysidorum, anno sexagesimo septimo, apparuit ei dominus cum discipulis suis dicens: veni dilecte mi ad me, quia tempus est, ut in mensa mea cum tuis fratribus epuleris. Surgens autem Johannes coepit ire. Cui dominus: dominica die ad me venies. Veniente igitur dominica universus populus convenit in ecclesia, quae fuerat ipsius nomine fabricata. Qui a primo pullorum cantu praedicavit iisdem, hortans eos, ut in fide

essent stabiles et in mandatis Dei ferventes essent. Post hoc foveam [1]) quadratam juxta altare fecit fieri et terram extra ecclesiam jactari descendensque in foveam expansis ad Deum manibus dixit: invitatus ad convivium tuum, domine Jesu Christe, ecce venio gratias agens, quia dignatus es me ad tuas epulas invitare, sciens, quod ex toto corde meo desideravi te. Cumque orationem finiisset, tanta lux super eum emicuit, quod nullus eum respicere potuit. Recedente autem lumine manna fovea plena invenitur, quod in loco illo usque hodie generatur, ita ut in fundo foveae instar minutae arenae scaturire videatur sicut in fontibus fieri consuevit. — — — **12.** Sanctus Eadmundus rex Angliae nulli, petenti in nomine sancti Johannis evangelistae, aliquid denegabat, unde contigit, quod quidam peregrinus absente camerario in nomine sancti Johannis evangelistae importune a rege eleemosinam postularet. Cui rex pretiosum annulum, cum nil aliud in promtu haberet, dedit. Sed post plures dies quidam miles Angliae in transmarinis partibus constitutus ab eodem peregrino annulum regi referendum in haec verba recepit: ille, cui et pro cujus amore annulum hunc dedisti, tibi remandat. Unde liquido patuit, quod beatus Johannes eidem in forma apparuit peregrini. — — — **13.** Ysidorus de ortu et vita vel obitu sanctorum priorum: mutavit Johannes in aurum silvestres frondium virgas, littoreaque saxa in gemmas mutavit, gemmarum fragmina in propriam reformavit naturam, praecepto viduam suscitavit, et redivivum juvenis corpus remeante anima reparavit, bibens letiferum haustum evasit periculum et eodem prostratos in vitae reparavit statum. Haec Ysidorus.

CAP. X.

De innocentibus.

Innocentes dicti sunt triplici ratione, scilicet ratione vitae, ratione poenae et ratione innocentiae assecutae. Ratione vitae dicti sunt innocentes ex eo, quod vitam innocentem, id est, non nocentem habuerunt. Nulli enim unquam nocuerunt, nec Deo per inobe-

1) Ed. Princ. male loco: quadratam legit cujus dextram.

dientiam, nec proximo per injustitiam, nec sibi per alicujus peccati malitiam. Et ideo dicitur in psalmo: innocentes et recti adhaeserunt mihi. Innocentes in vita et recti in fide. Ratione poenae, quoniam innocenter ac injuste passi sunt, unde psalmista: effuderunt sanguinem innocentem. Ratione innocentiae assecutae, quoniam in ipso martirio assecuti sunt [1]) baptismalem innocentiam, id est ab originali peccato munditiam, de qua innocentia dicitur in psalmo: custodi innocentiam et vide aequitatem, id est, custodi innocentiam baptismatis et postmodum vide aequitatem bonae operationis.

1. Innocentes ab Herode Ascalonita interfecti sunt. Tres enim Herodes sacra scriptura commemorat, quos famosos fecit eorum crudelitas. Primus dictus est Herodes Ascalonita, sub quo dominus natus est et a quo pueri occisi sunt. Secundus dictus est Herodes Antipas, qui Johannem decollavit. Tertius dictus est Herodes Agrippa, qui Jacobum occidit et Petrum incarceravit, unde de hoc exstant versus:

> Ascalonita necat pueros, Antipa Johannem
> Agrippa Jacobum, claudens in carcere Petrum.

Sed primi Herodis hystoriam breviter videamus. Antipater Ydumaeus, ut in hystoria scholastica legitur, neptem regis Arabum duxit uxorem, ex qua filium habuit, quem vocavit Herodem, qui postmodo Ascalonita dictus est. Hic a Caesare Augusto regnum Judaeae accepit et tunc primitus sceptrum ablatum est de Judaea. Huic sex filii nati sunt, scilicet Antipater, Alexander, Aristobulus, Archelaus, Herodes Antipas et Philippus. Alexandrum autem et Aristobulum ex eadem matre Judaea genitos Romam misit liberalibus artibus imbuendos: post hoc a studiis redierunt et erat Alexander [2]) grammaticus, Aristobulus autem acerrimus perorator; jamque [3]) frequentius de susceptione regni cum patre disceptabant. Ab hoc pater offensus Antipatrem illis praeponere satagebat, cumque illi de morte patris tractassent et ob hoc a patre rejecti fuissent, Caesarem adeunt de patris injuria conquesturi. Interea magi Jherosolimam veniunt et de ortu novi regis diligentius sciscitantur: Herodes hoc audiens perturbatur timens, ne de verorum regum genere aliquis natus esset, qui eum tamquam regni invasorem repelleret.

---

1) Ed. Princ. pessime legit: blasphemalem. 2) Antiquiores omittunt verba grammaticus — autem. 3) pro voce frequentius recentiores malunt liberi licentius.

Rogat igitur magos ut eo invento sibi renuntient, simulans se velle adorare, quem volebat occidere. Verumtamen magi per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Videns Herodes, quod nequaquam ad se venirent, stellae visione eos deceptos ad se redire erubuisse credidit et ideo ab inquisitione pueri animum revocavit. Cum autem audiisset quod pastores dixerunt et quae Symeon et Anna prophetaverant, vehementer timuit et se a magis turpiter illusum putavit. Tunc Herodes de nece puerorum, qui erant in Betlehem, tractare coepit, ut cum iis ille, quem ignorabat, occideretur. Ad monitionem autem angeli Joseph cum puero et matre in Aegyptum, in civitatem Hermopolis fugit ibique septem annis usque ad obitum Herodis mansit. Ingrediente igitur domino Aegyptum secundum Ysaiae vaticinium universa ydola corruerunt. Tradunt quoque, quod sicut in exitu filiorum Israel de Aegypto non fuit domus in Aegypto, in qua procurante domino non jaceret mortuus primogenitus, ita nec tunc fuit templum, in quo non corruisset ydolum. Refert Cassiodorus in hystoria tripartita, quod in Hermopoli Thebayde dicatur esse arbor, quae vocatur persidis, valens in salutem multorum, si fructus aut folium aut pars corticis collo aegrotantium alligetur. Cum igitur beata Maria cum filio in Aegyptum fugeret, haec arbor usque ad terram inclinata est et Christum suppliciter adoravit. Haec Cassiodorus. — — **2.** Cum igitur Herodes de nece puérorum disponeret, a Caesare Augusto per epistolam est citatus filiorum accusationibus responsurus. Qui cum per Tarsum iter faceret, intellexit, quod magos naves Tarsensium transvexissent, et ideo omnes naves Tarsi comburi fecit, secundum quod praedictum fuerat: in spiritu vehementi conteres naves Tarsis. Cumque pater cum filiis coram Caesare disceptaret, definitum est, ut filii patri in omnibus obedirent et ipse, cui vellet, regnum dimitteret. Rediens igitur Herodes et ex confirmatione factus audacior, mittens occidit omnes pueros, qui erant in Betlehem a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisitum erat a magis. Hoc autem duplicem intelligentiam continet. Primo ut infra dicat ordinem temporis; et est sensus: a bimatu et infra, id est, ab infantibus duorum annorum usque ad pueros unius noctis Didicerat enim Herodes a magis ea die, qua stella apparuit, iis dominum natum esse, et quia jam annus fluxerat, ex eo quod Romam ierat et redierat, dominum anniculum et reliquorum insuper dierum esse credebat ideoque supra aetatem ejus usque ad bimos et infra usque ad unius noctis infantes desaeviit in pueros, timens pueri mor-

phoseon, ne scilicet puer, cui sydera famulabantur, supra aetatem suam vel ita faciem transformaret. Et haec sententia usitatior et verior habetur et reputatur. Alio modo exponitur secundum Chrysostomum, ut infra dicat ordinem numeri, et est sensus: a bimatu et infra, id est: a pueris duorum annorum. Dicit enim stellam per annum ante ortum servatoris magis apparuisse. Herodes autem postquam hoc a magis didicit, Romam vadens adhuc per annum distulit; credebat autem tunc dominum natum fuisse, quando magis stella apparuit, et ideo dominum duorum annorum esse credebat, unde pueros bimos occidit et deinceps usque ad quinque annos, sed non minores bimis. Cui assertioni fidem facere videtur, quod quaedam ossa innocentium habentur adeo grandia, quam bimorum esse non possunt. Potest tamen dici, quod longe majoris erant tunc homines *quantitatis*, quam modo. Ipse autem Herodes statim ibi punitus est, nam (sicut dicit Macrobius et in quadam Chronica legitur) unus parvulus filius Herodis ibidem ad nutriendum fuerat datus, qui cum aliis a carnificibus est occisus. Tunc adimpletum est, quod dictum est per prophetam: vox ploratus et ululatus, piarum *scilicet* matrum, audita est in Roma, id est in excelso. — — — 3. Deus autem judex justissimus (ut in iisdem hystoriis legitur scholasticis) non est passus tantam Herodis nequitiam remanere impunitam. Divino enim judicio factum est, ut qui multos orbaverat filiis, ipse suis miserabilius orbaretur. Nam Alexander et Aristobulus iterum patri habiti sunt suspecti. Confessus est autem unus de *eorum* complicibus, quod Alexander multa sibi donaria promisisset, si patri venenum propinaret: confessus est etiam tonsor de promissis sibi muneribus, si dum patris barbam raderet, eum continuo jugularet, addiditque Alexandrum dixisse, non esse ponendam spem in sene, qui sibi capillos tingeret et juvenis appareret. Ob hoc pater iratus eos occidi fecit, Antipatrem autem futurum regem instituit, sed ipsi Antipatri Herodes Antipam in regnum substituit. Insuper Herodes Agrippam et Herodiadem uxorem Philippi, quos ex Aristobulo susceperat, paterna dilectione fovebat. Hac duplici de causa Antipater intolerabile contra patrem concepit odium, in tantum, quod eum attentavit occidere per venenum, quod Herodes jam praesentiens eum in carcere posuit. Augustus autem Caesar audiens, quod filios occidisset, dixit: mallem esse Herodis porcus quam filius, quia cum sit proselitus, porcis parcit et filios occidit. — — — 4. Ipse autem Herodes cum jam annos LXX haberet, in

gravissimam aegritudinem cecidit, nam febre valida, prurigine corporis, continuis tormentis, pedum inflammatione, vermescentibus testiculis, intolerabili foetore, crebro anhelitu et interruptis suspiriis torquebatur. A medicis vero in oleo positus, inde quasi mortuus est allatus. Audiens autem Judaeos mortem suam cum gaudio exspectare, nobiliores juvenes ex omni Judaea collectos in carcere posuit dixitque Salomae, sorori suae: scio Judaeos de morte mea gavisuros, sed potero habere multos lugentes et nobiles exsequias funeris, si meis volueris parere mandatis, ut, cum spiritum emisero, cunctos occidas, quos in custodia servo, ut sic omnis Judaea me defleat licet invita. Habebat autem in consuetudine, ut post omnem cibum pomum pro se purgaret et comederet, cumque gladium manu teneret tussique violenta discinderetur, circumspiciens, ne se aliquis impediret, se ipsum percussurus manum sustulit, sed consobrinus ejus sustinendo dextram impedivit. Protinus autem quasi rex mortuus esset, in aula regia ululatus insonuit, quo audito exsultat Antipater multaque, si solveretur, custodibus pollicetur. Quod cum cognovisset Herodes, gravius filii exsultationem quam propriam tulit mortem, mittensque satellites eum occidi fecit et Archelaum post se regnaturum instituit sicque post dies V mortuus est, in aliis fortunatissimus, in rebus domesticis infelicissimus. Salome autem soror ejus omnes absolvit, quos rex occidi mandaverat. Remigius autem in originali super Matthaeum dicit, quod Herodes gladio, quo pomum purgabat, se peremit et quod Salome soror ejus omnes vinctos, prout cum fratre ordinaverat, interfecit.

CAP. XI.

De sancto Thoma cantuariensi.

Thomas interpretatur abyssus, geminus vel sectus. Abyssus, id est, profundus in humiliatione, quod patet in cilicio et pedum pauperum lotione, geminus in praelatione, quia geminato praefuit, scilicet verbo et exemplo, sectus in passione.

1. Thomas Cantuariensis dum in curia regis Angliae consisteret et quaedam ibi fieri contraria religioni videret, curiam ipsam deseruit et Cantuariensi archiepiscopo se commisit, a quo archi-

dyaconus factus. Ad preces tamen ipsius episcopi regis cancellariam suscepit, ut prudentia, qua erat praeditus, malignorum in ecclesiam prohiberet insultus, quem adeo rex dilexit, ut post decessum archiepiscopi eum in cathedralem honorem procuraverit sublimari. Qui licet plurimum resisteret, tandem (ad) obedientiae praeceptum humeros supposuit ad portandum. Subito autem in virum perfectum alterum permutatur et caro ejus cilicio et jejuniis maceratur. Non solum enim cilicium pro camisia deferebat, sed et femoralia cilicina usque ad poplitem bajulabat, sanctitatem autem suam ita subtiliter occultabat, ut salvo semper honestatis rigore, sub decentia vestium et apparatu utensilium concordaret cum moribus singulorum. Tredecim pauperum pedes quotidie curvatis genibus abluebat et refectos datis cuilibet IV argenteis remittebat. Rex autem ad voluntatem suam in detrimentum ecclesiae ipsum flectere nitebatur, volens ut consuetudines, quas contra libertatem ecclesiae praedecessores sui habuerant, ab eodem similiter firmarentur. Qui dum omnino assentire noluit, contra se iram regis et principum provocavit. Quadam autem vice sic ipse cum aliis episcopis a rege artatus, ut etiam sibi mortis sententiam minaretur, magnorum virorum deceptus consiliis verbotenus assensum praebuit voto regis. Verum ex hoc videns animarum periculum imminere, se ipsum postmodum in poenitentiam gravius cruciavit et ab altaris officio se suspendit, quousque a summo pontifice restitui mereretur. Requirit denique rex, ut quod verbo dixerat, scripto confirmaret, cui viriliter contradixit et a curia erectam sibi bajulans crucem discessit, exclamantibus impiis contra eum: capite furem, suspendite proditorem. Et ecce duo magni proceres et fideles ad eum fusis lacrymis venientes sub juramento asserunt, quod in ejus mortem multi proceres conjuraverunt. Vir igitur Dei ecclesiae magis quam sibi metuens fugam iniit et Senonis a papa Alexandro susceptus et in monasterio Pontiniacensi commendatus postmodum in Franciam usque devenit. Rex vero dum Romam misisset, ut legati venirent, qui hoc negotium diffinirent, omnino repulsam patitur et ob hoc in iram contra archiepiscopum amplius concitatur. Unde omnia quae erant archiepiscopi et suorum, diripuit et totam ejus progeniem exsilio condemnavit, nequaquam deferens conditioni vel sexui, ordini vel aetati. Ipse autem pro rege, et pro regno Angliae quotidie exorabat. Revelatur autem archiepiscopo, quod ad suam esset ecclesiam rediturus et ad Christum cum palma martirii migraturus.

Séptimo igitur anno sui exsilii redire conceditur et a cunctis cum honore suscipitur. — **2.** Per aliquos dies ante ejus martirium juvenis quidam de corpore exiens et postmodum miraculose rediens ajebat, quod usque ad supremum sanctorum ordinem ductus fuit et inter apostolos sedem quandam vacuam vidit: percunctanti autem, cujus esset haec sedes, angelus respondit, quod cuidam magno sacerdoti Anglorum servabatur. Sacerdos quidam missam de beata virgine celebrabat quotidie, qui archiepiscopo accusatus, ab eo accersitus et tamquam ydiota et inscius ab officio suspenditur. Cum autem beatus Thomas cilicium suum suere deberet, et sub lecto ipsum abscondisset, ut ad consuendum horam aptaret, beata Maria sacerdoti apparuit dicens: vade ad archiepiscopum eique dicas, quod illa, ob cujus amorem missas dicebas, ejus cilicium, quod est in tali loco, consuit, et setam rubeam, de qua illud consuit, ibidem reliquit. Illa igitur sibi mittit, quod interdictum, quod tibi fecerat, debeat relaxare. Quod ille audiens et ita inveniens stupuit et interdictum relaxans sacerdotem hoc secretum habere praecepit. Defendit, ut prius, jura ecclesiae nec a rege flectitur vi vel prece. Cum ergo nullatenus flecti posset, ecce milites regis armati veniunt et ubi archiepiscopus sit, vociferando inquirunt. Quibus ille occurrens dixit: ecce ego, quid vultis? Et illi: venimus, ut occidaris, et ultra vivere non valebis. Quibus ille dixit: ego pro Deo mori paratus sum et pro defensione justitiae et ecclesiae libertate. Si igitur me quaeritis, ex parte Dei omnipotentis et sub anathemate prohibeo, ne horum cuiquam aliquatenus noceatis, Deo autem, beatae Mariae et sanctis omnibus et beato Dyonisio causam ecclesiae et me ipsum commendo. Quibus dictis venerandum caput gladiis impiorum impetitur, sacra capitis corona praeciditur, cerebrum per ecclesiae pavimentum dispergitur et martir domino consecratur anno domini millesimo CLXXIV. — — — **3.** Dum igitur clerici requiem aeternam inciperent et pro eo missam agerent defunctorum, subito, ut ajunt, angelorum chori adstantes voces cantantium interrumpunt, martiris missam incipiunt, laetabitur justus in domino, concinunt et caeteri clerici prosequuntur. Haec est vera mutatio dextre excelsi, dum cantus moeroris vertitur in canticum laudis, cum illum, cui defunctorum suffragia inchoaverant martirum, postmodum hymnis laudant. Revera eximia comprobatur sanctitate praeditus et martir domini gloriosus, quem tanto honore angeli praevenerunt et sanctorum martirum choro adscripserunt. Passus est autem sanctus iste pro ec-

clesia, in ecclesia et in loco sancto, tempore sacro, inter manus sacerdotum et religiosorum, ut patientis sanctitas et persequentium crudelitas ostendatur. Multa insuper et alia miracula per sanctum suum dominus operari dignatus est, meritis enim ejus caecis visus, surdis auditus, claudis gressus, vita mortuis restituta sunt. [1]) Porro aqua, qua panni conspersi ejus sanguine lavabantur, multis exstitit in medelam. Quaedam domina de Anglia varios oculos habere ob lasciviam et majorem pulchritudinem affectabat, super quo vovens votum nudis pedibus sepulchrum beati Thomae visitavit. Quae cum in oratione prostrata esset, surgens invenit se penitus excaecatam statimque poenitens coepit rogare beatum Thomam, ut jam non varios, sed saltem sibi suos redderet oculos, quod tandem cum magna difficultate vix valuit obtinere. — 4. Quidam autem illusor aquam simplicem pro aqua sancti Thomae domino suo in pixide obtulit convivanti, cui dominus ait: si nil unquam furatus fuisti mihi, sanctus Thomas aquam huc te deferre permittat, si autem reus furti es, aqua ipsa protinus evanescat. Huic igitur dicto consensit sciens, quod pixidem aqua nuper implesset. Mira res. Pixidem continuo aperuerunt et vacuam invenerunt sicque serviens in mendacio reperitur et furti reus evidentius approbatur. — — 5. Avis quaedam sciens et docta loqui, cum nisus eam insequeretur, sicut didicerat, coepit clamare: sancte Thoma adjuva me, et statim nisus cecidit mortuus et illa evasit. — — 6. Quidam, quem sanctus Thomas valde dilexerat, cum graviter infirmaretur, ivit ad ejus tumbam et pro sanitate sua rogavit et ad libitum impetravit. Sed cum sanatus rediret, coepit cogitare, quod illa sanatio animae suae forsitan non expediret. Unde iterum rediens ad sepulchrum oravit, ut si non esset utile animae suae, continuo infirmitas ipsa rediret, statimque infirmitas rediit sicut prius. In ejus autem interfectores ultio divina desaeviit, ut alii digitos dentibus suis frustatim discerpentes, alii [2]) sanie defluentes, alii paralisi dissoluti, alii amentes effecti miserabiliter interirent.

1) Verba porro — medelam omittit Ed. Dresd. 1472. 2) Ed. Recent. male praeferunt fame diffluentes.

CAP. XII.
De sancto Silvestro.

Silvester dicitur a sile, quod est lux et terra, quasi lux terrae, id est ecclesiae, quae instar bonae terrae habet pinguedinem bonae operationis, nigredinem humiliationis et dulcedinem devotionis. Per ista enim tria agnoscitur bona terra, ut ait Palladius; vel Silvester dicitur a silva et theos, quia homines silvestres et incultos et duros ad fidem traxit. Vel sicut dicitur in glossario: Silvester dicitur viridis, agrestis, umbrosus, nemorosus. Viridis coelestia contemplando, agrestis se ipsum excolendo, umbrosus ab omni concupiscentia refrigeratus, nemorosus inter arbores coeli plantatus. Ejus legendam compilavit Eusebius Caesariensis, quam beatus Blasius in consilio septuaginta episcoporum a catholicis legendam commemorat, sicut in decreto habetur.

1. Silvester a matre re et nomine justa genitus a Cyrino presbytero eruditus hospitalitatem summe exercebat. Timotheus autem quidam christianissimus ab eo in hospitium suscipitur, qui tamen ob persecutionem ab aliis vitabatur. Hic [1]) Timotheus per unum annum et III menses praedicavit et postea coronam assecutus est martirii, dum praedicaret constantissime fidem Christi. Putans autem Tarquinius praefectus Timotheum multis abundasse divitiis eas a Silvestro expetiit, inferens ei minas mortis. Sed cum vere Timotheum hujusmodi divitias non habuisse comperit, Silvestrum ydolis immolare praecepit, alioquin in crastinum diversa reciperet genera tormentorum. Cui Silvester: stulte, hac nocte morieris et sempiterna tormenta recipies et, velis nolis, verum Deum esse quem colimus, recognosces. Silvester igitur carceri traditur et Tarquinius ad prandium invitatur. Dum ergo comederet, os piscis in ejus gutture sic versatur, ut nulla ratione rejicere potuerit vel glutire. Sicque media nocte defunctus ad tumulum cum luctu ducitur et Silvester cum gaudio a carcere liberatur, qui non solum a christianis, sed etiam a paganis miro diligebatur affectu. Erat enim aspectu angelicus, sermone nitidus, integer corpore, sanctus opere, consilio

---

1) Verba: Timotheus — postea fortasse ex glossemate nata desunt in Ed. Princ., quae loco: postea offert post annum.

magnus, fide catholicus, spe patientissimus, caritate diffusus. Mortuo igitur Melchiade, episcopo urbis Romae, Silvester ab omni plebe plurimum renitens in summum pontificem est electus. Hic omnium orphanorum et viduarum et pauperum nomina in matricula scripta habebat et omnibus necessaria providebat. Hic quartum et sextum diem et sabbatum jejuniis instituit observandum, quintum vero quasi dominicum reservandum. Graecis vero Christianis dicentibus sabbatum [1]) potius quam quintum diem celebrandum respondit, hoc fieri non debere, et quia hoc est traditionis apostolicae et quia dominicae debetur compassio sepulturae. Cui illi: unum est sabbatum sepulturae, in quo semel in anno jejunium exhibendum. Quibus Silvester: sicut omnis dies dominicus resurrectionis gloria, sic omne sabbatum decoratur dominica sepultura. Igitur de sabbato acquiescunt, sed de quinta feria vehementer contendunt asserentes, non debere christianorum solemnitatibus sociari. Silvester autem ejus dignitatem praecipue in tribus ostendit. Quoniam hac die dominus coelum ascendit et corporis sui et sanguinis sacramentum instituit et sacrum chrisma ecclesia confecit. Omnes igitur rationibus ejus acquiescunt. — — 2. Persequente autem Constantino christianos, Silvester de urbe exiit et in quodam monte cum suis clericis mansit. Ipse autem Constantinus merito persecutionis tyrannicae in incurabilem cecidit plagam leprae. Tandem ad consilium pontificum ydolorum adducta sunt tria millia puerorum, ut eos occidi faceret et se in eorum sanguine recenti et calido balnearet. Egrediente autem eo ad locum, ubi balneum parari debebat, matres puerorum eidem occurrerunt, quae resolutis crinibus miserabiliter ululabant, et lacrimans Constantinus jussit stare currum et erigens se dixit: audite me comites et commilitones et omnes populi qui adstatis! dignitas romani populi de fonte nascitur pietatis, quae etiam hanc legem dedit, ut capitali sententiae subderetur, quicumque in bello occidisset infantem. Quanta ergo erit crudelitas, ut hoc nostris faciamus filiis, quod fieri prohibuimus alienis? Quid juvat barbaros superasse, si a crudelitate vincamur? Nam vicisse extraneas nationes ratione virium est bellantium populorum, vincere autem vitia et peccata virtus est morum. In illis ergo praeliis fortiores nos exsistimus illis, in his vero nobis ipsis fortiores sumus. Qui enim fuerit in isto certamine superatus, victoriam obtinet

---

1) Edit. Pr. legit: Sabbatum V die celebrandum.

victus, victor enim post victoriam vincitur, si pietas ab impietate superatur. Vincat ergo pietas in isto congressu. Bene enim omnium adversariorum poterimus esse victores, si sola pietate vincamus. Omnium enim se esse dominum comprobat, qui servum se monstraverit pietatis. Melius est ergo me mori salva vita innocentium quam per eorum interitum vitam recuperare crudelem, quam tamen recuperare incertum est, cum tamen certum sit, quod sic recuperata crudelis est. Jussit igitur, ut matribus sui pueri redderentur et dona plurima et infinita vehicula praeberentur, sicque matres, quae flendo venerant, ad loca sua cum gaudio redierunt. Ipse autem imperator ad palatium suum reversus est. Sequenti vero nocte Petrus et Paulus apparuerunt ei dicentes: quoniam exhorruisti effusionem sanguinis innocentis, misit nos dominus Jesus Christus dare tibi recuperandae consilium sanitatis. Silvestrum igitur episcopum, qui apud montem Siraptim latitat, accerse: hic tibi piscinam ostendet, in qua immersus tertio ab omni curaberis leprae morbo. Tu vero Christo hanc vicissitudinem reddas, ut ydolorum templa diruas, Christi restaures ecclesias et ejus deinceps cultor fias. Evigilans igitur Constantinus statim milites misit ad Silvestrum. Videns autem Silvester milites statim ad palmam martirii credidit se vocari, Deo autem se recommendans et socios secum adhortans Constantino intrepidus praesentatur. Cui Constantinus ait: bene te venisse gratulamur; qui a Silvestro resalutatus narravit ei per ordinem sui somnii visionem. Percunctanti vero Constantino, qui essent illi duo Dii, qui sibi apparuerunt, Silvester respondit, illos esse Christi apostolos et non Deos. Tunc ad preces imperatoris Silvester apostolorum ymagines sibi jussit afferri: quas ut imperator aspexit, tales esse, qui sibi apparuerunt, exclamavit. Silvester igitur eum catechumenon fecit et unius hebdomadae sibi jejunium indixit et carceres aperire monuit. Cumque in aquam descendisset baptismatis, mirabilis ibi emicuit splendor lucis, sicque inde mundus exivit et Christum se vidisse aperuit. Prima autem die sui baptismatis hanc legem dedit, ut Christus in urbe Romana tamquam verus Deus coleretur. Secunda, ut si quis Christum blasphemaret, puniretur. Tertia ut quicunque Christiano fecisset injuriam, bonorum suorum parte dimidia privaretur. Quarta, ut sicut imperator Romae sic Romanus pontifex caput ab universis episcopis habeatur. Quinta ut quicunque in ecclesias confugerit, ab omnibus servetur injuriis immunis. Sexta, ut nullus nisi de licentia sui antistitis ecclesiam

aedificet intra muros alicujus civitatis. Septima ut ad aedificationem ecclesiarum decimae possessionum regalium tribuantur. Octava imperator ad ecclesiam sancti Petri venit et de suis culpis se lamentabiliter accusavit, postmodum arrepto bidente ad fundamentum ecclesiae basilicae construendum terram primus aperuit et duodecim cophinos in suis scapulis foras ejecit. — — 3. Haec ubi Helena, mater Constantini Augusti in Bethania consistens audivit, per litteras laudat filium, quod abrenuntiasset simulacris ydolorum, sed dure increpat, quod relicto Deo Judaeorum crucifixum hominem Deum colat. Rescribit autem Augustus, ut Judaeorum magistros secum adducat et ipse Christianos doctores proferret, ut sic et disputatione mutua appareat fides vera. Adduxit igitur sancta Helena centum sexaginta unum doctissimos Judaeorum, inter quos duodecim erant, qui sapientia et eloquentia prae caeteris rutilabant. Cum igitur Silvester cum clericis suis et praedicti Judaei ad disputandum coram imperatore insimul convenissent, de communi consensu duos judices gentiles sapientissimos et probatos nomine Craton et Zenophilum statuerunt, ad quos pertineret sententia dicendorum. Qui licet gentiles erant, tamen justissimi et fideles, talique inter eos sententia est firmatum, ut uno stante et loquente alius non loquatur. Incipiens ergo primus de illis duodecim nomine Abiathar ait: cum isti tres Deos dicant, patrem et filium et spiritum sanctum, manifestum est, eos contra legem agere, quae dicit: videte, quia ego sum solus et non est alius Deus praeter me. Denique si dicunt, Christum Deum esse, quia multa fecit signa, in nostra etiam lege fuerunt multi, qui miracula plurima fecerunt et tamen nunquam ex hoc deitatis nomen sibi usurpare ausi sunt, sicut iste, quem isti adorant. Ad quem Silvester: nos unum Deum colimus, sed non in tanta solitudine eum dicimus, ut gaudium filii non haberet. Ex vestris autem libris vobis trinitatem personarum demonstrare valemus. Nam patrem dicimus, de quo propheta ait: ipse invocavit me pater meus es tu etc., filium, de quo idem: filius meus es tu, ego hodie genui te, spiritum sanctum, de quo idem: spiritu oris ejus omnis virtus eorum. In hoc etiam, quod dixit: faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram, evidenter et personarum pluralitatem et divinitatis unitatem demonstrat. Licet autem sint tres personae, unus tamen Deus est, quod exemplo visibili aliquatenus demonstrare valemus. Et accipiens purpuram imperatoris, tres ibi plicas fecit dicens: ecce videte tres plicas,

et explicans eas ait: ecce videtis, quia tres plicae sunt unus pannus, ita tres personae sunt unus Deus. De hoc autem quod dicitur, quod ex miraculis Deus credi non debet, cum alii plures sancti miracula fecerunt nec tamen se Deos dixerunt, sicut Christus, Deum per hoc se asserere voluit. Certe Deus superbientes contra se nunquam passus est sine poena acerrima praeterire, sicut patet in Dathan et Abyron aliisque quam pluribus. Quomodo ergo mentiri potuit et se Deum dicere, quod non erat, cum eum se Deum dicentem nulla poena secuta fuerit, sed virtutum efficacia comitabatur. Tunc judices dixerunt: constat Abiathar a Silvestro superatum, nam et ratio hoc docet, quia si Deus non esset et se Deum dixisset, conferre vitam mortuis non valeret. Tunc illo amoto secundus qui et Jonas dicebatur, ad conflictum accedens ait: Abraham a Deo circumcisionem accipiens justificatus fuit et omnes filii Abrahae per circumcisionem justificabantur; igitur qui non fuerit circumcisus, non erit justificatus. Ad quem Silvester: constat Abraham ante circumcisionem Deo placuisse et amicum Dei appellatum esse; igitur non circumcisio ipsum sanctificavit, sed fides et justitia ipsum Deo placere fecit; non igitur accepit circumcisionem in sanctificationem sed in distinctionem. Isto superato tertius, qui et Godolias, accedens ait: quomodo Christus vester potest esse Deus, cum asseratis eum esse natum, tentatum, traditum, nudatum, felle potatum, ligatum, sepultum, cum haec omnia in Deo esse non possint? Ad hoc Silvester: de vestris libris haec omnia probamus de Christo fuisse praedicta. Nam de ejus nativitate dixit Ysaias: ecce virgo concipiet etc. De ejus tentatione Zacharias: vidi Jesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo et Sathan stabat a dextris ejus etc. De ejus traditione psalmista: qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem etc. De ejus nudatione idem: diviserunt sibi vestimenta mea etc. De ejus fellea potatione idem: dederunt in escam meam fel et in siti mea etc. De ejus ligatione Esdras: vinxistis me non sicut patrem, qui liberavit vos de terra Aegypti, clamantes ante tribunal judicis, humiliastis me suspendentes in ligno, tradidistis me. De ejus sepultura Jeremias: in sepultura ejus reviviscent mortui. Cum ergo Godolias quid responderet, non haberet, data sententia remotus est. Quartus qui et Annas, accedens ait: ea, quae de aliis dicta sunt, Silvester iste de suo Christo praedicta fuisse firmat, unum superest, ut probet haec de suo Christo praedicta fuisse. Ad quem Silvester: dabis

ergo alium, quam quem virgo concepit, qui felle est cibatus, spinis coronatus, crucifixus, mortuus et sepultus, qui surrexit a mortuis et ad coelos adscendit. Tunc Constantinus ait: si alium non dederit, sciat se superatum. Quod cum facere non posset, hic amovetur et quintus, qui et Doeth, producitur, qui ait: si ex semine David Christus natus esset et sanctificatus, ut dicitis, ergo baptizari non debuit, ut iterum sanctificaretur. Ad quem Silvester: sicut circumcisio in Christi circumcisione finem accepit, ita noster baptismus in Christi baptismate initium sanctificationis habuit; non ergo baptizatus est, ut sanctificaretur, sed ut sanctificaret. Qui cum taceret, ait Constantinus: non taceret Doeth, si haberet contraria, quae proferret. Tunc sextus, qui et Chusi, ait: vellemus ut Silvester ille causas hujus virginalis partus nobis exponeret. Ad quem Silvester: terra, de qua Adam formatus est, incorrupta erat et virgo, quia nec se ad bibendum humanum sanguinem aperuerat nec maledictionem spinarum acceperat, nec hominis mortui sepulturam habebat, nec [1]) serpenti data fuerat ad edendum. Oportuit ergo ex Maria virgine novum Adam fieri, ut sicut serpens natum ex virgine vicerat, sic a nato ex virgine vinceretur, et qui Adae victor exstitit in paradiso, idem tentator factus est domini in deserto, ut qui Adam vicerat manducantem, vinceretur a domino jejunante. Hoc superato septimus, qui et Benjamin, ait: quomodo Christus vester filius Dei esse potest, qui a dyabolo tentari potuit, ut modo in fame panem ex lapidibus facere urgeretur, modo in templi celsitudinem levaretur, modo ad adorandum ipsum dyabolum induceretur. Ad quod Silvester: si dyabolum ergo vicit, quia ab Adam manducante est auditus, constat ideo eum esse superatum, quia est a Christo jejunante contemtus. Nos autem non in quantum Deus, sed in quantum homo, eum tentatum esse fatemur. Ideo autem tripliciter est tentatus, ut a nobis omnes tentationes excluderet, et formam vincendi daret. Saepe namque in homine victoriam abstinentiae sequitur tentatio humanae gloriae et tentationem humanae gloriae appetitus dominii et excellentiae comitatur. Ideo a Christo de his vincitur, ut vincendi nobis forma donetur. Isto superato octavus, qui et Aroel, ait: constat, quia Deus summe perfectus est, et nullius indiget: quid ergo ei opus fuit, ut nasceretur in Christo? Quomodo iterum Christum verbum appellas? Sed et hoc constat,

---

1) Ed. Princ. loco vocis serpenti legit: sponte.

quod Deus antequam haberet filium, pater dici non potuit, ergo si pater Christi postea dictus est, mutabilis factus est. Ad haec Silvester: filius ante tempora ex patre est genitus, ut faceret, quae non erant, et in tempore est natus, ut reficeret quae perierant. Quae etsi solo verbo reficere poterat, tamen per passionem, nisi homo fieret, redimere non valebat, quia in sua deitate ad patiendum aptus non erat. Nec hoc erat imperfectionis. sed perfectionis, si in sua non erat deitate passibilis. Porro filium Dei verbum dici ex eo patet, quia propheta ait: eructavit cor meum verbum bonum. Deus quoque semper pater fuit, quia semper ejus filius exstitit, filius enim ejus est verbum ejus, sapientia ejus, virtus ejus. In patre autem semper fuit verbum, juxta illud: eructavit cor meum verbum. Semper sapientia juxta illud: ego ex ore altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Semper virtus juxta illud: ante omnes colles ego parturii, necdum fontes aquarum eruperant etc. Cum ergo pater nunquam fuerit sine verbo, sapientia et virtute, quomodo putas hoc nomen sibi ex tempore advenisse? Hoc ergo amoto nonus, qui et Jubal, dixit: constat, quia Deus conjugia non damnat nec iis maledixit, quare ergo de conjugio natum denegatis hunc esse, quem colitis? Nisi, ait, obfuscare conjugia studeatis. Rursus quomodo tentatur, qui potens est; patitur, qui virtus est; moritur, qui vita est? Denique ad hoc cogeris, ut duos filios esse dicas, unum, quem pater genuit, alterum, quem virgo generavit. Rursus quomodo fieri potest, ut patiatur homo, qui assumtus est, sine laesione ejus, a quo assumtus est. Ad hoc Silvester: nos Christum non ideo natum de virgine dicimus, ut conjugia condemnemus, sed causas virginei partus rationabiliter acceptamus. Nec hac assertione obfuscantur, sed ornantur conjugia, quoniam haec virgo, quae Christum peperit, de conjugio nata est. Tentatur autem Christus, ut omnes tentationes dyaboli vinceret, patitur, ut universas passiones subjiceret, moritur, ut mortis imperium subjugaret. Dei quoque filius unus in Christo est, qui sicut est vere Dei filius invisibilis, ita visibilis est Christus. Est ergo invisibile hoc, quod est Deus, et est visibile hoc, quod est homo. Pati vero posse hominem assumtum sine passione ejus, qui assumsit, exemplo doceri potest. Nam ut praesentis purpurae regis utamur exemplo, lana enim fuit et huic lanae sanguis accedens colorem purpureum praebuit. Cum ergo teneretur digitis et torqueretur in filo, quid torquebatur? hoc, quod regiae dignitatis color est,

an hoc, quod lana exstiterat, antequam purpura fieret? Lanae ergo assimilatur homo, colori purpurae Deus, qui simul in passione fuit, dum pateretur in cruce, sed passioni in nullo subjacuit. Decimus, qui et Thara, dixit: non mihi placet istud exemplum, quia simul color torquetur cum lana. Cui cum omnes tamen contradicerent, Silvester dixit: accipe ergo aliud exemplum. Arbor habens in se solis splendorem, cum inciditur, ictum quidem suscipit, splendor autem ab incisione [1]) immunis existit. Sic homine patiente divinitas nulli passioni subjacuit. Undecimus qui et Sileon, ait: si de Christo tuo prophetae ista vaticinati sunt, tantae irrisionis, passionis et mortis causas scire vellemus. Et Silvester: esurivit Christus, ut nos reficeret; sitivit, ut ariditati nostrae vitalia pocula ministraret, tentatus est, ut nos a tentatione liberaret, tentus est, ut nos a daemonum captura dimitteret; irrisus est, ut nos ab irrisione daemonum liberaret; ligatus est, ut nos a nodo ligationis et maledictionis absolveret; humiliatus est, ut nos exaltaret; exspoliatus est, ut nuditatem primae [2]) privationis indulgentia tegeret; spinarum coronam accepit, ut flores paradisi perditos redonaret; in ligno suspensus est, ut concupiscentiam in ligno genitam damnaret; felle et aceto potatus est, ut hominem ad terram fluentem lac et mel introduceret et fontes nobis mellifluos aperiret; [3]) mortalitatem suscepit, ut suam nobis immortalitatem donaret; sepultus est, ut sanctorum sepulturas benediceret; surrexit, ut mortuis vitam redderet; ascendit in coelum, ut coeli januam aperiret; sedet a dextris Dei, ut preces credentium exaudiat. Haec Silvestro prosequente universi, tam imperator quam judices et Judaei in laudem Silvestri proruperunt unanimiter. Tunc indignatus duodecimus, qui et Zambri, indignatione magna dixit: miror vos sapientissimos judices verborum ambagibus credere et Dei omnipotentiam aestimare humana ratione concludi. Sed jam cessent verba et veniamus ad facta. Stultissimi namque sunt, qui crucifixum colunt, cum ego nomen Dei omnipotentis sciam, cujus virtutem nec sufferunt saxa nec audire valet quaelibet creatura. Et ut me verum dicere comprobetis, taurus ad me ferocissimus adducatur et dum in ejus aure nomen istud insonuerit, taurus illico morietur. Ad quem Silvester: et tu quomodo

---

1) Ed. Pr. male minimus legit. 2) Recent. praevaricationis indulgentiae indumento legunt, quod rectius videtur. 3) Ed. Pr. omittit verba: mortalitatem — aperiret.

hoc nomen [1]) audiens non decidisti? Zambri dixit: non est tuum hoc noscere misterium, qui Judaeorum inimicus es. Adducitur autem taurus ferocissimus, vix a centum hominibus fortissimis tractus, at ubi Zambri in aure ejus verbum protulit, continuo taurus mugiens oculosque ejiciens exspiravit. Omnes igitur Judaei vehementer acclamant et Silvestro insultant. Quibus Silvester: non Dei nomen protulit, sed nomen pessimi daemonis nominavit, Deus enim meus Jesus Christus non solum viventes mortificat, sed etiam mortuos vivificat. Nam occidere posse et non vivificare posse est leonum, serpentum et ferarum. Si ergo vult, ut credam, quod nomen daemonis non fuerit, dicat iterum et vivificet, quod occidit. Nam de Deo scriptum est: ego occidam et ego vivere faciam; quod si non poterit, nomen daemonis absque dubio nominavit, qui viventem occidere potest, mortuum vivificare non potest. Cumque Zambri ad suscitandum taurum a judicibus urgeretur, dixit: suscitet eum Silvester in nomine Jesu Galilei et omnes in eum credemus. Nam etsi pennis posset volare, istud tamen non valeret perficere. Omnes igitur Judaei, si taurum suscitaverit, se credituros promittunt. Tunc Silvester oratione facta ad aurem tauri se applicans dixit: o nomen maledictionis et mortis egredere jussu domini nostri Jesu Christi, in cujus nomine tibi dico: taure, surge et ad armentum tuum mansuetus recede. Statim igitur taurus surrexit et cum omni mansuetudine abiit. Tunc regina, Judaei, judices et caeteri omnes conversi sunt in fidem. Post aliquos vero dies ydolorum pontifices ad imperatorem venerunt dicentes: sacratissime imperator, ille draco, qui est in fovea, postquam fidem Christi recepistis, plus quam trecentos homines quotidie interficit flatu suo. Consulente super hoc Constantino Silvestrum respondit: ego per Christi virtutem eum ab omni cessare laesione faciam. Promittunt pontifices, se, si hoc faciat, credituros. Orante autem Silvestro sanctus spiritus ei apparuit dicens: securus ad draconem descende tu et duo presbiteri, qui sunt tecum, cumque ad eum veneris, eum taliter alloquaris: dominus noster Jesus Christus de virgine natus, crucifixus et sepultus, qui resurrexit et sedet ad dextram patris, hic venturus est judicare vivos et mortuos. Tu ergo Sathana eum in hac fovea, dum venerit, exspecta. Os autem ejus ligabis filo et annulo crucis habente signum desuper sigillabis. Postea ad me sani et incolumes ve-

1) Ed. Princ. fortasse rectius: non audiens didicisti.

nietis et panem, quem vobis paravero, comedetis. Descendit itaque Silvester cum duobus presbiteris in foveam per gradus CL duas secum ferens laternas: tunc draconi praedicta verba dixit et os ipsius stridentis et sibilantis, ut jussus fuerat, alligavit et adscendens invenit duos magos, qui eos secuti fuerant, ut viderent, si usque ad draconem descenderent, ex draconis foetore paene mortuos. Etiam eos secum adduxit incolumes atque sanos, qui statim cum multitudine infinita conversi sunt sicque romanorum populus a duplici morte liberatus, scilicet a cultura daemonis et veneno draconis. Tandem beatus Silvester morti appropinquans clerum de tribus admonuit, scilicet ut inter se caritatem haberent, ecclesias suas diligentius gubernarent et gregem a luporum morsibus custodirent. Post haec in domino feliciter obdormivit circa annum domini CCCXX.

CAP. XIII.
De circumcisione domini.

Circumcisionis dominicae diem quatuor celebrem faciunt et solemnem. Primum est octava nativitatis domini, secundum impositio novi et salutiferi nominis, tertium effusio sanguinis, quartum signaculum circumcisionis. Primum ergo est octava nativitatis domini. Si enim aliorum sanctorum octavae solemnes sunt, quanto magis octava dies sancti sanctorum solemnis erit. Sed non videtur, quod nativitas domini debeat habere octavam, quia ejus nativitas tendebat ad mortem. Obitus autem sanctorum ideo octavas habent, quia ipsi tunc nascuntur ea nativitate, quae est ad vitam aeternam, ut postea resurgant in corporibus gloriosis. Eadem ratione videtur, quod non debeat habere octavam nativitas beatae virginis nec beati Johannis baptistae, similiter nec resurrectio domini, quia jam facta erat [1]) ipsa resurrectio in re. Sed notandum, quod, sicut dicit Praepositivus, sunt octavae suppletionis, ut est octava nativitatis domini, in qua supplemus, quod minus in festo factum fuerat, scilicet officium de parturiente. Unde etiam olim in missa consueverat cantari ad ho-

---

1) Rec. legunt: in ipsa resurrectione. Sed etc.

norem beatae virginis: vultum tuum etc. Item sunt octavae venerationis, ut Paschae, Penthecostes, beatae virginis, beati Johannis baptistae. Item devotionis, ut cujuslibet sancti possunt fieri octavae. Figurationis, ut sunt octavae institutae de sanctis, quae significant octavam resurrectionis. Secundum est impositio novi et salutiferi nominis, hodie enim impositum est ei nomen novum, quod os domini nominavit. Nomen pater, quod non est aliud sub caelo, in quo oporteat nos salvos fieri. Nomen, quod secundum Bernardum est mel in ore, melos in aure et jubilus in corde. Nomen, quod, sicut dicit idem Bernardus, instar olei lucet, praedicatum pascit, recogitatum lenit et ungit invocatum. Habuit autem triplex nomen, sicut ex evangelio manifestatur, scilicet filius Dei, Christus et Jesus. Vocatur autem filius Dei, in quantum est de Deo Deus, Christus, in quantum est homo a persona divina quantum ad humanam naturam assumtus; Jesus, in quantum est Deus humanitati unitus. De hoc triplici nomine dicit Bernardus: vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate. Ecce dominus venit cum salute, venit cum unguento, venit cum gloria neque enim sine salute venit Jesus neque Christus sine unctione, neque sine gloria venit filius Dei, siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria. Quantum autem ad hoc triplex nomen, ante passionem perfecte notus non erat. Nam quantum ad primum, ab aliquibus cognoscebatur conjecturaliter, sicut a daemonibus, qui dicebant ipsum esse filium Dei. Quantum ad secundum particulariter, ab aliquibus enim, licet paucis, cognoscebatur esse Christus. Quantum ad tertium vocaliter, quia quo ad hanc vocem Jesus, licet non quo ad rationem nominis, quod est salutare. Post resurrectionem autem hoc nomen triplex clarificatum est. Primum nomen quo ad certitudinem, secundum quo ad diffusionem, tertium quo ad nominis rationem. Primum igitur nomen est filius Dei. Et quod hoc nomen sibi recte conveniat, sic dicit Hylarius in libro de trinitate: vere Dei filium unigenitum dominum nostrum Jesum Christum esse, multis modis cognitum est. Dum de eo testatur pater, dum de se ipse profitetur, dum apostoli praedicant, dum religiosi credunt, dum daemones confitentur, dum Judaei negant, dum gentiles in passione cognoscunt. Idem: dominum Deum nostrum Jesum Christum his modis cognoscimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. Secundum nomen est Christus, quod interpretatur unctus. Ipse enim fuit unctus oleo laetitiae prae participibus suis. Per hoc autem quod dicitur unctus, insinuatur, quod ipse fuit propheta, pugil,

sacerdos et rex. Istae enim quatuor personae olim consueverunt iungi. Fuit enim propheta in doctrinae eruditione, pugil in dyaboli debellatione, sacerdos in patris reconciliatione, rex in praemiorum retributione. Ab hoc secundo nomine denominamur, quia a Christo dicimur Christiani. De quo nomine sic dicit Augustinus: christianus justitiae, bonitatis, integritatis, patientiae, castitatis, pudentiae, humanitatis, innocentiae, pietatis est nomen. Et tu istud quomodo tibi defendis et vindicas, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus est ille, qui non nomine tantum, sed etiam opere est. Haec Augustinus. Tertium nomen est Jesus. Hoc autem nomen Jesus secundum Bernardum dicitur cibus, fons, medicina, et lux. Hic autem cibus multiplicem habet effectum, est enim cibus confortativus, impinguativus, roborativus et vegetativus. De *his sic dicit* Bernardus: est cibus hoc nomen Jesus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aeque mentem cogitantis [1]) impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque castas fovet affectiones? Secundo dicitur fons, unde dicit idem Bernardus: Jesus est fons vitae signatus, qui in quattuor rivos se diffundit in plateas. Unde qui factus est nobis sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio; sapientia in praedicatione, justitia in peccatorum absolutione, sanctificatio in conversatione vel in conversione, redemptio in passione. Haec Bernardus. Alibi quoque sic dicitur: tres rivi fluxerunt a Jesu, verbum doloris, in quo est confessio, sanguis aspersionis, in quo est afflictio, aqua emundationis, in qua est compunctio. Tertio est medicina, unde sic ait: est etiam hoc nomen Jesus medicina. Nihil enim ita irae impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriae fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat, avaritae et totius dedecoris fugat pruriginem. Quarto est lux, unde ait: unde putas, in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de praedicatione vel praedicato Jesu, hoc est nomen, quod Paulus portabat coram gentibus tamquam lucernam super candelabrum. Hoc iterum nomen Jesus est multae suavitatis, unde Bernardus: si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes ac conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Item Richardus de Sancto Victore: Jesus est nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem et beatae spei. Ergo Jesu

1) Recent. legunt *impugnat*.

esto mihi Jesus. Secundo est multae virtuositatis, unde Petrus Ravennas: vocabis nomen ejus Jesum, hoc est, nomen, quod dedit caecis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis, vitam mortuis totamque dyaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit. Tertio est multae excellentiae et sublimitatis, unde Bernardus: nomen salvatoris nostri, fratris mei, carnis meae, sanguinis mei, nomen a seculis absconditum, sed in fine saeculorum revelatum, nomen mirabile, nomen ineffabile, nomen inaestimabile, imo eo mirabilius, quo inaestimabilius, eo magis gratum, quo gratuitum. Hoc autem nomen Jesus impositum est ei ab aeterno, ab angelo et a patre putativo, id est a Joseph. Jesus enim salvator interpretatur. Dicitur autem salvator tripliciter, vel a potentia salvandi, vel ab habitu, vel ab actu. Secundum quod dicitur a potentia salvandi, convenit ei hoc nomen ab aeterno, secundum quod dicitur ab habitu salvandi, sic fuit impositum ab angelo et convenit ei a principio conceptionis; secundum quod dicitur ab actu salvandi, dicitur impositum a Joseph ratione futurae passionis, unde Glossa super illud: vocabis nomen ejus Jesum, dicit: nomen impones, quod ab angelo vel ab aeterno impositum est. Et tangit hic Glossa hanc praedictam triplicem denominationem. Cum enim dicitur: nomen impones, tangitur denominatio a Joseph; cum dicitur: quod ab angelo vel ab aeterno impositum est, tanguntur aliae duae. Recte igitur in die capitis anni constituta a Roma capite mundi et insignita capitali littera alphabeti Christus caput ecclesiae circumciditur, nomen ejus imponitur et ejus nativitatis octavus dies colitur. Tertium est effusio sanguinis Christi. Hodie enim sanguinem suum primo pro nobis fundere coepit, qui ipsum postmodum pluries effundere voluit. Quinque enim vicibus sanguinem pro nobis effudit, primo in circumcisione, et haec effusio fuit nostrae redemptionis initium; secundo in oratione, et haec ostendit nostrae redemptionis desiderium; tertio in flagellatione, et haec fuit nostrae redemptionis meritum, quia livore ejus sanati sumus; quarto in crucifixione, et haec fuit nostrae redemptionis pretium, tunc enim, quae non rapuit, exsolvebat; quinto in lateris apertione et haec fuit nostrae redemptionis sacramentum. Inde enim exivit sanguis et aqua, quod figuravit nos per aquam baptismi debere mundari. Qui quidem baptismus habiturus erat efficaciam a sanguine Christi. Quartum et ultimum est signaculum circumcisionis, quod quidem Christus hodie

accipere dignatus est. Voluit autem dominus circumcidi propter multas rationes. Primo ratione sui, ut veram carnem humanam se assumsisse ostenderet, sciebat enim non defuturos, qui dicerent ipsum non corpus verum, sed fantasticum assumsisse. Et ideo ut eorum errorem confutaret, voluit circumcidi et sanguinem ibi emittere. Corpus enim fantasticum sanguinem non emittit. Secundo ratione nostri, ut nos spiritualiter debere circumcidi monstraret. *Duplex enim est* circumcisio secundum Bernardum, quae debet fieri a nobis, scilicet exterior in carne et interior in mente. Circumcisio exterior consistit in tribus, scilicet in habitu, ne sit notabilis, in actione, ne sit reprehensibilis, et in sermone, ne sit contemptibilis. Interior autem similiter in tribus consistit, scilicet in cogitatione, ut sit sancta, in affectione, ut sit pura, in intentione, ut sit recta. *Haec Bernardus.* Iterum ratione nostri, ut nos salvaret. Quemadmodum *enim* fuit cauterium in uno membro, ut totum corpus sanetur, sic Christus voluit portare cauterium circumcisionis, ut sic totum corpus misticum salvaretur. Coloss. II. Circumcisi *enim* estis circumcisione non manu facta in exspoliatione carnis, scilicet circumcisione Christi. Glossa: a vitiis tamquam petra acutissima, petra enim erat Christus. I. Corinth. X et Exod. IV. Tollit illico Sephora acutissimam petram et circumcidit carnem praeputii filii sui circumcisione etc. Dupliciter exponitur secundum Glossam. Primo modo sic: circumcisi, inquam, estis circumcisione non manu facta, id est, humano opere; sed divino, id est, circumcisione spirituali. Quae quidem circumcisio fit in exspoliatione corporis carnis, hoc est, depositione carnalis hominis, id est, vitiorum et desideriorum carnalium, secundum quod caro accipitur. I. Corinth. VIII. Caro et sanguis regnum coelorum non possident etc. Estis, inquam, circumcisi circumcisione non manu facta, sed circumcisione spirituali. Secundo modo sic: circumcisi, inquam, estis in Christo et hoc circumcisione non manu facta, id est, circumcisione legali, quae quidem non manu facta sive legalis fit in exspoliatione corporis carnis, id est, corporis, quod est caro, scilicet cutis carnis, quae in circumcisione legali aufertur. Non estis, inquam, circumcisi ista circumcisione, sed circumcisione Christi, id est, spirituali, in qua omnia vitia amputata sunt. Unde Roman. II: [1]) non enim qui in manifesto Judaeus est neque qui in manifesto, in carne est circum-

1) Verba: non enim — Judaeus est et desunt in Ed. Pr. 1472. Dresd., quorum loco offert: quam manifesta in carne circumcisio etc.

cisio: sed qui in abscondito Judaeus est, et circumcisio cordis in spiritu non littera; cujus laus est non ex hominibus, sed ex Deo. Circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi. Tertio ratione Judaeorum, ut inexcusabiles essent. Si enim circumcisus non fuisset, potuissent se Judaei excusare et dicere: ideo te non recipimus, quia dissimilis es patribus. Quarto ratione daemonum, ne scilicet incarnationis misterium cognoscerent. Cum enim circumcisio fieret contra originale peccatum, credidit dyabolus et hunc, qui circumcidebatur, similiter peccatorem esse, qui circumcisionis remedio indigeret. Propter eandem causam voluit, ut mater sua virgo perpetua esset desponsata. Quinto ratione perfectae justitiae adimplendae. Sicut enim baptizari voluit, ut perfectam justitiam, id est, perfectam humilitatem, quae est subdere se minori, impleret, sic etiam voluit circumcidi, ut eandem nobis humilitatem ostenderet, dum auctor et dominus legis voluit se subdere legi. Sexto ratione legis Mosaycae approbandae, quae erat bona et sancta et complenda, quia non venerat legem solvere sed adimplere. Roman. XV: dico enim Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei etc. Quare autem circumcisio octava die fiebat, multiplex potest ratio assignari. Prima sumitur penes intellectum hystoricum sive litteralem. Nam sicut dicit Rabbi Moyses, maximus philosophus et theologus, licet Judaeus: puer in septem diebus tantae adhuc teneritudinis est, quantae est adhuc in utero matris existens, in octava autem die fortificatur et solidatur et ideo, ut dicit, noluit dominus parvulos ante octavum diem circumcidi, ne ob nimiam teneritudinem nimium laederentur. Ultra octavum vero diem ipsam circumcisionem noluit prolongari propter tres causas, quas philosophus idem assignat. Prima ut periculum evitetur, ne scilicet, si nimium differretur, sine circumcisione eos mori contingeret. Secunda, ut dolori parvulorum provideatur. Cum enim in circumcisione maximus dolor sit, voluit eos dominus circumcidi, dum parvam adhuc ymaginationem haberent, ut minorem ibi dolorem sentirent. Tertia, ut parentum tristitiae consulatur. Nam cum ex circumcisione plerique parvuli morerentur, si circumcisi fuissent jam magni et ex hoc mortui, major dolor fuisset parentibus, quam si morerentur octo tantum dies habentes. Secunda ratio sumitur penes intellectum anagogicum sive coelestem. Ideo enim octavo die fiebat, ut daretur intelligi, quod in octava resurrectionis ab omni poena et miseria circumcideremur. Et secun-

dum hoc octo dies erunt octo aetates, prima ab Adam usque ad Noae, secunda a Noae usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad Moysen, quarta a Moyse usque ad David, quinta a David usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi, septima morientium, octava resurgentium. Vel per octo dies intelliguntur octo, quae in aeterna vita possidebimus, quae enumerat Augustinus dicens: quid aliud est, ego ero illorum Deus, nisi ero iis unde satientur. Ero, quaecunque honeste desiderentur, scilicet vita, salus, victus, copia, gloria, honor, pax et omne bonum. Vel aliter per septem dies intelligitur homo constans ex corpore et anima. Quattuor enim dies sunt quattuor elementa, ex quibus corpus consistit, et tres dies sunt tres potentiae, quae sunt in anima, scilicet concupiscibilis, irascibilis et rationalis. Homo igitur, qui nunc habet septem dies, quando unitati aeternae incommutabilitatis conjungetur, tunc octo dies habebit, et in illo octavo die ab omni poena et etiam culpa circumcidetur. Tertia ratio sumitur penes intellectum tropologicum sive moralem et secundum hoc octo dies diversimode possunt accipi. Primus potest esse peccati cognitio; Psalm.: quoniam iniquitatem meam ego cognosco etc. Secundus propositum deserendi malum et faciendi bonum, quod notatur in filio prodigo, qui dixit: surgam et ibo ad patrem meum etc. Tertius pudor de peccato, unde apostolus: quem enim fructum tunc habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Quartus timor de futuro judicio. Jobus: quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Hieronymus: sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper mihi videtur illa vox in auribus meis insonare: surgite mortui et venite ad judicium. Quintus contritio. Unde Jeremias: luctum unigeniti fac tibi etc. Sextus confessio. Psalmus: dixi confitebor adversum me injustitiam meam etc. Septimus spes veniae. Nam etsi Judas peccatum suum confessus fuerit, tamen non in spe veniae, et ideo non est misericordiam consecutus. Octavus satisfactio et in hac die homo spiritualiter circumciditur, non solum a culpa, sed etiam ab omni poena. Vel duo primi dies sunt dolor de perpetratione peccati et desiderium emendandi; alii duo confiteri mala, quae fecimus, et bona quae omisimus; alii quattuor sunt oratio, lacrimarum effusio, corporis afflictio, eleemosinarum elargitio. Vel octo dies possunt esse octo, quorum diligens consideratio omnem voluntatem peccandi a nobis circumcidit. Ita, quod, qui unum diligenter consideravit, unam magnam diaetam faciet. Quorum septem enumerat Bernardus dicens: septem sunt de essentia hominis, quae

si homo consideraret, in aeternum non peccaret, scilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis et damnatio detestabilis. Et octava potest esse consideratio gloriae ineffabilis. Quarta ratio sumitur penes intellectum allegoricum sive spiritualem et secundum hoc V dies erunt V libri Moysis, in quibus continetur lex, duo erunt prophetae et psalmi, octavus dies erit doctrina evangelica. Sed in septem primis diebus non fiebat perfecta circumcisio, in octavo autem perfecta circumcisio fit ab omni culpa et ab omni poena, nunc in spe, sed tandem in re. Quare autem data fuerit circumcisio, sex sunt causae, quae notantur in his versibus:

Cauterium, signum, meritum, medicina, figura,
Exemplum fuit olim circumcisio dura.

De carne autem circumcisionis domini dicitur, quod angelus eam Carolo Magno attulit et ipse eam Aquisgrani in ecclesiam Sanctae Mariae honorifice collocavit, Carolus vero illam postea fertur Carosium transtulisse, nunc autem dicitur esse Romae in ecclesia, quae dicitur Sancta Sanctorum. Unde et ibidem scriptum legitur:

Circumcisa caro Christi sandalia clara
Atque umbilici viget hic praecisio cara.

Unde et ea die fit statio ad Sanctam Sanctorum. Sed si hoc verum, valde utique mirabile est. Cum enim caro ipsa sit de veritate humanae naturae, credimus, quod resurgente Christo rediit ad locum suum glorificatum. Aliqui dixerunt, quod hoc verum sit juxta opinionem illorum, qui dicunt illud solum esse de veritate humanae naturae, quae ab Adam traducta est, et istam solum resurgere. Notandum, quod olim a paganis et gentilibus in his calendis multae superstitiones observabantur, quas sancti etiam a Christianis vix exstirpare poterant, quas Augustinus in quodam sermone commemorat. Credentes enim, ut dicit, Janum ducem quemdam Deum esse, eum in his calendis plurimum venerabantur et ei duas facies figurabant, unam post se, aliam ante se, quia erat terminus anni praeteriti et principium sequentis. Rursus in his calendis formas monstruosas assumebant, alii vestientes se pellibus pecudum, alii assumentes capita bestiarum, ex quo indicabatur, non [1]) tantum habitum, sed belluinum habere sensum. Alii tunicis muliebribus vestiebantur, non erubescentes inserere tunicis muliebribus militares lacertos. Alii ita auguria

1) Ed. Rec. leg. tam h. se bell. hab. quam s.

observabant, ut focum de domo sua vel aliud quodcunque benefactum cuilibet petenti non tribuerent. Dyabolicas etiam [1]) strenas et ab aliis accipiunt et aliis tradunt. Alii in nocte mensas laute praeparant et sic tota nocte manere sinunt, credentes, quod per totum annum convivia in tali sibi abundantia perseverent. Et subdit Augustinus: qui de paganorum consuetudine aliquid observare voluerit, [2]) timendum est, ne nomen christiani ei prodesse non possit. Qui etiam stultis hominibus ludentibus aliquam humanitatem impenderit, peccati eorum participem se esse non dubitet: vobis autem, fratres, non sufficiat, quod non hoc malum facitis, sed ubicunque fieri videbitis, arguite, corrigite, castigate. Haec Augustinus.

CAP. XIV.
De epiphania domini.

Epiphania domini quadruplici decoratur miraculo et ideo quadruplici vocabulo nuncupatur. Hodie enim magi Christum adorant, Johannes Christum baptizat, aquam in vinum Christus mutat et quinque millia hominum de quinque panibus satiat. Cum enim Jesus esset tredecim dierum, magi ad eum stella duce venerunt et inde dicitur Epiphania ab epi, quod est supra, et phanos, apparitio, quia tunc desuper stella apparuit sive ipse Christus per stellam, quae desuper visa est, magis verus Deus demonstratus est. Eadem die revolutis viginti novem annis cum jam annum tricesimum attigisset, quia habebat viginti novem annos et tredecim dies; erat enim incipiens quasi annorum triginta, ut dicit Lucas, vel secundum Bedam: habebat triginta annos plenos, quod et romana ecclesia asserit. Tunc, inquam, in Jordane baptizatus est et ob hoc vocatur Theophania a theos, quod est Deus, et a phanos, quod est apparitio, quia tunc tota trinitas apparuit, pater in voce, filius in carne, spiritus in columbae specie. Ipso iterum die, revoluto uno anno, cum esset triginta vel triginta unius annorum et tredecim dierum, aquam in vinum mutavit et ob hoc vocatur Bethania, a beth, quod est domus, quia miraculo facto in domo verus Deus apparuit.

---

1) Ed. Pr. legit: scenas, male. 2) Pro voce: timendum offert Ed. Pr. tantum idem; paulo post pro: humanitatem praefert humilitatem.

Ipso similiter die, revoluto anno, cum esset annorum triginta unius vel triginta duorum [1]), quinque millia hominum de quinque panibus satiavit, sicut dicit Beda et sicut dicitur in illo hymno, qui in multis ecclesiis cantatur et sic incipit: illuminans altissimus etc. Et ob hoc vocatur Phagiphania a phage, quod est bucca sive manducare. De hoc autem quarto miraculo, utrum hac die contigerit, dubitatur, tum quia in originali Bedae non sic expresse legitur, tum quia Johannis VI, ubi de hoc miraculo agitur, dicitur: erat autem proximum Pascha etc. Ista ergo quadruplex apparitio ista die facta est. Prima facta est per stellam in praesepio, secunda per vocem patris in Jordanis fluvio, tertia per mutationem aquae in vinum in convivio, quarta per multiplicationem panum in deserto. Prima autem apparitio praecipue hodie celebratur et ideo ejus hystoriam prosequamur. Nato enim domino tres magi Jherosolimam venerunt, quorum nomina in Hebraeo sunt, Appellius, Amerius, Damascus, graece, Galgalat, Malgalat, Sarathin, latine Caspar, Balthasar, Melchior. Cujusmodi autem magi fuerint hi, triplex exstat sententia, secundum quod magus tripliciter dicitur. Magus enim dicitur illusor, maleficus et sapiens. Dicunt ergo quidam hos reges ab effectu dictos fuisse magos, id est, illusores, ex eo scilicet quod Herodem illuserunt, quia ad eum non redierunt. Unde et dicitur de Herode: videns, quod illusus esset a magis etc. Magus iterum dicitur maleficus. Unde malefici Pharaonis dicuntur magi. Et inde dicit Chrysostomus hos magos vocatos. Dicit enim istos fuisse maleficos sed postea conversos, quibus dominus voluit nativitatem suam revelare et eos ad se adducere et pro hoc peccatoribus veniae spem praebere. Iterum magus idem est quod sapiens. Nam graphice magus hebrayce scriba, graece philosophus, latine sapiens dicitur. Dicuntur ergo magi, id est, sapientes, unde magi quasi in sapientia magni. Venerunt ergo hi tres sapientes et reges cum magno comitatu Jherosolimam. Sed quaeritur, quare magi Jherusalem venerunt, cum ibi dominus natus non sit. Super hoc assignat Remigius quattuor rationes. Prima, quoniam magi tempus nativitatis Christi agnoverunt, sed locum ignoraverunt. Quia autem Jherusalem erat civitas regalis et ibi erat summum sacerdotium, suspicati sunt, quod tam egregius puer nonnisi in regia civitate nasci deberet. Secunda, ut citius nativitatis locum discernere potuissent,

---

1) Ed. Rec. addunt: et tredecim dierum.

cum ibi sapientes legis et scribae residerent. Tertia, ut Judaei inexcusabiles manerent, potuissent enim dicere: nos quidem nativitatis locum cognovimus, tempus autem ignoravimus et ideo non credimus. Magi ergo ostenderunt Judaeis tempus et Judaei magis locum. Quarta ut sic studio magorum condemnaretur pigritia Judaeorum. Nam illi uni prophetae crediderunt, isti pluribus credere noluerunt. Illi quaerunt regem alienum, isti non quaerunt proprium. Illi venerunt de longinquo, isti manserunt in vicino. Isti reges fuerunt successores Balaam et ad visionem stellae venerunt, propter illam prophetiam patris sui: orietur stella ex Jacob et exsurget homo ex Israel etc. Aliam causam, unde isti moti sunt ad veniendum, ponit Chrysostomus in originali super Matthaeum asserens, quosdam dicere, quod quidam secretorum inspectores elegerunt de se ipsis XII, et si quis moriebatur, filius ejus aut aliquis propinquorum in ejus locum substituebatur. Hi ergo per singulos annos post mensem ascendebant super montem victorialem et tribus diebus ibidem morantes [1]) se lavabant et orabant Deum, ut iis illam stellam, quam Balaam praedixerat, ostenderet. Quadam autem vice, scilicet in die natalis domini, dum sic ibidem manerent, stella quaedam ad eos super montem venit, quae habebat formam pulcherrimi pueri, super cujus capite crux splendebat, quae magos allocuta est dicens: ite velocius in terram Juda et ibidem regem, quem quaeritis, natum invenietis. Tunc illi continuo venire coeperunt. Sed quomodo in tam parvo tempore, scilicet in tredecim diebus per tanta terrarum spatia venire potuerunt, scilicet ab oriente usque in Jherusalem, quae in mediculo mundi dicitur esse sita, dicendum est; secundum Remigium, quoniam talis puer, ad quem properabant, eos in tam brevi spatio perducere potuit. Vel potest dici secundum Jeremiam, quod super dromedarios venerunt, qui sunt animalia velocissima, qui tantum currunt una die, quantum equus in tribus. Unde dicitur dromedarius a dromos, quod est cursus, et ares, quod est virtus. Cum ergo Jherosolimam venissent, interrogaverunt dicentes, ubi est, qui natus est rex Judaeorum. Non interrogabant, an natus sit, quia hoc credebant, sed quaerunt, ubi natus sit, et quasi aliquis interrogasset eos: unde scitis hunc regem natum esse, responderunt: vidimus stellam ejus in oriente et venimus adorare eum, hoc est: nos existentes in oriente vidimus stellam ejus nativitatis ostensivam. Vi-

---

1) Ed. Rec. legunt elevabantur.

dimus, inquam, super Judaeam positam. Vel nos exsistentes in nostra regione vidimus stellam ejus in oriente, id est, in orientali parte. His verbis, sicut dicit Remigius in originali, verum hominem et verum regem et verum Deum confessi sunt. Verum hominem, cum dixerunt: ubi est, qui natus est? Verum regem, cum ajunt: rex Judaeorum. Verum Deum, cum subjungunt: venimus adorare eum. Praeceptum enim fuit, ut nullus nisi solus Deus adoraretur. Sed Herodes hoc audiens turbatus est et omnis Jherosolima cum illo. Triplici de causa rex turbatus est et omnis Jherosolima cum illo. Primo ne Judaei regem natum tanquam suum reciperent et se tanquam alienigenam expellerent. Unde Chrysostomus: sicut ramum arboris in excelso positum levis etiam aura movet, sic et sublimes homines in culmine dignitatum exsistentes levis etiam fama conturbat. Secundo ne a Romanis culpari posset, si aliquis ibi rex vocaretur, quem Augustus non constituisset. Sic enim ordinaverant Romani, ut nullus Deus vel rex sine sui licentia et imperio diceretur. Tertio, quoniam, sicut dicit Gregorius, coeli rege nato rex terrae turbatus est, quia nimirum altitudo terrena confunditur, dum celsitudo coelestis aperitur. Omnis autem Jherosolima cum illo turbata est triplici de causa. Primo quia impii gaudere nequeunt de adventu justi, secundo, ut regi turbato adularentur, per hoc quod se similiter turbatos ostenderent, tertio, quia sicut sese ventis concutientibus unda concutitur, sic et regibus ad invicem certantibus populus conturbatur, et ideo ex hoc timuerunt, ne scilicet praesenti et venturo rege ad invicem certantibus ipsi perturbationibus involverentur. Haec ratio est Chrysostomi. Tunc Herodes omnes sacerdotes et scribas convocans sciscitabatur ab iis, ubi Christus nasceretur. Cum autem ab iis didicisset, quod in Betlehem Judae, vocatis ad se clam magis diligenter ab iis didicit tempus stellae, ut videlicet sciret, quid faceret, si ad se magi non redirent. Dixitque iis, invento puero ei renuntiarent, simulans se velle adorare, quem volebat occidere. Et nota, quod cum magi Jherosolimam ingressi fuissent, stellae ducatum amiserunt: et hoc propter tres rationes. Prima, ut de loco nativitatis Christi quaerere cogerentur, ut sic de ipsius ortu certificarentur, tam propter stellae apparitionem quam per prophetiae assertionem, sicut et factum est. Secunda, quoniam auxilium quaerentes humanum juste perdere meruerunt divinum. Tertia, quoniam signa infidelibus data sunt secundum apostolum, sed prophetia fidelibus, et ideo signum datum

istis, dum adhuc essent infideles, non debuit apparere, dum adhuc essent inter Judaeos fideles. Haec triplex ratio tangitur in Glossa. Cum autem Jherusalem egressi fuissent, stella antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. De hac stella, cujusmodi fuerit, tres sunt opiniones, quas ponit Remigius in originali. Quidam dicunt fuisse spiritum sanctum, scilicet, ut ille, qui postmodum descendit super dominum baptizatum in specie columbae, apparuerit etiam magis in specie stellae. Alii, ut Chrysostomus, dicunt, quod fuerit angelus ut ipse, qui apparuit pastoribus, apparuit etiam et magis. Sed ipsis pastoribus Judaeis tamquam ratione utentibus apparuit in forma rationali, gentilibus vero, tamquam irrationabilibus in specie irrationali. Alii, quod verius creditur, quod fuerit stella de novo creata, quae pacto suo ministerio rediit in praejacentem materiam. Ista autem stella, secundum quod dicit Fulgentius, differebat ab aliis in tribus, scilicet in situ, quia non erat localiter sita in firmamento, sed pendebat in meditullio aëris proximo terrae; in fulgore, quia caeteris erat splendidior, quod inde patet, quia splendorem ejus non poterat splendor solis obfuscare, immo in meridie lucidissima apparebat: in motu, quia praecedebat magos more viatoris, non enim movebatur motu circulari, sed quasi motu animali et processivo. Aliae tres differentiae tanguntur in Glossa Matthaei II, quae incipit sic: haec stella dominicae nativitatis etc. Prima in origine, quia aliae in mundi principio sunt factae, haec modo; secunda in officio, quia aliae factae sunt, ut sint in signa et tempora, ut dicitur Genesis I., haec autem ut magis viam praeberet; tertia in duratione, quia aliae sunt perpetuae, haec completo officio suo rediit in materiam praejacentem. Cum autem stellam vidissent, gavisi sunt gaudio magno valde. Notandum, quod quintuplex est stella, quam isti magi viderunt, scilicet stella materialis, stella spiritualis, stella intellectualis, stella rationalis et stella supersubstantialis. Primam, scilicet materialem viderunt in orienti, secundam scilicet spiritualem, quae est fides, viderunt in corde. Nisi enim haec stella, scilicet fides, in eorum corde radiasset, nequaquam ad visionem primae stellae venissent. Habuerunt enim fidem de ejus humanitate, cum dixerunt: ubi est qui natus est? et de ejus regali dignitate, cum dixerunt: rex Judaeorum; et de ejus deitate, cum dixerunt: venimus adorare eum. Tertiam scilicet intellectualem, quae est angelus, viderunt in somno, quando per angelum sunt moniti, ne redirent ad Herodem. Sed secundum quan-

dam Glossam non angelus, sed ipse dominus eos admonuit. Quartam, scilicet rationalem, quae fuit beata virgo, viderunt in deversorio. Quintam scilicet supersubstantialem, quae fuit Christus, viderunt in praesepio, et de hac duplici dicitur: intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus etc. Quaelibet autem istarum dicitur stella. De prima Psalmus: lunam et stellas, quae tu fundasti. De secunda Ecclesiastic. XLIII: species coeli, id est coelestis hominis; gloria stellarum, id est, virtutum. De tertia Baruch III: stellae autem dederunt lumen in custodiis suis vocatae sunt etc. De quarta: Ave maris stella. De quinta Apocal. ultim.: ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Propter visionem primae et secundae stellae magi gavisi sunt, propter visionem tertiae stellae gavisi sunt gaudio, propter visionem quartae stellae gavisi sunt gaudio magno, propter visionem quintae gavisi sunt gaudio magno valde, vel sicut dicit Glossa: ille gaudet gaudio magno, qui de Deo gaudet, qui est verum gaudium, et addit: magno, quia eo nihil est majus, et: valde, quia de magno potest alius plus alius minus gaudere. Vel per horum verborum exaggregationem voluit ostendere evangelista, quod homines plus gaudent de rebus perditis et iterum inventis, quam de semper possessis. Cumque domunculam intrassent et puerum cum matre invenissent, flexis genibus singuli haec munera obtulerunt, aurum, thus et myrrham. Hic exclamans Augustus dicit: o infantia, cui astra subduntur, cujus est ille magnitudinis et supernae gloriae, ad cujus pannos et angeli excubant et sidera obsecundant et reges trepidant et sectatores sapientiae geniculant. O beàtum tugurium, o sedes Dei secunda post coelum, ubi non lucerna lucet, sed stella, o coeleste palatium, in quo habitat non rex gemmatus, sed Deus incorporatus, cui erant pro mollibus toris dura praesepia, pro laquearibus aureis fuliginea culmis tecta, sed sideris obsequio decorata. Stupeo, cum video pannos, et intueor coelos, aestuo, cum aspicio in praesepio mendicum et super astra praeclarum. Item Bernardus: quid facitis magi, quid facitis, lactantem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis, ergone Deus est iste? Quid facitis, quod aurum offertis? Ergo rex est iste. Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiae regalis frequentia? Numquid aula est stabulum, thronus praesepium, curiae frequentia Joseph et Maria? Isti insipientes facti sunt, ut fierent sapientes. De hoc etiam sic dicit Hylarius in libro secundo de trinitate: parit virgo, sed partus a Deo

est. Infans vagit, laudantes angeli audiuntur, panni sordent, Deus adoratur. Itaque potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas praedicatur. Ecce quomodo in Christo puero non tantum fuerunt humilia et infirma, sed etiam divinitatis sublimia et excelsa. De hoc iterum dicit Hieronymus super epistolam ad Hebraeos: respice cunas Christi, vide pariter et coelum; vagientem in praesepe intueris infantem, sed angelos simul ausculta laudantes. Herodes persequitur, sed adorant magi, quem ignorant Pharisaei, sed stella demonstrat, baptisatur a servo, sed vox Dei desuper tonantis auditur, aquis immergitur, sed columba descendit, immo spiritus sanctus in columba. Quare autem magi hujusmodi munera obtulerunt, multiplex est ratio. Prima, quoniam traditio antiquorum fuit, ut dicit Remigius, ut nullus ad Deum vel ad regem vacuus introiret. Persae autem et Chaldaei talia munera consueverant offerre. Isti enim, ut dicitur in hystoria scholastica, venerunt a finibus Persarum et Chaldaeorum, ubi est flumen Saba, a quo et Sabaea dicitur regio. Secunda quae est Bernardi, quoniam beatae virgini aurum obtulerunt propter inopiae sublevationem, thus propter stabuli foetorem, myrrham propter membrorum pueri consolidationem et malorum vermium expulsionem. Tertia, quoniam aurum ad tributum, thus ad sacrificium, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Per haec tria ergo in Christo intimatur regia potestas, divina majestas et humana mortalitas. Quarta, quoniam aurum significat dilectionem, thus orationem, myrrha carnis mortificationem. Et haec tria debemus Christo offerre. Quinta, quoniam per haec tria significantur tria, quae erant in Christo, scilicet divinitas pretiosissima, anima devotissima et caro integra et incorrupta. Haec tria significabantur per illa tria, quae erant in archa. Nam virga, quae floruit, caro Christi, quae resurrexit, Psalm.: et refloruit caro mea etc., tabulae, ubi erant scripta praecepta, anima, in qua sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae Dei absconditi, manna deitas, quae habet omnem saporem et omnem suavitatem. Per aurum ergo, quod est pretiosius omnibus metallis, intelligitur divinitas pretiosissima, per thus anima devotissima, quia thus significat devotionem et orationem. Psalm.: dirigatur oratio mea etc. Per myrrham, quae conservat a corruptione, caro incorrupta. Admoniti autem magi in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Ecce quomodo magi profecerunt, nam stella duce venerunt, per homines, immo per prophetas edocti sunt, angelo duce

redierunt et in Christo quieverunt. Horum autum corpora Mediolani et in ecclesia, quae nunc est [1]) fratrum praedicatorum, quiescebant, sed nunc Coloniae requiescunt. [2]) Nam eorum corpora primo per Helenam, Constantini matrem, rapta et in Constantinopolim translata, postea per sanctum Eustorgium episcopum Mediolanum translata, sed per Henricum imperatorem, postquam Mediolanum possedit, in Coloniam super Rhenum fluvium sunt delata, ubi in magna reverentia et populi devotione coruscant.

CAP. XV.

De sancto Paulo eremita.

Paulus primus eremita, ut testatur Hieronymus, qui ejus vitam conscripsit, fervente Decii persecutione eremum vastissimum adiit ibique in quadam spelunca LX annis hominibus incognitus permansit. Iste autem Decius dicitur fuisse Gallienus, qui fuit binomius, qui coepit anno domini CCLVI. Videns enim sanctus Paulus Christianis tot tormentorum genera irrogari in eremum aufugit. Eo siquidem tempore duo juvenes christiani comprehenduntur, quorum unus toto corpore melle perungitur et sub ardore solis aculeis muscarum et strabonum et vesparum lacerandus exponitur. Alter vero mollissimo lecto imponitur et in loco amoenissimo collocatur, ubi aëris erat temperies, rivorum sonitus, cantus avium et florum olfactus; funibus tamen floreis coloribus obtectis sic juvenis cingitur, ut manibus vel pedibus se juvare non posset. Adest quaedam juvencula corpore pulcherrima et impudica ac impudice tractat juvenem Dei amore repletum. Cum autem ille in carne motus contrarios rationi sensisset, non habens arma, quibus ab hoste se eruat, linguam propriam dentibus suis incidit et in faciem impudicae exspuit et sic tentationem dolor fugavit et trophaeum laude dignum promeruit. Horum et aliorum poenis sanctus Paulus territus eremum petiit. Eo tempore cum Antonius primum se inter monachos

1) Ed. Rec. legit: quae nunc est fratrum ordinis nostri, scilicet fratrum praedicatorum. 2) Haec tota periodus deest in Ed. Princ., quae hoc cap. vocabulo: requiescunt claudit.

eremicolam cogitaret, in somnis alium se multo meliorem eremum colere edocetur. Qui dum eum per silvas inquireret, obvium habuit hippocentaurum, hominem equo mixtum, qui ei viam dextram demonstravit. Postmodum obvium habuit animal, ferens fructus palmarum, supra ymagine hominis insignitum, deorsum vero caprae formae habens. Qui dum ipsum per Deum conjuraret, ut sibi diceret, quis esset, respondit se esse Satyrum, Deum silvarum secundum errorem gentilium. Postremo obviavit ei lupus, qui eum ad cellam sancti Pauli perduxit. Paulus autem Antonium praesentiens ostium sera clausit. Antonius vero rogat, ut sibi aperiat, asserens, se nunquam inde recessurum, sed ibi potius moriturum. Victus Paulus ei aperuit, statimque ambo in amplexus ruunt. Cumque hora prandii adesset, corvus duplicatam panis partem attulit, cumque de hoc Antonius miraretur, respondit Paulus, quod Deus sibi omni die taliter ministrabat et praebendam propter hospitem duplicaverat. Pia lis oritur, quis magis dignus esset panem dividere. Defert Paulus hospiti et Antonius seniori. Tandem uterque manum apponunt et in aequas partes panem dividunt. Cum autem Antonius rediens jam cellae suae appropinquaret, vidit angelos Pauli animam deferentes, qui velociter rediens invenit corpus Pauli flexis genubus in modum orantis erectum, ita ut ipsum vivere aestimaret. Sed cum ipsum mortuum didicisset, ait: o sancta anima, quod gerebas in vita, in morte monstrasti. Cum autem non haberet, unde sepulturam faceret, ecce duo leones advenerunt et foveam paraverunt sepultoque eo ad silvam redierunt. Antonius autem tunicam Pauli ex palmis contextam assumsit, qua postmodum in solemnitatibus utebatur. Obiit autem circa annos CCLXXXVII.

CAP. XVI.
De sancto Remigio.

Remigius dicitur a remi, quod est pascens, et geos, quod est terra, quasi pascens terrenos doctrina. Vel Remigius dicitur a remi, quod est pastor, et gyon, quod est luctatio, quasi pastor et luctator. Pavit enim gregem suum verbo praedicationis, exemplo conversationis, suffragio orationis. Est etiam triplex genus armorum, scilicet defen-

sionis ut scutum, pugnationis ut gladius, munitionis ut lorica sive galea. Luctatus est igitur contra dyabolum scuto fidei, gladio verbi Dei et galea spei. Ejus vitam [1]) Hincmarus Remensis archiepiscopus scripsit.

Remigius doctor egregius et confessor domini gloriosus a quodam eremita nasci taliter est praevisus. Cum enim Vandalorum persecutio totam Franciam devastasset, quidam reclusus vir sanctus, qui lucem oculorum amiserat, pro pace ecclesiae Gallicanae crebris orationibus dominum exorabat. Et ecce angelus domini in visu ei adstitit eique dixit: scito quod mulier illa nomine Cilina filium nomine Remigium generabit, qui gentem suam a malorum incursibus liberabit. Cumque evigilasset, statim ad domum Cilinae venit et, quod viderat, enarravit. Cumque illa non crederet, eo quod anus jam esset, ille respondit: scias quod cum puerum ablactaveris, oculos meos de lacte tuo perunges et continuo mihi visum restitues. Cumque per ordinem haec omnia contigissent, Remigius mundum fugit et reclusorium intravit. Crescente autem ejus fama, cum esset viginti duorum annorum, ab omni populo Remensis archiepiscopus est electus. Tantae autem mansuetudinis fuit, quod etiam ad mensam ejus passeres veniebant et de manu ejus reliquias ciborum comedebant. Quodam tempore cum in domo cujusdam matronae hospitatus fuisset et illa modicum vini haberet, Remigius cellarium introivit et super dolium crucem fecit; cumque ibidem orasset, mox desuper vinum egreditur, ita quod per medium cellarium fundebatur. Cum autem Clodoveus rex Franciae tunc temporis gentilis esset nec ab uxore sua christianissima converti posset, videns, quod infinitus exercitus Alemannorum super se venisset, domino Deo, quem uxor sua colebat, votum vovit, quod, si de Alemannis sibi victoriam concederet, mox fidem Christi reciperet. Quod cum fuisset ad libitum consecutus, beatum Remigium adiit et se baptizari poposcit. Cumque ad fontem baptismatis advenisset nec ibidem sacrum chrisma haberet, ecce columba quaedam ampullam cum chrismate in rostro detulit, de quo regem pontifex linivit. Haec autem ampulla in Remensi ecclesia conservatur et inde usque hodie reges Franciae inunguntur. Post longum tempus cum Genebaldus vir providus et dignus neptem beati Remigii in uxorem haberet et se religionis causa mutuo absolvissent, praedictum Genebaldum

---

1) Vulgo male ignarus legitur, restitui: Hincmarus.

beatus Remigius Landunensem episcopum ordinavit. At Genebaldus cum uxorem suam causa instruendi ad se saepius venire permitteret, ex frequenti colloquio animus ejus in concupiscentiam inflammatur et usque in peccatum secum prolabitur; quae concipiens et filium pariens hoc episcopo intimavit et ille confusus ad eam remandavit dicens: quoniam puer de latrocinio acquisitus est, volo ut Latro vocetur. Ne autem suspicio aliqua oriretur, uxorem suam sicut prius ad se venire permisit, verumtamen post primi peccati fletum secum ruit iterum in peccatum. Quae cum filiam peperisset et hoc episcopo retulisset, ille respondit: illam filiam Vulpeculam nominate. Tandem ad se reversus beatum Remigium adiit et ad pedes suos procidens stolam de collo suo deponere voluit. Quod cum sanctus Remigius prohibuisset et ab eo, quid acciderit, audivisset, blande eum consolans ipsum in quadam cellula parva per septem annos reclusit et ipse interim ejus ecclesiam gubernavit. Septimo igitur anno cum in coena domini in oratione persisteret, angelus domini eidem adstitit et peccatum suum sibi dimissum perhibuit ac, ut foris abire debeat, imperavit. Cui cum respondisset: non possum, quoniam dominus meus Remigius ostium hoc clausit et sigillo suo munivit, angelus ait: ecce ut scias tibi coelum apertum esse, hoc etiam hospitium salvo sigillo nunc aperietur. Statimque ut dixerat est apertum. Tunc Genebaldus jactans se in medio ostii in modum crucis ait: etiamsi dominus meus Jesus Christus ad me veniret huc, hinc non egrediar, nisi dominus meus Remigius huc veniat, qui me reclusit. Tunc sanctus Remigius ad admonitionem angeli Laudunum venit et ipsum in locum suum restituit, qui usque ad obitum in sanctis operibus perseveravit et Latro filius ejus in episcopatu eidem successit, qui etiam sanctus fuit. Tandem sanctus Remigius multis clarus virtutibus in pace quievit circa annum domini D. Eodem die celebratur natalis sancti Hilarii Pictavorum urbis episcopi [1]).

---

1) Verba: Eodem — episcopi desunt in Ed. Pr.

CAP. XVII.
De sancto Hilario.

Hilarius dictus est quasi hilaris, quia in servitute Dei valde hilaris fuit, vel dicitur Hilarius quasi alarius, ab [1]) altus et ares virtus, quia fuit altus in scientia et virtuosus in vita. Vel Hilarius dicitur quasi ab hyle, quod est quasi primordialis materia, quae obscura fuit, et ipse in dictis suis magnam habet obscuritatem et profunditatem.

Hilarius Pictavorum urbis episcopus regionis Aquitaniae oriundus, quasi lucifer refulgens inter astra processit. Hic uxorem primitus habens et filiam in laicali habitu monasticam vitam ducebat, tandem in vita et scientia proficiens in episcopum est electus. Cum igitur beatus Hilarius non solum civitatem suam, sed totam Franciam ab haereticis defensaret, ad suggestionem duorum episcoporum, qui ab haeresi fuerant depravati, ab imperatore, qui haereticorum fautor erat, cum beato Eusebio Vercellensi episcopo est in exsilium relegatus. Denique cum ubique Ariana haeresis pullularet et ab imperatore licentia data esset, ut omnes episcopi convenirent et de veritate fidei dispùtarent, cum sanctus Hilarius advenisset, ad petitionem dictorum episcoporum, qui ejus eloquentiam ferre non poterant, Pictaviam redire compellitur. Cum autem ad insulam Gallinariam, quae tota erat plena serpentibus, appropinquasset et in ipsam descendisset, omnes serpentes ex sua visione fugabat et in medio insulae palum fixit nec amplius libertas data est illis occupare, quod vetuit, tanquam pars insulae non sit terra sed pelagus. Cum ergo Pictavis esset, quemdam infantem sine baptismo defunctum suis orationibus ad vitam restituit. Nam diu jacuit in pulvere, donec pariter surgerent, senex de oratione et infans de morte. Cum filia ejus Apia maritum vellet accipere, Hilarius pater ejus ei praedicavit et in sacrae virginitatis proposito confirmavit. Quam dum ille firmam considerans et ne aliquando flecteretur, formidans dominum instantius exoravit, ut eam ad se reciperet nec ultra vivere permitteret: quod et factum est, nam post paucos dies ad dominum migravit; quam ipse propriis manibus sepelivit, quod mater

---

1) Male Ed. rec. legunt bis alius loco vocis altus.

beatae Apiae considerans episcopum rogavit, ut sibi, quod et filiae, impetraret. Quod et fecit et ipsam oratione sua ad regnum praemisit. Eo tempore Leo papa haereticorum perfidia depravatus omnium episcoporum consilium convocavit, quibus convocatis Hilarius non vocatus advenit. Quod audiens papa praecepit, ne aliquis sibi assurgeret nec aliquem locum daret. Cum ergo ingressus fuisset, dixit ad eum papa: tu es Hilarius Gallus? Et ille: non sum Gallus, sed de Gallia [1]) id est, non sum in Gallia natus sed de Gallia episcopus. Cui papa: et si tu es Hilarius de Gallia et ego sum Leo, romanae sedis apostolicus et judex. Cui Hilarius: et si sis Leo, non de tribu Juda, et si judicans resides, sed non in sede majestatis. Tunc papa cum indignatione surrexit dicens: modicum praestolare, donec redeam, et tibi, quid mereris, reddam. Cui Hilarius: si non redieris, quis mihi pro te responsurus erit? Et ille: concitus redibo et tuam superbiam humiliabo. Cum ergo ad secreta suae naturae ivisset, dissenteria periit et omnia intestina ibidem projiciens miserabiliter vitam finivit. Intera videns Hilarius, quod nullus sibi assurgeret, patienter ferens in terram se posuit dicens: domini est terra. Statimque nutu Dei terra, quam [2]) insederat, sursum se extulit et usque ad aequalitatem aliorum episcoporum se levavit. Cum igitur papa miserabiliter nuntiaretur defunctus, assurgens Hilarius omnes episcopos in fide catholica confirmavit et confirmatos ad propria remisit. Hoc autem miraculum de morte Leonis papae dubitationem habet, tum quia hystoria ecclesiastica vel tripartita nihil de hoc loquitur, tum quia aliquem papam talis nominis tunc fuisse chronica non testatur, tum quia Hieronymus dicit: sancta romana ecclesia semper immaculata permansit et in futuro manebit sine ulla haereticorum insultatione. Posset tamen dici, quod tunc esset aliquis papa sic vocatus, non quidem canonice electus, sed tyrannice intrusus; vel forte Liberius papa, qui Constantino haeretico favebat, alio nomine dictus est Leo. Tandem multis miraculis perpetratis cum beatus Hilarius infirmatus obitum sum imminere cognosceret, Leontium presbyterum, quem maxime diligebat, ad se vocavit et nocte imminente, ut foras exeat, admonuit, et si quid audiret, renuntiet, imperavit. Ille jussa complens voces adhuc civitatis tumultuantis se

---

1) Verba id — Gallia desunt in Ed. Pr. 2) Rec. male intenderat legunt.

audiisse revertens exposuit et cum circa eum vigilaret finem ejus exspectans, media nocte iterum jubetur exire et quid audiret, [1]) jacenti referret. Qui cum se nihil audiisse renuntiasset, mox nimia claritas, quam etiam praedictus presbiter sufferre non poterat, ad eum intravit et sic paulatim recedente lumine ad dominum migravit. Floruit autem circa annos domini CCCXL sub Constantino. [2]) Festum hujus sancti est in octava Epiphaniae. Cum duo mercatores massam cerae communiter haberent et unus altero renitente eam ad altare sancti Hilarii obtulisset, statim per medium divisa pars una sibi remansit, reliqua renitenti devenit.

CAP. XVIII.

De sancto Macario.

Macarius dicitur a macha, quod est ingenium, et ares virtus. Vel dicitur a macha, quod est percussio, et rio magister: fuit enim ingeniosus contra daemonis fallaciam, virtuosus quantum ad vitam, percussor in domatione corporis, magister in regimine praelationis. Vel Macarius, id est, beatus.

Macarius abbas descendit [3]) per vastitatem deserti et intravit dormire in monumentum, ubi sepulta erant corpora paganorum et extraxit unum corpus sub caput suum tamquam [4]) pulvinarium. Daemones autem volentes eum terrere vocabant quasi unam mulierem dicentes: surge et veni nobiscum ad balneum, et alter daemon sub ipso tanquam ex mortuo illo dicebat: peregrinum quemdam habeo super me, non possum venire. Ille autem non expavit, sed [5]) respondebat corpori illi dicens: surge et vade, si potes. Et audientes daemones fugerunt voce magna clamantes: vicisti nos domine! Dum aliquando abbas Macharius in palude ad cellam suam praeteriret, occurrit ei dyabolus cum falce messoria et volens eum cum falce percutere non potuit. Et dixit ei: multam violentiam patior a te Macari, quia non possum praevalere

---

1) Ed. Pr. offert latenti. 2) Verba: Festum — devenit desunt in Ed. Pr. 3) Ed. Princ. legit de siti loco verborum: per vastitatem deserti. Verisimiliter enim librarius textum de Syrti ita corrupit. 4) Rec. plumacium legunt. 5) Recent. male tundebat corpus illud praeferunt.

adversum te. Ecce enim quidquid tu facis et ego facio, jejunas tu et ego penitus non comedo, vigilas tu et ego modo non dormio. Unum est solummodo, in quo me superas. Et dixit abbas: quid est illud? Cui ille: humilitas tua, per quam non praevaleo adversum te. Dum tentationes ipsum [1]) juvenem molestarent, surgens et magnum saccum arenae humeris suis imponens diebus multis sic per desertum ibat. Quem Theosebius inveniens dixit: abba, cur tantum onus portas? Et ille: vexo vexantem me. Abbas Macarius vidit Satanem transeuntem in habitu hominis et habentem vestimentum lineum laceratum et per omnia foramina dependebant ampullae, et dixit ei: quo vadis? Et ille: vado potionare fratres. Cui Macarius: quare tot ampullas portas? Respondit: gustum fratribus porto, et si unum alicui non placebit, offeram aliud vel tertium, et sic per ordinem, ut aliquid placeat. Et cum rediret, dixit ei Macarius: quid fecisti? Respondit: omnes sanctificati sunt et nemo mihi acquievit, nisi unus, qui vocatur Theotistus. Surgens autem Macarius illuc ivit et fratrem tentatum inveniens sua eum exhortatione convertit. Post haec iterum eum Macarius inveniens dixit: quo vadis? Cui ille: ad fratres vado. Revertenti occurrit senex et dixit: quid faciunt fratres illi? cui dyabolus: male. Et dixit: quare? Quia omnes sancti sunt et, quod est majus malum, unum, quem habebam, amisi et omnibus sanctior factus est. Audiens hoc senex gratias egit Deo. Quodam die sanctus Macarius caput defuncti reperit et, dum orasset, interrogavit illud, cujus caput fuerit. Et respondit, se fuisse paganum. Et dixit ei Macarius: ubi est anima tua? Respondit: in inferno. Cumque requireret, si multum in profundo esset, respondit, quod tantum in profundo esset, quantum distaret terra a coelo. Cui Macarius: suntne aliqui te profundiores? respondit: etiam, Judaei. Cui iterum ille: et ultra Judaeos suntne aliqui profundiores? Cui ille: profundiores omnibus sunt falsi christiani, qui Christi sanguine redemti tantum pretium parvi pendunt. Dum per quandam solitudinem profundissimam pergeret, ad milliare arundinem figebat, ut postmodum redire sciret. Sed dum jam novem diaetas fecisset et in quodam loco quiesceret, dyabolus omnes arundines collegit et ad caput ejus posuit, unde ad redeundum plurimum laborabat. Frater quidam plurimum cogitationibus suis molestabatur, quod scilicet in cella

1) Recent. nimium offerunt.

sua inutiliter esset, sed si inter homines habitaret, multis prodesse posset. Qui cum cogitationes suas Macario retulisset, ille ait: fili, sic illis responde, hoc saltem facio, quia propter Christum parietes istius cellae custodio. Dum quendam pulicem se pungentem manu occidisset et multum de illo sanguinis emanasset, reprehendens se, quod propriam vindicasset injuriam, nudus sex mensibus in deserto mansit et inde a scabronibus totus laceratus exivit. Post hoc multis clarus virtutibus in pace quievit.

CAP. XIX.
De sancto Felice.

Felix praenomine in pincis dicitur, vel a loco, in quo requiescit, vel a subulis, cum quibus passus perhibetur, nam pinca subula dicitur. Ajunt enim, quod, cum magister puerorum exstiterit et iis nimium rigidus fuerit, tentus a paganis, cum Christum libere confiteretur, traditus fuit in manibus puerorum, quos ipse docuerat, qui eum cum stilis et subulis occiderunt. Ecclesia tamen tenere videtur, quod ñon martir exstitit, sed confessor. Hic ad quodcunque ydolum ducebatur, ut ei sacrificaret, in illud exsufflabat, et continuo corruebat. Legitur autem in quadam legenda alia, quod dum Maximus, Nolanus episcopus, persecutionem fugiens fame et gelu afflictus solo corruisset, Felix ab angelo ad eum mittitur, et cum nihil ibi cibi haberet, de sente proxima pendentem vidit racemum, de quo in os ejus expressit vinum humerisque impositum secum detulit. Ipso igitur defuncto Felix in episcopum eligitur. Qui post dum praedicaret et persecutor eum quaereret, inter parietes dirutos per modicum aditum se occultavit statimque nutu Dei per aditum illum telas araneae texerunt. Quas dum persecutores conspiciunt, neminem illic esse putantes abscedunt. Inde autem ad alium locum sanctus Felix pergens a quadam vidua per tres menses alimenta suscepit, nunquam tamen ejus faciem vidit. Tandem pace reddita ad ecclesiam suam rediit et ibi in pace requievit. Sepultus juxta urbem in loco, qui dicitur Pincis. Huic et alius erat frater, qui Felix similiter dicebatur. Cumque etiam ipse ydola adorare cogeretur, dixit: inimici estis Deorum vestrorum, quia si me ad illos

duxeritis, in eos sicut frater meus exsufflabo et corruent. Excolebat autem sanctus Felix hortum, quidam vero olera ejus rapere cupientes, dum furtum se facere cogitabant, tota nocte hortum diligentius excolebant, mane autem a sancto Felice salutati peccatum suum confitentes ad propria redierunt. Venientes autem gentiles, ut sanctum Felicem tenerent, manus eorum dolor nimius apprehendit. Qui cum ulularent, dixit iis: dicite, Christus est Deus, et dolor continuo vos dimittet. Quibus dicentibus sanati sunt. Pontifex ydolorum ad eum venit dicens: domine, ecce Deus meus, ut te venientem vidit, continuo fugam arripuit. Cui dum dicerem: quare fugis? Ait: virtutem hujus Felicis ferre non possum. Si ergo Deus meus ita te timet, quanto magis ego timere te debeo. Quem cum Felix in fide instruxisset, baptizari se fecit. Adorantibus Apollinem dixit Felix: si vere est Deus Apollo, dicat mihi, quid est quod in manu nunc clausum teneo? Habebat autem in manu schedulam, in qua oratio dominica erat scripta. Quo nihil respondente gentiles conversi sunt. Tandem missa celebrata et populo data pace in pavimentum in oratione se projiciens migravit ad dominum.

CAP. XX.

De sancto Marcello.

Marcellus dictus est quasi arcens malum a se, vel dicitur Marcellus quasi maria percellens i. e. mundanas adversitates percutiens et conculcans. Assimilatur enim mundus mari, quia, sicut dicit Chrysostomus super Matthaeum: in mari est sonus confusus, timor continuus, ymago mortis, undarum contentio infatigabilis, inconstantia jugis.

Marcellus cum Romae summus pontifex esset et Maximianum imperatorem de nimia in Christianos saevitia increparet et in quadam domo cujusdam matronae in ecclesia consecrata missam ageret, iratus imperator domum illam fecit stabulum jumentorum et eundem Marcellum ibidem ad servitium cum custodia animalium deputavit, in quo servitio post multos annos in domino requievit circa annos domini CCLXXXVII.

CAP. XXI.
De sancto Antonio.

Antonius dicitur ab ana, quod est sursum, et tenens, quasi superna tenens et mundana despiciens. Despexit autem mundum, quia immundus, inquietus, transitorius, deceptivus, amarus. De his dicit Augustinus: o munde immunde, quid perstrepis? Quid avertere conaris? Nos tenere vis fugiens? Quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, qui amarus dulcia alimenta mentiris? Ejus vitam Anastasius scripsit.

1. Antonius cum XX esset annorum et audiret legi in ecclesia: si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes et da pauperibus, omnia sua vendens pauperibus erogavit et eremiticam vitam duxit. Vir innumerabilia daemonum tentamenta sustinuit. Quadam vice dum spiritum fornicationis virtute fidei superasset, dyabolus in specie pueri nigri ante eum prostratus apparuit et se ab eo victum confessus est. Nam et hoc precibus impetravit, ut videret fornicationis daemonem juvenibus insidiantem: quem cum in praedicta forma vidisset, dixit: vilissima mihi apparuisti specie, te ultra non timebo. Alia vice dum in quodam tumulo latitaret, multitudo daemonum eum adeo laceravit, quod minister ejus quasi mortuum eum propriis humeris asportaret, cumque eum omnes, qui convenerant, quasi mortuum plorassent, dolentibus cunctis subito Antonius reviviscit et a ministro ad praedictum tumulum se iterum portari fecit. Qui cum ibi ex dolore vulnerum prostratus jaceret, ex virtute animi ad conflictum daemones excitabat. Tunc illi in formis variis ferarum apparuerunt et eum iterum dentibus, cornibus et unguibus crudelissime laceraverunt. Tunc subito splendor mirabilis ibi apparuit et daemones cunctos fugavit, Antonius autem continuo sanatus est. Ibique Christum adesse intelligens ait: ubi eras, bone Jesu? ubi eras? quare non a principio fuisti hic, ut me adjuvares et vulnera mea sanares. Cui dominus: Antoni, hic eram, sed exspectabam videre certamen tuum: nunc autem, quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam nominari. Tanti autem fervoris erat, quod, cum Maximianus imperator christianos occideret, ipse martires sequebatur, ut cum iis martir fieri mereretur, et vehementer tristabatur, eo quod sibi mar-

tirium non daretur. — 2. Cum autem in alteram eremum pergeret, argenteum discum reperit et intra se sic dicere coepit: unde hic argenteus discus, ubi hominum vestigia nulla videntur? Si enim viatori cecidisset, utique prae sui magnitudine latere non posset. Hoc, dyabole, artificium tuum est, voluntatem tamen meam nunquam poteris immutare, et hoc dicens, discus ut fumus evanuit. Postmodum ingentem massam veri auri reperit, sed ut incendium aurum fugit, sicque ad montem fugiens XX annis ibi permansit innumeris coruscans miraculis. Quadam vice dum in spiritu raptus esset, totum mundum laqueis se invicem connectentibus plenum vidit. Qui exclamans ait: o quis istos evadet? et audivit: humilitas. Aliquando dum ab angelis in aëre elevaretur, adsunt daemones et ejus transitum prohibent, peccata ejus ab exordio nativitatis ejus objicientes. Quibus angeli: non debetis illa narrare, quae Christi pietate jam sunt deleta. Si qua autem scitis, ex quo factus est monachus, illa proferte. Et cum in probatione deficerent, liber Antonius in sublime tollitur et liber deponitur. — — — 3. Narrat Antonius de se dicens: vidi aliquando dyabolum celsum corpore, qui se Dei virtutem et providentiam ausus est dicere et ait: quid vis, ut a me tibi detur, Antoni? At ego sputa in os ejus congeminans totum me in eum Christi nomine armatus ingessi et statim evanuit. Huic dyabolus aliquando in tanta proceritate apparuit, quod coelum capite tangere videretur. Quem cum Antonius, quis esset, interrogasset et ipse se satanam esse dixisset, addidit satanas: cur me sic impugnant monachi et maledicunt christiani? Cui Antonius: juste hoc faciunt, quia tuis saepe insidiis molestantur. Et ille: ego eos nequaquam molesto, sed ipsi invicem se conturbant, ego enim ad nihilum sum redactus, quia jam in cunctis partibus regnat Christus. Quidam sagittarius beatum Antonium gaudentem cum fratribus quadam vice conspexit et ei displicuit, cui Antonius: pone sagittam in arcu et trahe. Quod et fecit, cumque hoc secundo et tertio fieri mandasset, dixit sagittarius: tantum trahere potero, quod de ejus fractione dolebo. Cui Antonius: sic est in opere Dei, quoniam si supra mensuram tendere vellemus, citius frangeremur: expedit ergo rigorem aliquando relaxari. Hoc audiens ille aedificatus recessit. — — — 4. Interrogavit quidam Antonium dicens: quid custodiens placebo Deo? Et respondens dixit: quocunque vadis, semper Deum pro oculis tuis habeas, in his, quae agis, testimonium sacrae scripturae adhibeas, in quocun-

que loco sederis, non inde cito recedas. Haec tria custodi et salvus eris. Abbas quidam interrogavit Antonium dicens: quid faciam? Cui Antonius: non confidas in tua justitia, ventris et linguae sit tibi continentia et ne poeniteаris de re transacta. Dixit iterum Antonius: sicut pisces, si in sicco tardaverint, moriuntur, ita et monachi extra cellam tardantes aut cum viris saecularibus immorantes a quietis proposito resolvuntur. Iterum dixit Antonius: qui sedet in solitudine et quiescit, a tribus bellis eripitur, scilicet auditus, locutionis et visus et contra unum tantummodo pugnam habebit, scilicet cordis. — — — 5. Quidam fratres cum quodam sene ad abbatem Antonium visitandum iverunt dixitque Antonius fratribus: bonum comitem habuistis senem hunc. Deinde dixit seni: bonos fratres invenisti tecum, abba? Cui ille: bonos quidem inveni, sed habitatio eorum non habet januam: quicunque enim vult, intrat in stabulum et solvit asinum. Hoc autem dicebat, quoniam omnia, quae erant in corde eorum, statim erant in ore. Dixit abbas Antonius: scire convenit, quoniam sunt tres motus corporales, unus quidem naturae, alius ex ciborum plenitudine, tertius ex daemone. Frater quidam renuntiaverat saeculo, sed non plene, quia quaedam adhuc sibi retinebat. Cui Antonius: vade et eme carnes, qui vadens emit carnes et portans eas dum veniret, lacerabant eum canes. Cui Antonius: qui renuntiant saeculo et volunt habere pecunias, ita impugnati a daemonibus [1] discerpuntur. Antonius dum in eremo taedio afficeretur, dixit: domine, volo salvus fieri et non permittunt me cogitationes meae. Et surgens exivit foras et vidit quemdam sedentem atque operantem et deinde surgentem et orantem. Erat autem angelus domini et dixit ei: sic fac et salvus eris. Cum quadam vice fratres de statu animarum ab Antonio quaesivissent, sequenti nocte vox vocavit eum dicens: surge et exi et vide. Et ecce vidit quemdam longum et terribilem caput usque ad nubes tollentem, qui quosdam pennatos ad coelum volare cupientes extensis manibus prohibebat et alios libere pervolantes retinere non poterat; et maximum gaudium mixtum cum nimio dolore audiebat et intellexit animarum illum esse adscensum et dyabolum prohibentem, qui quasdam obnoxias retineret et de sanctorum volatu, quos retinere non poterat, sic doleret. Aliquando dum cum fratribus operaretur Antonius, suspiciens in coelum cum tristem visionem vidisset, provo-

1) Ed. Pr. male describuntur legit.

lutus ante Deum rogavit, ut futurum scelus averteret, fratribus vero super hoc eum interrogantibus cum lacrimis et singultibus dixit, quod inauditum scelus seculis immineret. Vidi, inquit, altare Dei a multitudine [1]) equorum circumdatum, qui calcibus omnia discerpebant: magno enim turbine fides catholica subvertetur et homines jumentis similes Christi sacramenta diripient, factaque est vox domini dicens: abominabuntur altare meum. Post duos autem annos erumpentibus Arianis ecclesiae unitatem sciderunt, baptisterium et ecclesias polluerunt et super altaria christianos ad instar ovium mactaverunt. — — — 6. Dux quidam Aegyptius Arianus nomine Ballachius cum ita ecclesiam Dei infestaret et virgines et monachos nudatos publice verberaret, sic ei scripsit Antonius: video iram Dei super te venientem: jam desine persequi christianos, ne ira Dei te occupet, qui proximum tibi minatur interitum. Infelix legit epistolam, irrisit et in eam [2]) exsecrans ad terram projecit ac portitores verberibus multis afficiens Antonio talia remandavit: quando tibi est tanta cura de monachis, ad te quoque perveniet nostri disciplina rigoris. Post quinque autem dies equum suum mansuetissimum insidens morsu ipsius equi ad terram projicitur et corrosis atque laceratis cruribus intra triduum exspiravit. Cum quidam fratres verbum salutis ab Antonio quaesivissent, ait ille: audiistis dominum dicentem, si quis te percusserit in maxillam, praebe ei alteram. Dicunt ei: hoc implere non possumus. Et ille: saltem de una patienter ferte. Et illi: etiam nec haec possemus. [3]) Quibus Antonius: saltem ne velitis percutere magis, quam percuti. Et illi: nec hoc possemus. Tunc Antonius dixit discipulo suo: succos praepara fratribus istis, quia nimis delicati sunt: sola oratio necessaria est vobis. Haec in vitis patrum leguntur. Tandem beatus Antonius CV anno vitae suae fratres deosculans in pace quievit sub Constantino, qui coepit circa annum domini CCCXL.

---

1) Ed. Princ. legit loco verborum: equorum circumdatum tantummodo: circumdantium. 2) Recent. legunt exspuens. 3) Verba: quibus — possemus omittit Ed. Princ.

CAP. XXII.
De sancto Fabiano.

Fabianus quasi fabricans beatitudinem supernam, id est, eam sibi acquirens triplici jure, scilicet adoptionis, emtionis et debellationis.

Fabianus civis Romanus fuit et cum papa defuncto pro alio eligendo populus convenisset, inter eos et ipse venit rei exitum scire volens. Et ecce columba candida descendit super caput ejus: quod cum omnes mirarentur, ab iis in papam eligitur. Hit, ut ait Damasus papa, per omnes regiones septem dyaconos misit et iisdem septem subdyaconos tradidit, qui omnium gesta martirum collegerunt. Hic, ut ait Haymo, imperatori Philippo volenti interesse Paschae vigiliis et communicare misteriis restitit nec, quousque peccata confiteretur et inter poenitentes staret, interesse permisit. Tandem pontificatus sui anno tredecimo jussu Decii capitis obtruncatione martirio coronatur. Passus est autem circa annum domini CCLIII.

CAP. XXIII.
De sancto Sebastiano.

Sebastianus dictus est a sequens et beatitudo, et astim, quod est civitas, et ana, quod est sursum, quasi sequens beatitudinem civitatis summae et supernae gloriae, hoc est, eam possidens et acquirens: et hoc quintuplici denario secundum Augustinum, paupertate regnum, dolore gaudium, labore requiem, ignominia gloriam, morte vitam. Vel dicitur Sebastianus a basto. Nam miles Christus, equus ecclesia, bastum sive sella Sebastianus, quo mediante Christus in ecclesia militavit et de multis martiribus victoriam obtinuit. Vel Sebastianus interpretatur vallatus vel circumiens: vallatus, quia sagittis tamquam hericius fuit circumdatus, circumiens, quia omnes martires circumibat et omnes confortabat.

1. Sebastianus vir christianissimus, Narbonensis genere, civis

Mediolanensis Dyocletiano et Maximiano imperatoribus adeo carus erat, ut principatum ei primae cohortis traderent et suo adspectui juberent semper adstare. Hic militarem chlamidem ad hoc tantum ferebat, ut christianorum animas, quas in tormentis videbat deficere, confortaret. Dum autem praeclarissimi viri Marcellianus et Marcus gemini fratres pro fide Christi decollari deberent, ad eos parentes adveniunt, ut ipsorum animos a suo proposito revocarent. Advenit ergo mater et soluto capite scissisque vestibus uberibusque ostensis ajebat: o perdulces filii, circumdat me inaudita miseria et intolerabilis luctus. Heu me miseram, amitto filios meos ad mortem ultro tendentes, quos si mihi hostes auferrent, per media sequerer bella raptores, si violenta judicia concluderent carcere, irrumperem moritura. Novum hoc pereundi genus est, in quo carnifex rogatur, ut feriat; vita optatur, ut pereat; mors invitatur, ut veniat. Novus hic luctus, nova miseria, in qua natorum juventus sponte amittitur et parentum miseranda cogitur senectus, ut vivat. Haec dicente matre pater senior manibus adducitur servorum et capite adsperso pulvere hujusmodi voces dabat ad coelum: ad mortem ultro proficiscentibus filiis valedicturus adveni, ut quae meae sepulturae paraveram, filiorum sepulturis infelix expendam. O filii mei, baculus senectutis et geminum meorum viscerum lumen cur sic mortem diligitis? Venite hic, juvenes, flete super juvenes sponte pereuntes. Venite huc senes et mecum super filios meos plangite, accedite huc patres et prohibete, ne talia patiamini. Deficite plorando oculi mei, ne videam filios meos gladio caedi. Haec dicente patre adveniunt conjuges adspectibus eorum proprios filios offerentes atque ejulando clamantes: quibus nos dimittitis, qui erunt horum infantium domini, quis vestras largas dividet possessiones? Heu quam ferrea pectora, quia parentes despicitis, amicos respuitis, uxores abjicitis, filios abdicatis et vos carnificibus spontaneos exhibetis. Inter hoc autem coeperunt virorum corda mollescere. Tunc sanctus Sebastianus, qui ibi aderat, erumpens in medium dixit: o fortissimi milites Christi nolite per misera blandimenta coronam deponere sempiternam. Sed et parentibus dixit: nolite timere, non separabuntur a vobis, sed vadunt in coelum vobis parare sydereas mansiones. Nam ab initio mundi haec vita in se sperantes fefellit, se exspectantes decepit, de se praesumentes irrisit et ita nullum omnino certum reddidit, ut omnibus probetur esse mentita. Vita haec admonet furem ut rapiat, iracundum ut saeviat, mendacem ut

fallat. Ipsa imperat crimina, jubet facinora, suadet injusta, haec autem persecutio, quam hic patimur, hodie excandescit et cras evanescit, hodie exardescit et cras refrigescit, sub una hora inducitur et sub una hora excluditur. Dolor autem aeternus renovatur, ut saeviat, augmentatur, ut exurat, inflammatur ut puniat. In amore ergo martirii nostros jam suscitemus affectus. Ibi enim dyabolus se vincere existimat, qui dum capit, captus est, dum tenet, tentus est, dum vincit, victus est, et dum torquet, torquetur, dum jugulat, occisus est, et dum insultat, irrisus est. Igitur dum beatus Sebastianus haec ex ore proferret, subito per unam fere horam a splendore nimio de coelo descendente illuminatus est et sub illo splendore pallio candidissimo amictus et ab angelis septem clarissimis circumdatus. Juvenis etiam apparuit juxta eum dans ei pacem et dicens: tu semper mecum eris. Cum autem beatus Sebastianus haec et his similia praedicaret, Zoe uxor Nicostrati, in cujus domo sancti custodiebantur, quae loquelam amiserat, pedibus ejus provoluta nutibus veniam postulabat. Tunc Sebastianus ait: si ego Christi servus sum et si vera sunt omnia, quae ex ore meo haec mulier audivit et credidit, aperiat os ejus, qui aperuit os Zachariae prophetae [1]) sui. Ad hanc vocem mulier exclamavit: benedictus sermo oris tui et benedicti qui omnibus, quae locutus es, credunt. Vidi enim angelum librum tenentem ante te, ubi omnia, quae dixisti, scripta erant. Vir autem ejus hoc audiens procidit ad pedes sancti Sebastiani sibi postulans indulgeri statimque absolvens martires rogabat, ut liberi abirent. Qui dixerunt, nullatenus se deserturos victoriam, quam cepissent. Tantam igitur gratiam et virtutem verbis sancti Sebastiani dominus contulerat, quod non solum Marcellianum et Marcum in martirii constantia roboravit, sed etiam patrem eorum nomine Tranquillinum et matrem cum multis aliis ad fidem convertit, quos omnes Policarpus presbiter baptizavit. — — 3. Tranquillinus autem morbo gravissimo laborans mox ut baptizatus est, sanitatem recepit. Praefectus autem urbis Romae, qui et ipse morbo gravissimo laborabat, rogavit Tranquillinum, ut ad se adduceret eum, qui sibi sanitatem dederat. Cum ergo ad eum venissent Policarpus presbiter et Sebastianus et ipse eos rogaret, ut etiam sanitatem reciperet, dixit ei Sebastianus, ut prius ydola abnegaret et confringendi ea sibi potestatem traderet et sic sanita-

1) Ed. Princ. legit: Deo.

tem reciperet. Cui quum Chromatius praefectus diceret, quod servi sui hoc facerent et non ipse, dixit Sebastianus: timidi Deos suos confringere formidant, sed et si dyabolus hac occasione eos laederet, dicerent eos infideles esse ob hoc laesos, quod Deos suos confringerent. Sicque Policarpus et Sebastianus accincti plus quam CC ydola confregerunt. Post hoc autem dixerunt Chromatio: cum nobis ydola confringentibus sanitatem recipere debuisti [1]) nec recepisti, certum est, quia aut infidelitatem nondum abjecisti aut aliqua ydola reservasti. Tunc indicavit se habere thalamum, in quo erat omnis disciplina stellarum, pro quo pater suus plus quam ducenta pondera auri expenderat et per quem futura omnia praevidebat. Cui Sebastianus: quamdiu hoc integrum habueris, te ipsum integrum non habebis. Cumque ad hoc ille assentiret, Tiburtius ejus filius, juvenis egregius dixit: non patiar opus destrui tam praeclarum, sed ne paternae sanitati videar esse contrarius, duo clibani accendantur, ut, si destructo opere pater meus sanitatem non receperit, ambo vivi concrementur. Cui Sebastianus: sic fiat, ut locutus es. Dum igitur illa confringerentur, angelus praefecto apparuit et sibi a domino Jesu sanitatem redditam nuntiavit statimque sanus effectus cucurrit post eum, ut ejus pedes oscularetur. Qui eum prohibuit ex eo, quod baptismum nondum receperat, sicque ipse et Tiburtius filius ejus et mille CCCC de ejus familia baptizati sunt. Zoe autem ab infidelibus tenta et diu cruciata emisit spiritum. Quod cum audiisset Tranquillinus, prorupit et dixit: feminae nos ad coronam praecedunt, [2]) ut quid vivimus? Ipse autem post paucos dies lapidatus est. — — — 3. Sanctus autem Tiburtius super prunas allatas [3]) jubetur aut incensum Diis imponere aut super istas nudis plantis incedere. Qui sibi signum crucis faciens constanter super ipsas nudis ingressus est plantis dicens: videtur mihi, quod super roseos flores incedam in nomine domini nostri Jesu Christi. Cui Fabianus praefectus dixit: quis ignorat magicam artem Christum vos docuisse? Cui Tiburtius: obmutesce infelix, quia non es dignus nomen tam sanctum et tam mellifluum nominare. Tunc iratus praefectus jussit eum decollari. Marcellianus autem et Marcus stipiti affiguntur, cumque fuissent affixi, psallentes dicebant: ecce

---

1) Verba nec recepisti desunt in Ed. Princ. 2) Et hic ut quid loco: ad quid positum est. 3) Rec. male intrudunt ire verbum ante jubetur vocem, licet et Ed. Pr. male legat incensis loco incensum.

quam bonum et quam jucundum habere fratres in unum etc. Quibus praefectus: infelices deponite amentiam et vos ipsos liberate. Cui illi: nunquam tam bene epulati sumus, utinam tamdiu sic nos esse permittas, quamdiu corporis tegimur indumento. Tunc praefectus jussit eos lanceis per latera transverberari et sic martirium consummaverunt. Post hoc praefectus Dyocletiano imperatori de Sebastiano suggessit, quem ad se vocans dixit: ego te inter primos in palatio meo semper habui et tu contra salutem meam et Deorum injuriam hactenus latuisti. Cui Sebastianus: pro salute tua Christum semper colui et pro statu Romani imperii Deum, qui in coelis est, semper adoravi. Tunc Dyocletianus jussit eum in medium campum ligari et a militibus sagittari, qui ita eum sagittis impleverunt, ut quasi hericius videretur, et aestimantes illum mortuum abierunt, qui intra paucos dies liberatus, stans super gradum palatii imperatores venientes de malis, quae christianis inferebant, dure redarguit. Dixerunt imperatores: istene est Sebastianus, quem diu sagittis interfici jusseramus? Cui Sebastianus: ad hoc me dominus resuscitare dignatus est, ut conveniam vos et redarguam vos de malis, quae Christi famulis irrogatis. Tunc imperator tamdiu eum fustigari jussit, donec spiritum exhalaret, fecitque corpus ejus in cloacam projici, ne a christianis pro martire coleretur. Sanctus autem Sebastianus sequenti nocte sanctae Luciae apparuit et corpus ejus sibi revelavit et, ut juxta vestigia apostolorum illud sepeliret, praecepit, quod et factum est. Passus est autem sub Dyocletiano et Maximiano imperatoribus, qui coeperunt circa annos domini CLXXXVII. — — — 4. Refert Gregorius in primo libro dialogorum, quod quaedam mulier in Tuscia nuper nupta cum ad dedicationem ecclesiae sancti Sebastiani ab aliis invitata esset, in ipsa nocte, qua sequenti die ire debebat, carnis voluptate stimulata a viro suo se abstinere non potuit. Facto autem mane magis erubescens vultum hominum quam Dei illuc profecta est. Mox autem ut oratorium, ubi erant reliquiae sancti Sebastiani, ingressa est, dyabolus eam arripuit et coram omnibus vexare coepit. Tunc presbiter illius ecclesiae pallium altaris arripiens inde eam operuit, sed dyabolus statim ipsum presbiterum invasit. Duxerunt autem eam amici sui ad incantatores, ut suis incantationibus dyabolum effugarent. Sed mox, dum incantaretur, judicio Dei legio daemonum, id est VI millia sexcenti et LXVI in eam ingressi ipsam acrius vexare coeperunt. Quidam autem vir, nomine Fortunatus sanctitate con-

spicuus suis precibus eam sanavit. — — — 5. Legitur quoque in gestis Longobardorum, quod tempore Gumberti regis Italia tota tanta peste percussa est, ut vix unus alterum sufficeret sepelire, et haec pestis maxime Romae ac Papiae grassabatur. Tunc visibiliter bonus angelus multis apparuit malo angelo sequente et venabulum ferenti praecipiens, ut percuteret ac caedem faceret. Quotiens autem aliquam domum percutiebat, tot inde mortui efferebantur. Tunc cuidam divinitus revelatum est, quod nequaquam haec pestis cessaret, donec sancto Sebastiano altare Papiae construeretur. Quod quidem constructum est in ecclesia sancti Petri, qui dicitur ad vincula; quo facto statim cessavit illa quassatio. Et illuc a Roma reliquiae sancti Sebastiani sunt delatae. Ambrosius in praefatione sic ait: beati martiris Sebastiani pro confessione nominis tui, domine venerabilis, sanguis effusus simul et tua mirabilia manifestat, quod perficis in infirmitate virtutem, et vestris studiis das profectum et infirmis [1]) a prece praestas auxilium.

CAP. XXIV.
De sancta Agnete virgine.

Agnes dicta est agna, quia mitis et humilis, tamquam agna fuit. Vel a Graeco quodam agnos, quod est pius, quia pia et misericors exstitit. Vel Agnes ab agnoscendo, quia viam veritatis agnovit. Veritas autem secundum Augustinum opponitur vanitati et falsitati et dubietati, quia tria a se removit per virtutem, quam habuit.

1. Agnes virgo prudentissima, ut testatur Ambrosius, qui ejus passionem scripsit, XIII. anno aetatis suae mortem perdidit et vitam invenit. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa, corpore juvencula, sed animo cana, pulchra facie, sed pulchrior fide. Quae dum a scholis revertitur, a praefecti filio adamatur. Cui ille gemmas et divitias innumerabiles promisit, si consensum ejus conjugio non negaret. Cui Agnes respondit: dis-

1) Ed. Rec. legunt loco verborum a prece: apud te. Contra Ed. Pr. offert: proficit, — dat, — praestat.

cede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia jam ab alio amatore praeventa sum, coepitque ipsum suum amatorem et sponsum a quinque commendare, quae sponsae in sponsis praecipue requirunt, scilicet a nobilitate generis, a decore pulchritudinis, a divitiarum abundantia, a fortitudine et potentiae efficacia et ab amoris excellentia, sic dicens: illum amo, qui longe te nobilior est et genere dignior, cujus mater virgo est, cujus pater feminam nescit, cui angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, cujus opes numquam deficiunt, cujus nunquam divitiae decrescunt, cujus odore reviviscunt mortui, cujus tactu confortantur infirmi, cujus amor castitas est, tactus sanctitas, unio virginitas. Haec autem quinque ponit in quadam auctoritate dicens: cujus generositas celsior, possibilitas fortior, adspectus pulchrior, amor suavior et omni gratia elegantior? Deinde ponit quinque beneficia, quae sibi sponsus contulit et aliis sponsis confert, scilicet quia eas fidei annulo subarrat, multiplici virtutum varietate eas vestit et ornat, passionis suae sanguine eas assignat, vinculo amoris eas sibi copulat et thesauris coelestis gloriae eas ditat, sic dicens: qui annulo suo subarravit dextram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, induit me ciclade auro texta et immensis monilibus ornavit me, posuit signum in faciem meam, ut nullum praeter eum amatorem assumam, et sanguis ejus ornavit genas meas; jam amplexibus ejus castis adstricta sum; jam corpus ejus corpori meo sociatum est; ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si in eo perseveravero, repromisit. Audiens haec insanus juvenis lecto prosternitur et quod amore aegrotet, per alta suspiria a medicis aperitur, cumque pater juvenis eadem virgini replicaret et illa prioris sponsi foedera se violare non posse assereret, coepit praefectus inquirere, quis esset ille sponsus, de cujus se Agnes potestate jactaret. Cum ergo quidam assereret, quod Christum sponsum suum diceret, blandis prius sermonibus, demum terroribus eam pulsat. Cui Agnes: quidquid vis, age quia quod quaeris, non poteris obtinere. Ipsum enim terrentem et blandientem similiter deridebat. Cui praefectus: unum tibi de duobus elige, aut cum virginibus Deae Vestae sacrifica, si tibi virginitas placet, aut cum meretricibus scortaberis. Quia enim nobilis erat, vim sibi inferre non poterat et ideo titulum sibi christianitatis opposuit. Cui illa: nec sacrificabo Diis tuis, nec sordibus polluar alienis, mecum enim habeo custodem corporis mei, angelum domini.

Tunc praefectus jussit eam exspoliari et nudam ad lupanar duci. Tantam autem densitatem capillis ejus dominus contulit, ut melius capillis quam vestibus tegeretur. Ingressa autem turpitudinis locum angelum domini praeparatum invenit, qui locum claritate nimia circumfulsit sibique stolam candidissimam praeparavit. Sicque lupanar fit locus orationis, adeo ut mundior exiret, quam fuisset [1]) ingressus, qui immenso lumini dabat honorem. Praefecti autem filius cum aliis juvenibus ad lupanar venit et eos prius ad ipsam invitavit. Qui ingressi, sed ex miraculo territi, [2]) compuncti redierunt, quos ille miseros appellans et ad eam furens intrans cum eam vellet contingere, in ipsum lumen irruit. Qui cum Deo non dedisset honorem, praefocatus a dyabolo exspiravit. Quod praefectus audiens cum ingenti ploratu ad eam venit et causam mortis ejus diligentius sciscitatur. Cui Agnes: ille, cujus voluntatem volebat perficere, potestatem in eum accepit et occidit, nam socii ejus de viso miraculo territi redierunt illaesi. Cui praefectus: in hoc apparebit, quod non magicis artibus hoc egisti, si impetrare poteris ut resuscitetur. Orante Agnete juvenis resuscitatur et Christus ab eo publice praedicatur. Ad hoc templorum pontifices seditionem excitantes in populo exclamaverunt: tolle magam, tolle maleficam, quae mentes mutat et animos alienat. Praefectus autem viso tanto miraculo eam liberare voluit, sed proscriptionem metuens vicarium dereliquit et, quia eam liberare non potuit, tristis abscessit. Tunc vicarius, Aspasius nomine, jussit eam in copiosum ignem jactari, sed in duas partes flamma divisa seditiosum populum exurebat [3]) et eam minime contingebat. Tunc Aspasius in gutture ejus gladium immergi praecepit et sic sponsus candidus et rubicundus ipsam sibi sponsam et martirem consecravit. Passa est autem, ut creditur, tempore Constantini magni, qui coepit anno domini CCCIX. Cum igitur corpus ejus Christiani et parentes ipsius cum gaudio sepelirent, vix a paganis in eos lapides mittentibus evaserunt. — — — S. Emerentiana autem, ejus collactanea, virgo sanctissima, licet adhuc catechumena, dum juxta sepulchrum ejus staret et constanter gentiles argueret, ab iis lapidata est statimque terrae motus, coruscationes et fulgura exstiterunt a Deo et ex paganis plurimi perierunt, ita quod ipsi de caetero venientes ad se-

---

1) Sensus postulat: ingressus legit. Vulgo enim ingressa, quae, quod parum liquet. 2) Ed. Princ. omittit compuncti. 3) Verba et — contingebat desunt in Edit. antiquioribus.

pulchrum virginis non laeserunt. Corpus autem Emerentianae juxta corpus sanctae Agnetis positum est. Cumque parentes ejus VIII. die juxta tumulum vigilarent, viderunt chorum virginum vestibus aureis radiantem, inter quas viderunt beatam Agnetem simili veste fulgentem et a dextris ejus candidiorem agnum nive stantem. Quibus illa: videte, ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mecum et congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Propter hanc visionem celebratur festum Agnetis secundo. — — — 3. Constantia virgo, filia Constantini, lepra gravissima laborans cum hanc visionem audiisset, tumulum ejus adiit et ibi, dum in oratione persisteret, obdormivit viditque beatam Agnetem sibi dicentem: constanter age Constantia, si in Christum credideris, continuo liberaberis. Ad hanc vocem evigilans perfecte se sanatam invenit, quae baptismum recipiens super corpus sanctae Agnetis basilicam fecit et ibi in virginitate degens multas exemplo suo ibidem virgines aggregavit. — — — 4. Quidam vir nomine Paulinus in ecclesia sanctae Agnetis sacerdotii fungens officio mira coepit carnis tentatione vexari, sed cum Deum offendere nollet, a summo pontifice licentiam petiit contrahendi. Cujus bonitatem et simplicitatem papa considerans annulum ei cum smaragdo dedit et jussit, ut ymagini formosae beatae Agnetis, quae in sua ecclesia depicta erat, ex parte sua praeciperet, ut se permitteret desponsari. Cumque hoc sacerdos ymagini imperaret, illa continuo digitum annularem porrigens et annulo suscepto digitum retrahens omnem tentationem a sacerdote fugavit. Praedictus tamen annulus adhuc dicitur in ejus digito apparere. Alibi tamen legitur, quod cum ecclesia beatae Agnetis rueret, papa cuidam sacerdoti dixit, se sibi velle quandam sponsam custodiendam et nutriendam, scilicet ecclesiam sanctae Agnetis committere, dansque ei annulum jussit, ut dictam ymaginem desponsaret, quam illa extendente et retrahente digitum desponsavit. De hac virgine dicit Ambrosius in libro de virginibus: hanc senes, hanc juvenes, hanc pueri canant, nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest, quot homines, tot praecones, qui martirem praedicant, dum loquuntur. Stupete universi, quod jam divinitatis testis exstiterit, quae adhuc arbitra sui per aetatem esse non posset. Fecit denique, ut ei de Deo crederetur, [1]) cui de homine adhuc non crederetur, quia quod ultra natu-

1) Verba cui — crederetur desunt in Ed. Pr.

ram est, hoc de autore naturae est. Novum martirii genus nondum idonea paene et jam matura victoriae, certare difficilis, habilis coronari, magisterium virtutis implevit, [1]) quae nondum judicium habebat aetatis. Non sic ad thalamum nupta properat, ut ad supplicii locum laeta [2]) successu, gradu festina, virgo processit. Item Ambrosius in praefatione: beata Agnes generositatis oblectamenta despiciens coelestem meruit dignitatem, societatis humanae vota contemnens aeterni regis est sociata consortio, pretiosam mortem pro Christi confessione suscipiens simul est ei facta conformis.

CAP. XXV.

De sancto Vincentio.

Vincentius quasi vitium incendens vel vincens incendia vel victoriam tenens. Ipse enim incendit, id est, consumsit vitia per carnis mortificationem, vicit incendia suppliciorum per constantem poenarum perpessionem, victoriam tenuit mundi per ipsius despectionem. Vicit enim tria, quae erant in mundo, scilicet falsos errores, immundos [3]) amores, mundanos timores, quos vicit per sapientiam, munditiam et constantiam. De quibus dicit Augustinus: ut cum omnibus erroribus, amoribus et timoribus vincatur hic mundus, sanctorum martiria docent et docuerunt. Ejus passionem quidam beatum Augustinum asserunt compilasse, quam Prudentius versibus luculenter exsequitur.

1. Vincentius, nobilis genere sed fide ac religione nobilior, beati Valerii episcopi dyaconus fuit, cui episcopus, quia expeditioris erat linguae, vices suas commiserat et ipse orationi et contemplationi vacabat. Jussu igitur Daciani praesidis Valentiam trahuntur et diro carceri mancipantur. Cumque eos fame paene defecisse cerneret, eos suo adspectui jussit adstare, quos cumque sanos cerneret et gaudentes, iratus in hanc vocem prorupit: quid dicis tu Valeri, qui sub nomine religionis contra decreta principum facis? Cum autem beatus Valerius lenius responderet, dixit ei Vincentius:

---

1) Ed. Pr. legit: qui judicium vehebat aetatis. 2) Ed. Recent. successum gradum festinat, male offerunt. 3) Alii: amatores, inanes t. legunt.

noli pater venerabilis quasi mente timida submurmurare, sed libera voce exclama; si ergo jubes pater sancte, responsis judicem aggrediar. Cui ille: jamdudum tibi, fili carissime, loquendi curam commiseram et nunc pro fide, qua adstamus, responsa committo. Tunc Vincentius conversus ad Dacianum: hactenus, inquit, a te sermo de neganda fide peroravit, sed nefarium apud christianorum prudentiam esse cognosce, deitatis cultum abnegando blasphemare. Tunc iratus Dacianus episcopum in exsilium mitti praecepit, Vincentium vero, tamquam contumacem et praesumtuosum juvenem, ut ejus exemplo alii terreantur, in equuleum distentum membris omnibus jussit dissipari. Cumque corpore totus dissiparetur, ait Dacianus: dic mihi Vincenti, ubi nunc tuum miserrimum corpus conspicis? At ille subridens ait: hoc est, quod semper optavi. Tunc iratus praeses coepit ei omnia genera tormentorum minari, nisi ei assensum praeberet. Cui Vicentius: o felicem me, quo mihi irasci te gravius putas, eo melius incipis misereri; insurge ergo miser et toto malignitatis spiritu debacchare: videbis, me Dei virtute plus posse, dum torqueor, quam possis ipse, qui torques. Ad hoc praeses coepit clamare et carnifices [1]) verbis et fustibus verberare, et ait Vincentius: quid dicis Daciane, tu ipse me vindicas de [2]) tortoribus meis. Tunc praeses amens factus dixit carnificibus: miserrimi nihil facitis: cur deficiunt manus vestrae? adulteros et parricidas vincere potuistis, ut nihil inter illata supplicia celare possent, et nunc solus Vincentius vestra potuit superare tormenta. Tunc carnifices pectines ferreos usque ad intima costarum fixerunt, ita ut de toto ejus corpore sanguis efflueret et solutis costarum compaginibus viscera interna paterent. Et ait Dacianus: commiserere tui, Vincenti, ut possis tam pulchram recuperare juventutem et ea, quae supra sunt, lucrari tormenta. Et ait Vincentius: o venenosa dyaboli lingua, tormenta tua non timeo, sed hoc solum valde metuo, quod te mihi fingis velle misereri. Nam quo te magis iratum video, eo amplius et magis exsulto. Nolo ut aliquid minuas de suppliciis, ut te victum in omnibus fatearis. Tunc ex equuleo depositus atque [3]) ad ignis craticulam raptus moras carnificum arguendo ad poenam alacriter properabat. Craticulam ergo sponte conscendens ibidem assatur, exuritur et crematur membrisque omnibus un-

1) Alii legunt virgis et f. 2) Ed. Pr. apparitoribus fortasse rectius legit. 3) Ed. Princ. non male ignis patibulum praefert.

cini ferrei et ardentes laminae infiguntur, dumque flamma respergitur, vulnera vulneribus imprimuntur, sal insuper in ignem spargitur, ut in corpus ejus undique vulneratum resiliens stridentibus flammis crudelius comburatur. Jamque non ad artus, sed ad viscera tela jaciuntur jamque intima viscera de ejus corpore extra labuntur: inter haec ille manet immobilis et sursum erectis luminibus dominum precabatur. Cumque ministri haec Daciano retulissent, heu, ait Dacianus, vincimini, sed jam nunc ut in poena diutius vivat, ipsum teterrimo carceri includite et ibi testas acutissimas congerite, pedes ejus ligno affigite, sine omni humano solatio extensum sic super testas relinquite et, cum defecerit, nuntiate. Favent quantocius ministri crudeles domino crudeliori, sed ecce rex, pro quo miles patitur, poenam commutavit in gloriam. Nam tenebrae carceris ab immensa luce expelluntur, testarum asperitas in omnium florum suavitatem mutatur, compedes dissolvuntur et angelorum solatio venerando perfruitur. Cumque super flores cum angelis psallens incederet, modulatio [1]) dulcis et mira suavitas florum procul diffunditur. Perterriti custodes cum per rimas carceris, quod intus, vidissent, ad fidem conversi sunt. Haec audiens Dacianus amens factus ait: et quid ei amplius faciemus? Ecce enim victi sumus. Transferatur ad lectulum et stramentis mollioribus reponatur, ne plus eum gloriosum faciamus, si forte defecerit in tormentis, sed [2]) postquam recreatur, novis iterum suppliciis puniatur. Cum igitur ad stratum molliorem deportatus esset et ibidem paululum quievisset, statim spiritum tradidit circa annos domini CCLXXXVII sub Dyocletiano et Maximiano. Quo audito Dacianus vehementer expavit et se sic victum dolens ait: etsi non potui eum superare viventem, puniam vel defunctum et sic satiabor de poena et sic poterit mihi provenire victoria. Jussu ergo Daciani corpus ejus in campum ab avibus et bestiis devorandum exponitur, sed statim angelorum custodia praemunitur et intactum a bestiis conservatur, denique corvus ingluviei deditus alias aves se majores impetu alarum abegit et lupum accurrentem morsibus et clamoribus effugavit, qui reflexo capite in aspectu corporis sacri fixus cernitur, utpote qui ibidem angelorum custodiam mirabatur. Quod audiens Dacianus ait: puto, quod neque defunctum potero superare. Jubet ergo corpori ejus

---

1) Ed. Pr. male dilectis. 2) Vulgo legitur: potius recreatus. Rectiorem lectionem restitui ex Ed. Pr., ubi scriptum est: post recreatur.

ingentem molam alligari et in pelago projici, ut, quod terra a bestiis consumi non potuit, saltem in pelago a marinis belluis devoretur. Nautae ergo corpus ejus in pelagus deferentes submergunt, sed ipsis nautis velocius littora corpus petit, quod a quadam matrona et quibusdam aliis ipso revelante invenitur et ab iis honorifice sepelitur. De hoc martire sic dicit Augustinus: beatus Vincentius vicit in verbis, vicit in poenis, vicit in confessione, vicit in tribulatione, vicit exustus, vicit submersus, vicit ortus, vicit mortuus. Idem: torquetur Vincentius, ut exerceatur, flagellatur, ut erudiatur, tunditur, ut subsolidetur, exuritur, ut repurgetur. Ambrosius in praefatione quoque de ipso sic ait: torquetur Vincentius, tunditur, flagellatur et exuritur, sed invictus pro sancto nomine animus non concutitur, plus ardens igne zeli quam ferri, plus nectitur timore Dei quam saeculi, plus voluit placere Deo quam foro, plus dilexit mori mundo, quam domino. Item Augustinus: ante oculos nostros mirandum spectaculum constitutum est, judex iniquus, tortor cruentus, martir invictus, crudelitatis pietatisque certamen. Prudentius quoque, qui claruit tempore Theodosii senioris, qui coepit anno domini CCCLXXXVII, ipsum Daciano respondisse ait: tormenta, carceres, ungulae, stridensque flammis lamina atque ipsa poenarum ultima mors christianis ludus est. Tunc Dacianus: vinctum, [1]) retortum brachiis sursum ac deorsum extendite, donec compago ossium divulsa membratim crepet, ut per lacunas vulnerum jecur detectum palpitet. Ridebat hic miles Dei manus cruentas increpans, quod fixa non profundius intraret artus ungula. Cum esset in carcere, angelus dixit ad eum: exsurge martir inclite, exsurge securus et almis coetibus noster sodalis addere: o miles invictissime fortissimorum fortior, jam te ipsa saeva et aspera tormenta victorem tremunt. Exclamat Prudentius: tu solus insignite, solus bravii duplicis palmam tulisti, tu duas simul paravisti laureas.

---

1) Ed. Rec. retro legunt, deinde loco vocis. compago praeferunt compagine, sed perperam Ed. Pr. pro vocibus jecur detectum offert refectum.

CAP. XXVI.

De sancto Basilio episcopo.

1. Basilius venerabilis episcopus et doctor praecipuus, cujus vitam scripsit Amphilochius Yconii episcopus, quantae sanctitatis exstiterit, cuidam eremitae nomine Effrem in visu monstratum est. Cum enim dictus Effrem in exstasi positus esset, vidit columnam ignis, cujus caput usque ad coelum pertingebat, et vocem desuper audivit dicentem: talis est magnus Basilius, qualis haec columna ingens, quam cernis. Veniens igitur in civitatem in die Epiphaniae, ut tantum virum videre posset, cum vidisset eum stola candida indutum cum clericis venerabiliter procedentem, ait intra se: ut video, in vacuum laboravi; iste enim, cum in tali sit honore [1]) positus, nequaquam talis potest esse, quemadmodum cogitabam. Nos enim, qui portavimus pondus diei et aestus nihil tale consecuti sumus, et hic cum in tali honore et constipatione positus sit, columna ignis est. Miror ista. Basilius igitur in spiritu hoc videns fecit eum ad se introduci; qui cum introductus esset, vidit linguam igneam per os ejus loquentem et ait Effrem: vere magnus Basilius, vere columna ignis Basilius, vere spiritus sanctus loquitur per os ejus. Dixitque illi Effrem: obsecro domine, ut mihi impetres, quod graece loquar. Cui Basilius: rem difficilem postulasti. Pro eo tamen oravit et continuo graece loqui coepit. — — — **2.** Quidam alius eremita videns Basilium alias in pontificali habitu procedentem eum despexit, judicans eum in corde suo, quod in tali pompa plurimum delectaretur. Et ecce vox facta est ad eum dicens: tu amplius delectaris in palpando cattae tuae caudam, quam delectetur Basilius in apparatu suo. — — — **3.** Valens imperator, fautor Arianorum, ecclesiam quamdam a catholicis abstulit et Arianis dedit, ad quem accedens Basilius ait: imperator, scriptum est, honor regis judicium diligit et iterum judicium regis justitia, et cur cor tuum imperavit, ut catholici ejicerentur de ecclesia et daretur Arianis? Cui imperator: iterum ad contumelias reverteris, o Basili, non decet te. Et ille: decet me pro justitia etiam mori. Tunc Demosthenes, praefectus [2]) epularum imperatoris, fautor Arianorum

---

1) Rec. addunt et constipatione. 2) Perperam Ed. Pr. legit epistolarum.

et loquens pro iis fecit barbarismum, cui ait Basilius: tuum est de pulmentariis regis cogitare, non dogmata divina decoquere; qui mox confusus tacuit. Dicit imperator: Basili, vade et judica inter eos, sed non secundum immoderatum amorem populi. Abiens ergo dixit coram catholicis et Arianis, ut fores ecclesiae clauderentur et utriusque partis sigillo munirentur et ad quorum orationes aperirentur, sua esset. Quod cum omnibus placuisset, orantibus Arianis tribus diebus et noctibus et venientibus ad fores ecclesiae, non sunt apertae. Tunc Basilius processione ordinata venit ad ecclesiam et facta oratione levi ictu de baculo pastorali fores tetigit dicens: tollite portas principes vestras et elevamini portae aeternales etc. Et continuo sunt apertae et intrantes Deo gratias reddiderunt et reddita est ecclesia catholicis. — — — 4. Fecit autem imperator promitti multa Basilio, ut in hystoria tripartita legitur, ut sibi consentiret. Et ille: pueris ista conveniunt, nam qui divinis saginantur eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus nec unam sillabam patiuntur. Tunc imperator indignatus, ut ibidem dicitur, dum de ejus exsilio sententiam vellet scribere, primus, secundus, tertius calamus fractus est; deinde tremor magnus ejus manum invasit, unde indignatus chartam fregit. — — — 5. Vir quidam venerabilis Heradius filiam unicam habebat, quam consecrare domino disponebat, sed dyabolus, humani generis inimicus hoc advertens unum de servis praedicti Heradii in amorem puellae plurimum inflammavit. Verum cum impossibile cerneret, ut ipse, qui servus erat, in amplexus tam nobilis puellae accedere posset, ad unum de maleficis accessit, promittens ei multam pecuniae quantitatem, si ad hoc eum juvare vellet. Cui dixit maleficus: ego hoc agere non possum, sed, si vis, mittam te ad dyabolum meum dominum, et si feceris, quae ipse tibi dixerit, tuum desiderium obtinebis. Et dixit juvenis: quaecumque dixeris mihi, faciam. Ille ergo maleficus epistolam ad dyabolum fecit et eum per dictum juvenem in haec verba transmisit: quoniam quidem, mi domine, oportet me festinanter et sollicite quoscumque a christianorum religione abstrahere et tuae adducere voluntati, ut pars tua quotidie multiplicetur, misi tibi hunc juvenem cupiditate in talem puellam exarsum et postulo, ut suum desiderium assequatur, ut et in isto glorier et alios tibi de caetero valeam aggregare. Et dans ei epistolam dixit: vade et tali hora noctis sta supra monumentum gentilis et ibidem daemones acclama et hanc chartam in aëre exalta et statim aderunt tibi.

Qui vadens daemones invocabat et chartam per aërem ejiciebat. Et ecce adest princeps tenebrarum vallatus multitudine daemonorum, qui cum epistolam perlegisset, ait ad juvenem: credis in me, ut tuam compleam voluntatem? Qui ait: credo domine. Qui dyabolus: et abnegas Christum tuum? Qui ait: abnego. Dicit dyabolus: perfidi estis vos christiani, quia quandoquidem me opus habetis, ad me venitis, quando autem desiderium vestrum assecuti estis, statim me negatis et ad Christum vestrum acceditis, ille autem, quia clementissimus est, suscipit vos. Sed si vis, ut tuam compleam voluntatem, fac mihi in manu tua scriptum, in quo confitearis, te abrenuntiare Christo, baptismati et christianae confessioni, et meus sis servus et mecum in judicio condemnandus. Qui statim manu propria scriptam fecit, qualiter Christo abrenuntiaret et se servituti dyaboli manciparet. Continuo igitur dyabolus accersivit spiritus, qui erant super fornicationem, jubens iis, ut ad praedictam puellam accederent et cor ejus in amorem juvenis inflammarent. Qui accedentes cor ejus adeo accenderunt, ut puella se in terram projiceret et ad patrem lamentabiliter exclamaret: miserere mihi, pater, miserere mihi, quia dire torqueor propter amorem talis pueri nostri, et paternum amorem mihi ostende et puero, quem amo et pro quo crucior, me conjunge; si non autem, post modicum me morituram videbis, et pro me in die judicii rationem reddes. Pater autem ejulans dicebat: heu me miserum, quid contigit miserae filiae meae, quis meum thesaurum furatus est, quis dulce lumen oculorum meorum exstinxit? Ego te volebam coelesti sponso adjungere et per te salvari putabam et tu in amorem lasciviae insanisti. Sine filia, ut, sicut disposui, te domino conjungam: ne ducas senectutem meam cum dolore ad inferos. Illa autem clamabat dicens: pater mi aut cito desiderium meum comple aut morituram post modicum me videbis. Cum igitur illa amarissime fleret et quasi insaniret, pater ejus in magna desolatione positus et amicorum consiliis deceptus suam voluntatem complevit et eam puero in uxorem dedit ac universam substantiam sibi tribuit dicens: vade filia mea vere misera. Cum ergo insimul permanerent, juvenis ille ecclesiam non intreibat nec sibi crucis signaculum faciebat, nec Deo se recommendabat, unde de hoc notatus est a nonnullis, qui uxori suae dixerunt: scis quia vir tuus, quem tibi elegisti, christianus non est nec ecclesiam ingreditur? Quod illa audiens vehementer extimuit et humo se prosternens ungulis se ipsam discerpere coepit ac pectus

suum contundere et dicere: heu mihi miserae, cur nata sum, et nata continuo rapta non sum? Cum ergo viro suo, quae audierat, retulisset et ille nequaquam rem sic esse assereret, sed omnino falsum, quod ipsa audierat, affirmaret, illa ait: si vis, ut credam tibi, ego et tu cras ecclesiam ingrediamur. Videns ille, quod latere non posset, narravit ei totum ordinem gestae rei, quod illa audiens vehementer ingemuit et ad beatum Basilium properavit eique omnia, quae viro suo et sibi contigerant, enarravit. Basilius autem puerum vocans et omnia ab eo audiens dixit ei: vis fili reverti ad Deum? Qui ait: utique domine, sed non valeo, quia dyabolo sum professus et Christum abnegavi et abnegationis meae scriptum feci et dyabolo ipsum dedi. Cui Basilius: non sit tibi curae. Benignus enim est dominus et te poenitentem suscipiet. Et continuo apprehendens puerum signum crucis in ejus fronte fecit et per tres dies eum reclusit, postea eum visitavit et dixit: quomodo habes fili? Qui ait: in magna sum, domine, defectione nec suffero clamores eorum et terrores seu dilapidationes, tenentes enim manuscriptum meum [1]) causantur me dicentes: tu venisti ad nos, non nos ad te; et dixit sanctus Basilius: noli timere fili, tantummodo crede. Dans ei modicam escam faciensque signum crucis iterum eum reclusit et pro eo oravit; post aliquot dies eum visitavit et ait: quomodo habes fili? Qui ait: pater a longe clamores eorum et [2]) misericordias audio, sed eos non video. Et dans ei iterum escam et signans et claudens ostium abiit et pro eo oravit et [3]) XL. die rediens dixit: quomodo habes? Respondit: bene habeo, sancte Dei, vidi enim te hodie in visu pugnantem pro me et dyabolum vincentem. Post hoc eum educens omnem clerum et religiosos et populum convocavit et omnes pro eo orare admonuit tenensque manum pueri ducebat eum ad ecclesiam et ecce dyabolus cum multitudine daemonum ad eum venit et invisibiliter apprehendens puerum conabatur eum rapere de manu ejus et coepit clamare puer: sancte Dei adjuva me. Et tanta eum improbus instantia aggressus est, ut etiam sanctum impelleret trahens puerum, qui ait ad eum: improbissime non sufficit tibi perditio tua, nisi et Dei mei tentes [4]) palmam? Dyabolus autem dixit ad eum multis audientibus: praejudicas mihi o Basili. Tunc omnes clamaverunt: Kyrie eleyson, dixitque ad eum Basilius: in-

---

1) Rec. legunt calumniantur. 2) Alii minas legunt. 3) Ed. Rec. offerunt post aliquos dies. 4) Ed. Princ. male legit plasma.

crepet te dominus dyabole. Qui ait: praejudicas mihi Basili; non abii ego ad eum, sed ipse venit ad me, abnegavit Christum suum et professus est mihi; ecce scriptum ejus in manu habeo. Qui ait: non cessabimus orare, donec scriptum reddas. Et orante Basilio et tenente in coelum manus, ecce charta per aërem delata et ab omnibus visa venit et imposita est in manibus Basilii, quam ille suscipiens dixit puero: agnoscis has litteras frater? Et ille: etiam manu mea scriptae sunt. Et frangens Basilius scriptum perduxit eum ad ecclesiam et dignum eum fecit misterio et bene instruens [1]) et regulas sibi dans reddidit mulieri. — — — 6. Mulier quaedam peccata multa habens et ea in charta conscribens in fine quoddam gravius conscripsit et scriptum ipsum beato Basilio tradidit rogans, ut pro ea oraret et suis orationibus peccata ipsa deleret. Qui cum orasset et mulier chartam aperuisset, omnia peccata praeter istud gravius deleta invenit. Quae ait ad Basilium: miserere mei serve Dei et pro hoc mihi indulgentiam impetra, sicut pro aliis impetrasti. Qui ait ad illam: recede a me mulier, quia homo peccator ego sum indigens indulgentia sicut et tu. Cum autem illa instaret, dixit ei: vade ad sanctum virum Effrem et ille, quae postulas, tibi poterit impetrare. Quae cum abiisset ad sanctum virum Effrem et cur ad eum a sancto Basilio missa sit, intimasset, ille ait: recede, quia homo peccator ego sum, sed redi filia ad Basilium, et qui tibi pro caeteris veniam impetravit, pro isto quoque impetrare valebit: festina cito, ut eum vivum invenias. Quae cum in civitatem venisset, ecce Basilius ad tumulum ferebatur. Illa autem post eum clamare coepit et dicere: videat Deus et judicet inter me et te, quia [2]) valens placare Deum pro me ad alium transmisisti me. Tunc projecit chartam super feretrum et post modicum illam recipiens et aperiens illud peccatum penitus deletum invenit. Sicque ipsa et omnes, qui aderant, Deo immensas gratias reddiderunt. — — — 7. Ante autem quam vir Dei migraret a corpore, positus in infirmitate, qua et mortuus est, quemdam Judaeum nomine Joseph medicinali arte valde peritum, quem vir Dei multum diligebat, eo quod se illum conversurum praevidebat ad fidem, quasi opera indigeret, vocavit, ille vero ejus pulsum tangens et ex

---

1) Ed. Rec. offerunt: hanc regulam sibi dans, quod non probandum.
2) Rectius valens ed. rec. offerunt, quum volens, quod exhibet Ed. Pr. referens ad foeminam, propter constructionem sequentem ferri non possit.

tactu mortem in januis esse cognoscens dixit familiae: quae ad sepulturam necessaria sunt, praeparate, quia continuo morietur. Quod Basilius audiens dixit ei: nescis quid dicis. Cui Joseph: crede domine, quia sol cum sole occidet hodie, et tu cum sole occides hodie. Cui dixit Basilius: quid dicis, si non moriar hodie. Cui Joseph: non est possibile domine. Et Basilius: et si in crastinum usque ad horam sextam supervixero, quid facies? Et Joseph ait: si usque ad illam supervixeris horam, utique ego moriar. Et Basilius: etiam moriaris peccato, vivas autem Christo. Et ille: scio, quid dicis; si usque ad illam horam supervixeris, faciam quod hortaris. Tunc beatus Basilius, licet secundum naturam illico moriturus esset, a domino tamen mortis inducias impetravit et usque in crastinum in horam nonam vixit. Quod Joseph videns et stupens in Christum credidit, Basilius autem virtute animae imbecillitatem corporis superans de cubiculo suo surrexit et ecclesiam ingrediens eum suis propriis manibus baptizavit, postea vero ad lectulum suum rediit et statim spiritum Deo feliciter reddidit. Floruit circa annos domini tricentesimo LXX.

CAP. XXVII.

De sancto Johanne Eleemosinario.

1. Johannes Eleemosinarius patriarcha Alexandrinus quadam nocte in oratione persistens vidit quandam puellam pulcherrimam sibi assistentem et coronam olivarum in capite bajulantem, quam ille videns nimium stupefactus, quae esset, inquisivit; et illa: ego sum misericordia, quae Dei filium de coelo adduxi: me sponsam accipe et bene tibi erit. Intelligens ergo per olivam misericordiam designari, ab illa die factus est sic misericors, ut eleymor, id est eleemosinarius vocaretur. Pauperes autem suos dominos semper appellabat et inde hospitalarii habentur etiam, ut pauperes dominos suos vocent. Omnes igitur suos famulos convocavit iisque dixit: euntes per totam civitatem conscribite mihi usque ad unum omnes dominos meos. Illis vero non intelligentibus dixit: quos vos egenos et mendicos vocatis, istos ego dominos et auxiliatores praedico. Isti enim nobis vere auxiliari et coeleste regnum donare po-

terunt. Volens homines ad eleemosinam invitare narrare consuevit, quod pauperibus semel se ad solem calefacientibus coeperunt invicem de eleemosinatoribus conferre et bonos collaudare et malos vituperare. Erat autem quidam telonearius nomine Petrus, dives valde et praepotens, sed nimis pauperibus immisericors, quia ad domum suam accedentes cum indignatione nimia repellebat. Cum ergo nullus illorum inventus fuisset, qui in domo sua eleemosinam recepisset, unus illorum dixit: quid vultis mihi dare, si ego hodie ab eo eleemosinam accipiam? Et facientibus cum eo pactum domum ejus venit et eleemosinam postulavit. At ille domum revertens et pauperem prae foribus videns, cum mancipium ejus panes siliginis in domum deferret, ille lapidem non inveniens panem siliginis arripuit et cum furore inde eum percussit, quem protinus arripiens pauper ad socios rediit et, quod de manu eleemosinam accepit, indicavit. Post duos dies infirmatus ad mortem vidit se ante judicium stare et Mauros quosdam super stateram ejus mala appendere, ex altera autem parte staterae quidam dealbati tristes stabant, eo quod nihil, quod ibi apponerent, invenire valebant. Tunc unus eorum dixit: vere nihil habemus, nisi unum panem siliginis, quem ante duos dies Christo dedit coactus; quem dum super stateram ponerent, aequalitas, ut sibi videbatur, facta est. Dixerunt ei: adauge ad siliginem hanc, alioquin te Mauri apprehendent. Evigilatus autem et liberatus dicebat: papae, si una siligo, quam per furorem jactavi, ita profuit, quanto magis omnia sua indigentibus clargiri. Quadam igitur die cum optimis vestibus indutus per viam pergeret, quidam naufragus ab eo vestimentum aliquod postulabat, continuo ille pretioso vestimento se exspoliavit et illi dedit. Quod ille accipiens statim vendidit. Cum autem telonearius rediret et vestimentum suspensum videret, contristatus est valde, adeo ut nec cibum sumere vellet dicens: quoniam non fui dignus, ut mei memoriam haberet egenus. Et ecce dum dormiret, vidit quemdam super solem fulgentem et super caput crucem ferentem et habentem, indutum vestimentum, quod dederat egeno, et dicebat sibi: quid ploras Petre? Qui cum causam suae tristitiae sibi dixisset, ille ait: cognoscis hoc? Et ille: etiam domine. Et dominus ad eum: illo ego vestior, ex quo mihi dedisti, et gratias ago bonae voluntati tuae, quoniam frigore affligebar et cooperuisti me. In se ergo reversus coepit egenos beatificare ac dicere: vivit dominus, non moriar, donec fiam unus ex iis. Dans ergo pauperibus, quae habebat,

et accersito notario dixit ei: secretum volo tibi committere, quod si propalaveris aut si me non audiveris, barbaris vendam te, dansque ei decem libras auri dixit ei: vade in sanctam civitatem et merces tibi eme et me alicui christiano vende et pauperibus pretium tribue. Illo autem recusante dixit ei: si me non audieris, ego barbaris vendam te. Ducens ergo eum, ut dixerat, cuidam argentario vestibus sordidis indutum tamquam suum servum vendidit et XXX numismata inde accipiens pauperibus erogavit. Petrus ergo omnia officia vilia faciebat, ita quod ab omnibus contemnebatur et ab aliis servis frequenter percutiebatur et etiam jam amens appellabatur. Dominus autem frequenter sibi apparebat et vestimenta et alia ostendens ipsum consolabatur, verum imperatore et universis de amissione tanti viri dolentibus. Quidam vicini ejus a Constantinopoli ad visitandum loca sancta venerunt et a domino ipsius invitati cum pranderent, sibi ad invicem in aure dixerunt: quam similis est puer iste domino Petro teloneario, et curiose respicientibus unus dixit: vere dominus Petrus est, surgam et tenebo eum. Quod ille advertens latenter fugit. Erat autem ostiarius surdus et mutus, qui per signum ostium ei aperiebat, cui Petrus ut sibi aperiret, non signis, sed verbis imperavit. Et ille continuo audiens et loquelam recipiens sibique respondens ei aperuit et domum regrediens cunctis de ejus loquela [1]) mirantibus dixit: ille qui coquinam faciebat, exiit et fugit, sed videte ne Dei sit servus; cum enim mihi dixit, tibi dico: aperi, mox ex ore ejus flamma exiit, quae linguam et aures meas tetigit, et continuo auditum et loquelam recepi. Et exsilientes universi et concurrentes post eum ipsum amplius invenire non potuerunt. Tunc omnes de domo illa poenitentiam egerunt, eo quod talem virum sic viliter tractaverunt. — — — 3. Monachus quidam, Vitalis nomine, volens sanctum Johannem tentare, si posset sibi verbis persuaderi et ad scandalum facile inclinari, ingrediens ergo civitatem omnes publicas meretrices conscripsit. Intrabat ergo ad illas per ordinem dicens cuilibet: dona mihi noctem istam et noli fornicari. Ipse autem domum ejus intrans in angulo flexis genibus tota nocte in oratione stabat et pro illa orabat et postea mane exibat praecipiens cuilibet, ne alicui revelaret. Una autem vitam ejus manifestavit, quae statim orante sene a daemone vexari coepit. Cui omnes dicebant: reddidit tibi Deus, quod mere-

1) Ed. Pr. mirando praefert.

baris, quoniam mentita es; ut fornicetur enim, ingreditur pessimus iste et non propter aliud. Vespere autem facto dicebat praedictus Vitalis cunctis audientibus: volo ire, quia talis domina exspectat me. Multis vero illum criminantibus respondebat: numquid ego non habeo corpus, ut omnes, aut monachis solum iratus est Deus? Vere et ipsi sunt homines ut caeteri. Dicebant autem quidam: accipe tibi mulierem unam, abba, et muta habitum, ut non scandalises alios. Ille autem fingens se iratum dicebat: vere non audiam vos, ite a me. Qui vult scandalisari, scandalisetur et [1]) collidat frontem in parietem. Numquid judices constituti estis super me a Deo? Ite et vobis curam habete, vos pro me non reddetis rationem. Haec autem cum clamore dicebat cumque ad beatum Johannem querimonia deferretur, cor ejus Deus induravit, ne his fidem adhiberet. Deprecabatur autem Deum, ut post mortem suam opus suum alicui revelaret, ut non imputaretur in peccatum his, qui de eo scandalisabantur. Multas igitur de praedictis mulieribus ad conversionem perduxit et in monasterio plurimas collocavit. Quodam mane dum ab una illarum egrederetur, obviavit ei quidam ingrediens ad fornicandum cum ea dansque ei alapam dixit: usque quo pessime non emendas te ab his tuis immunditiis. Et ille: crede mihi, accipies a me talem alapam, ut tota Alexandria congregetur. Et ecce postmodum dyabolus in specie Mauri sibi alapam dedit dicens: haec est alapa, quam mittit tibi abbas Vitalis, et statim vexatur a daemone, ita quod ad voces ejus omnes currebant, sed tamen poenitens per ejus orationem liberatus est. Vir autem Dei morti appropinquans hanc scripturam reliquit: nolite ante tempus judicare; mulieribus autem confitentibus, quae faciebat, omnes glorificabant Deum et praecipue beatus Johannes dicens: quoniam alapam, quam ille accepit, accepissem et ego. — — — 4. Quidam pauper in habitu peregrini ad Johannem venit et ab eo eleemosinam postulabat, at ille vocato dispensatore dixit: da ei sex numismata. Quae ille accipiens et abiens habitum mutavit et iterum ad patriarcham rediens ab eo eleemosinam postulavit. Ille autem dispensatore vocato dixit: da ei sex aureos. Quos cum sibi dedisset et ille abiisset, dixit ei dispensator: per orationes tuas, pater, iste idem hodie mutato habitu bis accepit. Beatus autem Johannes quasi hoc se nescire dissimulavit. Iterum ille tertio habitum mutans ad beatum

1) Ed. Pr. duntaxat offert: de fronte in parietem.

Johannem venit et eleemosinam postulavit. Tunc dispensator beatum Johannem tetigit innuens, quod ille esset. Cui beatus Johannes respondit: vade et da ei duodecim numismata: ne forte sit dominus meus Jesus Christus, qui tentare me velit, utrum possit hic plus accipere quam ego dare. — — — 5. Quadam vice cum patricius quandam pecuniam ecclesiae in mercationibus ponere vellet et patriarcha nullatenus consentiret, sed pauperibus eam dispensare vellet, ambo plurimum contendentes irati ab invicem recesserunt. Adveniente hora nona mandat patriarcha per archipresbiterum patricio dicens: domine, sol ad occasum est. Quod ille audiens lacrimis infusus ad eum venit et veniam postulavit. — — — 6. Cum quidam suus nepos a quodam tabernario gravem injuriam audivisset et ex hoc patriarchae lamentabiliter conquerens nullatenus consolari posset, patriarcha respondit: et quomodo est ausus tibi aliquis contradicere et os suum contra te aperire? Crede, fili, meae parvitati, quoniam faciam in eo hodie talem rem, ut tota Alexandria miretur. Quod audiens ille consolationem recepit putans, quia eum faceret graviter verberari. Videns Johannes, quod consolationem recepisset, pectus ejus osculatus est dicens: fili, si vere nepos meae humilitatis exsistis, praepara te et flagellari et convicia pati ab omnibus. Vera enim cognatio non ex carne et sanguine, sed ex virtute mentis agnoscitur. Confestim igitur pro illo homine misit et ab omni pensione et tributo liberum esse fecit et omnes audientes mirati sunt et intellexerunt, hoc esse quod dixerat: faciam in eum talem rem, ut tota Alexandria miretur. — — 7. Audiens patriarcha, consuetudinem esse, quod mox ut imperator coronatus est, confestim monumentorum aedificatores sumunt quattuor vel quinque minutias marmoris pusillas diversi coloris et ingredientes ad imperatorem dicunt: de quali marmore vel metallo jubet imperium tuum sibi monumentum fieri, imitatus hoc monumentum sibi fieri praecepit, sed tamen usque ad obitum suum illud imperfectum manere fecit ordinavitque aliquos, qui ad eum, cum in celebri festivitate cum clero consisteret, accederent sibique dicerent: domine, monumentum tuum imperfectum est, praecipe ut consummetur, eo quod nescias, qua hora fur veniat. — — 8. Dives quidam cum vidisset beatum Johannem in stratu suo viles pannos habere, eo quod caeteros pauperibus erogasset, quoddam valde pretiosum cooperimentum emit et beato Johanni tradidit. Qui cum istud nocte super se haberet, tota nocte dormire non potuit cogi-

tans, quod trecenti domini sui de tanto pretio cooperiri possent. Tota insuper nocte lamentabatur et dicebat: quanti incoenati, quanti in foro pluviis madefacti, quanti prae frigore dentibus stridentes hodie dormierunt, tu vero grandes pisces devorans et in thalamo requiescens cum omnibus malis tuis insuper te coopertorio triginta sex numismatum calefacis, humilis Johannes alia vice hoc non vestietur. Statimque facto mane illud vendi fecit et pretium pauperibus erogavit, quod audiens ille dives ipsum coopertorium secundo emit et beato Johanni tradidit, rogans, ut ipsum de caetero non venderet, sed super ipsum teneret. At ille istud accipiens jussit iterum vendi et dominis suis pretium erogari. Quod ille dives audiens iterum abiit et ipsum redemit et beato Johanni detulit eique gratulabundus dixit: videbimus', quis deficiet, aut tu vendendo aut ego redimendo. Et sic suaviter quasi divitem vindemiabat dicens, quod possit aliquis intentione donandi pauperibus divites taliter exspoliare, nec peccat. Duo enim lucratur talis, unum, quia animas illorum salvat, alterum quoniam ex hoc mercedem non modicam accipiet. — — **9.** Volens beatus Johannes homines ad eleemosinam provocare narrare consuevit de sancto Serapione, qui cum amictum suum pauperi tribuisset et alteri obvians, qui frigus patiebatur, tunicam similiter tribuisset et evangelium tenens nudus sederet, interrogavit eum quidam dicens: abba quis te exspoliavit? Et demonstrans evangelium ipsum dixit: ille me exspoliavit. Alias autem alium pauperem videns, evangelium ipsum vendidit et pauperi pretium dedit. Qui cum interrogaretur, ubi ipsum evangelium haberet, respondit: evangelium praecipit dicens: vade et vende omnia, quae habes, et da pauperibus; se ipsum ergo habebam et se ipsum vendidi, ut mandabat. — — **10.** Cum cuidam eleemosinam petenti dari praecepisset beatus Johannes quinque nummos, indignatus ille, quod majorem sibi eleemosinam non fecisset, continuo ad contumelias ipsius prorupit ac in ejus faciem conviciari coepit. Quod ejus famuli audientes etiam eum voluerunt irruere et ipsum graviter caedere, quos beatus Johannes omnino prohibuit dicens: sinite, fratres, sinite ut mihi maledicat. Ecce enim habeo sexaginta annos blasphemans per opera mea Christum et unum convicium non portabo ab isto? jussitque sacculum afferri et coram ipso apponi, ut inde tolleret, quantum vellet. — — — **11.** Cum populus lecto evangelio ecclesiam exiret, et foris otiosis verbis vacaret, quadam vice post evangelium patriarcha cum iis exiit et in

medio eorum sedere coepit. Omnibus fere de hoc mirantibus dixit ad eos: filii, ubi oves, ibi pastores; aut igitur intrate et ego vobiscum intrabo et ingrediar, aut manete hic et ego pariter manebo. Semel igitur et bis hoc fecit et sic populum stare in ecclesia erudivit. — — — **12.** Cum quidam juvenis sanctimonialem quandam rapuisset et clerici talem juvenem coram beato Johanne exprobrarent, et ipsum excommunicandum esse dicerent, [1]) utpote qui duas animas perdiderat, scilicet suam et illius, compescuit eos beatus Johannes dicens: non sic, filii, non sic. Ostendo vobis, quia et vos duo peccata committitis; primo quod contra praeceptum domini facitis, qui ait: nolite judicare ut non judicemini. Secundo, quia nescitis pro certo, si usque hodie peccent et se non poeniteant. Frequenter autem exsistente beato Johanne in oratione et in exstasi mentis posito talibus verbis cum Deo disputare auditus est. Sic bone Jesu ego dispergendo et tu ministrando videamus, quis vincat. Cum febre correptus se morti appropinquare cerneret dixit: gratias tibi ago Deus, quoniam exaudisti miseriam meam rogantem bonitatem tuam, ne inveniretur morienti mihi nisi unum tremisse. Hoc igitur pauperibus dari jubeo. Positum igitur venerabile corpus ejus in sepulchro, ubi corpora duorum episcoporum fuerunt tumulata, et corpora illa mirabiliter beato Johanni cesserunt et locum medium vacuum reliquerunt. Ante autem paucos dies quam moreretur, cum quaedam mulier quoddam flagitiosissimum peccatum commisisset et nulli unquam confiteri auderet, dixit ei sanctus Johannes, ut saltem illud scriberet, eo quod scribere sciebat, et sigillatum ei afferret et ipse pro ea oraret; cui illa assensit et peccatum scribens diligenter sigillavit et beato Johanni tradidit. Sed post paucos dies beatus Johannes infirmatus in domino requievit: illa ut audivit illum defunctum, se vituperatam et confusam putavit credens, quod scriptum alicui commisisset et ad manum alterius devenisset. Ad tumulum igitur sancti Johannis accessit et ibi uberrime flens clamabat dicens: heu putans confusionem vitare confusio omnibus facta sum. Cumque amarissime fleret et beatum Johannem rogaret, ut sibi ostenderet, ubinam scriptum suum dimisisset, ecce beatus Johannes in habitu pontificali de tumulo processit, duobus episcopis, qui secum quiescebant, hinc inde vallatus, dixitque mulieri: cur nos tantum infestas et me et sanctos istos, qui

---

1) Vulgo legitur ut puta.

mecum sunt, quiescere non permittis? Ecce stolae nostrae lacrimis tuis omnes madefactae sunt. Porrexitque sibi scriptum suum sigillatum, ut prius fuerat, dicens ei: vide sigillum hoc et aperi scriptum tuum et lege; quod illa aperiens peccatum suum omnino deletum invenit, et ibi taliter scriptum reperit: propter Johannem servum meum deletum est peccatum tuum, sicque illa immensas Deo gratias retulit et beatus Johannes cum aliis episcopis in monumentum rediit. Claruit circa annos domini DC quinto tempore Phocae imperatoris.

CAP. XXVIII.

De conversione sancti Pauli apostoli.

Conversio sancti Pauli apostoli facta est eodem anno, quo Christus passus est et Stephanus lapidatus anno non naturali, sed emergenti; nam Christus VIII cal. [1]) Aprilis passus est, Stephanus eodem anno III die Augusti lapidatus est, Paulus vero VIII cal. Februarii conversus est. Quare autem conversio ejus potius quam aliorum sanctorum celebratur, triplex ratio solet assignari. Primo propter exemplum, ut nullus quantumcunque peccator desperet de venia, quando tantum in culpa postmodum conspicit fuisse in gratia; secundo propter gaudium, sicut enim ecclesia magnam tristitiam habuit in ejus persecutione, ita maximam laetitiam recepit in ejus conversione; tertio propter miraculum, quod scilicet dominus ei ostendit, dum de saevissimo persecutore fecit fidelissimum praedicatorem. Ejus enim conversio fuit miraculosa ratione efficientis [2]) et disponentis et patientis. Ratione efficientis, id est Christi, qui eum convertit: ibi enim ostendit suam mirabilem potentiam in hoc quod dixit: durum est tibi contra stimulum recalcitrare, et in hoc quod ipsum tam subito immutavit, unde continuo immutatus respondit: domine quid vis me facere? Augustinus super hoc verbo: occisus agnus a lupis fecit agnos de lupis; jam parat se ad obediendum, qui prius saeviebat ad persequendum. Secundo [3]) ibi osten-

---

1) Ed. Pr. male legit Februarii. 2) et — efficientis male omittit Ed. Pr. 3) ibi ostendit desunt in Ed. Pr.

dit ejus mirabilem sapientiam, mirabilis enim sapientia fuit in hoc, quia ipsum a tumore superbiae dejecit offerendo infima humilitatis, non sublimia majestatis. Ego, inquit, sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris etc. Glossa: non Deum vel Dei filium se vocat, sed humilitatis, inquit, meae suscipe infima et superbiae tuae squamas depone. Tertio ibi ostendit suam mirabilem clementiam, quod notatur ex hoc, quod ipsum exsistentem in actu et voluntate persequendi convertit. Licet enim haberet deformem affectum, quia spirans minarum et caedis perversum conatum, quia accessit ad principes etc., quasi se ingerens, perniciosum actum, quia ibat ut vinctos perduceret in Jherusalem et ideo ejus iter pessimum erat, ipsum tamen divina misericordia convertit. Secundo fuit miraculosa ratione disponentis, id est lucis, quae ipsum ad conversionem disposuit: ipsa enim lux dicitur fuisse subita, immensa et coelica; et subito, inquit, circumfulsit eum lux de coelo. Paulus enim tria vitia in se habebat, primum erat audacia, quod notatur in hoc quod dicitur: accessit ad principes sacerdotum etc. Glossa: non vocatus, sed sponte zelo concitante eum. Secundum erat superbia, quod notatur in hoc, quod dicitur spirans minarum etc. Tertium erat carnalis intelligentia, quam scilicet in lege habebat. Unde Glossa super illud: ego sum Jesus etc. Ego Deus coelestis loquor, quem mortuum putas sensu judaico. Ipsa igitur lux divina fuit subita, ut audacem terreret, immensa, ut sublimem et superbum in ima humilitatis prosterneret, fuit coelica, ut carnalem ejus intelligentiam in coelestem mutaret. Vel potest dici, quod illud disponens fuit in tribus, scilicet in voce clamante, in luce fulgente, in virtute potentiae. Tertio fuit miraculosa ratione patientis, id est ipsius Pauli, in quo facta est conversio ipsa. In eo enim haec tria miraculose exterius facta sunt, scilicet: prostratio, obcaecatio et triduana jejunatio. Est enim prostratus ut erigatur, quantum ad depressum affectum. Augustinus: prostratus est Paulus ut caecaretur, caecatus ut mutaretur, mutatus est ut mitteretur, missus est ut pro veritate pateretur. Item Augustinus: elisus est saeviens et factus est credens, elisus est lupus et factus est agnus, elisus est persecutor et factus est praedicator, elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis. Est obcaecatus ut illustretur, quantum ad tenebrosum intellectum; unde et in illo triduo, quo mansit, caecatus dicitur, quod doctus fuerit evangelium. Non enim illud accepit ab homine neque per hominem, ut ipse testatur, sed per revelationem Jesu

Christi. Augustinus: Paulum dico verum athletam Christi doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo et gloriosum in illo. Est in carne maceratus, ut ipsa caro disponatur ad bonae operationis effectum: optime enim deinceps corpus ejus ad omne opus bonum dispositum est, nam esurire et abundare sciebat et ubique et in omnibus institutus erat et omnia adversa libenter sufferebat. Chrysostomus: tyrannos ac populos spirantes furorem velut quosdam esse culices aestimabat, mortem vero atque cruciatus et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum. Haec amplexabatur libenter et magis decorabatur catena vinctus quam dyademate coronatus, ac libentius recipiebat vulnera quam alii munera. Vel ista tria dicuntur fuisse in eo contra tria, quae fuerunt in primo parente. In ipso enim fuit contra Deum erectio et e contra in Paulo ad terram prostratio, in ipso oculorum apertio et e contra in Paulo oculorum obcaecatio, in ipso enim fuit manducatio cibi vetiti et e contra in Paulo abstinentia cibi liciti.

CAP. XXIX. [1]

De sancta Paula.

1. Paula fuit nobilissima matrona Romanorum, cujus vitam beatus Hieronymus composuit in haec verba: si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas et omnes artes humana voce resonarent, nihil dignum sanctae ac venerabilis Paulae virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate, potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior, testor et Jesum et sanctos angelos ejus ipsumque proprium angelum ejus, qui custos fuit et comes admirabilis feminae, me nihil in gratiam, nil dicere more laudantium, scilicet quod dicturus sum pro testimonio minus ejus esse meritis. Vult lector breviter ejus scire virtutes, omnes suos pauperes pauperior ipsa dimisit et sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma micat et sicut jubar solis parvos igniculos stellarum obruit et obscurat, ita cunctorum virtutes sua humilitate superavit minimaque fuit inter omnes, ut omnium major esset. Et

1) Totum hoc caput deest in Ed. Princ. Dresd. 1472.

quanto plus se dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur. Latebat et non latebat, fugiendo vanam gloriam merebatur, quae virtutem quasi umbra sequitur et appetitores suos deserens appetit contemtores. Haec cum quinque liberos edidisset, Blaesillam, super cujus mortem eam Romae consolatus sum, Paulinam, quae sanctum et admirabilem virum Pammachium et propositi et rerum suarum reliquit heredem, ad quem super ejus obitu parvum libellum edidimus, Eustochium, quae nunc in sanctis locis et virginitatis et ecclesiae monile pretiosissimum est, Rufinam, quae immaturo funere pium matris animum consternavit, et [1]) Toxocium, post quem parere desiit, ut intelligeres eam non diu servire voluisse officio conjugali. Postquam vir ejus mortuus est, ita eum planxit, ut prope ipsa moreretur, ita etiam se convertit ad Dei servitutem, ut mortem ejus quasi videretur optasse. — — — 2. Quid ergo referam amplae et nobilis domus et quondam opulentissimae omnes paene divitias in pauperes erogatas? Haec Paulini episcopi Antioceni et Epiphanii, qui Romam venerant, accensa virtutibus per momenta patriam deserere cogitabat. Quid ultra differo? Descendit ad portum fratre, cognatis, affinibus et, quod his majus est, liberis prosequentibus et clementissimam matrem vincere cupientibus, jam carbasa tendebantur et remorum ductu navis in altum protrahebatur, parvus Toxocius supplices manus tendebat in littore, Rufina jam nubilis, ut suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat et tamen illa siccos oculos tendebat ad coelum, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi se probaret ancillam; torquebantur viscera et quasi a suis membris distraherentur, cum dolore pugnabat. Hoc contra jura naturae plena fides patiebatur, immo gaudens animus appetebat et amorem filiorum majore in Deum amore contemnens in sola Eustochio, quae et propositi et navigationis ejus comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim navis mare et cunctis, qui cum ea vehebantur, littora respicientibus illa versos tenebat oculos, ne videret, quod sine tormento videre non poterat. Cumque ad loca terrae sanctae venisset et proconsul Palaestinae, qui familiam ejus optime noverat, praemissis apparitoribus jussisset ei parare praetorium, elegit humilem cellulam. Quae cuncta loca Christi vestigiorum tanto ardore ac studio circuibat, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci,

---

1) Alii Toxicum legunt.

prostrataque ante crucem quasi pendentem dominum cerneret, adorabat, ingressaque sepulchrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat angelus, et ipsum corporis locum, in quo dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fidei ore lambebat. Quid ibi lacrimarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Jherosolima, testis est ipse dominus, quem rogabat. Deinde perrexit Bethlehem atque in specum salvatoris ingrediens vidit sacrum virginis deversorium et me audiente jurabat se cernere fidei oculis infantem pannis involutum, vagientem in praesepio, dominum magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent verbum, quod factum erat, quasi etiam tunc Evangelistae Johannis dedicarent: in principio erat verbum et verbum erat apud Deum et verbum caro factum est, parvulos interfectos, Herodem saevientem, Joseph et Mariam fugientes in Aegyptum, mixtisque gaudio lacrimis loquebatur: salve Betlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de coelo descendit, salve Effrata regio uberrima, cujus fertilitas Deus est, David loquitur confidenter, intro ibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, et ego misera et peccatrix digna sum judicata deosculari praesepe, in quo dominus parvulus vagiit, orare in spelunca, in qua virgo puerpera Deum fudit infantem: haec requies mea, quia domini mei patria est, hic habitabo, quoniam salvator elegit eam. — — — 3. Tanta se humilitate dejecit, ut qui eam vidisset et pro celebritate nominis videre gestiisset, ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam, et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste et voce ac habitu et incessu minima omnium erat Numquam post viri mortem usque ad diem dormitionis suae cum ullo comedit viro, quamvis eum sanctum et in pontificali culmine positum sciret. Balneas nisi periclitans non adiit, mollia etiam nisi in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimum humum stratis ciliciolis quiescebat, si tamen illa quies dicenda est, quae jugibus paene orationibus dies noctesque jungebat. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes esse ream, cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis et eos servaret evangelicae lectioni, ajebat: turpanda est facies, quam contra Dei praeceptum purpurisso et cerussa et stibio saepe depinxi, affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis, longus risus perpetuo compensandus est fletu, mollia linte-

amina et serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda sunt, quae viro et saeculo placui, nunc Christo placere desidero. Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illa voluero praedicare, superfluus videar, in qua etiam, cum saecularis esset, omnium Romae matronarum exemplum fuit, quae se ita gessit, ut nunquam de illa etiam maledicorum quisquam auderet famam confingere. Fateor errorem meum, cur in largiendo esset profusior, arguebam, illud proferens de apostolo: non ut aliis refrigerium sit, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam et illorum abundantia sit ad vestram inopiam, et providendum esse, ne, quod libenter faceret, semper facere non posset, multaque hujusmodi. Quae illa mira verecundia et sermone parcissimo peritissimoque dissolvebat, testem invocans dominum, se pro illius nomine cuncta facere et hoc habere voti, ut mendicans ipsa moreretur, ut unum nummum filiae non dimitteret et in funere suo aliena sindone involveretur. Ad extremum inferebat: ego si petiero, multos inveniam, qui mihi tribuant, iste mendicans si a me non acceperit, quid ei possum etiam de alieno tribuere, si mortuus fuerit, a quo ejus anima requireretur? Nolebat in his lapidibus effundere pecuniam, qui cum terra et saeculo transituri sunt, sed in vivis lapidibus, qui volvuntur super terram, de quibus in Apocalipsi Johannis: civitas magni regis exstruitur. Exceptis festis diebus vix oleum in cibo accipiebat, ut ex hoc uno aestimaretur, quid de vino et de liquamine et piscibus et lacte et melle et ovis et reliquis, quae gustui suavia sint, judicarit, in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant et, si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam suspicantur. Novi susurronem quendam, quod genus hominum vile est, quasi benevolum nuntiasse quod prae nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana et cerebrum illius diceret confovendum, cui illa respondit: theatrum facti sumus mundo et angelis et hominibus: nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas ex diversis provinciis congregaverat, tam nobilis quam mediocris et infimi generis in tres turmas et monasteria divisit, ita dumtaxat, ut opere et cibo separatae psalmis et oratione jungerentur. Jurgantes inter se sermone lenissimo foederabat, lascivientem adolescentularum carnem crebris et duplicatis frangebat jejuniis, malens eas stomachum dolere quam mentem, dicens munditiam corporis at-

que vestium animae esse immunditiam et, quod inter saeculi homines vel leve putatur vel nihil, hoc in monasteriis gravissimum esse delictum dicebat. cumque aliis languentibus large praeberet omnia et esum exhiberet carnium, si quando ipsa aegrotaret, sibi non indulgebat et in eo inaequalis videbatur, quod in aliis clementiam in se duritiam commutabat. Referam quod expertus sum. Mense Julio ferventissimis aestibus incidit in ardorem febris et post desperationem cum Dei misericordia respirasset et medici suaderent ob refectionem corporis vino esse opus tenui et parvo, ne aquam bibens in idropisim verteretur, et ego clam beatum episcopum Epiphanium rogarem, ut eam moneret, immo compelleret vinum bibere, ut erat prudens et sollertis ingenii, statim sensit insidias et subridens meum esse, quod ille diceret, intimavit. Quid plura? Cum beatus pontifex post multa horamenta exiisset foras, quaerenti mihi quid egisset, respondit: tantum profeci, ut ipsa mihi seni homini paene persuaserit, ut vinum non bibam. In luctu mitis erat et suorum mortibus frangebatur maxime liberorum, nam et viri et filiorum dormitione saepe periclitata est, et cum os stomachumque signaret et matricis dolorem crucis niteretur impressione lenire, superabatur [1]) affectu et credulam mentem parentis viscera consternebant animoque vincens fragilitate corporis vincebatur. Scripturas sanctas tenebat memoriter et cum amaret historiam et illam veritatis diceret fundamentum, magis sequebatur intelligentiam spiritualem et hoc culmine aedificationis animae protegebat. Loquar et aliud, quod fortasse aemulis videtur incredulum. Hebraeam linguam, quam ego ab adolescentia multo labore et sudore ex parte didici et infatigabili meditatione non desero, ne ipsa ab ea deseratur, discere voluit et consecuta est ita, ut psalmos hebraice caneret et sermonem absque ulla latinae linguae proprietate personaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia ejus Eustochio cernimus. Hucusque navigavimus prosperis ventis et crispantia maris aequora labens carina sulcavit, nunc in scopulos incurrit oratio, quis enim posset siccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in gravissimam valetudinem, immo quod optabat, invenit, ut nos desereret et domino plenius jungeretur. Quid diu differo et dolorem meum in aliis immorando facio longiorem? Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem et frigescente jam parte corporis atque membrorum

---

1) Alii e f f e c t u, deinde c r u d e l e m loco vocis c r e d u l a m legunt.

solum animae [1]) teporem in sacro et sancto pectore palpitare, et nihilominus, quasi ad suos pergeret alienosque despiceret, illos versiculos susurrabat: domine dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae et quam dilecta tabernacula tua domine elegi abjecta esse in domo Dei mei. Cumque a me interrogaretur, cur taceret, cur nollet respondere, inclamanti, an doleret aliquid, graeco sermone respondit, nihil se habere molestiae, sed omnia quieta et tranquilla perspicere. Post hoc obmutuit et clausis oculis, quasi humana despiceret, usque ad exspirationem animae eosdem repetebat versiculos, vix ut aure apposita, quod dicebat, audire possemus. Tota ad funus ejus Palaestinarum urbium turba convenit. Quem enim monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit, quam virginum cubiculorum tenuerunt secreta, sacrilegium putabat, qui non tali feminae ultimum reddidisset officium, donec subter ecclesiam et juxta specum domini conderetur. Venerabilis filia ejus virgo Eustochium quasi ablactata super matrem suam abstrahi a parente non poterat, deosculari oculos, haerere vultui, totum corpus amplexari et se cum matre velle sepelire. Testis est Jesus nec unum quidem nummum ab ea filiae derelictum, sed magis tribuens egenis et quod his difficilius est, fratrum et sororum immensam multitudinem, quam et sustentare arduum est et abjicere impium est. Vale o Paula et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva.

CAP. XXX.

De sancto Juliano.

Julianus quasi jubilus et ana quod est sursum. Inde Julianus quasi Jubilianus, quia cum jubilo superna petiit. Vel a Julius, quod est incipiens, et anus. Nam in Dei servitio fuit senex longanimitate, sed incipiens sui reputatione.

1. Julianus Cenomanènsis episcopus fuit. Hic Simon ille leprosus dicitur fuisse, quem dominus a lepra sanavit et qui dominum ad convivium invitavit, qui post ascensionem domini ab apostolis

---

1) Alii offerunt temperiem.

Cenomanensibus episcopus ordinatus est; hic multis virtutibus clarus tres etiam mortuos suscitavit et postmodum in pace quievit. Iste dicitur esse ille Julianus, qui ab itinerantibus pro inveniendo bono hospitio invocatur, eo quod in domo ejus dominus fuerit hospitatus. Sed verius videtur esse alius Julianus, qui scilicet utrumque parentem ignoranter occidit, cujus hystoria infra ponetur. — — 2. Fuit et alius Julianus de Alvernia genere nobilis, sed fide nobilior, qui desiderio martirii se ultro persecutoribus offerebat. Tandem Crispinus consularis misit ministrum et eum occidi mandavit, quod sentiens Julianus sponte foras prosiliit et quaerenti intrepidus se opponens protinus ictum ferientis excepit. Cujus caput levantes ad sanctum Ferreolum socium Juliani detulerunt et eidem mortem similem minantur, nisi protinus immolaret. Quibus cum assentire nollet, eum occiderunt et caput sancti Juliani cum corpore sancti Ferreoli in uno tumulo posuerunt et post multos annos sanctus Mamertus Viennensis episcopus invenit caput sancti Juliani inter manus sancti Ferreoli ita illaesum et integrum, ac si eadem die fuisset sepultum. Inter caetera hujus sancti miracula solet referri, quod cum quidam dyaconus oves ecclesiae sancti Juliani raperet et pastores eidem ex parte sancti Juliani prohiberent, ille respondit: Julianus non comedit arietes. Et ecce post modicum febre vehementissima perurgetur et invalescente febre, quod a martire incenditur, confitetur fecitque super se jactari aquam, ut refrigeraretur, sed statim tantus fumus et foetor de corpore ejus exiit, ut cuncti, qui aderant, fugerent et ipse post modicum exspiraret. Cum quidam rusticus, ut ait Gregorius Turonensis, in die dominica arare vellet, protinus contractis digitis manubrium securis, cum qua vomerem mundare volebat, ejus dextrae adhaesit, sed post duos annos in ecclesia sancti Juliani ad ejus preces curatus est. — — 3. Fuit insuper alius Julianus frater beati Julii: hi duo fratres ad Theodosium imperatorem christianissimum venerunt petentes, ut templa ydolorum, ubicunque invenirent, destruerent et Christi ecclesias aedificarent. Quod imperator lubenter faciens scripsit, ut omnes iis debeant obedire et eos in omnibus sub poena capitis adjuvare. Cum igitur beati Julianus et Julius in loco, qui dicitur Gaudianum, ecclesiam fabricarent et cuncti transeuntes eos in opere ob imperatoris imperium adjuvarent, contigit ut quidam cum curru inde transitum facerent, qui dixerunt ad invicem: quam excusationem praetendere poterimus, ut liberi transeamus et in opere isto non occu-

pemur? dixeruntque: projiciamus unum ex nobis in plaustrum supinum et eum pannis cooperiamus dicemusque, quod hominem mortuum in vehiculo habemus et sic liberi transire poterimus. Arripientesque hominem unum in plaustrum projecerunt eique dixerunt: tu sile et oculos claude et quousque transierimus, quasi mortuus jace. Cumque hominem tamquam mortuum cooperuissent et usque ad famulos Dei Julianum et Julium venissent, dixerunt ei servi Dei: filioli parumper subsitite et nos in hoc opere modicum adjuvate. Qui responderunt: non possumus hic stare, quoniam hominem mortuum in plaustro habemus. Quibus sanctus Julianus dixit: [1]) ut quid ita mentimini filii? Et illi: non mentimur domine, sed sic est, ut loquimur. Et sanctus Julianus dixit: secundum veritatem dicti vestri ita vobis contingat. Et illi boves pungentes pertransierunt cumque procul pertransiissent, accedentes ad currum coeperunt collegam suum vocare ex nomine dicentes: surge amodo et stimula boves, ut celerius transeamus. Cum autem nullatenus se moveret, eum pulsare coeperunt dicentes: ut quid deliras? surge et stimula boves. Sed cum nullatenus ille responderet, accedentes discooperuerunt eum et mortuum invenerunt tantusque timor ipsos et caeteros invasit, ut nullus de caetero famulo Dei mentiri auderet. — — — 4. Fuit etiam alius Julianus qui utrumque parentem nesciens occidit cumque is Julianus praedictus juvenis ac nobilis quadam die venationi insisteret et quendam cervum repertum insequeretur, subito cervus versus eum divino nutu se vertit eique dixit: tu me insequeris, qui patris et matris tuae occisor eris? Quod ille audiens vehementer extimuit et, ne sibi forte contingeret, quod a cervo audierat, relictis omnibus clam discessit, ad regionem valde remotam pervenit ibique cuidam principi adhaesit et tam strenue ubique et in bello et in pace se habuit, quod princeps eum militem fecit et quandam castellanam viduam in conjugem ei tradidit et castellum pro dote accepit. Interea parentes Juliani pro amissione filii Juliani nimium dolentes vagabundi ubique pergebant et filium suum sollicite quaerebant: tandem ad castrum, ubi Julianus praeerat, devenerunt. Tunc autem Julianus a castro casu recesserat. Quos cum uxor Juliani vidisset et, quinam essent, inquisivisset et illi omnia, quae filio suo acciderant, enarrassent, intellexit, quod viri sui parentes erant, ut puto, quia hoc a viro suo forte frequenter

---

1) Scriptum pro vulgari: ad quid.

audierat. Ipsos igitur benigne suscepit et pro amore viri sui lectum iis dimisit et ipsa sibi alibi lectulum collocavit. Facto autem mane castellana ad ecclesiam perrexit et ecce Julianus mane veniens in thalamum quasi uxorem suam excitaturus intravit et inveniens duos pariter dormientes, uxorem cum adultero suo, silenter extracto gladio ambos pariter interemit. Exiens autem domum vidit uxorem ejus ab ecclesia revertentem et admirans interrogavit, quinam essent illi, qui in suo lecto dormirent, at illa ait: parentes vestri sunt, qui vos diutissime quaesierunt, et eos in vestro thalamo collocavi. Quod ille audiens paene exanimis effectus amarissime flere coepit ac dicere: heu miser quid faciam? Quia dulcissimos meos parentes occidi; ecce impletum est verbum cervi, quod dum vitare volui, miserrimus adimplevi. Jam vale soror dulcissima, quia de caetero non quiescam, donec sciam, quod Deus poenitentiam meam acceperit. Cui illa: absit, dulcissime frater, ut te deseram et sine me abeas, sed quae fui tecum particeps gaudii, ero particeps et doloris. Tunc insimul recedentes juxta quoddam magnum flumen, ubi multi periclitabantur, quoddam hospitale maximum statuerunt, ut ibi poenitentiam facerent et omnes, qui vellent transire fluvium, incessanter transveherent et hospitio universos pauperes reciperent. Post multum vero temporis media nocte, dum Julianus fessus quiesceret et gelu grave esset, audivit vocem miserabiliter lamentantem ac Julianum, ut se traduceret, lugubri voce invocantem: quod ille audiens concitus surrexit et jam gelu deficientem inveniens in domum suam portavit et ignem accendens ipsum calefacere studuit. Sed cum calefieri non posset et, ne ibi deficeret, timeret, ipsum in lectulum suum portavit et diligenter cooperuit. Post paululum ille, qui sic infirmus et quasi leprosus apparuerat, splendidus scandet ad aethera et hospiti suo dixit: Juliane, dominus misit me ad te, mandans tibi, quod tuam poenitentiam acceptavit et ambo post modicum in domino quiescetis. Sicque ille disparuit et Julianus cum uxore sua post modicum plenus bonis operibus et eleemosinis in domino requievit. — — — 5. Fuit et alius Julianus, non quidem sanctus sed sceleratissimus, scilicet Julianus apostata. Hic Julianus prius fuit monachus et magnae religionis simulator, quaedam autem mulier (ut refert magister Johannes Beleth in Summa de officio ecclesiae) habens tres ollas plenas auri, aurum illud in orificiis ollarum cinere, ne appareret, operuit et praedictas ollas Juliano, quem sanctissimum hominem aestima-

bat, coram quibusdam monachis servandam tradidit, quod autem aurum ibidem esset, non aliter indicavit. Julianus igitur praedictas ollas accipiens et tam copiosum aurum ibidem inveniens totum illud aurum furatus est et ollas implevit cinere. Post aliquod tempus cum mulier depositum suum requireret, ille ollas cum cinere sibi reddidit, cum vero aurum requireret, convincere illum non potuit, quia de auro testes non habuerat, quoniam monachi, coram quibus hoc sibi tradiderat, nil in iis nisi cinerem viderant, et sic aurum obtinuit, cum quo Romam fugit et per illud aurum sequenti tempore Romae obtinuit consulatum: deinde in imperium sublimatus est. Qui cum instructus esset a pueritia in arte magica et multum sibi placeret, magistros inde plurimos secum habebat. Die autem quadam, sicut in hystoria tripartita habetur, cum puer adhuc esset, et recedente magistro suo solus remansisset et adjurationes daemonum legere incepisset, ante eum maxima multitudo daemonum instar Aethyopum nigrorum advenit. Tunc Julianus hoc videns et metuens signum crucis protinus fecit et omnis illa multitudo daemonum evanuit; qui cum magistro suo revertenti, quid sibi acciderit, retulisset, dixit ei magister suus: hoc signum crucis maxime daemones odiunt et timent. Sublimatus igitur in imperium hujus rei memorans cum per artem magicam operari vellet, apostavit et signum crucis ubique destruxit ac christianos, in quantum potuit, persecutus est putans, quod aliter daemones sibi minime obedirent. Descendens Julianus in Persidam, sicut legitur in vitis patrum, misit daemonem in occidentem, ut sibi inde deportaret responsum, cum autem daemon ad quemdam locum venisset, per decem dies ibidem immobilis stetit, quia quidam monachus ibidem die ac nocte orabat, et ei sine effectu regresso dixit Julianus: quare tantum tardasti? Qui respondit: sustinui per decem dies publicum monachum, si forte ab oratione cessaret et transire possem, cumque non cessaret, prohibitus sum transire et redii nihil agens. Tunc indignatus Julianus dixit, quod, cum illuc veniret, vindictam de illo monacho faceret. Cum ergo de Persia victoriam sibi daemones promitterent, sophista suus dixit cuidam christiano: quid putas, nunc facit fabri filius? Et ille: sepulchrum parat Juliano. Dum igitur (ut in hystoria sancti Basilii legitur et Fulbertus, Carnotensis episcopus, testatur) Caesaream Cappadociae devenisset, sanctus Basilius eidem occurrit et quattuor panes hordeaceos pro munere ei misit, at Julianus indignatus eos recipere contemsit et pro panibus

sibi foenum misit dicens: pabulum nobis irrationabilium animalium obtulisti, recipe quod misisti. Respondit Basilius: nos quidem, quod comedimus, tibi misimus, tu vero dedisti nobis, unde bestias tuas nutris. Ad hoc iratus Julianus respondit: cum Persas subegero, hanc urbem destruam et arabo, ut [1]) farrifera magis quam hominifera nominetur. Sequenti autem nocte vidit Basilius in ecclesia sanctae Mariae in visu multitudinem angelorum et in medium eorum quandam feminam in throno stantem et adstantibus dicentem: vocate mihi cito Mercurium, qui Julianum apostatam occidat, qui me et filium meum [2]) superbe blasphemat. Erat autem Mercurius miles quidam, qui ab ipso Juliano pro fide Christi fuerat interfectus, et in eadem ecclesia erat sepultus. Statimque sanctus Mercurius, ubi cum armis suis quiescebat, quae ibi servabantur, adfuit et jussus ab ea in proelium se praeparavit. [3]) Expergefactus itaque Basilius ad locum, ubi sanctus Mercurius cum armis suis quiescit, ivit et monumentum suum aperiens nec corpus ibidem reperit nec arma invenit. Tunc custodem, [4]) an asportaverit, inquisivit, ille vero cum juramento affirmabat, eadem arma vespere ibidem fuisse, ubi perpetuo servabantur. Inde igitur Basilius recedens et mane illuc rediens invenit ibidem corpus ejus et arma et lanceam sanguine cruentatam et ecce quidam de exercitu rediens dixit: cum Julianus imperator in exercitu moraretur, ecce quidam miles ignotus cum armis suis et lancea veniens et calcaribus urgens equum audaci mente Julianum imperatorem impetiit et lanceam fortiter vibrans ipsum valide per medium perforavit et subito abscedens nusquam comparuit. Ipse vero Julianus dum adhuc spiraret, sanguine manum suam implevit (sicut dicitur in hystoria tripartita) et in aëra projecit dicens: vicisti Galilaea, vicisti, sicque in his vocibus miserabiliter exspiravit, ab omnibus autem suis insepultus relinquitur et a Persis excoriatur et de corio suo regi Persarum substratorium efficitur.

De festivitatibus quae eveniunt infra tempus deviationis.

Dicto de festivitatibus, quae occurrunt infra tempus, quod partim continetur sub tempore reconciliationis, partim sub tempore pe-

---

1) Alii legunt ferifera — homifera, Ed. Pr. farrifar — hominifar.
2) semper Al. legunt. 3) Expergefactus addunt Recent. 4) Recent. quis arma asp. legunt.

regrinationis, quod tempus repraesentat ecclesia a nativitate Christi usque ad septuagesimam, sequitur videre de festivitatibus, quae eveniunt infra tempus deviationis, quod incepit ab Adam et duravit usque ad Moysen, quod tempus repraesentat ecclesia a septuagesima usque ad pascha.

CAP. XXXI.
De septuagesima.

Septuagesima signat tempus deviationis, sexagesima tempus viduationis, quinquagesima tempus remissionis, quadragesima tempus poenitentiae spiritualis. Inchoatur autem septuagesima a dominica, in qua cantatur: circumdederunt me, et terminatur in sabbato post pascha. Instituta est autem septuagesima propter tres rationes (sicut invenitur in Summa de officio magistri Johannis Beleth), scilicet propter redemtionem, quoniam sancti patres statuerunt, ut propter venerationem diei ascensionis, in qua natura nostra coelos adscendit et supra choros angelorum sublimata est, semper ipsa quinta die sollemnis et celebris haberetur et in ea jejunium non observaretur, quia in primitiva ecclesia aeque sollemnis erat, sicut prima feria, unde et tunc sollemnis processio fiebat ad repraesentandum processionem discipulorum vel ipsorum angelorum. Ideo in vulgare proverbium versum est, ut diei dominicae dicatur cognata dies Jovis, quia antiquitus fuit aeque sollemnis, sed festa sanctorum supervenerunt et celebrare tot festa erat onerosum, ideo solemnitas illa cessavit. In redemtionem ergo illorum dierum sancti patres unam septimanam Christi in abstinentia addiderunt et septuagesimam vocaverunt. Alia est propter significationem, quoniam per hoc tempus significatur deviatio, exsilium et tribulatio totius humani generis ab Adam usque ad finem mundi. Quod quidem exsilium sub revolutione septem dierum peragitur et sub revolutione septem millium annorum includitur: per septuaginta enim dies septuaginta centenas annorum intelligimus. Ab initio autem mundi usque ad adscensionem sex millia annorum computamus et tunc vero quidquid temporis sequitur, usque ad finem mundi sub septimo millenario comprehendimus, cujus terminum solus Deus novit. Nos igitur

Christus in sexta aetate mundi ab hoc exsilio in spe aeternae retributionis reddita innocentiae stola per baptismum eripuit, sed consummato tempore nostri exsilii utraque stola nos perfecte decorabit. Hinc est quod in hoc tempore deviationis et exsilii cantica laetitiae deponimus, sed tamen in sabbato paschae unum alleluja decantamus, tanquam in spe aeternae patriae gratulantes et stolam innocentiae in sexta mundi aetate per Christum recuperantes, cui etiam tractus subjicitur, per quem significatur labor, quem adhuc ad impletionem mandatorum Dei habere debemus. In sabbato post pascha, in quo, ut dictum est, terminatur septuagesima, duo alleluja cantamus, quia completo hujus mundi termino duplicem stolam gloriae consequemur. Alia est ratio propter repraesentationem, quoniam septuagesima repraesentat septuaginta annos, quibus filii Israel sub captivitate Babilonica fuerunt, et quemadmodum illi deposuerunt organa sua dicentes: quomodo cantabimus canticum domini etc., sic et nos cantica laudis deponimus. Postea vero data illis licentia redeundi a Cyro sexagesimo anno coeperunt laetari et nos quoque in sabbato paschae tamquam in sexagesimo anno alleluja cantamus eorum repraesentando laetitiam, sed tamen illi in apparatu reditus et in colligendo sarcinulas multum laboraverunt et nos post alleluja tractum statim subjungimus, qui laborem significat, sabbato autem, quo septuagesima terminatur, duo alleluja cantamus, eorum plenam laetitiam, per quam pervenerunt in patriam, figurantes. Hoc etiam tempus captivitatis et exsilii filiorum Israel repraesentat tempus nostrae peregrinationis, quia sicut ipsi in sexagesimo anno sunt liberati, sic nos in sexta mundi aetate. Et sic ut adhuc in colligendo sarcinulas laboraverunt, sic et nos etiam liberati in completione mandatorum laboramus. Sed cum ad patriam perventum fuerit, labor omnis cessabit et gloria perfecta erit et duplex alleluja in corpore et anima cantabimus. In hoc igitur tempore exsilii ecclesia multis tribulationibus pressa et fere in baratro desperationis posita ab alto trahens suspiria clamat in officio et dicit: circumdederunt me gemitus mortis etc., et ostendit ecclesia multiplicem sui tribulationem, quam habet, et pro miseria contracta et pro duplici poena inflicta et pro culpa quo ad aliquos commissa. Sed tamen ne desperet, proponitur ei in evangelio et in epistola triplex salubre remedium et triplex praemium. Remedium est, ut, si ab illis vult perfecte liberari, in vinea animae suae laboret, abscindendo vitia et peccata, postea in stadio praesentis vitae currat

per poenitentiae opera, deinde viriliter in agone pugnet contra omnia dyaboli tentamenta, et si hoc fecerit, triplex praemium habebit, quia laboranti dabitur denarius, currenti bravium, pugnanti corona, quia etiam LXX significat tempus nostrae captivitatis, proponitur nobis remedium, per quod a captivitate possimus liberari, scilicet per cursum fugiendo, per pugnam proeliando, per denarium redimendo.

CAP. XXXII.
De sexagesima.

Sexagesima inchoatur in dominica, in qua cantatur: exsurge, quare obdormis domine, et terminatur in quarta feria post pascha. Instituta est autem propter redemtionem et propter significationem et propter repraesentationem. Propter redemtionem, quoniam Melchiades papa et beatus Silvester statuerunt, ut bis in omni sabbato comederetur, ne propter abstinentiam, quam homines sustinuerunt, in sexta feria, in qua omni tempore jejunandum est, natura debilitaretur. In redemtionem ergo sabbatorum illius temporis unam septimanam XL addiderunt et sexagesimam vocaverunt. Alia ratio est propter significationem, quoniam sexagesima significat tempus viduitatis ecclesiae et moerorem illius pro abstinentia sponsi, quoniam fructus sexagesimus debetur viduis. In consolationem autem illius pro absentia sponsi, qui ad coelos raptus est, dantur ecclesiae duae alae, scilicet sex operum misericordiae exercitatio et decalogi impletio, unde sexagesima sonat sexies decem, ut per sex intelligantur sex opera misericordiae, per decem decalogus intelligatur. Tertia ratio est propter redemtionem, nam sexagesima non solum significat tempus viduitatis, sed etiam misterium nostrae redemtionis repraesentat, nam per decem intelligitur homo, qui est decima dragma, eo quod factus sit, ut ruinam novem ordinum repararet. Vel intelligitur per decem, eo quod constat ex quattuor humoribus quantum ad corpus, et habet tres potentias in anima, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem, quae factae sunt, ut serviant beatissimae trinitati, ut in ipsam fideliter credamus, ipsam ferventer diligamus et semper in memoria teneamus. Per sex intelligantur

sex misteria, per quae homo decimus est redemtus, quae sunt incarnatio, nativitas, passio, descensio ad inferos, resurrectio et in coelum ascensio, et protenditur sexagesima usque ad quartam feriam post pascha, in qua cantatur: venite benedicti patris mei, quia illi, qui in operibus misericordiae se exercent, audient istud: venite benedicti (ut ipse Christus testatur), ubi tunc sponsae janua aperietur et amplexu sponsi fruetur. In epistola Pauli admonetur, ut instar Pauli tribulationem de absentia sponsi patienter tolleret, in evangelio, ut seminationi bonorum operum semper insistat, et quae quasi desperans clamaverat: circumdederunt me etc., nunc quoque ad se rediens petit in officio in tribulationibus adjuvari et ab ipsis eripi dicens: exsurge domine etc. et ponit ibi triplex exsurge. Quidam enim sunt in ecclesia, qui ab adversis premuntur, sed non dejiciuntur; quidam, qui premuntur, et dejiciuntur, quidam qui nec premuntur, nec dejiciuntur, tamen quia adversa non tolerant, periculum est, ne prospera ipsos frangant. Clamat ergo ecclesia, ut exsurgat: quantum ad primos, ipsos confortando, cum dormire videantur, ipsos non eripiendo clamat, ut exsurgat; quantum ad secundos, ipsos convertendo, a quibus videtur faciem avertisse, ipsos quadammodo repellendo clamat, ut exsurgat; quantum ad tertios in prosperis adjuvando et liberando.

CAP. XXXIII.
De quinquagesima.

Quinquagesima durat a dominica, in qua cantatur: esto mihi in Deum protectorem etc. et terminatur in ipso die paschae. Instituta est autem propter suppletionem et propter significationem et propter repraesentationem. Propter suppletionem, quoniam cum debeamus XL diebus jejunare ad similitudinem Christi et non sunt ibi nisi XXXVI dies jejunabiles, quia in dominicis non jejunatur generaliter, tum propter laetitiam et reverentiam resurrectionis, tum exemplo Christi, qui ipsa die resurrectionis bis comedit, scilicet quando intravit ad discipulos januis clausis et ibi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis, et iterum cum discipulis euntibus in Emaus secundum quosdam. Ideo pro suppletione dominicarum additi sunt

quattuor dies. Et iterum clerici videntes, quod sicut praecedebant populum ordine, ita praecedere deberent sanctitate, per duos iterum dies ante illos quattuor abstinere et jejunare incipiunt et sic una septimana addita est, quae et quinquagesima nominatur, et hoc papa Telesphorus ordinavit, ut ait Ambrosius. Alia ratio est propter significationem, quoniam quinquaginta significat tempus remis sionis, id est, tempus poenitentiae, in qua omnia remittuntur, quinquagesimus enim annus erat jubilaeus, qui erat annus remissionis, quia tunc debita remittebantur, servi liberabantur et omnes ad suas possessiones revertebantur. Per quod significabatur, quod per poenitentiam dimittuntur debita peccatorum et liberantur omnes a servitute daemonum et revertuntur ad possessionem coelestium mansionum. Tertia ratio est propter repraesentationem, nam quinquagesima non solum tempus remissionis, sed etiam statum beatitudinis repraesentat. Nam in quinquagesimo anno servi efficiebantur liberi, in quinquagesimo die a die agni immolati lex data est, in quinquagesimo die a pascha datus est spiritus sanctus, et ideo numerus beatitudinem repraesentat, ubi erat adeptio libertatis, cognitio veritatis et perfectio caritatis. Tria autem sunt necessaria, quae proponuntur nobis in epistola et in evangelio ad hoc, quod opera poenitentiae sunt perfecta, scilicet caritas, quae proponitur in epistola, memoria dominicae passionis et fides, quae intelligitur per illuminationem caeci. Et haec ponuntur in evangelio, nam fides ipsa opera facit acceptabilia et placabilia, quia sine fide impossibile est placere Deo, memoria dominicae passionis facit esse facilia. Unde Gregorius: si passio Christi ad memoriam reducitur, nihil est, quod non aequo animo toleretur. Caritas facit esse continua, quia, sicut dicit Gregorius, amor Dei non potest esse otiosus, operatur autem magna, si est, si autem operari negligit, amor non est. Et sicut in principio ecclesia quasi desperans clamaverat: circumdederunt me etc. et postmodum ad se rediens adjuvari petebat, ita hic jam concepta fiducia et spe veniae propter poenitentiam orat et dicit: esto mihi in Deum protectorem etc., ubi quattuor petit, scilicet protectionem, firmamentum, refugium et ducatum. Omnes enim filii sui aut sunt in gratia aut sunt in culpa aut in adversis aut in prosperis. Illis, qui sunt in gratia, petit firmamentum, ut scilicet in ipsa gratia confirmentur; illis, qui sunt in culpa, petit, ut Deus sit eorum refugium; illis, qui sunt in adversis, petit protectionem, ut in ipsis tribulationibus protegantur; illis, qui sunt in prosperis, petit duca-

tam, ut scilicet in ipsis a Deo innocenter ducantur. Terminatur autem quinquagesima, ut dictum est, in die paschae, quia poenitentia ad novitatem vitae facit resurgere. In hoc tempore psalmus quinquagesimus, scilicet: miserere mei dominus, qui est psalmus poenitentiae et remissionis, plurimum frequentatur.

CAP. XXXIV.
De quadragesima.

Quadragesima incipit a dominica, qua cantatur: invocavit me, ubi ecclesia, quae tot tribulationibus pressa clamaverat: circumdederunt me etc., et postmodum respiraverat invocando adjutorium dicens: exsurge etc. et esto mihi in Deum protectorem etc., nunc ostendit se exauditam, dicens: invocavit me etc. Notandum autem, quod quadragesima continet XLII dies, computatis dominicis diebus, ex quibus dum sex dies dominicales subtrahuntur, remanent XXXVI dies in abstinentia, quae sunt decima totius anni. Annus enim habet trecentos sexaginta quinque dies, quorum XXXVI sunt decima, sed quattuor dies praecedentes adduntur, ut sacer numerus quadraginta dierum impleatur, quem salvator suo jejunio consecravit. Quare autem in hoc numero [1]) jejunium observamus, triplex ratio assignari potest. Prima est Augustini, quoniam Matthaeus XL generationes Christi ponit. Ad hoc igitur dominus suo quadragenario numero ad nos descendit, ut nos ad eum numero quadragenario adscendamus. Aliam assignat idem dicens: ad hoc ut habeamus quinquagenarium, quadragenario addendus est denarius, quia ad hoc ut veniamus, ad beatam requiem oportet nos toto praesentis vitae tempore laborare. Unde et dominus XL diebus cum discipulis mansit et post decima die spiritum sanctum Paracletum misit. Tertiam assignat magister Praepositivus in Summa de officiis dicens: mundus in quattuor partes et annus in quattuor tempora dividitur et hoc ex quattuor elementis et quattuor complexionibus constituitur et novam legem, quae in quattuor evangeliis consistit, et veterem, quae in decem mandatis, transgressi sumus. Oportet igitur, ut de-

---

1) Rec. addunt quadragenario.

narius per quaternarium multiplicetur, ut sic XL faciamus, id est, mandata veteris et novae legis toto tempore vitae hujus impleamus. Consistit quidem corpus nostrum, sicut diximus, ex quattuor elementis, quae et quasi quattuor sedes in nobis habent, nam ignis in oculis, aër in lingua et auribus, aqua in genitalibus, terra in manibus et aliis membris dominatur. In oculis igitur curiositas, in lingua et auribus scurrilitas, in genitalibus voluptas, in manibus et in aliis membris est crudelitas. Haec quattuor confitetur publicanus, quia enim a longe stat, confitetur luxuriam, quae est foetida, quasi dicat: non audeo appropinquare domine, ne in naribus tuis foeteam. Quod non audet oculos ad coelum levare, confitetur curiositatem; quod manu percutit pectus, confitetur [1]) crudelitatem; quod dicit: propitius esto mihi peccatori, scurrilitatem, nam scurrae consueverunt vocari peccatores vel potius leccatores. Haec Praepositivus. Gregorius quoque in homilia tres ponit rationes dicens: cur in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus decalogi per libros quattuor sancti evangelii impletur? In hoc etiam mortali corpore ex quattuor elementis subsistimus et per voluptates ejusdem corporis praeceptis dominicis contrariamur. Quia ergo per carnis desideria decalogi mandata contemsimus, dignum est, ut eandem carnem quaterdecies affligamus. A praesenti quoque die usque ad pascha sex hebdomadae, id est XLII dies veniunt, ex quibus dum sex dies dominici de abstinentia abstrahuntur, XXXVI. in abstinentia remanent, dum vero per trecentos LXV. dies annus ducitur, quasi anni nostri decimas Deo damus. Haec Gregorius. Quare autem non observamus nostrum jejunium eodem tempore, quo Christus jejunavit, qui statim post baptismum istud inchoavit? Sed cum pascha potius istud continuamus, quadruplex ratio assignatur in Summa de officio magistri Johannis Beleth. Prima est, ut si volumus cum Christo resurgere, pro nobis Christus est passus et nos cum eo pati debemus. Secunda causa est, ut filios Israel imitemur, qui primo eo tempore exierunt de [2]) Aegypto, postea eo tempore de Babylonia, quod inde probatur, quoniam tam isti quam illi, quando egressi sunt, celebrarunt pascha. Sic et nos imitantes eos hoc tempore jejunamus, ut de Aegypto et Babylonia, id est, hoc mundo in terram aeternae hereditatis ingredi mereamur. Tertia causa est, quoniam fervor libidinis in tempore veris magis solet

1) Hic et paulo post Ed. Pr. credulitatem offert. 2) Verba Aegypto — de desunt in Ed. Pr.

nos accendere; ut ergo refrenemus corporis aestum, in hoc tempore maxime jejunamus. Quarta est, quia statim post jejunium debemus corpus domini accipere. Sicut ergo filii Israel priusquam comederent, affligebantur et comedebant agrestes lactucas et amaras, ita et nos debemus per poenitentiam prius affligi, ut digni valeamus comedere agnum vitae.

CAP. XXXV.

De jejunio quattuor temporum.

Jejunia quattuor temporum a Calixto papa instituta sunt: fiunt autem haec jejunia quater in anno secundum quattuor tempora ipsius anni, et hujus multiplex est ratio. Prima est, quoniam ver est calidum et humidum, aestas est calida et sicca, auctumnus frigidus et siccus, hyems frigida et humida. Jejunamus igitur in vere, ut noxium humorem, id est luxuriam, in nobis temperemus; in aestate, ut noxium calorem, id est, avaritiam in nobis castigemus, in autumno, ut castigemus ariditatem superbiae; in hyeme, ut castigemus frigus infidelitatis et malitiae. Secunda ratio est, quare scilicet quater in anno jejunamus, quoniam prima hujusmodi jejunia fiunt in Martio, scilicet in prima septimana quadragesimae, ut in nobis marcescant vitia, non enim omnino possunt exstingui, vel potius ut in nobis virtutum germina oriantur. In aestate fiunt secunda, ut in septimana pentecostes, quia tunc venit spiritus sanctus et nos debemus esse ferventes in spiritu sancto. In Septembri fiunt ante festum sancti Michaelis, id est tertia jejunia, quoniam fructus tunc colliguntur et nos debemus Deo reddere fructus bonorum operum. In Decembri fiunt quarta, quoniam tunc moriuntur herbae, et nos debemus mortificari mundo. Tertia ratio est, ut Judaeos imitemur. Judaei quidem quater in anno jejunabant, ante pascha, ante pentecostes, ante scenophegiam, id est ante infixionem tabernaculi in Septembri, et ante encaenia, id est, ante dedicationem in Decembri. Quarta ratio est, quoniam homo constat ex quattuor elementis quantum ad corpus et tribus potentiis, scilicet rationali, concupiscibili et irascibili quantum ad animam. Ut ergo haec moderentur in nobis, quater in anno per tres dies jejunamus, ut qua-

ternarius referatur ad corpus, ternarius vero ad animam. Et hae rationes sunt magistri Johannis Beleth. Quinta ratio est, quoniam, ut dicit Johannes Damascenus, in vere augmentatur sanguis, in aestate colera, in auctumno melancolia, in hyeme flegma. Jejunamus igitur in vere, ut in nobis debilitetur sanguis concupiscentiae et ineptae laetitiae, sanguineus enim est libidinosus et laetus; in aestate, ut debilitetur colera iracundiae et fallaciae, colericus enim est naturaliter iracundus et versutus; in auctumno, ut debilitetur melancolia cupiditatis et tristitiae, melancolicus enim est naturaliter cupidus et tristis; in hyeme, ut debilitetur flegma hebetudinis et pigritiae, nam flegmaticus naturaliter est hebes et piger. Sexta ratio est, quoniam ver comparatur aëri, aestas igni, auctumnus terrae, hyems aquae. Jejunamus igitur in vere, ut in nobis edometur aër elationis et superbiae, in aestate, ut in nobis edometur ignis cupiditatis et avaritiae, in autumno, ut edometur terra frigiditatis spiritualis et tenebrosae ignorantiae, in hyeme, ut edometur in nobis aqua levitatis et inconstantiae. Septima ratio est, quoniam ut ver refertur ad pueritiam, aestas ad adolescentiam, auctumnus ad maturitatem sive virilem aetatem, hyems ad senectutem, jejunamus igitur in vere, ut simus pueri per innocentiam, in aestate, ut efficiamur fortes vitando incontinentiam, in autumno, ut efficiamur juvenes per constantiam et maturi per justitiam, in hyeme, ut efficiamur senes per prudentiam et honestam vitam, vel potius in hyeme, ut satisfaciamus, quidquid per [1]) alias aetates dominum offendimus. Octava ratio est magistri Guilielmi Altissiodorensis. Ideo enim in quattuor anni temporibus jejunamus, ut emendemus, quae in illis quattuor anni tempestatibus deliquimus. Et fiunt per tres dies, ut satisfaciamus in die, quod deliquimus in mense, et fiunt in feriarum quarta, quia tunc dominus a Juda traditus fuit, in sexta feria, quia crucifixus fuit, in sabbato, quia in sepulchro jacuit et quia tristes erant apostoli de nece sui domini.

---

1) Ed. Rec. male per illas quattuor aetates praeferunt.

CAP. XXXVI.

De sancto Ignatio.

Ignatius dicitur quasi ignem patiens, id est ignem patiens divini amoris.

1. Ignatius fuit discipulus beati Johannis et episcopus Antiocenus: hic epistolám ad beatam virginem direxisse legitur in haec verba. Christiferae Mariae suus Ignatius. Me neophitum Johannisque tui discipulum confortare et consolari debueras, de Jesu enim tuo percepi mira dictu et stupefactus sum ex auditu: a te autem, quae semper fuisti familiariter conjuncta, et secretorum ejus conscia, desidero ex animo fieri certior ex auditis. Valeas et neophiti, qui mecum sunt, ex te et per te et in te confortentur. Beata autem virgo, Dei genitrix Maria, in haec verba sibi respondit: Ignatio dilecto condiscipulo humilis ancilla Christi Jesu. De Jesu, quae a Johanne audiisti et didicisti, vera sunt: illa credas, illis adhaereas et christianitatis votum firmiter teneas et mores et vitam voto conformes. Veniam autem una cum Johanne te et qui tecum sunt visere. Sta et viriliter age in fide, ne te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat et exsultet spiritus tuus in Deo salutari [1]) tuo amen. — — — **2.** Tantae autem auctoritatis beatus Ignatius exstitit, quod etiam Dyonisius, Pauli apostoli discipulus, qui fuit in philosophia tam summus et in divina scientia tam perfectus, verbum beati Ignatii ad confirmationem dictorum suorum tanquam pro auctoritate adduxerit. Cum enim, ut ipse in libro de divinis nominibus attestatur, quidam nomen amoris in divinis reprehenderent dicentes, in divinis non tam esse nomen amoris quam dilectionis, volens ostendere hoc nomine amoris per omnia in divinis esse utendum, ait: scribit autem divinus Ignatius: amor meus crucifixus est. — — — **3.** Legitur in hystoria tripartita, quod Ignatius audivit angelos cantantes antiphonas [2]) super montem stantes, exinde statuit antiphonas cantari in ecclesia et psalmos secundum antiphonas intonari. Cum ergo beatus Ignatius diu pro pace ecclesiae dominum exorasset, non suum, sed infirmorum periculum

---

1) Haec duo vocabula omittit Ed. Pr. 2) Verba: super montem antiphonas omittit Ed. Pr., ultima vero vox intonari deest in plurimis libris.

metuens, Trajano imperatori, qui coepit anno domini C., de victoria redeunti et christianis omnibus mortem minanti occurrit et libere se christianum esse asseruit, quem Trajanus ferro vinctum decem militibus tradidit et Romam adduci praecepit, minans eidem, quod traderetur ibidem bestiis devorandus. Cum ergo Romam duceretur, ad omnes ecclesias epistolas destinabat et eas in fide Christi confirmabat, inter quas unam scripsit ad romanam ecclesiam, sicut legitur in hystoriis ecclesiasticis, rogans, ne suum martirium impediat. Ubi sic dicit: a Syria usque ad Romam cum bestiis terra marique depugno die ac nocte connexus et colligatus decem leopardis militibus ducor ad custodiam datis, qui ex beneficiis nostris saeviores fiunt, sed ego eorum nequitiis magis erudior. O salutares bestias, quae praeparantur mihi, [1]) quando venient, quando emittentur, quando iis licebit carnibus meis frui? Invitabo eas ad devorationem meam et deprecabor, ne forte, ut in nonnullis fecerunt, timeant contingere corpus meum, quin immo et si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date quaeso veniam, ego novi, quid mihi expediat, ignes, cruces, bestiae, dispersiones ossium, discerptiones omnium membrorum et totius corporis et omnia paene in me unum supplicia dyaboli quaesita confientur, dummodo Jesum Christum merear adipisci. Cum ergo Romam venisset et ante Trajanum ductus fuisset, dixit ei Trajanus: Ignati, cur Antiochiam rebellare facis et gentem meam ad christianitatem convertis? Cui Ignatius: utinam et te possem convertere, ut semper obtineres fortissimum principatum. Cui Trajanus: sacrifica Diis meis et sacerdotum omnium princeps eris. Cui Ignatius: nec Diis tuis sacrificabo nec tuam affecto dignitatem, de me, quidquid vis, facere poteris, sed nullatenus me mutabis. Trajanus dixit: plumbatis scapulas ejus contundite et ungulis latera laniate et duris lapidibus vulnera ejus confricate. Cumque haec omnia in eum fecissent et ipse immobilis permaneret, dixit Trajanus: carbones vivos afferte et ipsum nudis plantis desuper ambulare facite. Cui Ignatius: nec ignis ardens nec aqua bulliens poterit in me Christi Jesu caritatem exstinguere. Cui Trajanus: maleficia sunt haec, quod tanta patiens non consentis. Cui Ignatius: nos christiani malefici non sumus, sed in lege nostra maleficos vivere prohibemus, sed vos malefici estis, qui ydola adoratis. Trajanus dixit: dorsum ejus [2]) ungulis laniate et plagas sale

1) Verba quando venient omittit Ed. Pr. 2) Alii vinculis legunt.

perfundite. Cui Ignatius: non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Trajanus dixit: jam nunc eum tollite vinculis ferreis, alligate in cippo, in imo carceris custodite, sine cibo et potu eum esse permittite et post triduum devorandum bestiis date. Tertia igitur die imperator et senatus omnisque populus convenerunt, ut viderent episcopum Antiocenum, qui erat cum bestiis pugnaturus, dixitque Trajanus: quoniam Ignatius superbus et contumax est, ipsum alligate et duos leones ad ipsum laxate, ut nec ullas reliquias ex eo relinquant. Tunc sanctus Ignatius dixit ad populum, qui adstabat: viri romani, qui hoc certamen aspicitis, non sine mercede laboravi, quia non propter pravitatem, sed propter pietatem hoc patior. Deinde coepit dicere (sicut legitur in hystoria ecclesiastica): frumentum Christi sum, bestiarum dentibus molar, ut panis mundus efficiar. Hoc audiens imperator dixit: grandis est tolerantia christianorum, quis Graecorum tanta toleraret pro Deo suo? Respondit Ignatius: non haec mea virtute, sed Christi adjutorio toleravi. Tunc sanctus Ignatius coepit leones provocare, ut ad se devorandum accurrerent. Accurrentes igitur duo saevi leones ipsum tantummodo praefocaverunt, carnem tamen ejus nullatenus tetigerunt, Trajanus autem hoc videns cum nimia admiratione discessit praecipiens, ut non prohiberetur, si quis vellet tollere corpus ejus. Quapropter christiani corpus ejus tulerunt et ipsum honorifice sepelierunt. Cum autem Trajanus quasdam litteras recepisset, in quibus Plinius secundus christianos, quos imperator occidi jusserat, plurimum commendabat, doluit de his, quae Ignatio intulerat, et praecepit, ut nullus christianus inquireretur, si quis tamen incideret, puniretur. — — — 4. Legitur autem, quod beatus Ignatius inter tot tormentorum genera nunquam ab invocatione nominis Jesu Christi cessabat. Quem cum tortores inquirerent, cur hoc nomen toties replicaret, ait: hoc nomen cordi meo inscriptum habeo et ideo ab ejus invocatione cessare non valeo. Post mortem igitur ejus illi, quae audierant, volentes curiosius experiri, cor ejus ab ejus corpore avellunt et illud scindentes per medium totum cor ejus inscriptum hoc nomine, Jesus Christus, litteris aureis inveniunt. Unde ex hoc plurimi crediderunt. De hoc sancto sic dicit Bernardus super psalmum: Qui habitat: magnus ille Ignatius auditor discipuli, quem diligebat Jesus martir et ipse, cujus pretiosis reliquiis nostra est ditata paupertas, Mariam quidem in pluribus, quas ad eam scripsit

CAP. XXXVII.

DE PURIFICATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

I. Purificatio virginis Mariae quadragesimo die post nativitatem domini facta est; consuevit autem illud festum tribus nominibus appellari, scilicet purificatio, hypopanti et candelaria. Purificatio autem dicitur, ex eo quod quadragesima die a nativitate domini beata virgo ad templum venit, ut secundum legis consuetudinem mundaretur, cum tamen sub illa lege non teneretur. Praeceperat autem lex Levitic. XII, quod mulier, quae suscepto semine filium peperisset, immunda esset septem diebus, immunda scilicet a consortio hominum et ab ingressu templi. Sed completis septem diebus munda quidem efficiebatur, quo ad consortium hominum, sed adhuc usque ad XXXIII. diem, quo ad ingressum templi immunda erat. Tandem completis XL. diebus XL. die templum intrabat et puerum cum muneribus offerebat. Si vero feminam peperisset, duplicabantur dies et quo ad consortium hominum et quo ad ingressum templi. Quare autem dominus praecepit, ut XL. die puer in templum offerretur, triplex potest esse ratio. Una, ut per hoc intelligatur, quod sicut puer XL. die in materiale templum inducitur, sic et XL. die a conceptione, ut saepius anima in corpus tanquam in suum templum infunditur, sicut dicitur in scholastica hystoria, licet physici dicant, quod XLVI. diebus corpus perficiatur. Secunda, ut sicut anima XL. die corpori infusa ab ipso corpore maculatur, sic XL. die templum ingrediens per hostias ab ipsa macula amplius expietur. Tertia, ut per hoc detur intelligi, quod in templum coeleste mereantur ingredi, qui decem praecepta cum fide quatuor evangelistarum voluerint observare. In pariente vero feminam duplicantur dies, quo ad templi ingressionem, sicut et duplicantur quo ad corporis formationem, nam sicut in XL. diebus corpus masculi organisatur et perficitur, et in XL. die anima infunditur, ut saepius, sic corpus feminae in LXXX perficitur et

sum temporis instituta sunt, quorum tria, secundum quod dicit Hugo de sancto Victore, in lege veteri instituta sunt, scilicet oblationes, decimationes et sacrificiorum immolationes, per quae maxime opus nostrae redemtionis exprimebatur. Nam modus redimendi exprimebatur per oblationem, ipsum pretium per sacrificium, in quo erat sanguinis effusio, ipsum redemtum per decimationem, quia homo significatur per X drachmam. Primum ergo remedium fuit oblatio, unde Cayn obtulit Deo munera de frugibus et Abel de gregibus. Secundum fuit decimatio, unde et Abraham Melchisedech sacerdoti decimas obtulit. Nam secundum Augustinum decimabatur, quod curabatur. Tertium fuit sacrificiorum immolatio, ipsa enim sacrificia, secundum quod dicit Gregorius, erant contra originale peccatum: quia tamen exigebatur, ut ad minus alter parentum fidelis esset, et aliquando utrique infideles esse poterant. Ideo advenit quartum remedium scilicet circumcisio, quae, sive parentes fideles essent sive infideles, valebat. Sed quia illud remedium non poterat convenire nisi solis maribus nec januam paradisi poterat aperire, ideo successit et baptismus, qui est communis omnibus et januam coeli aperit. Primum igitur remedium Christus quodammodo assumsisse videtur, quando dominus in templo a parentibus est oblatus, secundum remedium quodammodo assumsit, quando XL diebus et noctibus jejunavit; quia enim non habebat, unde solveret decimas rerum, saltem Deo obtulit decimas dierum. Tertium assumsit, quando mater ejus par turturum aut duos pullos columbarum pro eo obtulit, ut inde sacrificium fieret, vel quando in cruce se sacrificium obtulit. Quartum, quando se circumcidi permisit, quintum, quando a Johanne baptisma suscepit. Secunda ratio est, ut legem impleret. Non enim venerat dominus legem solvere, sed adimplere. Nam si in hoc legem solvisset, potuissent se Judaei excusare et dicere: quoniam doctrinam tuam non recipimus, ex eo quod dissimilis es patribus nec legis traditiones observas. Triplici autem legi hodie se [1]) Christus et virgo subjecit. Primo legi purificationis in significationem virtutis, ut, postquam omnia bene fecerimus, dicamus, quod servi inutiles sumus. Secundo legi redemtionis ad exemplum humilitatis; tertio legi oblationis ad exemplum paupertatis. Tertia ratio est, ut legem purificationis terminaret. Sicut enim adveniente luce cessant tenebrae et adveniente sole recedit umbra, sic et ad-

---

1) Ed. Pr. legit sexus.

veniente purificatione vera cessavit purificatio typica. Ibi enim advenit vera purificatio nostra, id est Christus, qui active dicitur purificatio, ex eo quod nos per fidem purificat, secundum quod dicitur: fides purificans corda eorum. Hinc enim est, quod nec de caetero patres teneantur ad solutionem, nec matres ad purificationem vel templi ingressionem, nec filii ad illam redemtionem. Quarta ratio est, ut nos purificandos instrueret. Quinque autem modis fit purgatio ab infantia [1]) secundum jura, licet tres inhibeantur, secundum quos et nos purgari debemus, scilicet juramento, quod significat peccati abrenuntiationem, aqua, quae significat baptismalem ablutionem, igne, qui designat spiritualis gratiae infusionem, testibus, qui designant bonorum operum multitudinem, bello quod significat tentationem. Veniens autem beata virgo ad templum filium suum *obtulit* et cum quinque siclis redemit. Notandum enim, quod quaedam primogenita redimebantur sicut primogenita duodecim tribuum, quae redimebantur quinque siclis, quaedam non redimebantur, sicut primogenita levitarum, quae nunquam redimebantur, sed cum in adultam aetatem perveniebant, semper in templo domino serviebant, et sic primogenita mundorum animalium, quae iterum non redimebantur, sed domino offerebantur. Quaedam commutabantur, ut primogenitum asini, quod commutabatur in ovem, quaedam occidebantur, ut primogenita canis. Cum enim fuit Christus de tribu Juda, quae fuit una XII tribuum, propter quod debuit redimi. Obtulerunt etiam pro eo domino par turturum aut duos pullos columbarum: haec enim erat oblatio pauperum, sed agnus oblatio divitum. Non autem dixit pullos turturum, sed pullos columbarum, quia pulli columbarum semper inveniuntur, [2]) pulli autem turturum non semper inveniuntur, turtures autem semper inveniuntur; nec dicitur par columbarum, sicut par turturum, quia columba est avis libidinosa et ideo in sacrificio suo Deus noluit offerri, turtur autem est avis pudica. Sed nonne beata virgo Maria paullo ante a magis multa pondera auri receperat? Videtur ergo, quod bene potuerit agnum unum emere. Sed dicendum, quod sine dubio secundum Bernardum magi magna pondera auri obtulerunt, quia non est verisimile, quod tales reges tali puero vilia munera obtulissent, sed tamen beata virgo, ut aliquibus videtur, illud sibi non retinuit, sed statim pauperibus erogavit, vel forte in Aegyptum peregrinationi per septennium imminenti provi-

2) secundum jura addunt Ed. Rec. quae deinde jubeantur praeferunt loco inhibeantur. 2) Verba pulli — inveniuntur omittit Ed. Pr.

de reservavit, vel forte non in magna quantitate talia obtulerunt, cum hoc in significationem misticam offerrent. Ponit autem expositor tres oblationes de domino factas: prima facta est de ipso a parentibus, secunda pro ipso de avibus, tertiam fecit ipse in cruce pro hominibus. Prima ostendit ejus humilitatem, quia dominus legis se legi subjecit, secunda paupertatem, quia pauperum oblationem elegit, tertia caritatem, quia se pro peccatoribus tradidit. Proprietates turturis habentur his versibus:

> Alta petit turtur, cantando gemit, veniens ver
> Nuntiat et caste vivit solusque moratur,
> Pullos nocte fovet [1]) morticinumque fugit

Proprietates vero columbae his versibus notantur:

> Grana legit, volitat, sociata cadavera vitat,
> Felle caret, plangit socium, per oscula tangit,
> Petra dat huic nidum, fugit hostem in flumine visum,
> Rostro non laedit, geminos pullos bene nutrit.

Dicitur secundo haec festivitas hypopanti, quod idem est, quam repraesentatio, ex eo quod Christus est in templo praesentatus vel hypopanti, quod idem est quam obviatio, quia Symeon et Anna obviaverunt domino, cum offerretur in templo, et dicitur ab hypa, quod est ire, et anti, quod est contra. Tunc autem accepit eum Symeon in ulnas suas. Et notandum, quod triplex obumbratio sive exinanitio hic de salvatore nostro facta est. Prima est exinanitio veritatis, ille enim, qui est veritas, quae omnem hominem per se ipsum, quae est via, in se ipsum, quae est vita, ducit, hodie ab aliis se duci permisit, cum inducerent, inquit, puerum Jesum etc. Secunda exinanitio bonitatis, quoniam ille, qui solus sanctus et bonus est, tamquam inmundus voluit cum matre expiari. Tertia est exinanitio majestatis, quoniam ille, qui est portans omnia verbo virtutis suae, hodie in ulnis senis se recipi et portari permisit, qui tamen portabat portantem se secundum illud: senex puerum portabat, puer autem senem regebat. Tunc autem Symeon benedixit eum dicens: nunc dimittis servum tuum domine etc. Et appellat eum Symeon tribus nominibus, scilicet salutare lumen et gloriam plebis Israel. Ratio autem hujus triplicis nominis potest quadrupliciter sumi; primo penes nostram justificationem, ut dicatur salutare remittendo culpam, quia Jesus interpretatur salvator ex eo quod salvum faciet populum,

---

1) Fd. Pr. legit morti cum vimque.

scilicet peccatis eorum, lumen dando gratiam, gloriam plebis dando gloriam. Secundo penes nostram regenerationem, nam primum puer exorcisatur et baptizatur et sic a peccato mundatur, quo ad primum, secundo candela accensa ei datur quo ad secundum, tertio ad altare offertur quo ad tertium, quarto penes hodiernam processionem. Nam primo candelae benedicuntur et exorcisantur, secundo accenduntur et in manibus fidelium dantur, tertio ecclesiam cum canticis ingrediuntur, quarto penes triplicem hujus festi denominationem, nam dicitur purificatio quo ad purgationem culpae, per hoc quod dicitur salutare. Dicitur candelaria quo ad illuminationem gratiae per hoc quod dicitur lumen, dicitur hypopanti quo ad collationem gloriae per hoc, quod dicitur: gloriam plebis tuae Israel. Tunc enim occurremus obviam Christo in aëra. Vel potest dici, quia laudatur Christus in hoc cantico ut pax, ut salus, ut lux, ut gloria. Pax, quia mediator est, salus, quia redemtor, lux, quia doctor, gloria, quia praemiator. Dicitur et tertio hoc festum candelaria ex eo, quod candelae accensae in manibus portantur. Quare autem ecclesia hoc ordinaverit, ut scilicet in hac die candelae accensae in manibus portentur, possunt assignari quattuor rationes: primo propter removendam erroneam consuetudinem. Romani enim olim in calendis Februarii ad honorem Februae matris Martis, qui erat Deus belli, urbem de quinto in quintum annum cum cereis et facibus tota nocte illustrabant, ut filius suus iis victoriam de inimicis concederet, cujus matrem tam solemniter honorarent, et illud spatium dicebatur lustrum. Romani etiam in Februario sacrificabant Februo, id est Plutoni et caeteris Diis infernalibus et hoc pro animabus antecessorum suorum, ut ergo propitiarentur eorum, ideo et iis solemnes hostias offerebant et tota nocte eorum laudibus insistentes cum cereis et accensis facibus vigilabant. Mulieres etiam Romanorum, ut ait Innocentius papa, his diebus festum luminarium exercebant, quod a quibusdam fabulis poetarum originem traxit. Ajunt enim, quod Proserpina fuit adeo speciosa, quod Pluto Deus infernalis eam concupiscens ipsam rapuit et Deam eam fecit. Parentes autem sui per silvas et nemora cum facibus et luminaribus eam multo tempore quaesierunt et istud mulieres Romanorum repraesentantes cum facibus et luminaribus circuibant. Et quoniam difficile est consueta relinquere, christiani de gentibus ad fidem conversi difficile poterant relinquere hujusmodi consuetudines paganorum ideoque Sergius papa hanc consuetudinem in melius commuta-

vit, ut scilicet christiani ad honorem sanctae matris domini omni anno in hac die totum mundum cum accensis candelis et benedictis cereis illustrarent, ut solemnitas quidem staret, sed alia intentione fieret. Secundo propter ostendendam virginis puritatem. Aliqui enim audientes virginem purificatam possunt credere ipsam purificatione indiguisse. Ut vero ostendatur, quod tota fuit purissima et splendida, ideo ordinavit ecclesia, ut luminosos cereos bajulemus ac si in ipso facto dicat ecclesia: virgo beata purificatione non indiges, sed tota rutilas, tota splendes. Vere enim purificatione non indigebat, quae ex suscepto semine non conceperat, et in matris utero perfectissime mundata et sanctificata erat. Adeo autem fuit in matris utero et in adventu spiritus sancti glorificata et mundata, quod non solum aliquod inclinamentum ad peccatum in ea penitus non remansit, sed etiam virtus sanctitatis ejus usque ad alios extendebatur et transfundebatur, ita quod in aliis omnes motus carnalis concupiscentiae extinguebat. Unde dicunt Judaei, quod cum Maria pulcherrima fuerit, a nullo tamen unquam potuit concupisci, et ratio est, quia virtus suae castitatis cunctos adspicientes penetrabat et omnes in iis concupiscentias repellebat. Unde comparatur cedro, quia sicut cedrus serpentes odore interficit, ita ejus sanctificatio in aliis radiabat, ut omnes motus in carne [1]) serpentes occidebat. Comparatur etiam myrrhae, quia sicut myrrha interficit vermes, sic ejus sanctitas concupiscentias carnales, et hanc praerogativam habuit prae caeteris sanctificatis in utero et virginibus, quia eorum sanctitas et castitas in alios non transfundebatur nec carnales motus in aliis exstinguebat, virtus autem castitatis virginis etiam impudicorum corda medullitus penetrabat et ea quo ad ipsam protinus casta reddebat. Tertio propter repraesentandam hodiernam processionem. Nam Maria et Joseph et Symeon et Anna hodie honorabilem processionem fecerunt et puerum Jesum in templum praesentaverunt. Sic et nos processionem facimus et cereum accensum, per quem significatur Jesus, in manibus bajulamus et usque in ecclesias deferimus. Tria enim sunt in cera: lychnus, cera et ignis. Per haec significantur tria, quae fuerunt in Christo, nam tria significant carnem Christi, quae nata est de Maria virgine sine corruptione carnis, sicut apes ceram gignunt sine alterutrum commixtione, lychnus in cera latens significat animam candi-

---

1) Recent. serpentinos possidebat male legunt.

dissimam in carne latentem, ignis vero sive lumen significat divinitatem, quia Deus noster ignis consumens est. Unde quidam sic ait:

> Hanc in honore piae
> Candelam porto Mariae,
> Accipe per ceram
> Carnem de virgine veram.
> Per lumen numen
> Majestatisque cacumen.
> Lychnus est anima
> Carne latens praeopima.

Quarto, propter instructionem nostram. In hoc enim instruimur, quod, si volumus ante Deum esse purificati et mundi, tria in nobis habere debemus, scilicet fidem veram, actionem beatam, intentionem rectam. Nam candela in manu accensa est fides cum operatione bona et sicut candela sine lumine dicitur esse mortua et lumen per sese sine candela non lucet, sed mortuum esse videtur, sic et operatio sine fide et fides sine bono opere mortua esse dicitur. Lychnus autem intus in cera occultatus est intentio recta, unde Gregorius: sic sit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto. — — 2. Quaedam matrona nobilis in beatam virginem maximam devotionem habebat. Haec quandam capellam juxta domum suam construxerat et proprium capellanum habens omni die missam de beata virgine audire volebat. Appropinquante autem festo purificationis beatae virginis sacerdos ob quoddam suum negotium longius secessit et domina die illo missam habere non potuit, vel, ut alibi legitur, omnia quae habere poterat et vestimenta pro amore virginis dabat. Unde cum chlamidem dedisset et ad ecclesiam ire non posset, sine missa illa ea die manere oportebat. De quo cum plurimum doleret, ecclesiam propriam seu cameram intravit, et ante altare beatae virginis se prostravit. Tunc subito in excessum mentis facta, videbatur sibi, se in quadam ecclesia pulcherrima et speciosa collocatam esse, et respiciens vidit turbam maximam virginum in ecclesiam venientem, quas quaedam virgo pulcherrima dyademate coronata praeibat, cumque omnes per ordinem consedissent, ecce turba alia juvenum, qui et ipsi juxta ordinem consederunt, et ecce quidam maximum cereorum fascem deferens cereum primo virgini, quae caeteras anteibat, dedit et postea aliis virginibus et juvenibus tribuit, deinde ad illam matronam venit et cereum obtulit, quem illa libenter accepit. Tunc per chorum respiciens vidit duos cero-

epistolis, Christiferam consalutat: egregius plane titulus dignitatis et commendatio honoris immensi!

CAP. XXXVII.
De purificatione beatae Mariae virginis.

1. Purificatio virginis Mariae quadragesimo die post nativitatem domini facta est: consuevit autem illud festum tribus nominibus appellari, scilicet purificatio, hypopanti et candelaria. Purificatio autem dicitur, ex eo quod quadragesima die a nativitate domini beata virgo ad templum venit, ut secundum legis consuetudinem mundaretur, cum tamen sub illa lege non teneretur. Praeceperat autem lex Levitic. XII, quod mulier, quae suscepto semine filium peperisset, immunda esset septem diebus, immunda scilicet a consortio hominum et ab ingressu templi. Sed completis septem diebus munda quidem efficiebatur, quo ad consortium hominum, sed adhuc usque ad XXXIII. diem, quo ad ingressum templi immunda erat. Tandem completis XL diebus XL. die templum intrabat et puerum cum muneribus offerebat. Si vero feminam peperisset, duplicabantur dies et quo ad consortium hominum et quo ad ingressum templi. Quare autem dominus praecepit, ut XL. die puer in templum offerretur, triplex potest esse ratio. Una, ut per hoc intelligatur, quod sicut puer XL. die in materiale templum inducitur, sic et XL. die a conceptione, ut saepius anima in corpus tanquam in suum templum infunditur, sicut dicitur in scholastica hystoria, licet physici dicant, quod XLVI. diebus corpus perficiatur. Secunda, ut sicut anima XL. die corpori infusa ab ipso corpore maculatur, sic XL. die templum ingrediens per hostias ab ipsa macula amplius expietur. Tertia, ut per hoc detur intelligi, quod in templum coeleste mereantur ingredi, qui decem praecepta cum fide quattuor evangelistarum voluerint observare. In pariente vero feminam duplicantur dies, quo ad templi ingressionem, sicut et duplicantur quo ad corporis formationem, nam sicut in XL. diebus corpus masculi organisatur et perficitur, et in XL die anima infunditur, ut saepius, sic corpus feminae in LXXX perficitur et

LXXX die anima ut saepius inspiratur. Quare autem duplo corpus feminae tardius perficitur in utero, quam corpus viri et ei anima infunditur, omissis rationibus naturalibus triplex ratio assignari potest. Prima, quoniam Christus assumturus erat carnem in sexu virili, ut ipsum sexum honoraret et ampliorem sibi gratiam faceret, voluit, ut puer citius formaretur et mater citius mundaretur. Secunda ut, quoniam mulier plus peccavit quam vir, sic et aerumnae ejus ab aerumnis viri duplicatae sunt exterius in mundo, sic ut duplicari debuerunt interius in utero. Tertia vero per hoc intelligi detur, quod mulier quodammodo plus fatigavit Deum quam vir, ex eo quod amplius deliquit. Deus enim quodammodo in nostris pravis operibus fatigatur, unde ipse dicit Ysai. XLIII.: servire me fecisti in peccatis tuis. Et iterum dicit [1]) per Psalm.: *laboravi sustinens.* Beata igitur virgo huic legi purificationis non tenebatur, quia non peperit suscepto semine, sed mistico spiramine. Unde Moyses addidit: suscepto semine, cum tamen necesse non erat quantum ad alias mulieres, quae omnes suscepto semine pariunt, sed ideo addidit, ut dicit Bernardus, quia timuit, in matrem domini blasphemiam irrogare. Voluit tamen in hoc se subdere legi propter quattuor rationes. Prima ratio est, ut exemplum humilitatis daret; unde dicit Bernardus: vere beata virgo, non habes causam nec tibi opus est purificatione, sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tamquam una illarum, nam et filius tuus sic est in medio puerorum. Haec autem humilitas non solum fuit ex parte matris, sed etiam ex parte filii, qui similiter voluit se in hoc subdere legi, nam in nativitate se habuit ut pauper homo, in circumcisione ut pauper et peccator homo, sed hodie ut pauper et peccator et servus homo; ut pauper in eo, quod oblationem pauperum elegit, ut peccator in eo, quod ipse cum matre voluit expiari, ut servus [2]) quantum scilicet ad similitudinem in eo, quod voluit redimi et etiam voluit postmodum baptisari, non propter culpam purgandam, sed propter ejus humilitatem maximam ostendendam. Nam omnia remedia contra originale peccatum instituta Christus in se assumere voluit, non quia aliquatenus indigeret, sed ut humilitatem suam maximam nobis ostenderet et ut illa remedia pro tempore suo bona fuisse monstraret. Quinque enim remedia contra ipsum originale peccatum per process-

---

1) Alii legunt: Jeremiae VI. 2) Verba quantum — in omitt. Rec.

sum temporis instituta sunt, quorum tria, secundum quod dicit Hugo de sancto Victore, in lege veteri instituta sunt, scilicet oblationes, decimationes et sacrificiorum immolationes, per quae maxime opus nostrae redemtionis exprimebatur. Nam modus redimendi exprimebatur per oblationem, ipsum pretium per sacrificium, in quo erat sanguinis effusio, ipsum redemtum per decimationem, quia homo significatur per X drachmam. Primum ergo remedium fuit oblatio, unde Cayn obtulit Deo munera de frugibus et Abel de gregibus. Secundum fuit decimatio, unde et Abraham Melchisedech sacerdoti decimas obtulit. Nam secundum Augustinum decimabatur, quod curabatur. Tertium fuit sacrificiorum immolatio, ipsa enim sacrificia, secundum quod dicit Gregorius, erant contra originale peccatum: quia tamen exigebatur, ut ad minus alter parentum fidelis esset, et aliquando utrique infideles esse poterant. Ideo advenit quartum remedium scilicet circumcisio, quae, sive parentes fideles essent sive infideles, valebat. Sed quia illud remedium non poterat convenire nisi solis maribus nec januam paradisi poterat aperire, ideo successit et baptismus, qui est communis omnibus et januam coeli aperit. Primum igitur remedium Christus quodammodo assumsisse videtur, quando dominus in templo a parentibus est oblatus, secundum remedium quodammodo assumsit, quando XL diebus et noctibus jejunavit; quia enim non habebat, unde solveret decimas rerum, saltem Deo obtulit decimas dierum. Tertium assumsit, quando mater ejus par turturum aut duos pullos columbarum pro eo obtulit, ut inde sacrificium fieret, vel quando in cruce se sacrificium obtulit. Quartum, quando se circumcidi permisit, quintum, quando a Johanne baptisma suscepit. Secunda ratio est, ut legem impleret. Non enim venerat dominus legem solvere, sed adimplere. Nam si in hoc legem solvisset, potuissent se Judaei excusare et dicere: quoniam doctrinam tuam non recipimus, ex eo quod dissimilis es patribus nec legis traditiones observas. Triplici autem legi hodie se [1]) Christus et virgo subjecit. Primo legi purificationis in significationem virtutis, ut, postquam omnia bene fecerimus, dicamus, quod servi inutiles sumus. Secundo legi redemtionis ad exemplum humilitatis; tertio legi oblationis ad exemplum paupertatis. Tertia ratio est, ut legem purificationis terminaret. Sicut enim adveniente luce cessant tenebrae et adveniente sole recedit umbra, sic et ad-

1) Ed. Pr. legit sexus.

veniente purificatione vera cessavit purificatio typica. Ibi enim advenit vera purificatio nostra, id est Christus, qui active dicitur purificatio, ex eo quod nos per fidem purificat, secundum quod dicitur: fides purificans corda eorum. Hinc enim est, quod nec de caetero patres tenentur ad solutionem, nec matres ad purificationem vel templi ingressionem, nec filii ad illam redemtionem. Quarta ratio est, ut nos purificandos instrueret. Quinque autem modis fit purgatio ab infantia [1]) secundum jura, licet tres inhibeantur, secundum quos et nos purgari debemus, scilicet juramento, quod significat peccati abrenuntiationem, aqua, quae significat baptismalem ablutionem, igne, qui designat spiritualis gratiae infusionem, testibus, qui designant bonorum operum multitudinem, bello quod significat tentationem. Veniens autem beata virgo ad templum filium suum obtulit et cum quinque siclis redemit. Notandum enim, quod quaedam primogenita redimebantur sicut primogenita duodecim tribuum, quae redimebantur quinque siclis, quaedam non redimebantur, sicut primogenita levitarum, quae nunquam redimebantur, sed cum in adultam aetatem perveniebant, semper in templo domino serviebant, et sic primogenita mundorum animalium, quae iterum non redimebantur, sed domino offerebantur. Quaedam commutabantur, ut primogenitum asini, quod commutabatur in ovem, quaedam occidebantur, ut primogenita canis. Cum enim fuit Christus de tribu Juda, quae fuit una XII tribuum, propter quod debuit redimi. Obtulerunt etiam pro eo domino par turturum aut duos pullos columbarum: haec enim erat oblatio pauperum, sed agnus oblatio divitum. Non autem dixit pullos turturum, sed pullos columbarum, quia pulli columbarum semper inveniuntur, [2]) pulli autem turturum non semper inveniuntur, turtures autem semper inveniuntur; nec dicitur par columbarum, sicut par turturum, quia columba est avis libidinosa et ideo in sacrificio suo Deus noluit offerri, turtur autem est avis pudica. Sed nonne beata virgo Maria paullo ante a magis multa pondera auri receperat? Videtur ergo, quod bene potuerit agnum unum emere. Sed dicendum, quod sine dubio secundum Bernardum magi magna pondera auri obtulerunt, quia non est verisimile, quod tales reges tali puero vilia munera obtulissent, sed tamen beata virgo, ut aliquibus videtur, illud sibi non retinuit, sed statim pauperibus erogavit, vel forte in Aegyptum peregrinationi per septennium imminenti provi-

2) secundum jura addunt Ed. Rec. quae deinde jubeantur praeferunt loco inhibeantur. 2) Verba pulli — inveniuntur omittit Ed. Pr.

de reservavit, vel forte non in magna quantitate talia obtulerunt, cum hoc in significationem misticam offerrent. Ponit autem expositor tres oblationes de domino factas: prima facta est de ipso a parentibus, secunda pro ipso de avibus, tertiam fecit ipse in cruce pro hominibus. Prima ostendit ejus humilitatem, quia dominus legis se legi subjecit, secunda paupertatem, quia pauperum oblationem elegit, tertia caritatem, quia se pro peccatoribus tradidit. Proprietates turturis habentur his versibus:

> Alta petit turtur, cantando gemit, veniens ver
> Nuntiat et caste vivit solusque moratur,
> Pullos nocte fovet [1]) morticinumque fugit

Proprietates vero columbae his versibus notantur:

> Grana legit, volitat, sociata cadavera vitat,
> Felle caret, plangit socium, per oscula tangit,
> Petra dat huic nidum, fugit hostem in flumine visum,
> Rostro non laedit, geminos pullos bene nutrit.

Dicitur secundo haec festivitas hypopanti, quod idem est, quam repraesentatio, ex eo quod Christus est in templo praesentatus vel hypopanti, quod idem est quam obviatio, quia Symeon et Anna obviaverunt domino, cum offerretur in templo, et dicitur ab hypa, quod est ire, et anti, quod est contra. Tunc autem accepit eum Symeon in ulnas suas. Et notandum, quod triplex obumbratio sive exinanitio hic de salvatore nostro facta est. Prima est exinanitio veritatis, ille enim, qui est veritas, quae omnem hominem per se ipsum, quae est via, in se ipsum, quae est vita, ducit, hodie ab aliis se duci permisit, cum inducerent, inquit, puerum Jesum etc. Secunda exinanitio bonitatis, quoniam ille, qui solus sanctus et bonus est, tamquam inmundus voluit cum matre expiari. Tertia est exinanitio majestatis, quoniam ille, qui est portans omnia verbo virtutis suae, hodie in ulnis senis se recipi et portari permisit, qui tamen portabat portantem se secundum illud: senex puerum portabat, puer autem senem regebat. Tunc autem Symeon benedixit eum dicens: nunc dimittis servum tuum domine etc. Et appellat eum Symeon tribus nominibus, scilicet salutare lumen et gloriam plebis Israel. Ratio autem hujus triplicis nominis potest quadrupliciter sumi; primo penes nostram justificationem, ut dicatur salutare remittendo culpam, quia Jesus interpretatur salvator ex eo quod salvum faciet populum,

---

1) Ed. Pr. legit morti cum vimque.

scilicet peccatis eorum, lumen dando gratiam, gloriam plebis dando gloriam. Secundo penes nostram regenerationem, nam primum puer exorcisatur et baptizatur et sic a peccato mundatur, quo ad primum, secundo candela accensa ei datur quo ad secundum, tertio ad altare offertur quo ad tertium, quarto penes hodiernam processionem. Nam primo candelae benedicuntur et exorcisantur, secundo accenduntur et in manibus fidelium dantur, tertio ecclesiam cum canticis ingrediuntur, quarto penes triplicem hujus festi denominationem, nam dicitur purificatio quo ad purgationem culpae, per hoc quod dicitur salutare. Dicitur candelaria quo ad illuminationem gratiae per hoc quod dicitur lumen, dicitur hypopanti quo ad collationem gloriae per hoc, quod dicitur: gloriam plebis tuae Israel. Tunc enim occurremus obviam Christo in aëra. Vel potest dici, quia laudatur Christus in hoc cantico ut pax, ut salus, ut lux, ut gloria. Pax, quia mediator est, salus, quia redemtor, lux, quia doctor, gloria, quia praemiator. Dicitur et tertio hoc festum candelaria ex eo, quod candelae accensae in manibus portantur. Quare autem ecclesia hoc ordinaverit, ut scilicet in hac die candelae accensae in manibus portentur, possunt assignari quattuor rationes: primo propter removendam erroneam consuetudinem. Romani enim olim in calendis Februarii ad honorem Februae matris Martis, qui erat Deus belli, urbem de quinto in quintum annum cum cereis et facibus tota nocte illustrabant, ut filius suus iis victoriam de inimicis concederet, cujus matrem tam solemniter honorarent, et illud spatium dicebatur lustrum. Romani etiam in Februario sacrificabant Februo, id est Plutoni et caeteris Diis infernalibus et hoc pro animabus antecessorum suorum, ut ergo propitiarentur eorum, ideo et iis solemnes hostias offerebant et tota nocte eorum laudibus insistentes cum cereis et accensis facibus vigilabant. Mulieres etiam Romanorum, ut ait Innocentius papa, his diebus festum luminarium exercebant, quod a quibusdam fabulis poetarum originem traxit. Ajunt enim, quod Proserpina fuit adeo speciosa, quod Pluto Deus infernalis eam concupiscens ipsam rapuit et Deam eam fecit. Parentes autem sui per silvas et nemora cum facibus et luminaribus eam multo tempore quaesierunt et istud mulieres Romanorum repraesentantes cum facibus et luminaribus circuibant. Et quoniam difficile est consueta relinquere, christiani de gentibus ad fidem conversi difficile poterant relinquere hujusmodi consuetudines paganorum ideoque Sergius papa hanc consuetudinem in melius commuta-

vit, ut scilicet christiani ad honorem sanctae matris domini omni anno in hac die totum mundum cum accensis candelis et benedictis cereis illustrarent, ut solemnitas quidem staret, sed alia intentione fieret. Secundo propter ostendendam virginis puritatem. Aliqui enim audientes virginem purificatam possunt credere ipsam purificatione indiguisse. Ut vero ostendatur, quod tota fuit purissima et splendida, ideo ordinavit ecclesia, ut luminosos cereos bajulemus ac si in ipso facto dicat ecclesia: virgo beata purificatione non indiges, sed tota rutilas, tota splendes. Vere enim purificatione non indigebat, quae ex suscepto semine non conceperat, et in matris utero perfectissime mundata et sanctificata erat. Adeo autem fuit in matris utero et in adventu spiritus sancti glorificata et mundata, quod non solum aliquod inclinamentum ad peccatum in ea penitus non remansit, sed etiam virtus sanctitatis ejus usque ad alios extendebatur et transfundebatur, ita quod in aliis omnes motus carnalis concupiscentiae extinguebat. Unde dicunt Judaei, quod cum Maria pulcherrima fuerit, a nullo tamen unquam potuit concupisci, et ratio est, quia virtus suae castitatis cunctos adspicientes penetrabat et omnes in iis concupiscentias repellebat. Unde comparatur cedro, quia sicut cedrus serpentes odore interficit, ita ejus sanctificatio in aliis radiabat, ut omnes motus in carne [1]) serpentes occidebat. Comparatur etiam myrrhae, quia sicut myrrha interficit vermes, sic ejus sanctitas concupiscentias carnales, et hanc praerogativam habuit prae caeteris sanctificatis in utero et virginibus, quia eorum sanctitas et castitas in alios non transfundebatur nec carnales motus in aliis exstinguebat, virtus autem castitatis virginis etiam impudicorum corda medullitus penetrabat et ea quo ad ipsam protinus casta reddebat. Tertio propter repraesentandam hodiernam processionem. Nam Maria et Joseph et Symeon et Anna hodie honorabilem processionem fecerunt et puerum Jesum in templum praesentaverunt. Sic et nos processionem facimus et cereum accensum, per quem significatur Jesus, in manibus bajulamus et usque in ecclesias deferimus. Tria enim sunt in cera: lychnus, cera et ignis. Per haec significantur tria, quae fuerunt in Christo, nam tria significant carnem Christi, quae nata est de Maria virgine sine corruptione carnis, sicut apes ceram gignunt sine alterutrum commixtione, lychnus in cera latens significat animam candi-

---

1) Recent. serpentinos possidebat male legunt.

dissimam in carne latentem, ignis vero sive lumen significat divinitatem, quia Deus noster ignis consumens est. Unde quidam sic ait:

Hanc in honore piae
Candelam porto Mariae,
Accipe per ceram
Carnem de virgine veram.
Per lumen numen
Majestatisque cacumen.
Lychnus est anima
Carne latens praeopima.

Quarto, propter instructionem nostram. In hoc enim instruimur, quod, si volumus ante Deum esse purificati et mundi, tria in nobis habere debemus, scilicet fidem veram, actionem beatam, intentionem rectam. Nam candela in manu accensa est fides cum operatione bona et sicut candela sine lumine dicitur esse mortua et lumen per sese sine candela non lucet, sed mortuum esse videtur, sic et operatio sine fide et fides sine bono opere mortua esse dicitur. Lychnus autem intus in cera occultatus est intentio recta, unde Gregorius: sic sit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto. — — 2. Quaedam matrona nobilis in beatam virginem maximam devotionem habebat. Haec quandam capellam juxta domum suam construxerat et proprium capellanum habens omni die missam de beata virgine audire volebat. Appropinquante autem festo purificationis beatae virginis sacerdos ob quoddam suum negotium longius secessit et domina die illo missam habere non potuit, vel, ut alibi legitur, omnia quae habere poterat et vestimenta pro amore virginis dabat. Unde cum chlamidem dedisset et ad ecclesiam ire non posset, sine missa illa ea die manere oportebat. De quo cum plurimum doleret, ecclesiam propriam seu cameram intravit, et ante altare beatae virginis se prostravit. Tunc subito in excessum mentis facta, videbatur sibi, se in quadam ecclesia pulcherrima et speciosa collocatam esse, et respiciens vidit turbam maximam virginum in ecclesiam venientem, quas quaedam virgo pulcherrima dyademate coronata praeibat, cumque omnes per ordinem consedissent, ecce turba alia juvenum, qui et ipsi juxta ordinem consederunt, et ecce quidam maximum cereorum fascem deferens cereum primo virgini, quae caeteras anteibat, dedit et postea aliis virginibus et juvenibus tribuit, deinde ad illam matronam venit et cereum obtulit, quem illa libenter accepit. Tunc per chorum respiciens vidit duos cero-

ferarios, subdyaconum, dyaconum et sacerdotem sacris indutos vestibus ad altare procedentes, tamquam missarum sollemnia celebrare volentes. Videbatur autem sibi, quod acoliti essent Vincentius et Laurentius, dyaconus et subdyaconus duo angeli, et sacerdos autem Christus. Facta autem confessione duo pulcherrimi juvenes in medium chori ierunt et officium missae alta voce et devotissime inceperunt et caeteri, qui in choro erant, prosequuntur. Cum autem ad oblationem ventum fuisset, regina virginum et caeterae virgines cum aliis, qui erant in choro, cereos suos sacerdoti, ut moris est, flexis genubus obtulerunt, cum autem sacerdos illam matronam exspectaret, ut sibi cereum suum offerret, et illa ire nollet, misit ad eam regina virginum per nuntium, quod rusticitatem faceret, quod sacerdotem tamdiu exspectare permitteret. Illa autem respondit, quod sacerdos in missa sua procederet, quia cereum suum sibi non offerret. Tunc iterum regina alium nuntium misit, cui similiter illa respondit, quod cereum sibi datum penitus nulli daret, sed illum ex devotione teneret. Regina autem virginum nuntio praecepit dicens: vade et iterum eam roga, ut cereum offerat [1]) si non autem, ipsum de manibus ejus violenter auferas. Cumque nuntius ivisset et illa rogantem audire recusaret, dixit se in mandatis habere, ut ipsum ab ea violenter auferret. Tunc ille cum magna violentia cereum ipsum auferre conabatur, illa autem fortius tenebat et se viriliter defendebat, cumque longa fieret altercatio et hinc inde cereus violentius traheretur, subito cereus fractus est et medietas in manu nuntii et alia medietas in manu ipsius dominae remansit. Ad hanc igitur vehementem fractionem illa subito ad se rediit et se juxta altare, ubi se posuerat, inveniens cereum fractum in manu sua reperit, de quo valde admirans immensas gratias beatae virgini reddidit, quae eam sine missa illa die remanere non permisit, sed tali officio interesse fecit. Illa autem cereum diligenter reposuit et pro maximis reliquiis reservavit, sed et omnes, ut dicitur, qui tunc tangebantur de eo, a quacumque detinebantur infirmitate, protinus liberabantur. — — — 3. Quaedam alia matrona cum esset gravida, quadam nocte in somnis vidit se portare quoddam vexillum, quod colore sanguineo erat tinctum. Evigilans autem continuo sensum amisit, quam dyabolus adeo ludificabat, ut videretur sibi, quod christianam fidem, quam hactenus habuerat,

---

1) Ita scripsi aliquoties ex fide libr. pro vulgari lectione sin.

inter mamillas haberet et tamen continuo exiret. Quae cum nullatenus curari posset, in quadam ecclesia beatae virginis in festo purificationis pernoctavit et integram sanitatem recepit.

CAP. XXXVIII.
De sancto Blasio.

Blasius quasi blandus vel Blasius quasi belasius a bela, quod est habitus, et syor parvulus. Fuit enim blandus per dulcedinem sermonum, habitus per habitus virtutum, parvulus per humilitatem morum.

Blasius cum omni mansuetudine et sanctitate polleret, christiani eum in Sebaste civitate Cappadociae in episcopum elegerunt, qui episcopatu suscepto ob Dyocletiani persecutionem speluncam petiit et ibi eremiticam vitam duxit, cui aves pabulum afferebant ac fere ad eum unanimiter confluebant et, dum usque imponeret manum iis benedicens, non recedebant ab eo. Denique si quae infirmabantur, ad eum continuo veniebant et sanitatem ad integrum reportabant. Praeses igitur illius regionis dum milites suos ad venandum misisset et illi in vanum alibi laborantes ad antrum sancti Blasii casu pervenissent, magnam ibidem bestiarum multitudinem ante ipsum stantium repererunt, quas dum nullatenus capere possent, attoniti suo domino nuntiarunt, qui statim milites plures misit et, ut ipsum cum omnibus christianis ad se adducerent praecepit, in ipsa autem nocte ter Christus ei apparuit dicens: surge et offer mihi sacrificium. Ecce autem advenerunt milites dicentes: egredere, vocat te praeses. Quibus respondit sanctus Blasius: bene venistis, filii, nunc video, quod Deus non est oblitus mei. Pergens vero cum iis nunquam a praedicatione cessavit et coram iis mirabilia multa fecit. Tunc mulier quaedam filium suum morientem, in cujus gutture os piscis transversum erat, ad pedes ejus attulit et ut sanaretur, cum lacrimis postulabat. Sanctus vero Blasius super eum manus imponens oravit, ut puer ille et omnes, qui in ejus nomine aliquid peterent, sanitatis beneficium obtinerent, et statim sanatus est. Mulier quaedam paupercula unum solum porcum habens, quem tamen violenter lupus rapuerat, sanctum Blasium deprecabatur, ut sibi

reddi faceret suum porcum, qui subridens dixit: mulier noli contristari, reddetur tibi porcus tuus. Continuo lupus venit et porcum viduae reddidit. Ingrediens Blasius civitatem jussu principis carceri mancipatur, alia vero die jussit praeses ipsum sibi praesentari, quem videns blandis sermonibus salutavit dicens: gaude Blasi amice deorum. Cui Blasius: gaude et tu optime praeses, sed ne dicas eos Deos sed daemones, quia aeterno igni cum his, qui eos honorant, traduntur. Iratus praeses eum fustibus caedi jussit et in carcerem retrudi fecit, cui Blasius dixit: insensate speras per poenas tuas Dei mei a me auferre amorem, qui ipsum in me habeo corroboratorem? Audiens haec vidua illa, cui porcum reddiderat, porcum ipsum occidit et caput cum pedibus, candela et pane ad sanctum Blasium deportavit; ille gratias agens comedit sibique dixit: singulis annis candelam in ecclesia nominis mei offeras, et tibi et quicumque hoc fecerit, bene erit. Quod semper egit et sibi prosperitas multa fuit. Post hoc cum eductum praeses a carcere ad Deos inclinare non posset, jussit eum in ligno suspendi et carnes ejus cum ferreis pectinibus laniari et sic iterum in carcerem reportari. Septem ergo mulieres sequentes guttas sanguinis colligebant, quae mox tenentur et ad Deorum sacrificium compelluntur. Quae dixerunt: si vis ut Deos tuos adoremus, cum reverentia mitte eos ad stagnum, ut faciebus ablutis mundius adorare possimus. Laetus praeses efficitur et citius quod dixerat adimpletur. Illi vero Deos arripuerunt et eos in stagni medium projecerunt dicentes: si Dei sunt, videbimus. Quod praeses audiens et prae ira insaniens et se ipsum percutiens dixit ministris: cur non tenuistis Deos nostros, ut non mitterentur in profundum laci? cui dixerunt: dolose tecum locutae sunt mulieres et eos in stagnum projecerunt. Cui mulieres: Deus verus dolos non patitur, sed et si Dii fuissent, praescivissent utique, quid iis facere volebamus; et iratus praeses jussit plumbum liquefactum et pectines ferreos et VII loricas igne candentes ex una parte parari et ex alia VII camisias afferri lineas. Quo dicente, ut ex his, quod mallent, eligerent, una illarum duos parvulos habens audacter cucurrit et lineas camisias accipiens in caminum projecit, pueri vero matri dixerunt: non nos mater dulcissima post te relinquas, sed sicut nos replesti dulcedine lactis, sic nos reple dulcedine regni coelestis. Tunc praeses jussit eas suspendi et carnes earum pectinibus ferreis laniari, quarum carnes ut nix albissimae erant et pro sanguine lac fluebant.

Cum autem supplicia invitae ferrent, angelus domini ad eas venit et eas viriliter confortavit dicens: nolite timere, bonus enim operarius, qui bene incepit et bene perficit et a conducente se benedictionem meretur pro completo opere et mercedem accipit pro labore et gaudium possidet pro mercede. Tunc praeses jussit eas deponi et in caminum mitti, quae divinitus exstincto igne exierunt illaesae. Quibus praeses: jam nunc magicam artem dimittite et Deos nostros adorate. Quae responderunt: perfice quod coepisti, quia jam ad regnum coeleste vocatae sumus. Tunc ille data sententia eas decollari mandavit, quae dum decollari deberent, flexibus genubus adoraverunt dicentes: Deus qui nos a tenebris separasti et in lucem dulcissimam adduxisti, qui nos sacrificium tuum fecisti, animas nostras suscipe et ad vitam aeternam facias nos pervenire. Et sic truncatis capitibus ad dominum migraverunt. Post hoc jussit praeses Blasium sibi praesentari et dixit ei: vel nunc adora Deos vel non. Cui Blasius: impie non timeo minas tuas, age ut vis, corpus enim meum penitus tibi trado. Tunc jussit mitti in stagnum. Ipse vero aquam signavit et mox sicut terra arida fixa permansit; dixitque: si veri sunt Dei vestri, ostendite virtutem eorum et ingredimini huc. Ingressique LXV viri stagnum continuo sunt submersi. Angelus autem domini descendens dixit ei: egredere Blasi et coronam tibi a Deo paratam suscipe. Cumque exiisset, dixit ad eum praeses: omnino decrevisti non adorare Deos? Cui Blasius: cognosce miser, quia Christi servus sum nec daemones adoro. Et statim jussit eum decollari, ipse autem oravit ad dominum, ut quicunque per infirmitatem gutturis vel alia quacunque infirmitate ejus patrocinia postularet, exaudiretur et continuo liberaretur. Et ecce vox de coelis ad eum venit, quod sic fieret, ut oravit, sicque [1]) cum duobus puerulis decollatus est circa annos domini CCLXXXIII.

---

1) Recent. addunt praenominatus sanctus.

CAP. XXXIX.
De sancta Agatha virgine.

Agatha dicitur ab agios, quod est sanctus, et theos Deus, quasi sancta Dei. Tria enim sunt, sicut dicit Chrysostomus, quae sanctum faciunt, et illa perfecte fuerunt in ea, scilicet cordis munditia, spiritus sancti praesentia, bonorum operum affluentia. Vel dicitur ab a, quod est sine, et geos terra, et theos Deus, quasi Dea sine terra, id est, sine amore terrenorum. Vel ab aga, quod est loquens, et thau consummatio, quasi consummate et perfecte loquens, quod patet in suis responsis. Vel ab agath, quod est servitus, et thaas superior, quasi servitus superior: et hoc propter illud quod dixit: summa ingenuitas est ista etc. Vel ab aga, quod est solemnis, et thau, consummatio, quasi solemniter consummata, id est sepulta, quod patet in angelis, qui eam sepelierunt.

Agatha virgo ingenua et corpore pulcherrima in urbe Cataniensium Deum semper in omni sanctitate colebat, Quintianus autem consularis Siciliae, cum esset ignobilis, libidinosus, avarus et ydolis deditus, beatam Agatham comprehendere nitebatur, ut quia erat ignobilis, comprehendendo nobilem timeretur, quia libidinosus, ejus pulchritudine frueretur, quia avarus, ejus divitias raperet, quia ydololatra, Diis eam faceret immolare, fecitque eam ad se adduci. Quae cum adducta esset et ejus immobile propositum cognovisset, tradidit eam cuidam meretrici, nomine Aphrodisiae et novem filiabus ejus ejusdem turpitudinis, ut per XXX dies suaderent et quomodo ejus animum immutarent. Et modo promittendo laeta modo terrendo aspera sperabant eam a bono proposito revocare, quibus beata Agatha dixit: mens mea super petram solidata est et in Christo fundata, verba vestra venti sunt, promissiones vestrae pluviae, terrores vestri flumina sunt. Quae quantumvis impugnant, stat fundamentum domus meae, cadere non valebit. Haec autem dicens flebat quotidie et orabat sitiens ad martirii palmam pervenire. Videns igitur Aphrodisia ipsam immobilem permanere dixit Quintiano: facilius possunt saxa molliri et ferrum in plumbi mollitiem converti, quam ab intentione christiana mens istius puellae converti seu revocari. Tunc Quintianus fecit eam ad se adduci et ait illi: cujus conditionis es? Cui illa: non solum ingenua, sed et spectabilis

genere, ut omnis parentela mea testatur. Cui Quintianus: si ingenua es, cur moribus te servilem personam habere ostendis? Illa respondit: quia ancilla Christi sum, ideo servilem meam exhibeo personam. Quintianus dixit: si te ingenuam dicis, quomodo ancillam asseris? Illa respondit: summa ingenuitas est, in qua servitus Christi comprobatur. Quintianus dixit: elige quod volueris, aut scilicet Diis sacrificare aut diversa supplicia sustinere. Cui Agatha: sit talis uxor tua, qualis Venus Dea tua, et tu talis sis, qualis fuit Deus tuus Jupiter. Tunc Quintianus jussit eam alapis caedi dicens: in injuriam judicis noli temerario ore garrire. Agatha respondit: miror te virum prudentem ad tantam stultitiam devolutum, ut illos dicas Deos tuos esse, quorum vitam non cupias tuam conjugem vel te imitari, ut dicas tibi injuriam fieri, si eorum vivas exemplo. Nam si Dei tui sunt boni, bonum tibi optavi, si autem exsecraris eorum consortia, mecum sentis. Quintianus dixit: quid mihi superfluus verborum cursus? Aut sacrifica Diis aut te faciam diversis suppliciis interire. Agatha respondit: si feras mihi promittas, audito Christi nomine mansuescunt, si ignem adhibeas, de coelo mihi rorem salvificum angeli ministrabunt, si plagas vel tormenta ingeras, habeo spiritum sanctum, per quem despicio universa. Tunc jussit eam trahi ad carcerem, quia voce eum publice confundebat, ad quem laetissime et glorianter ibat et quasi ad epulas invitata agonem suum domino commendabat. Sequenti die dixit ei Quintianus: abnega Christum et adora Deos. Quae cum renueret, jussit eam in equuleum suspendi et torqueri, dixitque Agatha: ego in his poenis ita delector, sicut qui bonum nuntium audit aut qui videt, quem diu desideravit, aut qui multos thesauros invenit. Non enim potest triticum in horreum poni, nisi theca fuerit fortiter conculcata et in paleis redacta. Sic anima mea non potest intrare in paradisum cum palma martirii, nisi diligenter feceris corpus meum a carnificibus attrectari. Tunc iratus Quintianus jussit ejus mamillam torqueri et tortam diutissime jussit abscidi. Cui Agatha: impie crudelis et dire tyranne, non es confusus amputare in femina, quod ipse in matre suxisti? Ego habeo mamillas integras in anima mea, ex quibus nutrio omnes sensus meos, quas ab infantia domino consecravi. Tunc jussit eam in carcerem recipi prohibens ingressum medicorum et panem vel aquam sibi ab aliquo ministrari. Et ecce circa mediam noctem venit ad eam quidam senex, quem antecedebat puer luminis portitor, diversa secum ferens me-

dicamenta et dixit ei: licet consularis insanus tormentis te afflixerit, tu eum tuis responsis amplius afflixisti et licet ubera tua torserit, sed illius ubertas in amaritudinem convertetur, et quoniam ibi eram, quando hoc patiebaris, vidi, quia mamilla tua potest curam salutis suscipere. Cui Agatha: medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, et turpe est, ut, quod tamdiu servavi, nunc perdam. Dixit ei senex: filia, ego christianus sum, ne verecunderis. Cui Agatha: et unde verecundari possum, cum tu sis senex et grandaevus, ego vero ita crudeliter lacerata, quod nemo de me possit concipere voluptatem. Sed ago tibi gratias, domine pater, quia sollicitudinem tuam mihi impendere dignatus es. Cui ille: et quare non permittis, ut curem te? Agatha respondit: quia habeo dominum Jesum Christum, qui solo verbo curat omnia et sermone restaurat universa. Hic si vult, potest me continuo curare. Et subridens senior dixit: et ego apostolus ejus sum et ipse me misit ad te et in nomine ejus scias te esse sanatam, et continuo Petrus apostolus disparuit. Et procidens beata Agatha gratias agens invenit se undique sanatam et mamillam suam pectori restitutam. Cum ergo ex immenso lumine custodes territi aufugissènt et apertum carcerem reliquissent, rogant eam quidam, ut abiret. Absit, inquit, ut fugiam et coronam patientiae perdam et custodes meos tribulationibus tradam. Post dies quattuor dixit ei Quintianus, ut Deos adoraret, ne graviora supplicia sustineret. Cui Agatha: verba tua fatua sunt et vana, aërem maculantia et iniqua. Miser sine intellectu, quomodo vis, ut lapides adorem et Deum coeli, qui me sanavit, dimittam? Quintianus dixit: et quis te sanavit? Cui Agatha: Christus filius Dei. Quintianus dixit: iterum tu Christum audes nominare, quem ego nolo audire? Agatha dixit: quamdiu vixero, Christum corde et labiis invocabo. Quintianus dixit: nunc videbo, si Christus te curabit. Et jussit testas fractas spargi et sub testas carbones ignitos mitti et ipsam desuper nudo corpore volutari. Quod cum fieret, ecce terrae motus nimius factus est, qui totam civitatem ita concussit, ut palatium corruens duos consiliarios Quintiani opprimeret et omnis populus ad eum concurreret clamans, quod propter injustum Agathae cruciatum talia paterentur. Tunc Quintianus ex una parte terrae motum, ex alia seditionem populi metuens ipsam iterum in carcerem recipi jussit, ubi sic oravit dicens: domine Jesu Christe, qui me creasti et ab infantia custodisti, qui corpus meum a pollutione servasti et a me amorem saeculi abs-

tulisti, et qui tormenta me vincere fecisti et in iis virtutem patientiae tribuisti, accipe spiritum meum et jube me ad tuam misericordiam pervenire. Haec cum orasset, cum ingenti voce spiritum tradidit circa annum domini CCLIII sub Daciano [1]) imperatore. Cum autem fideles cum aromatibus corpus ejus condirent et in sarcophago collocarent, quidam juvenis sericis indutus cum plus quam centum viris pulcherrimis et ornatis ac albis indutis, qui nunquam in illis partibus visi fuerant, ad corpus ejus venit et tabulam marmoream ad caput ejus ponens ab oculis omnium statim disparuit. Erat autem in praedicta tabula scriptum: mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo et patriae liberationem. Quod sic intelligitur: mentem sanctam habuit, spontaneam se obtulit, honorem Deo dedit et patriae liberationem fecit. Et hoc miraculo divulgato etiam gentiles et Judaei sepulchrum ejus plurimum venerari coeperunt. Quintianus autem, dum ad ejus investigandas divitias pergeret, duobus equis inter se [2]) fremitum dantibus calcesque jactantibus unus eum morsu appetiit, alter calce percussum in flumine projecit, ita quod corpus ejus nusquam potuit inveniri. Revoluto anno circa diem natalis ejus mons quidam maximus circa civitatem ruptus eructavit incendium, quod quasi torrens de monte descendens et saxa terramque liquefaciens ad urbem cum magno impetu veniebat. Tunc paganorum multitudo descendit de monte et ad sepulchrum ejus fugiens velum, unde coopertum erat sepulchrum, arripuit et ipsum statuit contra ignem statimque in die natalis ipsius virginis ignis stetit et ultra ullatenus non processit. De hac virgine dicit Ambrosius in praefatione: o felix et inclita virgo, quae meruit domini [3]) pro laude martirium fidelis sanguine clarificare suum. O illustris et gloriosa gemino illustrata decore, quae inter tormenta aspera cunctis praelata miraculis et mistico pollens suffragio apostoli meruit visitatione curari. Sic nuptam Christo susceperunt aethera, sic humani artus gloriosa fulgent obsequia, ut angelorum chorus sanctitatem mentis et patriae indicat liberationem.

---

1) Rec. addunt alias Decio. 2) Rec. legunt: frementibus dentibus calcesque. 3) Ed. Pr. ita legit, sed Recent. praeferunt: domini pro laude fidelis martiris sanguinem clarificare suum.

CAP. XL.

De sancto Vedasto.

Vedastus quasi vere dans aestus, quia vere sibi dedit aestus afflictionis et poenitentiae, vel quasi vaeh distans, quia vaeh aeternum ab eo distat. Nam damnati semper dicent: vaeh, scilicet quia Deum offendi, vaeh quia dyabolo consensi, vaeh quia natus fui, vaeh quia mori non valeo, vaeh quia tam male torqueor, vaeh quia nunquam liberabor.

Vedastus a beato Remigio in Atrebatensem episcopum ordinatus fuit; qui cum ad portam civitatis venisset et ibidem duos pauperes, unum caecum et alium claudum petentes eleemosinam reperisset, dixit iis: argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, vobis do. Et facta oratione utrosque sanavit. Cum autem in quadam ecclesia derelicta et vepribus operta lupus habitaret, eidem praecepit, ut inde fugeret nec ultra illuc redire auderet, quod et factum est. Denique cum verbo et opere multos convertisset, quadragesimo anno sui episcopatus vidit columnam igneam a coelo usque in domum suam descendentem. Qui finem suum adesse considerans, post modicum in pace quievit circa annum domini DL. Cum autem corpus ejus transferretur, Audomatus prae senio caecus, dolens quod corpus Christi videre non poterat, mox lumen recepit, sed postmodum ad votum suum lumen amisit.

CAP. XLI.

De sancto Amando.

Amandus dicitur, quia amabilis fuit: habuit enim tria in se quae faciunt hominem amabilem. Primum est societas grata. Proverb. XVIII: vir amabilis ad societatem magis amicus est quam frater. Secundum est conversationis honestas et sic dicitur de Esther II., quod omnium oculis amabilis videbatur. Tertium est probitatis virtuositas: II. Reg. I. Saul et Jonathas amabiles et decori.

Amandus ex nobilibus parentibus ortus monasterium introivit. Qui dum per monasterium ambularet, quendam maximum serpentem invenit, quem statim virtute crucis et oratione ad foveam nunquam inde exiturum redire coegit. Veniens autem ad sepulchrum sancti Martini, annis quindecim ibi mansit cilicio indutus et aqua ac pane hordeaceo sustentatus. Post hoc dum Romam ivisset, et in ecclesia sancti Petri in oratione pernoctaret, custos ecclesiae ipsum irreverenter foras ejecit. Qui dum ad admonitionem sancti Petri, qui sibi ante fores ecclesiae dormienti apparuit, ad Gallias ivisset et ibidem regem Dagobertum pro suis criminibus increparet, iratus rex eum de suo regno ejecit. Denique cum rex filium non haberet et oratione facta ad dominum filium habuisset, cogitare coepit, a quo infantem suum faceret baptizari, venitque in mentem ejus, ut ab Amando eum baptizari faceret. Quaesito igitur Amando et ad regem adducto, rex ad pedes ejus prosternitur rogavitque, ut sibi indulgeret et suum filium, quem sibi dominus dederat, baptizaret. Ille vero primam petitionem benigne concessit, sed saecularibus negotiis implicari metuens, secundam renuit et abscessit. Tandem victus precibus annuit voto regis; quem cum baptizaret, tacentibus cunctis infans respondit: amen. Post hoc rex ipsum in [1]) terra jacentem in episcopum sublimari fecit. Qui cum a plerisque verbum praedicationis contemni videret, in Vasconiam ivit. Ubi cum quidam joculator verbis ejus irrideret, a daemone arripitur et propriis dentibus se discerpens, quod viro Dei injuriam fecerit, confitetur et statim miserabiliter moritur. Dum autem quadam vice manus lavaret, quidam episcopus aquam illam servari fecit, de qua quidam caecus postmodum curatus fuit. Cum in quodam loco de voluntate regis monasterium constituere vellet, quidam episcopus proximae civitatis moleste hoc sustinens misit famulos suos, ut aut ipsum occiderent vel inde ejicerent. Qui venientes eidem dolose dixerunt, ut secum pergeret et sibi locum aptum ad monasterium ostenderent. Ille autem malitiam illorum praecognoscens usque ad cacumen montis, ubi eum occidere cupiebant, cum iis ivit, eo quod multum martirium affectaret. Sed ecce tanta pluvia et tempestate mons tegitur, ut se mutuo videre non possent, et jam se mori putantes prostrati veniam postulabant et ut eos vivos abire permitteret, exorabant. Qui orationem effudit et serenitatem maximam impetravit.

---

1) Recent. legunt ipsum in Trajectensem episcopum.

Illi ergo ad propria redierunt et sanctus Amandus evadens et multa alia miracula faciens in pace quievit. Floruit circa annum domini DCLIII tempore Eraclii.

CAP. XLII.

De sancto Valentino.

Valentinus dicitur quasi valorem tenens, hoc est, in sanctitate perseverans. Vel dicitur Valentinus, quasi valens tyro, id est, miles Christi. Miles dicitur valens, qui nunquam cecidit, fortiter ferit, se valenter defendit, potenter vincit. Sic Valentinus non cessit martirium vitando, percussit ydololatriam evacuando, defendit fidem [1]) communiendo, vicit patiendo.

Valentinus reverendus presbiter fuit, quem Claudius imperator ad se adduci faciens interrogavit dicens: quid est Valentine? cur amicitia nostra non frueris, ut Deos nostros adores et superstitionem tuae abjicias vanitatis. Cui Valentinus: si gratiam Dei scires, ista nequaquam diceres, sed ab ydolis animum revocares et Deum, qui est in coelis, adorares. Tunc quidam, qui Claudio adstabat, dixit: quid vis dicere, Valentine, de sanctitate Deorum nostrorum? Cui Valentinus: ego de iis nil dico, nisi quod fuerunt homines miseri et omni immunditia pleni. Ad quem Claudius: si Christus verus Deus est, cur mihi non dicis, quod verum est? Cui Valentinus: vere Christus solus est Deus, in quem si credideris, anima tua salvabitur, respublica augebitur, omnium inimicorum tibi victoria concedetur. Respondens autem Claudius adstantibus dixit: viri Romani audite, quam sapienter et recte homo loquitur iste. Tunc dixit praefectus: seductus est imperator: quomodo deseremus, quod ab infantia tenuimus? Et tunc cor Claudii immutatum est. Traditur autem cuidam principi in custodiam et cum in domum ejus ductus fuisset, dixit: domine Jesu Christe, verum lumen, illumina domum istam, ut te verum Deum cognoscant. Cui praefectus: miror te dicentem, quod Christus est lumen: equidem si filiam meam diu caecam illuminaverit, faciam, quaecunque praeceperis. Tunc

1) Rec. legunt confitendo.

Valentinus orans ejus filiam caecam illuminavit et omnes de domo sua convertit. Tunc imperator Valentinum decollari praecepit circa annum domini CCLXXX.

CAP. XLIII.
De sancta Juliana.

Juliana dum Eulogio praefecto Nicomediae desponsata esset et nollet sibi aliquatenus copulari, nisi reciperet fidem Christi, jussit eam pater suus exspoliari et gravissime caedi ac ipsi praefecto tradi. Cui praefectus ait: dulcissima mea Juliana, cur me ita delusisti, ut me sic renueres? Cui illa: si tu adoraveris Deum meum, acquiescam tibi, alioquin nunquam dominus meus eris. Cui praefectus: domina mea, hoc facere non possum, quia imperator amputari faceret caput meum. Cui Juliana: si ita times imperatorem mortalem, quomodo vis, ut imperatorem non timeam immortalem? Fac quidquid vis, quia me decipere non valebis. Tunc praefectus jussit eam gravissime virgis caedi et dimidia die per capillos appendi et plumbum liquefactum in capite ejus fundi. Quod cum nihil ei nocuisset, ipsam catenis ligavit et in carcerem reclusit, ad quam venit dyabolus in specie angeli dicens: Juliana, ego sum angelus domini, qui me ad te misit, ut te debeam commonere, ut Diis sacrifices, ne diu crucieris et tam mala morte moriaris. Tunc Juliana flens oravit dicens: domine Deus meus, ne permittas me perire, sed ostende mihi, quis est, qui mihi talia persuadet. Facta est ad eam vox, ut ipsum apprehenderet et, quis esset, ipsum cogeret eum confiteri. Quae cum eum tenuisset et, quis esset, interrogasset, dixit ei, quod daemon esset et quod ad eam decipiendam pater suus misisset ipsum. Cui Juliana: et quis est pater tuus? Respondit: Beelzebub, qui ad omnia mala nos dirigit et facit nos graviter verberari, quotiens a christianis fuerimus superati, et ideo scio, quod malo meo huc veni, quia te superare non potui. Inter alia, quae confessus est, dixit, quia tunc maxime a christianis elongatur, quando misterium dominici corporis agebatur et quando orationes et praedicationes fiebant. Tunc Juliana retrorsum manibus ipsum ligavit et ad terram ipsum dejiciens cum catena, cum qua erat ligata, ipsum durissime verberavit, dyabolus autem cla-

mans rogabat eam dicens: domina mea Juliana, miserere mei. Tunc jussit praefectus, ut Juliana de carcere educeretur, et exiens trahebat post se daemonem alligatum, daemon autem rogabat eam dicens: domina Juliana noli amplius de me ridiculum facere, non enim potero ultra in quempiam praevalere: christiani enim dicuntur misericordes esse et tu nullam de me misericordiam habes. Sicque per totum forum ipsum traxit et postea in quandam latrinam ipsum projecit. Cum autem ad praefectum pervenisset, in quadam rota adeo est extensa, quod omnia ossa usque ad medullarum exitum sunt confracta, angelus domini autem rotam comminuens ipsam momento sanavit. Quod videntes, qui aderant, crediderunt et statim decollati sunt viri quingenti et mulieres CXXX. Deinde cum in quandam ollam plumbo liquefacto plenam missa fuisset, sed plumbum velut temperatum balneum factum esset, maledixit praefectus Diis suis, qui unam puellam punire non poterant, quae tantam injuriam iis irrogabat. Tunc jussit eam decollari: quae dum ad decollandum duceretur, daemon, quem verberaverat, in specie juvenis apparens clamabat dicens: nolite ei parcere, quoniam Deos vestros vituperavit et me hac nocte graviter verberavit, reddite ergo sibi, quod meruit, cumque Juliana paululum oculos aperuisset et videret, quis esset, qui talia loqueretur, daemon aufugiens exclamavit: heu me miserum, adhuc puto, quod me vult capere et ligare. Cum ergo beata Juliana decollata fuisset, praefectus navigans in mari cum XXXIV viris orta tempestate submersus est. Horum autem corpora cum mare eructasset, a feris et avibus sunt comesta.

CAP. XLIV.

De cathedra sancti Petri.

Cathedra triplex esse dicitur, scilicet regalis, II. Reg. XXII: David sedens in cathedra etc.; sacerdotalis, I. Reg. I: Heli sacerdote sedente super sellam; magistralis, Matth. XXIII: super cathedram Moysis etc. Beatus ergo Petrus sedit in cathedra regali, quia fuit princeps omnium regum, sacerdotali, quia fuit pastor omnium clericorum, magistrali, quia fuit doctor omnium christianorum. Cathedra sancti Petri ab ecclesia festive recolitur, quia tunc beatus Petrus apud Antiochiam in cathedrali honore sublimatus fuisse per-

hibetur. Hujus autem sollemnitatis institutio quadruplicem causam habere videtur. Prima causa est; cum enim beatus Petrus apud Antiochiam praedicaret, Theophilus princeps civitatis illius ei dixit: Petre, qua ratione populum meum subvertis? Cum ergo Petrus sibi fidem Christi praedicaret, ille eum vinculari fecit et sine cibo et potu eum manere permisit, sed cum Petrus jam paene deficeret, resumtis tamen viribus elevans oculos ad coelum ait: Jesu Christe miserorum adjutor adjuva me in his tribulationibus deficientem. Cui dominus respondit: Petre, credis te derelictum a me? Meae bonitati derogas, si talia contra me dicere non formides. Praesto est, qui tuae subveniat miseriae. Audiens autem Paulus de incarceratione Petri ad Theophilum venit et se in multis operibus et artibus summum opificem esse asseruit, ligna et tabulas se scire sculpere, tentoria pingere et multa alia industrie operari dixit. Qui a Theophilo obnixe rogatur, ut in ejus curia secum consistat. Evolutis paucis diebus Paulus ad Petrum absconse in carcerem introivit: quem videns paene mortuum et consumtum amarissime flere coepit et in amplexus ejus quasi flendo deficiebat et prorumpens sic inquit: o Petre frater meus, gloria mea, meum gaudium, dimidium animae meae, meo introitu resume vires. Tunc Petrus oculos aperiens et ipsum cognoscens lacrymari coepit, sed sibi loqui non potuit, et accurrens Paulus vix os ejus aperuit et imponens cibum ipsum refocillavit. Cum autem Petrus cibo confortatus fuisset, accurrens in oscula Pauli ruit et ambo plurimum fleverunt, Paulus autem occulte rediens Theophilo dixit: o bone Theophile, magna est gloria tua et curialitas tua, honestatis amica. Dehonestat multa bona exiguum malum, reminiscere, quid fecisti illi Deicolae, qui dicitur Petrus, velut esset aliquid magnum. Pannosus, deformis, macie consumtus, per omnia vilescit, solo sermone clarescit; et talem decet in carcere ponere? Qui potius si libertate solita frueretur, posset tibi in aliquo utilior esse, nam sicut de illo homine quidam ajunt, infirmos sanat, mortuos suscitat. Cui Theophilus: fabulosa sunt ista, Paule, quae dicis, quia si mortuos suscitare posset, et se ipsum de carcere liberaret. Cui Paulus: sicut Christus suus a mortuis resurrexit (ut dicunt), qui tamen de cruce descendere noluit, sic Petrus (ut ajunt) hoc exemplo se non liberat et pati pro Christo non formidat. Cui Theophilus: dic ergo ei, ut filium meum jam per quattuordecim annos mortuum resuscitet et incolumem eum reddam et liberum. Ingrediens igitur Paulus dixit,

quomodo resuscitationem filii principis spopondisset. Cui Petrus: rem grandem, Paule, promisisti, sed tamen domini virtute facillimam. Sed cum Petrus eductus de carcere monumento aperto pro eo orasset, continuo resurrexit. Hoc autem per omnia verisimile non videtur, ut aut Paulus humana astutia se talia fabrilia scire componere fingeret et sententia juvenis per quattuordecim annos suspensa fuisset Tunc Theophilus et universus populus Antiochiae et alii quam plures domino crediderunt et gloriosam ecclesiam fabricaverunt, in cujus medio excelsam cathedram collocaverunt et Petrum, ut ab omnibus videri et audiri posset, exaltaverunt, in qua septem annis sedit, sed postmodum veniens Romam in romana cathedra sedit XXV annis. De primo tamen honore ecclesia celebrat, quia tunc primo praelati ecclesiae coeperunt loco, potestate et nomine sublimari. Tunc ergo impletum est illud, quod legitur in Psalm.: exaltent eum in ecclesia etc., et notandum, quod triplex est ecclesia, in qua beatus Petrus fuit exaltatus, scilicet ecclesia militantium, malignantium et triumphantium. In hanc triplicem ecclesiam exaltatus est secundum triplicem festivitatem, quam de ipso ecclesia celebrat. Est exaltatus in ecclesia militantium eidem praesidendo et eam in animo et fide et moribus laudabiliter regendo: et hoc quantum ad solemnitatem hodiernam, quae dicitur cathedra, quia tunc super Antiochenam ecclesiam pontificatum accepit et eam VII annis laudabiliter rexit Secundo est exaltatus in ecclesia malignantium, ipsam scilicet dissipando et eam ad fidem convertendo. Et hoc pertinet ad secundam festivitatem, quae dicitur ad vincula. Tunc enim malignantium ecclesiam dissipavit et multos ad fidem convertit. Tertio est exaltatus in ecclesia triumphantium in ipsam feliciter introeundo et hoc quantum ad tertiam solemnitatem, quae est passionis ejus, quia tunc ecclesiam triumphantium introivit. Notandum etiam, quod pluribus aliis rationibus ecclesia ter in anno de eo festivitatem facit, sed propter primordiale principium vel privilegium, propter officium, propter beneficium, propter debitum et propter exemplum. Propter privilegium, quoniam beatus Petrus ab aliis apostolis in tribus fuit privilegiatus, propter quae tria privilegia ecclesia ter in anno eum honorat. Fuit enim prae caeteris dignior in auctoritate, quoniam princeps apostolorum exstitit et claves regni coelorum accepit, ferventior in amore, cum majore enim fervore Christum dilexit, quam caeteri, sicut in multis locis evangelii manifestatur, et efficacior in virtute, nam ad umbram Pe-

tri, ut legitur in Actibus, sanabantur infirmi. Secundo propter officium. Ipse enim officium praelationis super universam ecclesiam habuit et ideo, sicut Petrus fuit princeps et praelatus totius ecclesiae, quae diffusa est in tribus partibus mundi, scilicet Asia, Africa et Europa, ita ecclesia ter in anno celebrat festum ejus. Tertio propter beneficium, quia ipse, qui potestatem accepit ligandi atque absolvendi, liberat nos a tribus generibus peccatorum, scilicet cogitationis, locutionis et operationis: vel quod in Deum, quod in proximum, quod in nos peccavimus. Vel istud beneficium potest esse triplex beneficium aliud, quod virtute clavium peccator in ecclesia consequitur. Primum est absolutionis a reatu ostensio, secundum poenae [1]) purgatoriae in temporalem commutatio, tertium poenae temporalis secundum partem relaxatio. Et propter hoc triplex beneficium sanctus Petrus est tripliciter honorandus. Quarto propter debitum, quia enim ipse tripliciter pavit et pascit nos, scilicet verbo, exemplo et temporali subsidio, sive orationis suffragio, ideo obligamur, ut ipsum tripliciter honoremus. Quinto propter exemplum, ut nullus peccator desperet, etiam si tertio, sicut Petrus Deum negaverit, si tamen eum sicut ipse velit corde, ore, opere confiteri. Secunda causa institutionis est haec, quae quidem de itinerario Clementis est sumta. Cum enim Petrus verbum Dei praedicans Antiochiam appropinquaret, omnes de civitate illa ei obviaverunt nudis pedibus pergentes, ciliciis se induentes et caput pulvere aspergentes, agentes poenitentiam, quod contra eum Symoni mago consensissent. Petrus vero eorum poenitentiam videns gratias Deo egit; tunc illi obtulerunt omnes vexatos languoribus et daemonibus fatigatos, quos cum Petrus ante se poni jussisset et super eos nomen domini invocasset, immensum lumen ibi apparuit et omnes protinus sunt sanati, currentes et osculantes vestigia sancti Petri. Tunc intra septem dies plus quam decem millia hominum baptisma susceperunt, ita ut Theophilus princeps civitatis illius domum suam in basilicam fecerit consecrari et ibidem Petro excelsam cathedram collocari, ut ab omnibus videretur et audiretur. Nec istud contrarium est his, quae superius dicta sunt. Potuit enim fieri, quod Petrus per operationem Pauli a Theophilo et toto populo magnifice sit susceptus, sed recedente Petro Symon magus populum pervertit et contra Petrum graviter incitavit, postmodo

1) Recent. sempiternalis legunt.

vero poenitentiam agens iterum honorabiliter eum recepit. Hoc autem festum de incathedratione sancti Petri consuevit appellari festum epularum beati Petri et hinc tertia ratio sumitur institutionis hujus festi, consuetudo enim fuit antiquitus gentilium (ut ait magister Johannes Beleth) singulis annis in mense Februario certo die epulas offerre super tumulos parentum suorum et eas de nocte daemones consumebant, ipsi autem ab animabus circum tumulos errantibus, quas umbras vocabant, vastari putabant. Solebant enim antiqui dicere (ut idem ait), quod, quando in humanis corporibus sunt, dicuntur animae, in inferis manes, spiritus vero vocabant, quando ad coelos adscendebant, umbras, quando recens erat sepultura sive quando circa tumulos errabant. Haec autem consuetudo de epulis vix a christianis potuit exstirpari, quod sancti patres attendentes et penitus hoc exstirpare volentes festum de incathedratione beati Petri, tum de illa, quae fuit Romae, tum de illa, quae fuit Antiochiae, statuerunt; illo scilicet eodem die, quo talia fiebant, unde ab illis epulis adhuc ab aliquibus festum epularum beati Petri vocatur. Quarto instituta est propter reverentiam coronae clericalis; notandum enim, quod juxta aliquorum traditionem corona clericorum hic primo sumsit initium. Nam dum Petrus Antiochiae praedicaret, in contumeliam nominis christiani summitatem ejus capitis abraserunt, quod quidem postmodum toti clero traditur in honorem, quod pro Christo apostolorum principi in contumeliam fuerat irrogatum. Circa autem ipsam coronam clericorum tria attenduntur, scilicet capitis abrasio, capillorum detruncatio et formae circulatio. Abrasio autem in superiori parte capitis fit triplici ratione, quarum duas assignat Dyonisius in Coelesti Hierarchia dicens: detonsio capillorum significat mundam et non formabilem vitam, ad capillorum enim detonsionem sive capitis abrasionem tria sequuntur, scilicet munditiae conservatio, deformatio et denudatio. Munditiae conservatio, quia ex capillis sordes in capite aggregantur, deformatio, quia capilli ad ornatum sunt; significat ergo tonsura mundam et non formabilem vitam. Hoc enim significat, quod clerici debent habere munditiam mentis interius et non formabilem id est non exquisitum habitum exterius. Denudatio autem significat, quod inter se et Deum nihil debet esse medium, sed immediate Deo debent uniri et [1]) revelata facie domini gloriam speculari. Capillorum detruncatio

1) Recent. elevata legunt

fit, ut ex hoc detur intelligi, quod clerici omnes cogitationes superfluas a mente sua debent abscindere et ad verbum Dei semper auditum paratum et expeditum habere et sic omnia temporalia praeterquam ad necessitatem a se penitus removere. Fit autem circularis figura multiplici ratione. Primo quoniam haec figura non habet finem neque principium, per quod datur intelligi, quod ministri Dei sunt clerici, qui nec habet principium neque finem. Secundo quoniam haec figura nullum angulum habet et significat, quod clerici non debent habere sordes in vita, quoniam ubi angulus, ibi sordes (ut dicit Bernardus). Et debent habere veritatem in doctrina, quoniam veritas angulos non amat (sicut dicit Hieronymus). Tertio quoniam haec figura est omnium figurarum pulcherrima, unde in hanc Deus coelestes creaturas fecit. Per quod significatur, quod clerici debent habere pulchritudinem interius in mente et exterius in conversatione. Quarto quoniam haec figura est omnium figurarum simplicissima, nulla enim figura (ut dicit Augustinus) ex una linea consistit, sola circularis figura est, quae una tantum linea clauditur. Per quod significatur, quod clerici habere debent simplicitatem columbarum juxta illud: et simplices sicut columbae.

CAP. XLV.

De sancto Mathia apostolo.

Mathias hebraice, latine dicitur donatus domino vel donatio domini vel humilis sive parvulus. Nam donatus a domino fuit, quando ipsum de mundo elegit et inter LXXII discipulos designavit. Donatio domini fuit, quando sorte electus inter apostolos nominari promeruit. Parvus fuit, quia veram semper humilitatem servavit. Est autem triplex humilitas (sicut dicit Ambrosius), prima est afflictionis, qua quis dicitur humiliatus, secunda considerationis, quae procedit ex consideratione sui, tertia devotionis, quae procedit ex cognitione creatoris. Primam habuit beatus Mathias martirium patiendo, secunda se ipsum despiciendo, tertiam, majestatem Dei admirando. Vel dicitur a manu, quod est bonum, et thesis positio. Inde Mathias bonum positum pro malo, scilicet pro Juda. Ejus vitam, quae per ecclesias legitur, Bedam scripsisse creditur.

Mathias apostolus in locum Judae substitutus est, sed primo

ortum et originem ipsius Judae breviter videamus. Legitur enim in quadam hystoria licet apocrypha, quod fuit quidam vir in Jerusalem nomine Ruben, qui alio nomine dictus est Symon de tribu Dan, vel secundum Hieronymum de tribu Ysaschar, qui habuit uxorem, quae Cyborea nuncupata est. Quadam igitur nocte cum sibi mutuo debitum exsolvissent, Cyborea obdormiens somnium vidit, quod perterrita cum gemitibus et suspiriis viro suo retulit dicens: videbatur mihi, quod filium flagitiosum parerem, qui totius gentis nostrae causa perditionis exsisteret. Cui Ruben: nefariam rem, inquit, nec relatu dignam profaris et spiritu, ceu puto, phitonico raperis. Cui illa: si me concepisse sensero et filium peperero, absque dubio non spiritus phitonicus exstitit, sed revelatio certa fuit. Procedente igitur tempore cum filium peperisset, parentes plurimum timuerunt, et quid de eo facerent, cogitare coeperunt, cumque filium abhorrerent occidere, nec vellent destructorem sui generis enutrire, ipsum in fiscella positum mari exponunt, quem marini fluctus ad insulam propulerunt, quae Scarioth dicitur. Ab illa igitur insula Judas Scariotes appellatus est, regina autem illius loci carens liberis ad littus maris causa spatiandi processit et fiscellam a marinis fluctibus jactari videns, ipsam aperiri praecepit inveniensque ibi puerum elegantis formae suspirans ait: o si solatiis tantae sublevarer sobolis, ne regni mei privarer successore. Puerum igitur secreto nutriri fecit et se gravidam simulavit, tandem se filium peperisse mentitur et per totum regnum fama haec celebris divulgatur. Princeps pro suscepta sobole vehementer exsultat et ingenti gaudio plebs laetatur. Ipsum igitur secundum magnificentiam regiam educari fecit, non post multum vero temporis regina de rege concepit et suo tempore filium parturivit. Cum autem pueri aliquantulum jam crevissent, ad invicem saepius colludebant et puerum regium Judas crebris molestiis et injuriis molestabat et ad fletum saepius provocabat, regina autem hoc moleste ferens et Judam ad se non pertinere sciens ipsum crebrius verberavit. Sed nec sic a molestia pueri desistebat. Tandem res panditur et Judas non verus reginae filius, sed inventus aperitur. Quod Judas ut comperit, vehementer erubuit et fratrem suum putativum filium regis latenter occidit. Ob hoc capitalem sententiam timens cum tributariis in Jerusalem aufugit seque curiae Pylati, tunc praesidis, mancipavit (et quoniam res similes sibi sunt habiles) Pylatus Judam suis moribus invenit congruere et ideo coepit ipsum valde carum habere.

Universae igitur curiae Pylati Judas praeficitur et ad ejus nutum omnia disponuntur. Quadam igitur die Pylatus de palatio suo in quoddam pomoerium aspiciens, illorum pomorum tanto desiderio captus est, ut paene deficere videretur. Erat autem illud pomoerium Ruben, patris Judae, sed nec Judas patrem neque Ruben filium agnoscebat, quia et Ruben ipsum his marinis fluctibus periisse putabat et Judas, quis pater aut quae patria sua fuerit, penitus ignorabat. Pylatus itaque accersito Juda ait: tanto illorum fructuum captus sum desiderio, quod, si his frustratus fuero, spiritum exhalabo. Concitus igitur Judas in pomoerium insiliit et velocius mala carpit. Interea Ruben venit et Judam mala sua carpentem invenit: fortiter igitur ambo contendunt et jurgia superaddunt, post jurgia surgunt ad verbera et mutuis se injuriis affecerunt. Tandem Judas Ruben in ea parte, qua cervix collo connectitur, lapide percussit, pariter et occidit. Poma igitur sustulit et Pylato, quid acciderit, enarravit. Jam die inclinante et nocte superveniente Ruben mortuus invenitur et subitanea morte praeventus esse putatur, tunc Pylatus omnes facultates Ruben Judae tradidit et Cyboream uxorem Ruben conjugem Judae dedit. Quadam igitur die dum Cyborea graviter suspiraret et Judas vir ejus, quid haberet, diligenter interrogaret, illa respondit: heu infelicissima sum omnium feminarum, quia infantulum meum marinis fluctibus immersi et virum meum morte praeventum inveni, sed et dolori misere Pylatus addidit dolorem, qui me moestissimam nuptui tradidit et invitissimam tibi in conjugem copulavit. Cumque illa omnia de infantulo enarrasset et Judas illa, quae sibi acciderant, retulisset, inventum est, quod Judas matrem suam in uxorem duxerit et patrem suum occiderit. Poenitentia igitur ductus suadente Cyborea dominum nostrum Jesum Christum adiit et suorum delictorum veniam imploravit. Hucusque in praedicta hystoria apocrypha legitur, quae utrum recitanda sit, lectoris arbitrio relinquatur, licet sit potius relinquenda quam asserenda. Dominus autem suum eum fecit discipulum et de discipulo in suum elegit apostolum, qui adeo sibi familiaris exstitit et dilectus, ut eum faceret suum procuratorem, quem postmodum pertulit suum proditorem. Portabat enim loculos et ea, quae Christo dabantur, furabatur. Dolens vero tempore dominicae passionis, quod unguentum, quod trecentos denarios valebat, non fuerat venditum, ut illos etiam denarios furaretur, abiit et dominum XXX denariis vendidit, quorum unusquisque valebat decem denarios usu-

ales et damnum unguenti tricentorum denariorum recompensavit; vel (ut quidam ajunt) omnium, quae pro Christo dabantur, decimam partem furabatur et ideo pro decima parte, quam in unguento amiserat, scilicet pro XXX denariis, dominum vendidit, quos tamen poenitentia ductus retulit et abiens laqueo se suspendit et suspensus crepuit medius et diffusa sunt omnia viscera ejus. In hoc autem delatum est ori, ne per os effunderetur, non enim dignum erat, ut os tam viliter inquinaretur, quod tam gloriosum os scilicet Christi contigerat. Dignum enim erat, ut viscera, quae proditionem conceperant, rupta caderent et guttur, a quo vox proditoris exierat, laqueo artaretur. In aëre etiam interiit, ut qui angelos in coelo et homines in terra offenderat, ab angelorum et hominum regione separaretur et in aëre cum daemonibus sociaretur. Cum igitur inter ascensionem et penthecosten apostoli in coenaculo simul essent, videns Petrus, quod numerus XII apostolorum erat imminutus, quos tamen dominus in hoc numero elegerat, ut fidem trinitatis in quattuor mundi partibus praedicarent, surrexit in medio fratrum dicens: viri fratres, oportet ut aliquem loco Judae substituamus, qui testetur nobiscum resurrectionem Christi, quia dominus dixit nobis: eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et in Samaria et usque ad ultimum terrae: et quia testis nonnisi de his, quae vidit, debet testimonium ferre, eligendus est unus ex his viris, qui nobiscum semper fuerunt, et domini miracula viderunt et ejus doctrinam audierunt. Et statuerunt duos de septuaginta duobus discipulis, scilicet Joseph, qui cognominatus est justus pro sanctitate sua, qui fuit frater Jacobi Alphei, et Mathiam, de cujus laude subticetur, quia sufficit ei pro laude, quod in apostolum est electus. Et orantes dixerunt: tu domine, qui nosti corda omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus et apostolatus, quem Judas amisit, et datis illis sortibus cecidit sors super Mathiam et annumeratus est cum XI apostolis. Et notandum, quod exemplo hoc, ut ait Hieronymus, non est sortibus utendum, quia privilegia paucorum communem legem non faciunt. Rursus etiam, sicut dicit Beda, donec veniret veritas, figuram licuit observare. Vera enim hostia in passione fuit immolata, sed in Penthecoste consummata et ideo in electione Mathiae sortibus usi sunt, ne a lege discreparent, in qua summus sacerdos sorte quaerebatur. Post Penthecosten vero jam veritate propalata septem dyacones non sorte sed discipulorum electione et apostolorum ora-

tione et manuum impositione ordinati sunt. Cujusmodi autem hae sortes fuerint, duae sanctorum patrum exstant sententiae. Hieronymus enim et Beda volunt, quod hae sortes tales fuerunt, quales illae, quarum in veteri lege crebcrrimus usus erat. Dyonisius autem, qui fuit Pauli discipulus, irreligiosum existimat hoc arbitrari, asserens sibi videri, quod illa sors nihil aliud fuerit nisi quidam splendor et radius divinitus super Mathiam emissus, per quem ipse ostendebatur in apostolum assumendus. Ait enim sic in libro Coelestis Hierarchiae: de divina autem sorte, quae super Mathiam divinitus cecidit, alii quidam alia dixerunt non religiose, sicut arbitror, meam autem et ipse intentionem dicam. Videntur enim mihi eloquia sortem nominare [1]) thearticum quoddam donum demonstrans illi theartico choro a divina electione susceptum. Hic igitur Mathias apostolus Judaeam in sortem accepit et praedicationi ibidem insistens et multa miracula faciens in pace quievit. In nonnullis vero codicibus legitur, quod patibulum crucis pertulit et tali martyrio coronatus coelos adscendit. Hujus corpus Romae in ecclesia Sanctae Mariae Majoris sub lapide porphiretico sepultum esse dicitur et ibidem caput ejus populo demonstratur. In quadam vero legenda, quae Treveris invenitur, sic inter caetera legitur, Mathias de tribu Juda et civitate Betlehem illustri prosapia oriundus fuit, qui litteris traditus omnem in brevi legis et prophetarum scientiam apprehendit lasciviamque abhorrens pueriles annos morum maturitate vincebat. Informabatur quoque ejus animus ad virtutem, ut esset ad intelligentiam habilis, ad misericordiam facilis, in prosperis non elatus, in adversis constans et intrepidus. Satagebat, ut, quod jussu praeceperat, opere compleret et oris doctrinam manuum operatione monstraret. Hic cum per Judaeam praedicaret, caecos illuminabat, leprosos mundabat, daemones expellebat, claudis gressum, surdis auditum, mortuis vitam restituebat. Qui cum coram pontifice accusaretur, in multis respondit: de objectis, quae crimina dicitis, non opus me multa dicere, quoniam christianum esse non est criminis, sed gloriae. Cui pontifex: si tibi dantur induciae, vis poenitere? Et ille: absit, ut a veritate, quam semel inveni, per apostasiam digrediar. Igitur Mathias in lege erat doctissimus, corde mundus, animo prudens, in solvendis quaestionibus sacrae scripturae acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus. Qui cum verbum

1) Recent. legunt hierarchicum quoddam domini — hierarchico.

Dei per Judaeam praedicaret, multos signis et prodigiis convertebat. Unde Judaei invidentes ipsum in concilio statuerunt. Duo ergo falsi testes, qui ipsum accusaverant, primo in ipsum lapides miserunt, quos lapides in testimonium illis secum fecit sepeliri. Qui dum lapidaretur, securi more romano percutitur et extensis in coelum manibus spiritum Deo reddidit et subditur ibidem. Cujus corpus de Judaea Romam et inde Trevirim est translatum. In quadam vero alia legenda legitur, quod, dum Mathias in Macedoniam advenisset et fidem Christi praedicaret, quandam potionem toxicatam, quae visu cunctos privabat, sibi dederunt, quam in Christi nomine bibit et nullam laesionem incurrit, et cum illa potione plus quam CCL excaecassent, ille singulis manum imponens omnes illuminavit. Dyabolus autem in similitudinem infantis iis apparens suasit, ut Mathiam occiderent, qui eorum cultum evacuaret, et cum ipse in medio eorum consisteret, tribus tamen diebus eum quaerentes minime invenerunt. Tertia autem die se iis manifestans dixit: ego sum, quem manibus post tergum ligatis et fune collo imposito crudeliter afflixerunt et sic in carcere recluserunt. Ubi daemones apparentes dentibus in eum fremebant, sed appropinquare non poterant, dominus autem cum multo lumine ad eum veniens ipsum de terra levavit et vincula solvens et dulciter confortans ostium aperuit. Qui egressus verbum domini praedicavit, dum autem quidam obstinati persisterent, dixit iis: denuncio vobis, quod vivi in infernum descendetis, moxque terra se aperuit et cunctos illos deglutivit, reliqui vero ad dominum sunt conversi.

CAP. XLVI.
De sancto Gregorio.

Gregorius dicitur a grex et gore, quod est praedicare sive dicere, unde Gregorius quasi gregis praedicator. Vel dicitur Gregorius quasi egregorius ab egregius et gore quasi egregius praedicator et doctor. Vel Gregorius in lingua nostra vigilans sonat, quia ipse vigilavit sibi, Deo et gregi. Sibi per munditiae conservationem, Deo per internam contemplationem, gregi per assiduam praedicationem; et haec tria merentur Dei visionem. Augustinus in libro de ordine: is videt Deum, qui bene vivit, bene studet et

bene orat. Ejus vitam scripsit Paulus Longobardorum hystoriographus, quam Johannes dyaconus diligentius postmodum compilavit.

1. Gregorius senatoria stirpe progenitus, cujus pater Gordianus et mater Silvia dicebatur, cum summum philosophiae apicem in ipsa sui adolescentia attigisset ac rerum et divitiarum copia plurimum abundaret, cogitavit tamen haec omnia deserere et in religionem se transferre. Sed dum longius conversionem protraheret et ut tutius se Christo famulaturum putaret, si sub praetoris urbani habitu mundo specie tenus deserviret, coeperunt multra contra eum ex saeculi cura succrescere, ita ut non tantum specie, sed in eo retineretur et mente. Taudem patre orbatus sex monasteria in Sicilia construxit, septimum intra moenia urbis sub honore sancti Andreae apostoli in proprio domate fabricavit, in quo relictis sericis auro gemmisque radiantibus vili monastico habitu tegebatur. Ubi ad tantam perfectionem in brevi devenit, ut in ipso suae conversionis initio posset jam in perfectorum numero computari. Cujus quidem perfectio ex verbis suis, quae in prologo super dialogum ponit, aliqualiter perpendi potest, ubi sic dicit: infelix animus meus occupationis suae pulsatus vulnere meminit, qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia cuncta subtererant, quantum rebus omnibus, quae volvuntur, eminebat, quod nulla, nisi coelestia cogitare consueverat, quod etiam retentus corpore ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat, quod mortem quoque, quae paene cunctis poena est, videlicet ut ingressum vitae et praemium laboris sui amabat. Tanta denique districtione corpus suum afflixit, ut infirmato stomacho subsistere vix valeret et incisionem vitalium, quam Graeci syncopim vocant, patiens crebris angustiis per horarum momenta ad exitum propinquaret. — — — 2. Quadam vice dum quodam in monasterio suo, ubi abbas praeerat, scriptitaret, angelus domini in specie naufragi sibi affuit sibique misereri lacrymabiliter postulavit. Cui cum Gregorius sex argenteos dari fecisset et abiisset, eadem die iterum rediit, seque multa perdidisse, pauca vero accepisse perhibuit. Qui cum ab eo totidem argenteos recepisset, iterum vice tertia reversus misereri sibi importunis clamoribus postulabat, sed Gregorius cum a procuratore sui monasterii didicisset, nihil dandum praeter scutellam argenteam, quam mater sua cum leguminibus mittere solebat, in monasterio remansisse, illam statim dari praecepit, quam libenter accipiens laetus abscessit. Hic autem angelus domini fuit, sicut se ipsum postmo-

dum revelavit. — — — 3. Quadam die beatus Gregorius per forum urbis Romae transiens cernit quosdam pueros forma pulcherrimos, vultu venustos, capillorum nitore perspicuos esse venales. Interrogat igitur mercatorem, de qua illos patria attulisset. Qui respondit: de Britannia, cujus incolae simili candore fulgent. Interrogat iterum, si christiani sunt. Cui mercator: non, sed paganicis erroribus implicati tenentur. Tunc Gregorius acriter ingemiscens: heu proh dolor, inquit, quod splendidas facies princeps tenebrarum nunc possidet. Interrogat igitur, quod esset vocabulum gentis illius. Cui ille: Anglici vocantur. Bene, inquit, anglici quasi angelici, quia et angelicos vultus habent. Interrogavit igitur eum, quod nomen haberet illa provincia. Ait mercator: provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius: bene, inquit, Deiri vocantur, quia de ira sunt eruendi. Rursus de nomine regis interrogat. Ait mercator, quod Aelle diceretur, et Gregorius: bene Aelle, quia alleluja in partibus illis decantari opus. Qui mox ad summum pontificem accedens cum multa instantia et precibus vix obtinuit, ut ad illos convertendos mitteretur. Cumque jam iter arripuisset, Romani de ejus absentia plurimum perturbati papam adeunt et eum taliter alloquuntur: Petrum offendisti, Romam destruxisti, Gregorium demisisti, sicque papa perterritus ad eum revocandum continuo nuntios destinavit. Cumque Gregorius jam iter trium dierum peregisset et in quodam loco devertens quaedam caeteris quiescentibus lectitaret, locusta superveniens eum coegit a legendo quiescere et ex consideratione sui nominis docuit eum in eodem loco stare debere, quod ille spiritu prophetico discens statim comites adhortatur, ut velocius debeant proficisci, sed supervenientibus apostolicis nuntiis redire compellitur, licet de hoc plurimum tristaretur. Tunc papa ipsum a monasterio suo abstraxit et suum dyaconem cardinalem ordinavit. — — — 4. Quodam tempore Tyberis fluvius alveum suum egressus in tantum excrevit, ut super muros urbis influeret et plurimas domos everteret. Tunc etiam per Tyberim fluvium multitudo serpentum cum dracone magno in mare descendit, sed a fluctibus praefocati et ad littus projecti totum aëra sua putredine corruperunt sicque plaga pessima, quam inguinariam vocant, secuta est, ita ut etiam corporali visu sagittae coelitus venire et singulos quosque percutere viderentur. Quae primo omnium Pelagium papam percussit et sine mora exstinxit, postmodum vero ita in reliquum vulgus desaeviit, ut subtractis habitatoribus domos plu-

rimas vacuas in urbe reliquerit. Sed quia ecclesia Dei sine rectore esse non poterat, Gregorium licet totis viribus renitentem plebs omnis elegit. Cum ergo benedici deberet et lues populum devastaret, sermonem ad populum fecit et processionem faciens litanias instituit et, ut omnes Deum attentius exorarent, admonuit. Cum igitur Deum omnis congregatus populus exoraret, in tantum lues ipsa desaeviit, ut in una hora homines XC spiritum exhalarent, sed nequaquam cessavit populum admonere, ut ab oratione nunquam desisterent, donec pestem ipsam divina propulsaret miseratio. Finita processione fugere voluit, sed nequivit, quia die noctuque portas urbis propter eum vigiles observabant. Tandem mutato habitu a quibusdam negotiatoribus obtinuit, ut in quodam dolio super quadrigam de urbe educeretur. Qui mox sylvam expetiit, cavernarum latibula requisivit ibique tribus diebus latuit. Verumtamen dum sollicite quaereretur, columna lucida perfulgida a coelo dependens super locum, in quo latitabat, apparuit, in qua columna angelos descendentes et ascendentes quidam reclusus aspexit, moxque ab universo populo capitur, trahitur et summus pontifex consecratur. Quod vero ad hoc honoris culmen invitus ascenderit, qui verba sua legit, patenter advertit. Nam in epistola ad Narsum patritium sic ait: dum contemplationis alta describitis, ruinae meae mihi gemitum renovatis, quia audivi, quod intus perdidi, dum foras ad culmen regiminis immeritus adscendi. Tanto autem me moerore percussum cognoscite, ut vix loqui sufficiam. Nolite ergo me vocare Noemi, id est pulchrum, sed vocate me Mara, quia amaritudine plenus sum. Item alibi: quod me ad episcopatus ordinem cognoscitur pervenisse, si me diligitis, plangite, quia et ego incessanter defleo atque ut Deum pro me exoretis, rogo. In prologo quoque super dialogum sic ait: ex occasione curae pastoralis animus meus saecularium hominum negotia patitur et post tam pulchram suae quietis speciem terreni actus pulvere foedatur. Perpendo itaque, quid tolero, perpendo quid amisi. Dum intueor illud, quod perdidi, fit hoc gravius, quod porto, ecce enim nunc magis maris fluctibus quatior atque [1]) in navi mentis tempestatis valide procellis illidor et cum prioris vitae recolo, quasi post tergum ductis oculis viso littore suspiro. Sed quia Romam adhuc praedicta pestis vastabat, more solito processionem cum litaniis per civitatis circuitum

1) Recent. male inani legunt et paulo ante magni loco adv. magis.

quodam tempore paschali ordinavit, in qua imaginem beatae Mariae semper virginis, quae adhuc, ut ajunt, est Romae in ecclesia, quae dicitur Sancta Maria Major, quam Lucas arte medicus et pictor egregius formasse dicitur et eidem virgini simillima per omnia perhibetur, ante processionem reverenter portari fecit. Et ecce tota aëris infectio et turbulentia imagini cedebat, ac si ipsam imaginem fugeret et ejus praesentiam ferre non posset, sicque post imaginem mira serenitas et aëris puritas remanebat. Tunc in aëre, ut refertur, juxta imaginem auditae sunt voces angelorum cantantium: regina coeli laetare alleluja, quia quem meruisti portare alleluja resurrexit, sicut dicit alleluja. Statimque beatus Gregorius, quod sequitur, adjunxit: ora pro nobis, Deum rogamus, alleluja. Tunc beatus Gregorius vidit supra castrum Crescentii angelum domini, qui gladium cruentatum detergens in vaginam remittebat, intellexitque Gregorius, quod pestis illa cessasset, et sic factum est. Unde et castrum illud castrum angeli deinceps vocatum est. Tandem, ut desideraverat, Augustinum, Mellitum et Johannem cum quibusdam aliis in Angliam misit et eos suis precibus et meritis ad fidem convertit. — — 5. Tantae etiam humilitatis beatus Gregorius exstitit, ut se laudare nullo modo permitteret. Nam Stephano episcopo, qui eum in suis epistolis laudaverat, ita scripsit: multum mihi (et ultra quam audire debui indignus) favorem in vestris epistolis demonstratis et tamen scriptum est: ne laudes hominem, quamdiu vivit, tamen etsi audire talia dignus non fui; orationibus vestris peto, ut dignus efficiar, ut, si bona ideo in me dixistis, quia non sunt, ideo sint, quae dixistis. Item in epistola ad Narsum patritium: quod causae et nominis similitudinem faciendo per scripturas clausulas declamationesque formatis, certe frater carissime simiam leonem vocas, quod eo modo nos agere conspicimus, quo scabiosos catulos saepe pardos vel tigres vocamus. Item in epistola ad Anastasium patriarcham Antiochenum: quod vos me os domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse multisque posse lucere perhibetis, existimationem meam, fateor, mihi in maximam dubitationem perduxistis. Considero namque, qui sum, et nihil in me ex hujusmodi boni signo deprehendo: considero autem, qui estis et vos mentiri posse non arbitror. Cum ergo credere volo, quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea, cum disputare volo, quod in laudem meam dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quaeso, vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conveniat, ut si non, quod di-

ditis, ita est, sit ita, quia dicitis. Vocabula etiam jactantia vel utilitatem sonantia omnino respuebat, unde Eulogio patriarchae Alexandrino, qui eum universalem papam vocaverat, ita scribit: in praefatione epistolae, quam ad me direxistis, superbae appellationis verbum, universalem me papam dicentes, imprimere curavistis. Quod, peto, dulcissima sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quam ratio exigat, praebetur. Ego enim verbis prosperari non quaero, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres honorem suum perdere cognosco. Recedant ergo verba, quae vanitatem inflant, caritatem vulnerant. Hinc est, quod cum Johannes episcopus Constantinopolitanus hoc vocabulum vanitatis sibi usurparet et se universalem papam vocari a synodo fraudulenter obtinuisset, inter caetera sic de eo scribit Gregorius: quis est iste, qui contra statuta evangelica, contra canonum decreta novum sibi nomen usurpare praesumit, ut velut sine minutione sit unus, qui appetit esse universus. Verbum etiam jussionis sibi a coepiscopis dici nolebat, unde ait in epistola ad Eulogium episcopum Alexandrinum: vestra mihi caritas loquitur dicens; sicut jussistis, quod verbum jussionis peto a meo auditu removeri, quia scio, qui sum et qui estis; loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Insuper ob nimiam humilitatem, qua erat praeditus, nolebat quod matronae se ancillas suas dicerent. Unde Rusticanae patriciae scribens ait: unum in tuis epistolis aegre suscepi, quia, quod semel esse poterat, saepius dicebatur: ancilla vestra, et ancilla vestra. Ego enim, qui per episcopatus onera omnium servus sum factus, qua ratione te mihi ancillam dicis? cujus ante episcopatus susceptum proprius fui, et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis tuis inveniam. Primus in suis epistolis se servum servorum Dei nominavit et alios nominari instituit. Libros suos, dum adhuc viveret, ob nimiam humilitatem publicari nolebat et in aliorum comparatione suos nihil valere aestimabat, unde Innocentio praefecto Africae sic scribit: quod expositionem scilicet Job vobis transmitti voluistis, vestro studio congaudemus, sed si delicioso capitis pabulo saginari, beati Augustini compatriotae vestri opuscula legite et ad comparationem illius similaginis nostrum furfurem non quaeratis, neque enim volo, dum in hac carne sum, si quid dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci. Legitur quoque in quodam libro de Graeco in Latinum translato, quod quidam sanctus pater nomine abbas Johannes, cum Romam ad visi-

tanda apostolorum limina venisset et beatum Gregorium papam per medium civitatis transire videret, voluit ei occurrere ac, ut decebat, reverentiam exhibere. Cernens vero beatus Gregorius, quod se in terram vellet prosternere, festinavit et primo se coram ipso in terram prostravit nec inde surrexit, quoadusque abbas primo surrexisset; in quo maxima ejus humilitas commendatur. — — — — 6. Tantae autem largitatis eleemosinarum exstitit, ut non solum praesentibus, sed etiam longe positis et in monte Synay monachis necessaria ministraret, nam omnium indigentium nomina scripta habebat et iis liberaliter subveniebat. Monasterium Hierosolimis instituit et Dei famulis illic degentibus necessaria mittere procuravit; tribus quoque millibus ancillis Dei pro quotidianis stipendiis octoginta libras auri annualiter offerebat, quotidie etiam ad suam mensam peregrinos quoslibet invitabat. Inter quos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse ex humilitate aquam fundere vellet, conversus urceum accepit, sed repente eum, in cujus manibus aquam fundere volebat, non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte dominus per visionem ei dixit: caeteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memet ipso suscepisti. Alio quoque tempore praecepit cancellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret, qui pergens jussa complevit. Dum autem simul discumberent, intuens papa tredecim numeravit et accersito cancellario, cur contra suam jussionem tredecim invitare praesumserat, inquisivit. Quos cancellarius numerans et tantum duodecim inveniens ait: crede mihi pater, non sunt nisi duodecim. Animadvertit Gregorius, virum propius discumbentem vultum crebro mutare et nunc adolescentem nunc vero sibi vetulum veneranda quadam canitie simulare, finito igitur convivio illum in cubiculo duxit, vehementer adjurans, ut ei se nomenque suum prodere dignaretur. Qui respondens ait: et cur interrogas de nomine meo, quod est mirabile? Verumtamen scito, quia ego sum naufragus ille, cui scutellam argenteam tribuisti, quam tibi miserat cum leguminibus mater tua, et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi dedisti, destinavit te dominus fieri ecclesiae suae praesulem et Petri apostoli successorem. Cui Gregorius: et tu quomodo hoc nosti, quod tunc me dominus praeesse suae ecclesiae destinaverit? At ille: quoniam angelus ejus sum et me tibi dominus nunc remisit, ut te semper debeam protegere et omne, quod petieris per me, apud ipsum valeas impetrare. Statimque ab eo disparuit. — — 7. Eo

tempore fuit quidam eremita, vir magnae virtutis, qui omnia propter Deum reliquerat et nihil praeter unam cattam possidebat, quam blandiens crebro quasi cohabitatricem in suis gremiis refovebat. Oravit igitur ad Deum, ut sibi ostendere dignaretur, cum quo futurae remunerationis mansionem sperare debuisset, qui illius amore nil ex divitiis hujus saeculi possideret. Quadam igitur nocte sibi revelatur, quod cum Gregorio, Romano pontifice, mansionem sibi sperare deberet. At ille fortiter ingemiscens parum sibi voluntariam paupertatem profuisse putabat, si cum eo remunerationem reciperet, qui tantis mundialibus divitiis abundaret. Cum ergo Gregorii divitias suae paupertati die noctuque suspirando conferret, alia nocte audivit dominum sibi dicentem: cum divitem non possessio divitiarum, sed cupido faciat, cur audes paupertatem tuam Gregorii divitiis comparare, qui magis illam cattam, quam habes, quotidie palpando diligere comprobaris, quam ille tantas divitias, quas non amando, sed contemnendo cunctisque liberaliter largiendo dispergit. Itaque solitarius Deo gratias retulit et qui meritum suum decrevisse[1]) putaverat, si Gregorio conferretur, orare coepit, ut cum eo mansionem quandoque percipere mereretur. — — S. Cum apud Mauritium imperatorem et filios ejus super morte cujusdam episcopi falso accusaretur, sic ait in epistola, quam apocrisario mittit: unum est, quod breviter suggeras dominis meis, quia si ego servus eorum in mortem Longobardorum vel damnum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec regem nec ducem nec comites haberet atque in sua confusione esset, sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. Ecce quantae humilitatis exstitit, quia cum esset summus pontifex, imperatoris se servum vocabat, dominum suum eum appellabat. Ecce quantae innocentiae, quia in mortem inimicorum suorum consentire nolebat, cum Mauritius imperator Gregorium et ecclesiam Dei persequeretur. Inter caetera sic ei scripsit Gregorius: quia enim peccator sum, credo, quod omnipotentem Deum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male servientem affligitis. Quadam igitur vice quidam monastico habitu indutus spatam evaginatam dextera tenens coram imperatore intrepidus adstitit et contra eum vibrans illum gladio moriturum praedixit. Territus Mauritius a persecutione Gregorii

---

1) Sic recte antiq. a verbo: decrescere, legunt. Recent. ex gloss. delevisse praeferunt.

cessavit et ut pro se orare deberet, instanter petiit, quatenus ipsum in hac vita de malis suis Deus puniret et non puniendum extremo examini reservaret. Quadam igitur vice vidit se Mauritius ante tribunal judicis stare et judicem proclamare: date Mauritium. Et capientes eum ministri ipsum ante judicem posuerunt. Cui ille: ubi vis, ut reddam tibi mala, quae in hoc saeculo perpetrasti? Ille respondit: hic potius ea domine mihi et non in saeculo futuro retribue. Statimque divina vox jussit tradi Mauritium, uxorem, filios et filias Phocae militi occidendos. Quod et factum est, non post multum enim temporis Phocas quidam miles ejus ipsum cum tota familia sua gladio occidit et ei in imperio successit. — — **9.** Cum apud sanctam Mariam majorem in die paschae missam celebraret et pax domini pronuntiaret, angelus domini alta voce respondit: et cum spiritu tuo. Unde papa apud illam ecclesiam in die paschae stationem facit nec sibi, cum dicit pax domini, in hujus miraculi testimonium respondetur. — — **10.** Quodam tempore Trajanus imperator Romanus ad quoddam bellum vehementissime festinabat, cui vidua flebiliter occurrit dicens: obsecro ut sanguinem filii mei innocenter peremti vindicare digneris, cumque Trajanus, si sanus reverteretur, vindicare se testaretur, vidua dixit: et quis mihi hoc praestabit, si tu in proelio mortuus fueris? Trajanus dixit: ille, qui post me imperabit. Cui vidua: et tibi quid proderit, si alter mihi justitiam fecerit? Trajanus dixit: utique nihil. Et vidua: nonne, inquit, melius est tibi, ut mihi justitiam facias et pro hoc mercedem accipias, quam alteri hanc transmittas? Tunc Trajanus pietate commotus de equo descendit et ibidem innocentis sanguinem vindicavit. Fertur quoque, quod cum quidam filius Trajani per urbem equitando nimis lascive discurreret, filium cujusdam viduae interemit, quod cum vidua Trajano lacrimabiliter exponeret, ipse filium suum, qui hoc fecerat, viduae loco filii sui defuncti tradidit et magnifice ipsam dotavit. Dum igitur quadam vice diu jam defuncto Trajano Gregorius per forum Trajani transiret et hujus mansuetudinem judicis recordatus fuisset, ad sancti Petri basilicam pervenit et ibidem pro ejus errore amarissime flevit. Tunc sibi divinitus est responsum: ecce, petitionem tuam complevi et Trajano poenam aeternam peperci, de caetero autem diligentissime caveas, ne pro damnato aliquo preces fundas. Damascenus[1]) autem in quodam suo sermone

1) Recent. male Damianus offerunt. cf. Damaso. Op. Vol. I. p. 591.

narrat, quod Gregorius pro Trajano orationem fundens audivit vocem sibi divinitus illatam: vocem tuam audivi et veniam Trajano do. Cujus rei (ut ibidem dicit) testis est oriens omnis et occidens. Super hoc dixerunt quidam, quod Trajanus revocatus fuit ad vitam, ubi gratiam consecutus veniam meruit et sic gloriam obtinuit nec erat in inferno finaliter deputatus nec sententia[1]) definitiva damnatus. Alii dixerunt, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu poenae aeternae absoluta, sed ejus poena usque ad tempus, scilicet usque ad diem judicii fuit suspensa. Alii, quod poena quo ad locum vel modum aliquem tormenti sub conditione fuit taxata, donec orante Gregorio per Christi gratiam locus vel modus aliquis mutaretur. Alii ut Johannes dyaconus, qui hanc legendam compilavit, quod non legitur orasse, sed flevisse; et frequenter dominus misertus concedit, quod homo quamvis desiderans petere non praesumit, et quod ejus anima non est ab inferno liberata et in paradiso reposita, sed simpliciter ab inferni cruciatibus liberata. Valet enim (ut dicit) anima et in inferno exsistere et inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire. Alii, quod poena aeterna consistit in duobus, scilicet in poena sensus et in poena damni, quod est carentia visionis divinae. Poena igitur aeterna quantum ad primum est sibi dimissa, sed quantum ad secundum retenta. Fertur quoque, quia et angelus istud adjecerit: quia enim pro damnato rogasti, duorum tibi datur optio; aut enim in purgatorio duobus diebus cruciaberis aut certe toto tempore vitae tuae infirmitatibus et doloribus fatigaberis. Qui praeelegit toto tempore vitae suae doloribus concuti, quam duobus diebus in purgatorio cruciari. Unde factum est, quod semper deinceps aut febribus laboravit aut podagrae molèstia pressus fuit aut validis doloribus conquassatus aut dolore stomachi mirabiliter cruciatus. Unde in quadam epistola sic loquitur dicens: tantis podagrae, tantis molestiarum doloribus premor, ut vita mea mihi gravissima poena sit, quotidie enim in dolore deficio et mortis remedium exspectando suspiro. Item alibi: dolor meus interdum mihi lentus est, interdum nimius, sed neque ita lentus, ut recedat, neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut, qui quotidie in morte sum, repellar a morte. Sic autem me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi poena sit, et mortem desideranter exspectem, quam gemitibus meis solam credo esse remedium. — — — **11.** Matrona

1) Ita pro vulgari diffinitiva scripsi.

quaedam singulis diebus dominicis beato Gregorio panes offerebat, cui cum per missarum sollemnia corpus domini offerret et diceret: corpus domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in vitam aeternam, lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab ejus ore convertens partem illam dominici corporis super altare deposuit, postmodum coram populo interrogavit, quam ob causam ridere praesumserit? At illa: quia panem, quem propriis manibus feceram, tu corpus dominicum appellabas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris se in oratione prostravit et surgens particulam illam panis instar digiti carnem factam reperit et sic matronam ad fidem reduxit. Oravit iterum et carnem illam in panem conversam vidit et matronae sumendum tradidit. — — **12.** Quibusdam principibus aliquas pretiosas reliquias petentibus aliquantulum de sancti Johannis evangelistae dalmatica tribuit, quod illi suscipientes tanquam viles reliquias cum indignatione nimia eidem reddiderunt. Tunc sanctus Gregorius oratione facta cultellum petiit et pannum illum pupugit, de cujus punctionibus sanguis protinus emanavit, sicque quam pretiosae essent reliquiae, divinitus est ostensum. — — **13.** Quidam divitum Romanorum relicta conjuge fuerat a pontifice communione privatus, quod ille molestissime ferens, sed auctoritatem tanti pontificis evacuare non valens magorum suffragia requisivit, qui se suis carminibus agere promiserunt, ut immisso daemone tamdiu caballus pontificis vexaretur, quousque cum sessore suo periclitaretur. Cumque Gregorius aliquando super caballum suum transiret, immisso daemone magi ejus equum tam fortiter vexari fecerunt, ut nequaquam ab aliquo teneri valeret. Tunc Gregorius revelante spiritu dyabolicam immissionem cognoscens facto crucis signaculo tam caballum a praesenti rabie liberavit, quam maleficos perpetua caecitate mulctavit, qui reatum suum confitentes ad sacri baptismi gratiam postmodum pervenerunt. Quibus lumen, ne artem magicam relegerent, reddi noluit, eos tamen ecclesiastico subsidio nutriri praecepit. — — — **14.** Legitur quoque in libro, qui a Graecis Lymon dicitur, quod abbas, qui praeerat monasterio sancti Gregorii, eidem nuntiavit, quod quidam monachus penes se numismata tria haberet. Quem Gregorius ad aliorum terrorem excommunicavit. Postmodum vero temporis frater moritur sancto Gregorio nesciente, qui iratus, quod sine absolutione mortuus fuerat, orationem in epitaphio scripsit, qua eum ab excommunicationis vinculo absolvebat. Dedit eam uni dyaconorum praecipiens, ut eam super foveam fratris defuncti legeret,

quo jussa complente sequenti nocte, qui defunctus fuerat, abbati apparuit et se usque modo in custodia detentum, sed heri absolutum fuisse perhibuit. — — 15. Officium et cantum ecclesiasticum nec non et scholam cantorum instituit et pro hoc duo habitacula, unum juxta basilicam Petri, alterum juxta Lateranensem ecclesiam fabricavit, ubi usque hodie lectus ejus, quo recubans modulabatur, et flagellum ejus, quo pueris minabatur, cum antiphono autentico veneratione congrua reservantur. In canone apposuit: diesque nostros in tua pace disponas atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Tandem beatus Gregorius cum sedisset annis tredecim, mensibus sex et diebus decem plenus operibus bonis migravit a corpore. In cujus tumba hi versus scripti sunt:

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumtum,
Reddere quod valeas vivificante Deo.
Spiritus astra petit, leti nil vira nocebunt*,
Cui vitae alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulchro,
Qui innumeris semper vixit ubique bonis.

*Alii malo: jura.

Fluxerunt autem anni ab incarnatione domini DCVI sub Phoca imperatore. — — 16. Post mortem beati Gregorii regionem totam maxima fames invasit, unde pauperes, quos liberaliter Gregorius pascere solebat, ad successorem suum venientes dicebant: domine, quos pater noster Gregorius solebat pascere, tua sanctitas fame non sinat perire. Quibus verbis papa indignatus semper taliter respondebat: si Gregorius ad famam suae laudis cunctos populos curavit suscipere, nos autem non possumus pascere; et sic eos semper vacuos remittebat. Unde sanctus Gregorius ter ei apparuit et tunc blande de sua tenacia et detractione redarguit, sed ille se de nullo emendare curavit. Unde illi quarto terribiliter apparens illum corripuit et in capite letaliter percussit, cujus dolore vexatus in brevi vitam finivit. Dum autem adhuc praedicta fames instaret, quidam invidi Gregorio coeperunt detrahere, asserentes, quod totum thesaurum ecclesiae tanquam vir prodigus consumsisset. Unde ob hujus vindictam ad comburendos libros suos caeterorum animos inclinaverunt. Quorum dum quosdam jam combussissent et caeteros comburere vellent, Petrus dyaconus ejus familiarissimus, cum quo quatuor libros dyalogorum disputaverat, traditur vehementissime restitisse, asserens hoc ad ejus delendam memoriam nil valere.

cum in diversis mundi partibus exemplaria tenerentur, adjungens immane sacrilegium esse, tanti patris tot et tales libros exurere, super cujus caput ipse spiritum sanctum in similitudine columbae frequentissime prospexisset. Tandem eos in hanc sententiam adduxit, ut, si illud, quod dixerat, jurejurando confirmans mori continuo meruisset, ipsi a librorum exustione desisterent, si vero mori non debuisset, sed superstes sui testimonii exstitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Fertur enim Gregorius sibi dixisse, quod, si miraculum de visione columbae publicaret, post hoc vivere non valeret. Itaque cum apparatu dyaconi evangeliorum librum bajulans venerabilis levita Petrus adveniens mox ut tactis sacrosanctis evangeliis Gregorii sanctitati testimonium perhibuit et a dolore mortis extraneus spiritum inter verba verae confessionis efflavit. — — 17. Quidam monachus monasterii sancti Gregorii quoddam penes se peculium congregavit, beatus autem Gregorius alteri monacho apparens dixit, ut sibi denunciaret, quod peculium dispergeret et poenitentiam ageret, quia die tertia esset moriturus. Quod ille audiens vehementer expavit, poenitentiam egit et peculium reddidit moxque febribus adeo correptus est, ut a diluculo diei tertiae usque ad horam tertiam prae nimio incendio linguam ab ore projiciens ultimum flatum emittere videretur. Sed cum circumstantes monachi coram ipso psallerent, psalmodiam tandem interrumpentes ei detrahere coeperunt, ille autem continuo reviviscens et oculos subridendo concutiens ait: parcat vobis dominus, fratres, quare mihi detrahere voluistis, nam impedimentum mihi non modicum generastis, quia tam a vobis, quam a dyabolo sub uno tempore accusatus nesciebam, cui calumniae primitus responderem, sed si quando quemlibet migrantem videritis, eidem non detractionem, sed compassionem impendatis, utpote qui ad tam districti judicis cum criminatore suo judicium vadit. Nam ad judicium cum dyabolo steti et adjuvante sancto Gregorio cunctis suis objectionibus bene respondi, tantum de una objectione convictus erubui, pro qua, ut vidistis, taliter sum vexatus et adhuc me non potui liberare. Cumque de ea fratres requirerent, ait: non audeo dicere, quia, cum ad vos a beato Gregorio jussus sum venire, dyabolus de hoc plurimum est conquestus, putans quod me ad poenitentiam agendam pro causa illa Deus remitteret, quapropter beatum Gregorium vadem dedi, ne commotam calumniam cuilibet revelarem. Moxque clamans dixit: o Andrea, Andrea hoc anno pereas, qui me pravo consilio ad hoc

periculum compulisti. Et statim revolutis terribiliter oculis exspiravit. Erat autem in urbe quidam nomine Andreas, qui eodem momento, quo ei monachus moriens periculum fuerat imprecatus, in tam gravem morbum decidit, ut defluentibus carnibus consumi posset, mori autem non posset. Tunc monachis monasterii sancti Gregorii convocatis confessus est, quod cum praedicto monacho quasdam monasterii cartulas rapuisset ac susceptis pretiis extraneis tradidisset, moxque is qui dudum mori non poterat, inter verba suae confessionis spiritum exhalavit. — — **18.** Eo tempore, ut in vita sancti Eugenii legitur, dum adhuc Ambrosianum officium magis quam Gregorianum ab ecclesiis servaretur, Romanus pontifex nomine Adrianus concilium convocavit, ubi statutum est, ut Gregorianum officium deberet universaliter observari. Cujus rei Carolus imperator executor exsistens per diversas discurrens provincias minis et suppliciis omnes clericos ad hoc ipsum cogebat et libros Ambrosiani officii ubique comburebat multosque clericos rebelles incarcerabat. Proficiscens autem beatus Eugenius episcopus ad concilium invenit ipsum concilium per triduum jam solutum suaque prudentia dominum papam sic induxit, quod omnes praelatos, qui concilio interfuerant et jam per tres diaetas decesserant, revocavit. Concilio igitur convocato omnium patrum haec sententia una fuit, ut missale Ambrosianum et Gregorianum super altare beati Petri apostoli ponerentur et fores ecclesiae optime clauderentur ac plurimorum episcoporum sigillis diligentissime munirentur et ipsi tota nocte orationi insisterent, ut dominus per signum aliquod revelaret, quod horum ab ecclesiis magis servari vellet. Sicque per omnia, ut ordinaverant, facientes mane januas ecclesiae aperuerunt et utrumque missale super altare apertum invenerunt. Vel ut alii asserunt, missale Gregorianum penitus dissolutum et huc illucque dispersum invenerunt, Ambrosianum autem solummodo apertum super altare eodem loco, quo posuerant, repererunt; quo signo divinitus sunt edocti, ut Gregorianum officium deberet per totum mundum dispergi, Ambrosianum autem tantum in sua ecclesia observari, sicque sancti patres, ut divinitus edocti fuerant, statuerunt et sic usque hodie observatur. — — **19.** Narrat Johannes dyaconus, qui vitam beati Gregorii compilavit, quod, dum vitam ejus conscriberet et compilaret, quidam vir sacerdotaliter insignitus ei dormienti et ad laternam, ut sibi videbatur, scribenti adstitit, cui desuper candidissima et adeo tenuissima vestis erat, ut ejus raritate nigredo

subterioris tunicae appareret. Hic propius accessit et inflatis buccis risum continere non potuit. Cumque Johannes eum interrogaret, cur vir gravioris officii sic dissolute rideret, ait: quia tu scribis de mortuis, quos viventes nunquam vidisti. Cui Johannes: etsi illum non noverim facie, tamen de illo scribo, quae didici lectione. At ille: tu, inquit, ut video, sicut voluisti, fecisti et ego, quae facere potero, non cessabo; moxque illi lumen lucernae exstinxit et adeo ipsum perterruit, ut vehementer exclamans putaret, se ab illo gladio jugulatum. Moxque Gregorius affuit comitante secum dextrorsum beato Nicolao, sinistrorsum vero Petro dyacono eique dixit: modicae fidei, quare dubitasti? Cumque post cortinam lecti adversarius latitaret, Gregorius ex manu Petri dyaconi magnam facem, quam tenere videbatur, arripiens ejusque flammis os faciemque ipsius adversarii exurens ad instar Aethiopis denigravit. Quaedam autem scintilla parvissima cadens in ejus vestem candidam ipsam dicto citius conflagravit et sic nigerrimus totus apparuit dixitque beato Petrus Gregorio: satis denigravimus eum; cui Gregorius: nos illum non denigravimus, sed nigrum fuisse demonstravimus, sicque ibidem multo relicto lumine abierunt.

CAP. XLVII.

De sancto Longino.

Longinus fuit quidam centurio, qui cum aliis militibus cruci domini [1]) adstans jussu Pylati latus domini lancea perforavit et videns signa, quae fiebant, solem scilicet obscuratum et terrae motum in Christum credidit. Maxime ex eo, ut quidam dicunt, quod cum ex infirmitate vel senectute oculi ejus caligassent, de sanguine Christi per lanceam decurrente fortuito oculos suos tetigit et protinus clare vidit. Unde renuntians militiae et ab apostolis instructus in Caesaria Cappadociae viginti octo annis monasticam vitam duxit et verbo et exemplo ad fidem multos convertit. Cum autem a praeside tentus fuisset et sacrificare nollet, jussit praeses omnes dentes ejus excuti et linguam abscidi, Longinus tamen ex hoc loquelam non perdidit, sed accepta securi omnia ydola comminuit et fregit dicens: si dii sunt, videbimus. Daemones autem de ydolis exeuntes

1) Ed. Princ. male Deo praefert.

in praesidem et in omnes socios ejus intraverunt et insanientes et latrantes se Longini pedibus prostraverunt et ait Longinus daemonibus: cur habitatis in ydolis? Qui responderunt: ubi non nominatur Christus et ejus signum non est positum, ibi est habitatio nostra. Cum ergo praeses insaniret et oculos amisisset, dixit ei Longinus: scito quia sanari non poteris, nisi quando me occideris; quam cito enim a te mortuus fuero, pro te orabo et sanitatem tibi corporis et animae impetrabo. Et statim eum decollari jussit; post hoc abiit ad corpus ejus et prostratus cum lacrimis poenitentiam egit; et continuo visum et sanitatem recepit et in bonis operibus vitam finivit.

CAP. XLVIII.

De sancta Sophia et tribus filiabus ejus [1]).

Item sanctarum martirum Sophiae et trium filiarum suarum, Fidei, Spei et Caritatis maximum templum Constantinopoli ad sanctam Sophiam dicitur et ipsa sancta Sophia tres filias suas in Dei timore sapienter nutrivit. Prima XI, secunda X et tertia VIII fuit annorum. Venit ergo Romam et omni die dominica ecclesias visitavit et multas Christo matronas lucrabatur. Accusantur Adriano et earum est pulchritudine sic allectus, ut eas in filias vellet adoptare, quem ut fimum refutant. Fides primo a XXXVI militibus caeditur, secundo mamillae praecisae coram cunctis evelluntur, lac de vulneribus, sed de mamillis sanguis profluit. Clamant videntes injustum Caesaris judicium et virgo gaudens eidem etiam insultat. Tertio candenti craticulae puella imponitur illaesa, quarto in sartagine oleo et cera plena mittitur, quinto jubetur decollari. Advocatur etiam soror illius Spes, sed non potuit flecti ad sacrificia ydolorum. Idcirco primo in caldarium adipe, cera et resina plenum mittitur, a quo guttae [2]) exhibentes infideles cremabant: novissime jubetur gladio consummari. Tunc mater tertiam filiam Caritatem confortabat, quae cum parvula esset, Adriano in nullo adulatur nec sibi obedire voluit, quare impiissimus jubet eam primo extendi et

---

1) **Haec legenda deest in edit. recent.** 2) fortasse legendum exeuntes.

per membra et juncturas dirumpi, secundo fustibus caedi, tertio virgis flagellari, quarto in caminum ignitum projici, a quo per sexaginta cubitos ignis exiens sex millia ydolatrorum occidit, virgo autem illaésa in igne medio ambulabat ita, ut quasi aurum radiaret. Quinto candentibus perforatoriis perforatur et sic cum martiris tripudio transiit per gladium ad coronam. Mater optima filiarum optimarum reliquias cum multis praesentibus recondidit et super sepulchrum se ponens dixit: desidero, filiae carissimae, vobiscum esse. Sic ergo in pace migravit et ab adstantibus sepulta est cum carissimis filiabus sancta Sophia, quae cum singula passa fuerat filiarum tormenta et ideo plus quam martir fuit. Adrianus autem totus putrefactus emarcuit confitens sanctis Dei injuste injurias intulisse.

CAP. XLIX. (48.).

De sancto Benedicto.

Benedictus dictus est vel quia multa benedixit, vel quia in hac vita multas benedictiones habuit, vel quia omnes benedicebant de eo, vel quia aeternam meruit benedictionem habere. Ejus vitam sanctus Gregorius scripsit.

I. Benedictus ex Nursia provincia ortus cum Romae liberalibus studiis traditus esset, in ipsa sui infantia literas deseruit et desertum petere decrevit, quem nutrix sua, quae eum tenerrime diligebat, usque in quendam locum, qui dicitur Aeside, secuta est, ubi ad purgandum triticum mutuo capisterium petiit, sed super mensam incaute ponens cum corruisset, in duabus partibus fractum vidit. Quam Benedictus flere conspiciens partes capisterii accepit et ab oratione surgens integre solidatum invenit. Postmodum nutricem occulte fugiens in quendam locum venit, ubi tribus annis hominibus incognitus mansit, excepto quodam monacho Romano nomine, qui sibi sedule necessaria ministrabat. Cum vero ad specum a Romani monasterio iter non esset, panem in longissimo fune ligabat et sic eum deponere consueverat. Tintinnabulum etiam ipsi cordae inseruit, ut ad ejus sonitum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem praeberet, quem exiens acciperet. Sed antiquus hostis unius caritati et alterius invidens refectioni lapidem jactavit et tin-

tinnabulum fregit, sed tamen Romanus ei ministrare non desiit. Post hoc cuidam presbitero refectionem sibi in paschali solemnitate paranti dominus per visum apparuit dicens: tu tibi delicias praeparas et servus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit et cum difficultate magna eum inveniens dixit: surge et sumamus cibum, quia hodie pascha domini est. Cui Benedictus: scio, quia pascha est, quia videre te merui. Longe quippe ab hominibus positus, quia die eadem paschalis esset sollemnitas, ignorabat. Cui presbiter: veraciter hodie resurrectionis dominicae dies est, abstinere te non convenit, quia ob hoc ad te missus sum; sicque Deum benedicentes sumserunt cibum. — — **2**. Quadam die avis quaedam nigra, quae merula vocatur, importune circa ejus faciem volutavit, ita ut ab eo manu capi potuisset, sed signo crucis edito avis recessit. Moxque dyabolus quandam feminam, quam aliquando viderat, ante ejus oculos mentis reduxit ejusque animum tanto igne in speciem illius accendit, ut paene eremum voluptate victus deserere deliberaret. Sed subito divina gratia ad se reversus continuo se exuit et in spinis et vepribus, quae ibi aderant, se adeo volutavit, ut toto corpore inde vulneratus exiret et per cutis vulnera mentis vulnera educeret; vicit itaque peccatum, quia[1]) mutavit incendium. Ab illo autem tempore nulla postmodum tentatio in ejus corpore pullulavit. — — **3**. Crebrescente itaque ejus fama cum abbas monasterii cujusdam obiisset, tota ipsius monasterii congregatio ad eum venit et ut praeesse deberet iis, petiit. Qui diu negando distulit, suis illorumque fratrum moribus se convenire non posse praedixit, sed tandem victus assensum dedit. Cumque regulam illic districtius servari praeciperet, semet ipsos reprehendebant, quia ipsum sibi praeesse poposcerant, quorum scilicet tortitudo normam ejus rectitudinis offendebat. Cumque sibi cum eo adspicerent illicita non licere et grave esse[2]) sedule assueta relinquere, venenum vino miscuerunt et sibi recumbenti obtulerunt. Sed Benedictus signum crucis edidit et quasi jactu lapidis vas illud vitreum fregit. Intelligens igitur, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitae, illico surrexit et placido vultu dixit: misereatur vestri omnipotens Deus, fratres: numquid non dixi vobis, quia vestris ac meis moribus non convenirem? Tunc ad locum derelictae solitudinis rediit, ubi crebrescentibus signis claruit

---

1) Ed. Pr. male quae offert. 2) Haec duo verba omittit male Ed. Pr.

et multis ad eum venientibus duodecim monasteria construxit. In uno autem illorum quidam monachus erat, qui ad orationem diu stare non poterat, sed orantibus aliis mox foras exibat et aliqua terrena et transitoria agebat. Quod cum abbas illius monasterii beato Benedicto narrasset, ivit illuc et vidit, quod illum monachum, qui manere in oratione non poterat, quidam niger parvulus per vestimenti fimbriam foras trahebat, dixitque abbati monasterii et Mauro monacho: numquid non adspicitis, quis est, qui eum trahit? Cumque respondissent: non, ait: oremus ut vos etiam videatis. Orantibus illis Maurus vidit, sed abbas videre non potuit. Die igitur alia, expleta oratione, vir Dei monachum foris reperit, quem pro sui caecitate virga percussit et extunc immobilis in oratione permansit, sicque antiquus hostis dominari non ausus est in ejus cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere. Ex his monasteriis tria sursum in rupibus montis erant, quae deorsum cum magno labore aquas hauriebant, cumque fratres illi virum Dei saepe rogarent, ut monasteria sua mutaret, quadam nocte cum quodam puero montem adscendit, ubi diutius orans tres petras in eodem loco pro signo posuit, cumque mane ad domum rediisset et fratres pro eadem causa ad eum venissent, dixit: ite et illam rupem, in qua tres petras positas inveneritis, in medio cavate, valet enim dominus inde vobis aquam producere. Qui euntes et jam illam rupem sudantem invenientes concavum locum illuc fecerunt et mox aqua repletum viderunt, quae usque nunc tam sufficienter manat, ut ab illo montis cacumine usque ad inferiora descendat. Quadam vice dum circa monasterium viri Dei quidam cum falcastro vepres abscideret, ferrum de manubrio prosiliens in quendam locum profundum cecidit, cumque de hoc ille nimis angustaretur, vir Dei manubrium in lacu posuit et mox ferrum ad suum manubrium usque enatavit. Placidus puer et monachus ad hauriendam aquam egrediens in flumen cecidit et mox ipsum unda rapuit et paene in unius sagittae cursum a terra introrsus traxit, vir autem Dei in cella consistens hoc in spiritu statim novit et Maurum vocans, quid de puero acciderit, indicavit ac ut ad ipsum eripiendum pergeret imperavit. Accepta benedictione concitus Maurus perrexit et per terram se ire existimans super aquas usque ad puerum venit eumque per capillos tenens de aqua extraxit; qui ad virum Dei veniens retulit, quid acciderat, sed ipse hoc non suis meritis, sed ejus obedientiae deputavit. Presbiter quidam Florentius nomine viro Dei invidens ad tan-

tam devenit malitiam, ut panem veneno infectum viro Dei tanquam per benedictionem transmitteret, quem sanctus gratanter accepit et corvo, qui de manibus ejus panem accipere consueverat, ipsum projecit dicens: in nomine Jesu Christi tolle hunc panem et eum in tali loco, ubi a nullo homine sumi valeat, projice. Tunc corvus aperto ore, expansis alis circa eundem panem coepit discurrere atque crocitare, ac si aperte diceret, obedire se velle et tamen jussa implere non posse. Cui sanctus iterum atque iterum praecipiebat dicens: leva, leva eum securus atque ipsum, ut dixi, projice. Qui tandem eum tollens post tres dies rediit et de manu ejus annonam quam consueverat, accepit. Videns autem Florentius, quia corpus magistri necare non potuit, se ad exstinguendas discipulorum animas accendit, ita ut septem nudas puellas in horto monasterii ludere et cantare faceret, et sic monachos ad libidinem inflammaret. Quod sanctus vir de cella prospiciens lapsum discipulis pertimescens invidiae locum dedit et quibusdam secum assumtis fratribus ipse habitationem mutavit. Sed Florentius cum in solario consistens eum recessise conspiceret et gauderet, repente solarium cecidit et ipsum protinus exstinxit. Tunc Maurus post virum Dei currens ait: revertere, quia qui te persequebatur, exstinctus est. Quod ille audiens vehementer ingemuit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exsultavit. Qua de re factum est, ut eidem poenitentiam indiceret, quod mandans talia gaudere de inimici morte praesumsisset, ipse autem ad alia migrans locum non hostem mutavit. Nam ad montem Cassinum venit et templum Apollinis, quod ibi situm erat, in sancti Johannis baptistae oratorium fabricavit et circumadjacentem populum ab ydololatria convertit. Sed hoc antiquus hostis graviter ferens corporalibus ejus oculis teterrimus apparebat et in eum ore oculisque flammantibus visibiliter saeviebat atque dicebat: Benedicte, Benedicte! sed cum ille nihil sibi responderet, dicebat: Maledicte, Maledicte! non Benedicte, quid me persequeris? Quadam die lapidem quendam in terra jacentem fratres in aedificium levare volebant, sed nequaquam valebant. Cumque virorum multitudo adesset et ab iis levari non posset, adveniens vir Dei benedictionem dedit et tunc maxima celeritate levatus est, ex quo perpenditur, quod dyabolus illi insidebat[1]), qui eum moveri non permittebat. Cumque fratres parietem paulo altius

1) ita scripsi, cum in Ed. Pr. legatur insidiebat, recent. vero scriptura: illic incidebat manifesto a librario profecta sit.

aedificarent, antiquus hostis viro Dei apparuit et quia ad laborantes fratres pergeret, indicavit, qui protinus iis per nuntium misit: fratres, caute vos agite, quia ad vos spiritus malignus venit. Vix autem nuntius verba complevit et ecce parietem antiquus hostis evertit et quendam puerum monachum ruina contrivit. Sed vir Dei puerum mortuum et laceratum in sacco ad se adduci fecit et oratione sua ipsum resuscitans operi praedicto restituit. — — — 4. Laicus quidam honestae vitae singulis annis ad visitandum virum Dei jejunans venire consueverat. Quadam igitur die, dum illuc iret, se illi alter viator adjunxit, qui sumendos in itinere cibos portabat, cumque jam tardior hora excrevisset, dixit: veni, frater, sumamus cibum, ne lassemur in via. Quo respondente, quod nullatenus cibum in via gustaret, ad horam ille subticuit, postmodum ad hoc ipsum invitavit, sed ille consentire noluit. Denique cum hora jam praeterisset et eos longum fatigasset iter, pratum et fontem et quaecumque poterant corpus ad reficiendum delectare, invenerunt. Tunc viator hoc ei ostendens rogavit, ut paululum gustaret et ibidem quiesceret; cum igitur verba auribus et loca oculis blandirentur, eidem consensit. Cumque ad Benedictum venissent, dixit ei vir Dei: ecce, frater, malignus hostis semel tibi persuadere non potuit, secundo non valuit, sed tertio superavit. Tunc ille pedibus ejus advolutus se deliquisse ingemuit. — — 5. Thotila rex Gothorum experiri volens, utrum vir Dei prophetiae spiritum haberet, cuidam suo spatario vestimenta regalia tribuit eumque cum omni apparatu regio ad monasterium destinavit, quem ille venientem conspiciens dixit; pone, fili, pone: hoc quod portas, non est tuum. Qui protinus in terram cecidit et quia tanto viro illudere praesumsisset, expavit. — — 6. Clericus quidam, qui a dyabolo vexabatur, ad virum Dei, ut sanaretur, adductus est, cumque ab eo dyabolum expulisset, ait: vade et de caetero carnes non comedas nec ad sacros ordines accedas: quacumque autem die ad sacros ordines accedere praesumseris, juri dyaboli mancipaberis. Cum vero hoc aliquo tempore custodiisset, sed minores suos sibi praeponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tempore oblitus postposuit atque ad sacrum ordinem accessit. Quem mox, qui eum reliquerat, dyabolus tenuit eumque is vexare, quousque animam ejus excuteret, non cessavit. — — 7. Vir [1]) quidam duos flascones

1) Sequentes quinque paragraphi — §. 11. desunt in Ed. Princ. Dresd.

vini per quendam puerum ad eum misit, sed ille unum in via abscondit et alium detulit, vir autem Dei cum gratiarum actione accepit unum et descendentem puerum admonuit dicens: fili, vide ne de illo flascone, quem abscondisti, bibas, sed inclina eum caute et vide, quid intus habeat. Qui confusus valde ab eo exivit et reversus volens adhuc probare, quod audierat, cum flasconem inclinasset, protinus de eo serpens egressus est. Quadam vice dum vir Dei in sero coenaret, monachus quidam filius defensoris ei assistens et lucernam tenens per spiritum superbiae intra se cogitare coepit: quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, servitium impendo: quis sum ego, ut isti serviam? Cui statim vir Dei ait: signa cor tuum, frater, signa cor tuum; quid est, quod loqueris? vocatisque fratribus lucernam jussit de manibus ejus tolli, ipsum vero jussit ad monasterium accedere et quietum sedere. — — — 8. Gothorum quidam, Galla nomine, perfidiae fuit Arianae, qui Thotilae regis temporibus contra catholicae ecclesiae religiosos viros ardore immanissimae crudelitatis exarsit, ita ut quisquis ei clericus monachusve ante faciem venisset, ab ejus manibus vivus nullo modo exiret. Quadam vero die avaritiae suae aestu succensus in rapinam rex inhians cum quendam rusticum crudelibus tormentis affligeret eumque per supplicia diversa laniaret, victus poenis rusticus sese et res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est et, dum hoc a torquente creditur, interim crudelitate ad vitam reparatur. Tunc idem Galla cessavit rusticum tormentis affligere, sed ejus brachia loris fortibus adstringens ante equum coepit impellere, ut quis esset ille Benedictus, qui ejus res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachiis rusticus antecedens duxit ad sancti viri monasterium eumque ante ingressum cellulae solum sedentem reperit et legentem; eidem autem subsequenti et saevienti Gallae rusticus dixit: ecce iste est, de quo dixeram, Benedictus pater. Quem dum fervido spiritu cum perversae mentis insania fuisset intuitus, eo errore, quo consueverat, acturum se existimans magnis coepit vocibus clamare dicens: surge, surge et res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cujus vocem vir Dei protinus oculos levavit et a lectione cessavit, eumque intuitus mox et rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cujus brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta celeritate coeperunt alligata brachia lora dissolvere, ut dissolvi tam concite nulla hominum festinatione potuissent eumque, qui ligatus venerat, coepisset subito adstare

solutus, ad tantae potestatis vim tremefactus Galla ad terram corruit et cervicem crudelitatis rigidae ad ejus vestigia inclinans orationibus se illius commendavit. Vir autem sanctus a lectione minime surrexit, sed vocatis fratribus eum introrsus tolli, ut benedictionem acciperet, praecepit. Quem ad se reductum ut a tanta crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui refectus recedens, nihil ulterius repetere a rustico praesumsit, quem vir Dei non tangendo sed respiciendo solverat. — — — **9.** Quodam tempore in Campaniae regione fames increbuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat jamque in Benedicti monasterio triticum deerat, panes vero paene omnes consumti fuerant, ut non plus quam quinque ad refectionis horam fratribus inveniri potuissent, cumque omnes venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere et rursum promissione sublevare dicens: quare de panis inopia vester animus contristatur? hodie quidem minus, sed et crastina abundanter habebitur. Sequenti autem die ducenti farinae modii ante fores cellae in saccis inventi sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nunc usque manet incognitum. Quod cum fratres cernerent, domino gratias referentes didicerunt, jam de abundantia nec in egestate dubitare. — — **10.** Legitur quoque, quod quidam habebat filium morbo elephantino correptum, ita ut jam pilis cadentibus cutis intumesceret atque increscentem famem occultare non posset, qui ad virum Dei ab eodem patre ejus missus saluti pristinae sub omni celeritate restitutus est et de hoc immensas gratias Deo obtulerunt et postmodum dictus puer in bonis operibus perseverans in domino feliciter obdormivit. — — **11.** Cum quosdam ex fratribus ad quendam locum mitteret, ut ibidem monasterium construerent, constituta die se ad eos venturum dicit et, qualiter construi deberet, indicare. Nocte vero eadem qua promissus illucebat dies, monacho, quem illic proposuerat, atque ejus praeposito in somnis apparuit et loca singula, ubi quaeque aedificari debuissent, subtiliter designavit. Cum autem visioni fidem non darent et adhuc ipsum exspectarent, tandem ad eum reversi dixerunt: exspectavimus pater, ut venires sicut promiseras, nec venisti. Cui ille: quare, fratres, ista dicitis: numquid non vobis apparui et loca singula designavi? Ite et sicut per visionem vidistis, omnia ordinate. — — **12.** Non longe ab ejus monasterio duae sanctimoniales feminae ex nobili genere erant, quae linguam non restringebant, sed eum,

qui iis praeerat, incautis sermonibus saepe ad iracundiam provocabant. Qui cum hoc viro Dei retulisset, mandavit iis dicens: restringite linguam vestram, alioquin excommunicabo vos. Quam excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed intentando, illae autem nihil mutatae intra paucos dies defunctae sunt et in ecclesia sepultae. Ubi dum missae celebrarentur et dyaconus ex more diceret: qui non communicat, exeat foras, nutrix earum, quae pro iis semper oblationem offerebat, eas de sepulchris suis progredi et exire ecclesiam videbat, cumque sancto Benedicto nuntiatum esset, ille manu sua oblationem dedit dicens: ite et hanc oblationem pro iis offerte et ulterius excommunicatae non erunt. Quod cum factum fuisset et dyaconus ex more clamaret, ab ecclesia de caetero exire visae non sunt. — — **13.** Monachus quidam cum ad visitandos parentes exiisset sine benedictione et ea die, qua ad eos pervenit, defunctus fuisset et sepultum semel et bis terra rejecisset, parentes ejus ad eum venerunt et, ut ei suam benedictionem impenderet, rogaverunt. Qui corpus domini accipiens ait: ite et hoc super pectus ejus ponite eumque sic sepulturae tradite. Quod cum factum fuisset, sepultum corpus terra retinuit nec ultra projecit. — — — [1]) **14.** Quidam monachus in monasterio manere non valens viro Dei tantum institit, donec ipsum iratus abire permisit. Qui mox ut de monasterio exiit, aperto ore draconem in itinere invenit, quem cum devorare vellet, clamavit dicens: currite, currite, quia draco iste me vult devorare. Currentes autem fratres draconem minime invenerunt, sed trementem atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt, qui statim promisit, se nunquam de monasterio recessurum. —— **15.** Quodam tempore, dum totam illam provinciam fames valida occuparet, et vir Dei omnia quae invenire potuerat, egentibus tradidisset, ita quod nihil in monasterio praeter modicum olei in vase vitreo remansisset, jussit cellario, ut illud modicum olei cuidam egenti daret. Ille vero imperantem audivit, sed implere contemsit eo, quod nihil olei fratribus remanebat. Quod ut vir Dei comperit, vas vitreum cum oleo per fenestram projici jussit, ne quid in monasterio per inobedientiam remaneret. Projectum itaque vas cum supra ingentia saxa cecidisset, nec vas fractum nec oleum est effusum, quod ille levari jussit et dari integrum postulanti. Monachum autem illum de in-

1) Anteced. §. 13. deest in Ed. Princ.

obedientia et diffidentia increpans se in orationem dedit et continuo quoddam magnum dolium, quod ibi erat, oleo plenum fuit, quod adeo excrevit, ut per pavimentum [1]) affluere videretur. — — **16**. Quadam vice ad visitandum sororem suam descenderat, cum autem ad mensam sederet, rogavit eum, ut secum illa nocte maneret, cui, cum ille nullatenus acquiesceret, illa caput in manibus dominum rogatura inclinavit, cumque caput levasset, tanta coruscationis et tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviae erupit, ut nec quidem pedem movere potuisset, cum tamen ante serenitas mira esset. Illa enim, quia lacrymarum fluvios fudit, serenitatem aëris ad pluviam convertit et traxit. Cui vir Dei contristatus ait: parcat tibi omnipotens Deus, soror, quid est, quod fecisti? Cui illa: rogavi te et audire noluisti, rogavi dominum et exaudivit me. Modo egredere, si potes: sicque factum est, ut totam illam noctem pervigiles ducerent atque per sacra eloquia sese vicaria relatione satiarent. Tunc ecce post triduum, cum ille ad monasterium rediisset, elevatis oculis animam sororis suae in specie columbae coeli secreta penetrantem adspexit; qui mox corpus ejus ad monasterium jussit deferri et in monumento, quod sibi praeparaverat, collocari. — — **17**. Quadam nocte dum servus domini Benedictus per fenestram conspiceret et dominum exoraret, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse. Subito autem totus mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est ibique animam Germani, episcopi [2]) capitalis, ad coelum deferri videns manifeste comperit postea, quod hora eadem a corpore migravit. — — **18**. Eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, obitus sui diem fratribus denuntiavit. Ante sextum vero diem sui exitus sibi aperiri sepulchrum jubet. Qui mox febribus correptus, cum per singulos dies languor ingravesceret, sexto die in oratorium se portari fecit ibique exitum suum dominici corporis et sanguinis perceptione munivit. Atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans erectis in coelum manibus stetit et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Ipsa autem die, qua vir Dei Benedictus de hac vita migravit ad Christum, [3]) duobus fratribus, uni in cella moranti, alteri longe posito revelatio eadem monstrata est, viderunt namque viam lucidam palliis stratam ac innumeris corus-

---

1) Alii: effluere legunt. 2) Recent. legunt Capuani. 3) Ed. Princ., quae omittit §. 18. — ad voc. die, brevius sequentia exhibet: duo fratres viderunt viam lucidam ac innumeris etc.

cantem lampadibus a cella beati Benedicti versus orientem ad coelum tendentem, cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via, quam cernerent, inquisivit. Qui cum nescire se dicerent, ait: haec est via, qua dilectus vir Dei Benedictus coelum adscendit. Sepultus vero est in oratorio sancti Johannis baptistae, quod destructa ara Apollinis ipse construxit. Floruit circa annos domini DXVIII tempore Justini senioris.

CAP. L. (49.).

De sancto Patricio.

Patricius, qui coepit circa annos domini CCLXXX, dum Scotorum regi de Christi passione praedicaret, stans ante eum et appodians se super ferulam, quam manu tenebat et casu pedi regis superposuerat, cum aculeo pedem perforavit. Rex vero credens sanctum episcopum ex industria hoc facere et se aliter fidem Christi non posse suscipere, nisi similia pro Christo pateretur, patienter sustinuit. Sanctus hoc tandem intelligens obstupuit et precibus regem sanavit ac toti provinciae obtinuit, quod nullum venenosum animal ibidem possit vivere. Quod non solum obtinuit, imo etiam ligna et coria illius regionis contraria, ut dicitur, sunt veneno. Quidam vir ovem vicini sui furatus fuerat et comederat, et cum vir sanctus saepius hortaretur satisfacere furem, quicunque ille esset, et nullus compareret, dum totus populus ad ecclesiam convenisset, in virtute Jesu Christi praecepit, ut in cujus ventrem ovis intrasset, coram omnibus balatum daret; quod factum est et egit reus poenitentiam et alii a furtis sibi cavebant. Erat ei consuetudo omnes cruces, quas videbat, devote venerari, sed ante quandam crucem magnam et pulchram invisam praeteriit, a suis autem sociis admonitus, cur illam non viderit et inclinaverit, dum precibus a domino requireret, cujus esset, audivit vocem de sub terra: non vidisti, quia ego hic sepultus sum paganus et signo crucis indignus? unde fecit crucem illam abinde tolli. Cum beatus Patricius per Hyberniam praedicaret et fructum ibi permodicum faceret, rogavit dominum, ut aliquod signum ostenderet, per quod territi poeniterent. Jussu igitur domini in quodam loco circulum magnum cum baculo designavit et

ecce terra inter circulum se aperuit [1]) et puteus maximus et profundissimus ibi apparuit revelatumque est beato Patricio, quod ibi quidam purgatorii locus esset, in quem quisquis vellet descendere, alia sibi poenitentia non restaret nec aliud pro peccatis purgatorium sentiret, plerique autem inde non redirent et qui redirent, eos a mane usque in sequens mane ibidem moram facere oporteret. Multi igitur ingrediebantur, qui de caetero non revertebantur. Post longum igitur tempus mortuo Patricio, vir quidam nobilis nomine Nicolaus, qui peccata multa commiserat, cum eum delictorum suorum poeniteret et purgatorium sancti Patricii sustinere vellet, cum antea quindecim diebus, ut omnes faciebant, se jejuniis macerasset, aperto ostio cum clavi, quae in quadam abbatia servabatur, in ipsam speluncam [2]) descendit et quoddam ostium a latere ipsius invenit. In quod ingrediens cum quoddam ibi oratorium reperisset, quidam monachi albis induti oratorium intraverunt et officium facientes Nicolao dixerunt, [3]) ut constans esset, quia multa dyaboli tentamenta eum percurrere oporteret. Cum ille perquireret, quod adjutorium contra hoc habere posset, dixerunt: cum te poenis affligi senseris, protinus exclama et dic: Jesu Christe fili Dei vivi miserere mihi peccatori. Recedentibus igitur praedictis viris continuo adsunt daemones et ut revertatur et sibi obediat, primo blandis promissionibus persuadent asserentes, quod eum custodient et ad propria incolumem perducent. Sed cum his ille nullatenus obedire vellet, protinus diversarum ferarum audivit voces pariter et mugitus ac si omnia elementa tererentur [4]). Ad quod cum ille terrore horribili palpitaret, Jesu Christe, fili Dei vivi, miserere mihi peccatori, protinus exclamavit, et statim omnis ferarum illarum tumultus terribilis conquievit. Ductus est inde ad alium locum et ibidem adest daemonum multitudo dicentium sibi: putas, quod manus nostras evaseris? nequaquam, sed nunc potius incipies affligi et torqueri. Et ecce quidam maximus ignis et terribilis ibidem apparuit dixeruntque ei daemones: nisi nobis consenseris, in ignem te jactabimus comburendum. Quod cum ille renueret, ipsum acceperunt et in illum ignem terribilem projecerunt, ubi dum cruciaretur, protinus exclamavit: Jesu Christe etc. statimque ignis exstinctus est. Ad alium denique locum ductus vidit quosdam viros in igne vivos cremari et

1) et — apparuit verba omittit Ed. Princ. 2) Recent. legunt in praedictum puteum. 3) Ed. Princ. praefert vir. 4) Recent. concuterentur ex glossa legunt et ante voces addunt terribiles.

laminis ferreis candentibus a daemonibus usque ad viscera flagellari aliosque ventres habentes deorsum terram prae dolore mordere et clamare: parce, parce! quos tunc daemones gravius flagellabant. Aliosque vidit, quorum membra serpentes vorabant, et bufones ignitis aculeis eorum viscera extrahebant. Qui cum iis assentire nollet, in eundem ignem et poenas projicitur et iisdem laminis et poenis flagellatur. Sed cum ille exclamasset: Jesu Christe etc., a poena praedicta protinus liberatus est. Deinde ducitur ad quendam locum, ubi homines in sartagine frigebantur, ubi rota maxima erat unciais ferreis ignitis plena, in quibus per diversa membra homines erant suspensi, quae tam velociter volvebatur, quod globum igneum emittebat. Post hoc videbat maximam domum habentem foveas metallis bullientibus plenas, in quibus alii unum pedem, alii duos habebant, alii ibi erant usque ad genua, alii usque ad ventrem, alii usque ad pectus, alii usque ad collum, alii usque ad oculos, sed haec omnia percurrens nomen Dei invocabat. Processit iterum et quendam latissimum puteum intuetur, de quo fumus horribilis et foetor intolerabilis exibat, indeque homines ut ferrum candentes in modum favillarum exibant, sed daemones eos reimpingebant dixeruntque ei daemones: locus ille, quem conspicis, est infernus, in quo dominus noster Beelzebub habitat. In ipsum igitur puteum te jactabimus, si nobis assentire recusas, postquam autem illuc jactatus fueris, nullum inde remedium evadendi obtinebis. Quos dum ille audire contemneret, ipsum arripientes in praedictum puteum jactaverunt, qui tam vehementi dolore absorptus est, ut fere oblitus sit nomen domini invocare, sed dum ille ad se rediens: Jesu Christe etc. exclamasset corde, quia voce non poterat, protinus inde illaesus exivit et omnis daemonum multitudo tanquam victa evanuit. Ductus igitur ad locum alium vidit quendam pontem, super quem eum transire oportebat, qui quidem erat strictissimus et instar glaciei politus et lubricus, sub quo fluvius ingens sulphureus et igneus fluebat, super quem transire dum se posse omnino desperaret, tamen recordatus verbi, quod eum de tot malis eripuit, confidenter accessit et unum pedem super pontem ponens, Jesu Christe etc. dicere coepit. Validus autem clamor adeo eum terruit, ut subsistere vix valeret, sed praedictum verbum protulit et securus mansit, deinde alium pedem posuit et eadem verba iteravit, ad quemlibet enim passum eadem verba protulit et sic securus transiit. Cum ergo transiisset, in quoddam pratum amoenissimum devenit, ubi diver-

sorum florum mira suavitas redolebat, et ecce duo speciosi juvenes ei apparuerunt, qui ipsum usque ad quandam civitatem speciosissimam ex auro et gemmis mirabiliter rutilantem perduxerunt, de cujus porta odor mirabilis emanabat, qui illum adeo recreavit, quod nullum dolorem vel foetorem sensisse videbatur, dixeruntque ei, quod illa civitas paradisus esset. In quem cum Nicolaus intrare vellet, dixerunt ei praedicti juvenes, quod primo ad suos rediret et per loca, per quae venerat, eum redire oporteret, daemones tamen eum non laederent, sed eo viso territi fugerent et quod post triginta dies in pace quiesceret et tunc illam civitatem civis perpetuus introiret. Tunc Nicolaus inde ascendens [1]) in loco, per quem ascendit, se restitutum invenit et omnia omnibus, quae sibi contigerant, narrans post triginta dies in domino feliciter requievit.

CAP. LI. (50.).

De annuntiatione dominica.

1. Annuntiatio dominica dicitur, quia in tali die ab angelo adventus filii Dei in carnem fuit annuntiatus, congruum enim fuit, ut incarnationem praecederet angelica annuntiatio, triplici ratione. Primo ratione ordinis connotandi, ut scilicet ordo reparationis responderet ordini praevaricationis. Unde sicut dyabolus tentavit mulierem, ut eam pertraheret ad dubitationem et per dubitationem ad consensum et per consensum ad lapsum, sic angelus nuntiavit virgini, ut nuntiando excitaret ad fidem et per fidem ad consensum et per consensum ad concipiendum Dei filium. Secundo ratione ministerii angelici, quia enim angelus est Dei minister et servus et beata virgo electa erat, ut esset Dei mater, et congruum est ministrum dominae famulari, conveniens fuit, ut beatae virgini annuntiatio per angelum fieret. Tertio ratione lapsus angelici reparandi. Quia enim incarnatio non tantum faciebat ad reparationem humani lapsus, sed etiam ad reparationem ruinae angelicae, ideo angeli non debuerunt excludi. Unde sicut sexus mulieris non excluditur a cog-

---

1) Recent. malunt: supra puteum se rest. etc.

nitione mysterii incarnationis et resurrectionis, sic etiam nec angelicus nuntius. Imo Deus utrumque angelo-mediante nuntiat mulieri, scilicet incarnationem virgini Mariae et resurrectionem Magdalenae. Cum ergo virgo beata a tertio anno aetatis suae usque ad quartum decimum annum in templo cum aliis virginibus exstitisset et votum de servanda castitate emisisset, nisi Deus aliter disponeret, eam Joseph desponsavit domino revelante, et Joseph virga frondente, sicut in hystoria de nativitate beatae Mariae plenius continetur, et in Bethlehem, unde oriundus erat, necessaria nuptiis provisurus ivit, ipsa vero in Nasareth in domum parentum rediit. Nasareth interpretatur flos. Unde dicit Bernardus, quod flos nasci voluit de flore, in flore et floris tempore. Ibi igitur ei angelus apparuit et ipsam salutavit dicens: ave gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Bernardus. Invitat nos ad Mariae salutationem Gabrielis exemplum, Johannis tripudium et resalutationis lucrum. Sed hic primo videndum est, quare dominus matrem suam voluit desponsari. Super hoc assignat Bernardus tres rationes dicens: necessario desponsata est Maria Joseph, quoniam per hoc mysterium a daemonibus absconditur et a sponso virginitas comprobatur et virginis tam verecundiae quam famae providetur. Quarta ratio est, ut ab omni gradu mulieris opprobrium tolleretur, scilicet a conjugatis virginibus et viduis, unde ipsa virgo in hoc triplici statu fuit. Quinta, ut viri ministerio uteretur; sexta ut matrimonii bonum comprobaretur; septima, ut per virum genealogiae series texeretur. Dixit ergo angelus: ave gratia plena. Bernardus: in ventre gratia deitatis, in corde gratia caritatis, in ore gratia affabilitatis, in manibus gratia misericordiae et largitatis. Idem: vere plena, quia de plenitudine ejus capiunt universi captivi redemptionem, aegri curationem, tristes consolationem, peccatores veniam, justi gratiam, angeli laetitiam, denique tota trinitas gloriam, filius hominis humanae carnis substantiam. Dominus tecum, dominus pater tecum, qui genuit, quem concipis, et dominus spiritus sanctus, de quo concipis, et dominus filius, quem carne tua induis; sicut dicit Bernardus: benedicta tu in mulieribus, id est, super omnes mulieres, quia scilicet eris mater virgo et mater Dei. Triplici maledicto mulieres subjectae erant, scilicet maledicto opprobrii, quoad non concipientes, unde dixit Rachel: abstulit Deus opprobrium meum, maledicto peccati, quoad concipientes, unde psalmus: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum etc., maledicto supplicii, quoad par-

turientes, unde Genesis: in dolore paries etc. Sola autem virgo Maria benedicta est inter omnes mulieres, cujus virginitati foecunditas additur et foecunditati in conceptu sanctitas et sanctitati in partu jucunditas. Dicitur ergo gratia plena, sicut dicit Bernardus, propter quatuor, quae fulserunt in ejus mente, quae fuerunt devotio humilitatis, reverentia pudoris, magnitudo credulitatis, martirium cordis. Dicitur: dominus tecum, propter illa quatuor, quae ei fulserunt de coelo, sicut idem dicit, quae sunt Mariae sanctificatio, angelica salutatio, spiritus sancti superventio, filii Dei incarnatio. Dicitur etiam: benedicta tu in mulieribus, propter alia quatuor, quae, sicut ibidem dicitur, fulserunt in ejus carne, quae scilicet fuit virginitatis primiceria sine corruptione foecunda, sine gravedine gravida et sine dolore puerpera. Quae cum audiisset, turbata est in sermone angeli et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Hinc apparet laus virginis in auditu, affectu et cogitatu. In auditu laudatur modestia, audit et tacet; in affectu verecundia, in cogitatu prudentia, quia cogitavit, qualis esset ista salutatio. Turbata est autem de angeli sermone, non de ejus visione, quoniam beata virgo angelos saepe viderat, sed nunquam talia loquentes audierat. Petrus Ravennas: venerat igitur angelus blandus in specie sed in sermone terribilis. Unde quam leviter laetificavit visus, nimium turbavit auditus. Bernardus. Quod turbata est, fuit verecundiae virginalis, quod non perturbata, fortitudinis, quod tacuit et cogitavit, prudentiae et discretionis. Et tunc angelus confortans eam dixit: ne timeas Maria, invenisti gratiam apud dominum. Bernardus. Quam gratiam Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitae reparationem. Ecce concipies et paries filium et vocabis nomen ejus Jesum, id est salvatorem, quia salvum faciet populum suum a peccatis ejus. Hic erit magnus et filius altissimi vocabitur. Bernardus. Hoc est: ille, qui est magnus Deus futurus magnus, scilicet magnus homo, magnus doctor, magnus propheta. Dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, id est, me non propono cognituram? Et ita fuit virgo mente, carne, proposito. Sed ecce Maria interrogat, et qui interrogat, dubitat. Cur ergo solus Zacharias plagam taciturnitatis incurrit? Super hoc Petrus Ravennas assignat quatuor rationes dicens: ille peccatorum cognitor non verba sed corda praevidit, non quid dixerint, sed quid senserint, judicavit. Erat enim interrogantium causa dissimilis, spes diversa. Haec contra naturam credidit, ille dubitavit pro natura. Haec integre

ordinem quaerit, ille quae Deus vult fieri, non posse praescribit. Ille impellentibus exemplis non adscendit ad fidem, haec sine exemplo praecurrit ad fidem. Haec miratur de partu virginis, ille de conceptu disputat conjugali. Non ergo dubitat de facto, sed modum quaerit et ordinem, nam cum triplex sit modus conceptionis, naturalis, spiritualis et mirabilis, quo istorum concipiat, sciscitatur. Et respondens angelus dixit ei: spiritus sanctus superveniet in te, qui ipse tuum conceptum efficiet. Unde et dicitur de spiritu sancto conceptus et hoc propter quatuor rationes. Primo propter ostensionem eximiae caritatis, ut scilicet ostendatur, quod ineffabili Dei caritate verbum Dei caro factum est. Johannis III: sic Deus dilexit mundum etc. Et haec ratio est Magistri sententiarum. Secundo propter ostensionem gratiae absque meritis, ut per hoc, quod dicitur, conceptus de spiritu sancto ostendatur, quod sit ex sola gratia, quam nulla hominum praecesserunt merita. Et haec est ratio Augustini. Tertio propter virtutem operationis, quia scilicet operatione et virtute spiritus sancti conceptus est, et haec est ratio Ambrosii. Quarto propter motivum conceptionis, et haec est ratio Hugonis de sancto Victore. Motivum, ut ait, ad conceptionem naturalem, est amor viri in mulierem et amor mulieris in virum. Sic in virgine, inquit, quia in ejus corde amor spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus amor spiritus sancti mirabilia faciebat. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Hoc secundum Glossam sic exponitur: umbra a lumine et corpore objecto solet formari et virgo, sicut et purus homo, plenitudinem divinitatis capere nequibat, sed virtus altissimi obumbrabit tibi, dum in ea incorporea lux divinitatis corpus suscepit humanitatis, ut sic posset Deum pati. Hanc expositionem videtur tangere Bernardus, quia sic ait: quia Deus spiritus est, nos vero umbra corporis sui, temperavit se nobis [1]), ut per objectum vivificae carnis videamus verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Secundum Bernardum sic exponitur, quasi dicat: illum modum, quo de spiritu sancto concipies, Dei virtus Christus in suo secretissimo consilio obumbrando occultabit, ut sibi tantum notum habeatur et tibi. Ac si dicat: quid a me quaeris, quod in te mox experieris? Scies, scies et feliciter scies, sed illo doctore quo auctore. Ego nuntiare missus sum virginalem conceptum, non creare. Vel obumbrabit, id est, te a

1) Alii male legunt nube, quae lectio profecta videtur ex sequentibus.

vitiorum aestu refrigerabit. Et ecce Elizabeth cognata etc. Ecce dicit, ut ostendat hoc esse magnum novum vicinum. Quatuor de causis conceptus Elizabeth Mariae nuntiatur, secundum Bernardum. Prima est cumulus laetitiae, secunda perfectio scientiae, tertia perfectio doctrinae, quarta obsequium misericordiae. Dicit enim sic Hieronymus: sterilis cognatae conceptus Mariae nuntiatur, ut, dum miraculum miraculo additur, gaudio gaudium cumuletur. Vel ideo, quia profecto docebat, ut verbum mox divulgandum ubique sciret prius virgo per angelum, quam audiret ab homine, ne mater Dei a consiliis filii videretur amota, si eorum, quae in terris tam prope geruntur, remansisset ignara. Vel ideo potius, ut dum tunc salvatoris, nunc praecursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa postmodum scriptoribus atque praedicatoribus reservet veritatem. Vel ideo, ut audiens vetulam et gravidam cognatam cogitet juvencula de obsequio, ut sic parvulo prophetae detur locus obsequendi domino et mirabilius miraculum fiat de miraculo. Item Bernardus: da virgo responsum festinanter. O domina responde verbum et suscipe verbum, profer tuum et suscipe divinum, emitte transitorium et amplectere sempiternum, surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per consensionem. Tunc Maria expansis manibus et oculis ad coelum levatis ait: ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Bernardus: aliis in ore, aliis in aure, aliis in manu verbum Dei factum fuisse memoratur. Mariae autem factum est in aure per angelicam salutationem, in corde per fidem, in ore per confessionem, in manu per contrectationem, in ventre per incarnationem, in gremio per sustentationem, in brachiis per oblationem. Fiat mihi secundum verbum tuum. Bernardus: nolo ut fiat mihi aut declamatorie praedicatum, aut figuraliter significatum, aut ymaginatorie somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Statimque filius Dei in utero illius conceptus est perfectus Deus, perfectus homo et in ipsa prima die conceptionis tantae sapientiae ac potentiae exstitit, quantae in XXX. anno fuit. Tunc surgens Maria abiit in montana ad Elizabeth et cum eam salutasset Johannes, in ejus utero exsultavit. Glossa: quia lingua non poterat, animo exsultante salutat et suae praecursionis officium inchoat. Fuit autem in ejus obsequio tribus mensibus, donec Johannes nasceretur, quem manibus suis de terra levavit, sicut in libro justorum legitur. In hac die (ut dicitur) per multa temporum

curricula Deus multa operatus est, quae quidam egregiis versibus sic declaravit:

Salve justa dies quae vulnera nostra coerces!
Angelus est missus, est passus in cruce Christus,
Est Adam factus et eodem tempore lapsus,
Ob meritum decimae cadit Abel fratris ab ense,
Offert Melchisedech, Ysaac supponitur aris,
Est decollatus Christi baptista beatus
Et Petrus ereptus, Jacobus sub Herode peremptus.
Corpora sanctorum cum Christo multa resurgunt,
Latro dulce tamen per Christum suscipit Amen.

2. Miles quidam dives ac nobilis saeculo abrenuntiavit et ordinem Cisterciensium introivit et quia litteras nesciebat, erubescentes monachi tam nobilem personam inter laicos deputari dederunt ei magistrum, si forte modicum addiscere posset et sub hac occasione inter monachos permaneret. Sed cum diu cum magistro fuisset et nihil omnino praeter haec duo vocacula: ave Maria, discere potuisset, haec tam avide retinuit, ut quocumque deambularet, quidquid ageret, ea incessanter [1]) ruminaret. Tandem moritur et in cimiterio cum aliis fratribus sepelitur et ecce super ejus tumulum speciosum excrescit lilium et quodlibet folium: ave Maria litteris aureis habebat inscriptum. Currentes omnes ad tam grande spectaculum terram de tumulo effoderunt et radicem lilii de ore defuncti procedere repererunt. Intellexerunt ergo, quanta devotione illa duo verba dixerat, quem dominus tanti honore prodigii illustravit. — —

3. Quidam miles quoddam in via castrum habebat et omnes transeuntes sine miseratione aliqua spoliabat, virginem tamen matrem Dei quotidie salutabat nec pro aliquo impedimento emergenti ab ipsa salutatione aliqua die cessare volebat. Accidit autem, ut quidam vir religiosus et sanctus inde transitum faceret et ipsum praedictus miles continuo exspoliari juberet, vir autem sanctus rogavit praedones, ut ipsum ad dominum suum deducant, quia ad ipsum habet secreta, quae perferat. Adductus autem rogavit militem, ut omnes de familia sua et castro congregari faceret, ut iis verbum domini praedicaret. Cum autem congregati fuissent, ille ait: nequaquam hic estis omnes, sed aliquis adhuc deest. Cui quum omnes se ibidem esse assererent, ajebat: diligenter perquirite et ali-

1) Alii legunt nominaret.

quem invenietis abesse. Tunc unus exclamans dixit, quoniam solus [1]) camerarius illuc non venisset. Ille autem dixit: vere ipse est, qui deest. Pro eo igitur cito mittitur et in medium deducitur. Cum autem virum Dei vidisset, revolutis terribiliter oculis caput instar insani agitabat nec propius accedere audebat. Vir autem sanctus dixit ei: adjuro te per nomen domini nostri Jesu Christi, ut quis sis, nobis edisseras et ob quam causam huc veneris, palam pandas. Cui ille respondit: heu adjuratus prodere cogor invitus, ego enim non sum homo, sed daemon, qui formam hominis accepi et XIIII annis cum hoc milite sic permansi. Nam noster princeps me huc misit, ut diem, qua hic suae Mariae salutationem non diceret, diligentius observarem, ut in eum potestate accepta ipsum continuo strangularem et sic in malis operibus vitam finiens noster esset. Quacunque enim die illam salutationem dicebat, in eum potestatem habere non poteram; ecce autem de die in diem diligentius observavi et nullum, quin eam salutaverit, praetermisit. Haec miles audiens vehementer obstupuit et ad pedes viri Dei se projiciens veniam postulavit et in melius deinceps vitam mutavit. Vir autem sanctus dixit daemoni: praecipio tibi, daemon, in nomine domini nostri Jesu Christi, ut hinc abscedas et talem hactenus locum possideas, ubi nulli gloriosam Dei genitricem invocanti nocere praesumas. Haec ubi jussa dedit, daemon abscedens evanuit et miles virum sanctum cum reverentia et gratiarum actione liberum abire permisit.

CAP. LIII. [2]).

De sancto Timotheo.

Sancti Timothei Romae celebratur natalis, qui ab Antiochia Romam veniens sub Melchiade papa a Silvestro presbitero, qui postea episcopus urbis effectus est, susceptus est officio, quod facere tunc temporis etiam ipsi pontifices formidabant. Silvester vero non solum hospitio eum recepisse gaudebat, sed etiam timore abjecto tam vitam quam doctrinam ejus laudabat, qui per unum annum

---

1) Ed. Pr. offert canavarius. 2) Haec legenda deest in recent. libris, nam quae eodem titulo inscripta cap. CXVI. legitur, plane diversa est eaque et in Ed. Princ. reperitur.

et menses tres docens Christi veritatem, cum multi per eum populi conversi fuissent, dignus martirio tentus a populo paganorum et traditus Tarquinio urbis praefecto tormentis plagarum et carceris longa custodia maceratus cum sacrificare noluisset ydolis, quasi bonus athleta Dei die tertio caesus inter homicidas decollatus est. Quem sanctus Silvester nocte ad domum suam tulit ibique sanctum Melchiadem episcopum venire fecit, qui cum omnibus presbiteris et dyaconibus per totam noctem in laudibus permanens ejus martirium dedicavit. Quaedam autem christianissima mulier, nomine Theone, in horto suo juxta sepulchrum Pauli apostoli rogavit memoratum papam, ut suo sumtu sepulchrum aedificans sancti Timothei corpus exciperet. Quod factum placuit omnibus christianis, ut hujus nominis martir, id est Timotheus, Paulo apostolo pro eo, quoniam discipulum quondam habuisset, in sepultura adhaereret.

CAP. LIII. (51.).

De passione domini.

Passio Christi fuit ex dolore amara, ex illusione despecta et ex utilitate multiplici fructuosa, dolor autem causabatur ex quinque. Primo ex eo, quod ipsa passio fuit ignominiosa et hoc propter ignominiosum locum, quia in Calvaria, ubi malefactores puniebantur, propter ignominiosum supplicium, quia morte turpissima condemnatus est. Crux enim supplicium erat latronum, et licet crux tunc esset multae ignominiae, nunc est immensae gloriae. Unde Augustinus: crux, quae erat supplicium latronum, nunc transit ad frontes imperatorum. Si tantum honorem Deus contulit supplicio suo, quid conferet servo suo? Propter ignominiosum consortium, quia cum sceleratis deputatus est, id est, cum latronibus, qui primo erant scelerati. Sed postea unus conversus, scilicet Dismas, qui erat a dextris, sicut dicitur in evangelio Nicodemi, et alius damnatus, scilicet Gesmas, qui erat a sinistris. Uni ergo dedit regnum, alteri supplicium. Ambrosius: auctor pietatis in cruce pendens in singulis negotiis pietatis officia dividebat, persecutionem apostolis, pacem discipulis, corpus Judaeis, crucifixoribus vestimenta, patri spiritum, virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatoribus infernum, crucem christianis poenitentibus commendabat. Ecce testa-

mentum, quod fecit Christus in morte pendens in cruce. Secundo ex eo, quod fuit injusta, quia peccatum non fecit et non est inventus dolus in ore ejus, et ideo quod venit indigne, poena dolenda venit. De tribus enim injuste praecipue eum accusabant, videlicet quia tributum reddi prohibebat, quia se regem dicebat et quia filium Dei se faciebat. Contra has tres accusationes dicimus in parasceue in persona salvatoris tres excusationes: popule meus quid feci tibi etc., ubi exprobrat Christus tria beneficia iis collata, scilicet liberationem ab Aegypto, regimen in deserto, plantationem vineae in loco optimo, quasi dicat Christus: accusas me de redditione tributi, potius deberes gratias agere, quia liberavi te a tributo, accusas me, quia dixi me regem, potius deberes gratias agere, quia regaliter pavi te in deserto, accusas quia me filium Dei dixi, potius deberes gratias agere, quia te in vineam meam elegi et in loco optimo plantavi. Tertio ex eo, quod fuit passus ab amicis, tolerabilior enim esset dolor, si pateretur ab his, qui aliqua de causa deberent esse ejus inimici, vel ab his, qui essent alieni vel extranei, vel ab illis, quibus aliqua incommoda intulisset, sed tamen patitur ab amicis, id est, ab his, qui deberent esse sui amici. Item a proximis, id est, ab his, de quorum stirpe natus est. De his duobus dicitur in Psalmo: amici mei et proximi mei etc., Job. XIX: noti mei quasi alieni recesserunt a me. Item ab his, quibus multa bona contulerat, Joh. VIII: multa bona operatus sum iis. Bernardus: o bone Jesu quam dulciter cum hominibus conversatus es, quam magna et abundantissima largitus iis es, quam dura et aspera pro iis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima tormenta. Quarto ex ratione teneritudinis corporis, unde in figura David dicitur II Reg. penult.: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. Bernardus: o Judaei lapides estis, lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis et ebullit oleum caritatis. Item Hieronymus: traditus est Jesus militibus verberandus et illud sacratissimum corpus pectusque Dei capax flagella secuerunt. Quinto ex eo, quod fuit universalis, quia per omnes partes et omnes sensus. Primo enim fuit hic dolor in oculis, quia lacrymatus est, sicut dicitur Hebr. V. Bernardus: adscendit in altum, ut longius audiretur, fortiter clamabat, ut nullus excusaretur, clamori lacrymas addidit, ut hos compateretur. Alias etiam bis lacrimas fudit, scilicet in resurrectione Lazari et super Jerusalem. Itaque primae lacrymae fuerunt amoris, unde et quidam cum vidissent eum lacrymantem,

dixerunt: ecce quomodo amabat eum! Secundae fuerunt compassionis, sed tertiae fuerunt doloris. Secundo fuit in auditu, cum ei scilicet opprobria et blasphemiae irrogatae sunt, Christus enim specialiter quatuor habebat, in quibus opprobria et blasphemias audivit. Habuit enim excellentissimam nobilitatem, quia quantum ad divinam naturam fuit aeterni regis filius et quantum ad humanam de regia stirpe genitus, ita etiam in quantum homo fuit, rex regum et dominus dominantium. Habuit ineffabilem veritatem, quia ipse est via, veritas et vita, unde de se iterum dicit: sermo tuus veritas est' filius enim est sermo sive verbum patris. Habuit insuperabilem potestatem, quia omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Habuit insuper singularem bonitatem, quia nemo bonus nisi solus Deus. In his Christus audivit opprobria et blasphemias Primo quidem quo ad nobilitatem; Matth. XII: nonne hic est filius fabri? nonne mater ejus dicitur Maria etc. Secundo quo ad potestatem, Matth. XII: hic non ejicit daemonia, nisi in[1]) Beelzebub principe daemoniorum. Item Matth. XXVII: alios salvos fecit, se ipsum non potuit salvum facere. Ecce dicunt ipsum impotentem, cum tamen adeo potens exstiterit, quod persecutores suos sola voce prostravit. Nam cum interrogasset: quem quaeritis? et illi respondissent: Jesum Nazarenum, et ipse dixisset: ego sum, continuo ceciderunt in terram. Augustinus: una vox turbam odiis ferocem, armis terribilem sine ullo telo percussit, repulit, stravit virtute latentis divinitatis. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Tertio quo ad veritatem, Joh. VIII: Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Ecce quia dicunt eum mendacem, cum tamen ipse sit via, veritas et vita. Hanc veritatem Pylatus scire vel audire non meruit, quia ipsum secundum veritatem non judicavit. Inchoavit quippe judicium a veritate, sed non in veritate permansit et ideo de veritate quaestionem meruit inchoare, sed non meruit solutionem audire. Ratio alia est secundum Augustinum, quare solutionem non audivit, quia, cum illam quaestionem fecisset, subito venit illi in mentem consuetudo Judaeorum, qua solebat unus dimitti in pascha et ideo statim exiit et solutionem non exspectavit. Tertia ratio est secundum Chrysostomum, quia sciebat, quod quaestio tam difficilis indigebat multo tempore et multa dis-

1) Hoc vocabulum omittit Ed. Pr.

cussione et ipse ad liberationem Christi properabat, et ideo statim exivit. Legitur tamen in evangelio Nicodemi, quod cum Pylatus Jesum interrogasset: quid est veritas?, Jesus ei respondit: veritas de coelo est. Et Pylatus: in terris non est veritas? Dicit ei Jesus: quomodo potest esse veritas in terris, quae judicatur ab his, qui potestatem habent in terris? Quanto quo ad bonitatem, dicebant enim ipsum esse peccatorem in corde, Joh. IX: nos scimus, quia hic homo peccator est; seductorem in sermone, Luc. XIII: commovit populum docens per universam Judaeam incipiens a Galilaea; usque huc legis praevaricatorem in opere, Joh. IX: non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Tertio fuit in odoratu, quia magnum foetorem sentire potuit in loco calvariae, ubi erant corpora foetida mortuorum. Unde dicitur in scholastica hystoria, quod calvaries proprie est os capitis humani nudum, unde et quia ibi decollabantur rei et multa ossa capitum ibi adspersa erant, dicebatur calvariae locus vel calvarium. Quarto fuit in gustu, unde cum clamaret: sitio, dederunt ei acetum cum myrrha et felle mixtum, ut ex aceto citius moreretur et ipsi custodes a custodia citius liberarentur, dicitur enim crucifixos citius mori, acetum si bibant, et ex myrrha pateretur olfactus, et ex felle gustus. Augustinus: pro mero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, adjicitur innocentia reo, moritur vita pro mortuo. Quinto fuit in tactu, quia in omnibus partibus corporis, a planta enim pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas. De hoc autem qualiter in omnibus sensibus dolorem habuit, dicit Bernardus: caput angelicis tremendum spiritibus densitate spinarum pungitur, facies pulchra prae filiis hominum sputis Judaeorum deturpatur, oculi lucidiores sole caligant in morte, aures, quae audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus, os, quod docet angelos, felle et aceto potatur, pedes, quorum scabellum adoratur, quoniam sanctum est, cruci clavo affiguntur, manus, quae formaverunt coelos, sunt in cruce extensae et clavis affixae, corpus verberatur, latus lancea perforatur, et quid plura? non remansit in eo nisi lingua, ut pro peccatoribus exoraret et matrem discipulo commendaret. Secundo ejus passio fuit ex illusione despecta, quatuor enim vicibus fuit sibi illusum. Primo in domo Annae, ubi recepit sputa et alapas, velationem oculorum. Bernardus: vultum tuum, bone Jesu, desiderabilem, in quem desiderant angeli prospicere, sputis inquinaverunt, manibus percusserunt, velo pro delusione operuerunt, nec amaris vulneribus peper-

cerunt. Secundo in domo Herodis, qui cum fatuum et non sanae mentis aestimans ex eo, quod nullum ab eo responsum habere potuerat, pro derisione eum veste alba induit. Bernardus: tu homo es et habes sertum de floribus et ego Deus et habeo coronam de spinis, tu habes chirothecas in manibus et ego habeo clavos defixos, tu in albis vestibus tripudias et ego pro te derisus fui ab Herode in veste alba, tu tripudias cum pedibus et ego laboravi cum meis pedibus, tu in choreis brachia extendis in modum crucis in gaudium et ego ea in cruce extensa habui in opprobrium, ego in cruce dolui et tu in cruce exsultas, tu habes latus apertum et pectus in signum vanae gloriae et ego latus effossum habui pro te. Tamen revertere ad me et ego suscipiam te. Sed quare dominus tempore suae passionis coram Herode, Pylato et Judaeis sic tacebat, hujus triplex est ratio. Prima ratio est, quia non erant digni audire suam responsionem, secunda, quia Eva peccaverat per loquacitatem et ideo Christus voluit satisfacere per taciturnitatem, tertia, quia quidquid respondebat, totum calumniabantur et depravabant. Tertio in domo Pylati, ubi milites chlamydem coccineam circumdederunt ei, arundinem in manus dederunt et coronam spineam super caput ejus posuerunt et genu flexo dicebant: ave rex Judaeorum. Illa autem spinea corona dicitur fuisse de juncis marinis, quorum acies non minus spina dura est et penetrativa, unde et sanguinem de capite creditur illa corona spinea extraxisse. Unde Bernardus: caput illud divinum multiplici spinarum densitate usque ad cerebrum defixum est. De anima sunt tres opiniones, ubi scilicet anima principalem habeat sedem, scilicet vel in corde propter illud: de corde exeunt cogitationes malae etc., vel in sanguine propter illud Levitici: anima omnis carnis in sanguine est, vel in capite propter illud: inclinato capite tradidit spiritum etc. Hanc triplicem opinionem Judaei saltem ipso facto videntur scivisse, nam ut ejus animam a corpore evellerent, quaesierunt ipsam in capite, cum spinas usque ad cerebrum infixerunt, quaesierunt in sanguine, cum ejus venas in manibus et pedibus aperuerunt, quaesierunt in corde, cum ejus latus perforaverunt. Contra has tres illusiones in parasceue praemittimus ante revelationem crucis tres adorationes dicentes: Agios etc. quasi ter honorantes ter illusum propter nos. Quarto in cruce, Matth. XXVII: principes sacerdotes eum illudentes cum senioribus et scribis dicebant: si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credamus ei. Bernardus super hunc locum: interim patientiam magis exhibet, humilita-

tem commendat, obedientiam implet, caritatem perficit. In his nempe virtutum gemmis quatuor crucis cornua ornantur et supereminentior caritas, a dextris obedientia, a sinistris patientia, radix omnium virtutum humilitas in profundo. Haec omnia, quae Christus passus est, Bernardus breviter recolligit dicens: memor ero, quamdiu vixero, laborum, quos pertulit in praedicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clavorum, exprobrationum. Tertio passio ejus fuit utilitate multiplici fructuosa, cujus utilitas potest esse triplex, scilicet peccatorum remissio, gratiae collatio et gloriae exhibitio, et haec tria notantur in titulo crucis, quia Jesus quo ad primum, Nazarenus quo ad secundum, rex Judaeorum, quo ad tertium, quia ibi erimus omnes reges. De ejus utilitate dicit Augustinus: culpam delevit Christus praesentem, praeteritam et futuram, praeterita peccata tulit ea remittendo, praesentia homines ab iis retrahendo, futura gratiam, qua vitarentur, conferendo. De ejus etiam utilitate dicit Augustinus: admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per redemtoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exsilio ad patriam, de luctu ad gaudium vocati sumus. Quam utilis autem modus nostrae redemtionis fuerit, patet ex quatuor rationibus, videlicet quia fuit acceptissimus ad placandum Deum, congruentissimus ad curandum morbum, efficacissimus ad attrahendum genus humanum, prudentissimus ad expugnandum humani generis inimicum. Primo ergo fuit acceptissimus ad placandum et reconciliandum Deum, quia sicut dicit Anselmus in libro: cur Deus homo, nihil asperius et difficilius potest homo pati ad honorem Dei sponte et non ex debito quam mortem, et nequaquam magis homo potest se dare quam cum se morti tradit ad honorem ipsius. Et hoc est, quod dicitur Ephes. V: tradidit semet ipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Qualiter autem fuit sacrificium nos Deo placans et reconcilians, dicit Augustinus in libro de trinitate: quid tam grate suscipi posset, quam caro sacrificii nostri corpus effectum sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, et quis offerat, idem ipse unus utriusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo cum ipso maneret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat,

unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebatur. De hoc autem etiam, qualiter per Christum sumus reconciliati, dicit idem Augustinus, quod Christus est sacerdos et sacrificium, Deus et templum. Sacerdos, per quem sumus reconciliati, sacrificium, quo sumus reconciliati, Deus, cui sumus reconciliati, templum, in quo sumus reconciliati. Unde quibusdam hanc reconciliationem parvi pendentibus Augustinus in persona Christi exprobrat dicens: cum esses inimicus patri meo, reconciliavit te per me, cum esses longe, ego veni ut redimerem te, cum inter omnes montes et silvas errares, quaesivi te, inter lapides et ligna inveni te et ne luporum ferarumque rapido ore laniareris, collegi te, humeris meis portavi te, patri meo reddidi te, laboravi, sudavi, caput meum spinis opposui, manus meas clavis objeci, lancea latus aperui, tot non dicam injuriis, sed asperitatibus laniatus sum, sanguinem meum fudi, animam meam posui ut conjungerem te mihi, et tu divideris a me. Secundo fuit congruentissimus ad curandum morbum, congruitas autem attenditur ex parte temporis, ex parte loci, ex parte modi. Ex parte temporis, quia Adam factus fuit et peccavit in mense Martio, feria sexta et hora sexta et ideo Christus pati voluit in Martio, quia in die, qua fuit annuntiatus, fuit et passus. Item in feria sexta et hora sexta. Secundo ex parte loci, quoniam locus suae passionis tripliciter considaratur, scilicet aut communis aut specialis aut singularis. Locus communis fuit terra promissionis, specialis calvariae locus, singularis crux. In loco autem communi primus homo fuit formatus, quia in partibus illis juxta Damascum in agro Damasceno dicitur fuisse formatus. In loco speciali fuit sepultus, quia ibidem, ubi Christus passus est, Adam dicitur fuisse sepultus, licet autenticum non sit, cum secundum Hieronymum Adam in Hebron monte sepultus fuit, sicut etiam Jos. XIV expresse habetur. In loco singulari fuit deceptus, non quod in illo ligno, in quo Christus passus est, Adam fuit deceptus, sed pro tanto dicitur, quia sicut Adam deceptus fuit in ligno, ita Christus passus fuit in ligno. In quadam hystoria Graecorum dicitur, quod in eodem. Tertio ex parte modi curandi, qui quidem modus fuit per similia et per contraria: per similia, quoniam sicut dicit Augustinus in libro de doctrina christiana, per feminam deceptus, per feminam natus homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. Ambrosius: ex terra virgine Adam, Christus ex virgine. Ille ad imaginem Dei, hic imago Dei, per mulierem stultitia, per mulierem sapientia, nudus Adam, nudus Chri-

stus, mors per arborem, vita per crucem, in deserto Adam, in deserto Christus. Per contraria, quoniam primus homo secundum Gregorium peccaverat per superbiam, inobedientiam et gulam, voluit enim assimilari Deo per scientiae sublimitatem, transgredi praecepti Dei limitem et gustare pomi suavitatem; et quoniam curatio habet fieri per contrarium, ideo iste modus satisfaciendi congruentissimus fuit, quia fuit per humiliationem, divinae voluntatis impletionem et afflictionem. De his tribus ad Philipp. II: humiliavit semet ipsum quo ad primum, factus obediens quo ad secundum, usque ad mortem quo ad tertium. Tertio fuit efficacissimus ad attrahendum genus humanum, nunquam enim salvo libertatis arbitrio magis ad amorem suum et fiduciam genus humanum attrahere potuit. Qualiter autem per hoc ad amorem nos attrahat, dicit Bernardus: super omnia reddit te amabilem, bone Jesu, calix, quem bibisti, opus redemtionis nostrae. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum tibi, hoc est, quod nostrum amorem et blandius allicit et justius exigit et citius stringit et vehementius afficit. Etenim ubi te exinanisti, ubi te naturalibus radiis exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi caritas plus effulsit, ibi gratia amplius radiavit. Qualiter autem ad fiduciam, dicitur Roman. VIII: qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam omnia cum illo nobis donavit? De hoc etiam Bernardus: quis non rapiatur ad spem impetrandi fiduciam, qui ejus attendit corporis dispositionem, videlicet caput inclinatum ad osculum, brachia extensa ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum affixionem ad nobiscum commanendum, corporis extensionem ad se totum nobis impendendum. Quarto fuit prudentissimus ad expugnandum humani generis inimicum, Job. XXV: prudentia ejus percussit superbum, et ultimo: numquid poteris capere Leviathan hamo? Christus enim hamum suae deitatis absconderat sub esca humanitatis et dyabolus capere volens escam carnis, captus est ab hamo deitatis. De hac prudenti captione dicit Augustinus: venit redemtor et victus est deceptor; et quid fecit redemtor captivatori nostro? tetendit muscipulam crucem suum, posuit in ea escam sanguinem suum. Ipse autem voluit fundere sanguinem non debitoris, propter quod recessit a debitoribus: hujusmodi debitum apostolus vocat chirographum, quod quidem Christus tulit et cruci affixit. De quo chirographo dicit Augustinus: Eva peccatum a dyabolo mutuavit, chirogra-

pham scripsit, fidejussorem dedit et usura posteritati crevit, tunc enim a dyabolo peccatum mutuavit, quando contra praeceptum Dei suae pravae jussioni vel suggestioni consensit, chirographum scripsit, quando manum ad pomum vetitum porrexit, fidejussorem dedit, quando Adam peccato consentire fecit et sic usura peccati posteritati crevit. Contra igitur contemnentes hanc redemtionem, qua nos de inimici potestate reduxit, Bernardus exprobrando dicit in persona Christi: popule meus, ait dominus, quid tibi facere potui et non feci? Quid causae est, quod inimico magis libet servire quam mihi? nec ille creavit vos nec pavit. Si parva haec videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos. Quo pretio? non utique auro corruptibili vel argento, non sole aut luna, non saltem angelorum aliquo, sed proprio vos cruore redemi. Caeterum si neque tam multiplici jure debitum est a vobis elicere famulatum, omissis omnibus mecum saltem ex denario diurno convenite. Et quia in mortem Christum tradiderunt, Judas per avaritiam, Judaei per invidiam, Pylatus per timorem, ideo videndum esset de poena a Deo his inflicta merito hujus peccati. Sed de poena et origine Judae invenies in legenda sancti Matthiae, de poena et excidio Judaeorum in legenda sancti Jacobi minoris, de poena autem et origine Pylati in quadam historia licet apocrypha legitur: fuit quidam rex nomine Tyrus, qui quandam puellam nomine Pylam, filiam cujusdam molendinarii nomine Atus carnaliter cognovit et de ea filium generavit, Pyla autem ex nomine suo et nomine patris sui, qui dicebatur Atus, unum nomen composuit et nato puero imposuit nomen Pylatus, Cum autem Pylatus tres annos haberet, ipsum Pyla ad regem transmisit: habebat autem rex filium de regina conjuge sua, qui fere Pylato coaetaneus habebatur; isti dum annos discretionis attigissent, saepius luctamine, pugna et funda ad invicem colludebant. Sed regis legitimus filius, ut genere erat nobilior, sic in omni loco Pylato inveniebatur strennuior et omni genere certaminis aptior. Ob hoc Pylatus invidiae livore commotus et felleo dolore stimulatus fratrem suum latenter occidit, quod rex audiens vehementer doluit et concione convocata, quid de scelerato et homicida faciendum sit filio, requisivit. Qui eum omnes reum mortis esse unanimiter acclamaverunt, rex autem ad se reversus iniquitatem iniquitate noluit duplicare, sed ipsum pro tributo, quod annuatim debebat Romanis, obsidem misit, tum volens innoxius esse ab occisione filii, tum a tributo Romanorum cupiens liberari. Tunc enim tem-

poris erat Romae filius regis Franciae, quem similiter rex miserat Romam pro tributis: huic Pylatus associatus cum se ab eo moribus et industria praecelli videret, eum invidiae stimulis agitatus occidit. Sed cum Romani, quid de eo faciendum esset, inquirerent, dixerunt: hic si supervixerit, qui fratrem necavit, obsidem jugulavit, reipublicae plurimum utilis erit et colla ferocium hostium ferox ipse domabit. Dixerunt ergo: cum reus mortis habeatur, in Pontos insulam gentibus illis, quae nullum patiuntur judicem, judex praeficiatur, si forte ejus nequitia ipsorum contumacia edometur, si non, quod meruit, patiatur. Missus igitur Pylatus ad gentem ferocem et suorum judicum peremtricem non inscius, ad quos missus sit et quam pendula vitae suae sententia, tacite rem considerans vitam suam servare voluit et gentem nequam ipse minis et promissis, supplicio et pretio penitus subjugavit. Qui igitur tam durae gentis victor exstitit, a Pontos insula Pontius Pylatus nomen accepit. Herodes autem hominis illius industriam ut audivit, versutiis ejus congaudens ipse versutus eum ad se muneribus et internuntiis invitavit et super Judaeam et Jerusalem potestatem et vicem suam ei tradidit. Qui cum pecuniam innumerabilem congregasset, nesciente Herode Romam adiit et infinitam pecuniam Tyberio imperatori obtulit et ab eo sibi dari, quod ab Herode tenebat, muneribus impetravit. Hujuscemodi causa facti sunt inimici Pylatus et Herodes, quoadusque tempore passionis domini eum sibi reconciliavit, eo quod dominum ad se misit. Alia causa inimicitiae assignatur in hystoria scholastica. Quidam enim se filium Dei faciens multos de Galilaeis seduxerat, quos cum in Garizim deduxisset, ubi dixerat se adscensurum in coelum, superveniens Pylatus ipsum cum omnibus occidit timens, ne similiter Judaeos seduceret. Ob hoc facti sunt inimici, quia Herodes praesidebat Galilaeis, et utraque causa potuit esse vera. Cum autem Pylatus dominum Judaeis crucifigendum tradidisset, timens tamen offensam Tyberii Caesarii eo quod condemnasset sanguinem innocentem, quendam sibi familiarem pro sui excusatione ad Caesarem destinavit. Interea cum Tyberius morbo gravi teneretur, nuntiatur eidem, quod Hierosolimis quidam medicus esset, qui omnes morbos solo verbo curaret, nesciens quod eum Pylatus et Judaei occidissent. Dixit itaque Volusiano sibi privato: citius vade trans partes marinas dicesque Pylato, ut hunc medicum mihi mittat, qui me pristinae sanitati restituat. Cum autem ille ad Pylatum venisset et mandatum imperatoris exposuisset eidem, ter-

ritus Pylatus XIIII dierum inducias postulavit. Intra quod spatium cum Volusianus quandam matronam, quae fuerat familiaris Jesu, nomine Veronica, ubinam Christus Jesus inveniri posset, interrogasset, ait: heu dominus meus et Deus meus erat, quem Pylatus per invidiam traditum condemnaret et crucifigi praecepit. Tunc ille nimis dolens ait: vehementer doleo, quia quod mihi dominus meus explere jusserat, non valeo. Cui Veronica: dominus meus cum praedicando circuiret et ego ejus praesentia nimis invite carerem, volui mihi ipsius depingi imaginem, ut, dum ejus privarer praesentia, mihi saltem praestaret solatium imaginis suae figura, cumque linteum pictori deferrem pingendum, dominus mihi obviavit et quo tenderem, requisivit. Cui quum viae causam aperuissem, a me petiit pannum et ipsum mihi venerabili sua facie reddidit insignitum. Imaginis ergo hujus aspectum si dominus tuus devote intuebitur, continuo sanitatis beneficio potietur. Cui ille: estne hujusmodi imago auro vel argento comparabilis? Cui illa: non, sed pro affectu devotionis. Tecum igitur proficiscar et videndam Caesari imaginem deferam et revertar. Venit igitur Volusianus cum Veronica Romam dixitque Tyberio imperatori: Jesum a te diu desideratum Pylatus et Judaei injustae morti tradiderunt et per invidiam crucis patibulo affixerunt. Venit igitur matrona quaedam mecum ipsius Jesus imaginem deferens, quam si devote perspexeris, mox sanitatis tuae beneficium obtinebis. Caesar igitur pannis sericis viam sterni fecit et imaginem sibi praesentari praecepit, moxque, ut eam fuit intuitus, sanitatem pristinam est assecutus. Pontius igitur Pylatus imperio Caesaris capitur et Romam perducitur; audiens Caesar Pylatum advenisse, nimio furore contra eum repletus eum ad se adduci fecit, Pylatus autem tunicam domini inconsutilem secum detulit, quam indutam coram imperatore portavit: mox ut imperator eum vidit, omnem iram deposuit et ei protinus assurrexit nec sibi dure in aliquo loqui praevaluit, et qui in ejus absentia videbatur tam terribilis et ferus, nunc in ejus praesentia invenitur quodammodo mansuetus. Cumque eum licentiasset, mox contra eum terribiliter exardescit, se miserum clamans, quod ei furorem sui pectoris minime ostendisset, statimque eum revocari fecit, jurans et contestans, quod filius mortis esset nec fas sit eum vivere super terram. Qui ut eum vidit, continuo eum salutavit et omnem animi ferocitatem abjecit. Mirantur omnes, mirabatur et ipse, quod sic contra Pylatum, dum abesset, exardesceret et dum

praesens esset, nil ei asperi loqui posset. Tandem divino nutu vel forte alicujus christiani suasu ipsum illa tunica exspoliari fecit et contra illum pristinam animi ferocitatem resumsit, cumque de hoc imperator plurimum miraretur, dictum est sibi, quod illa tunica fuisset domini Jesu. Tunc imperator ipsum in carcere recipi jussit, donec sapientum consilio deliberaret, quid de eo fieri oporteret. Data est igitur in Pylatum sententia, ut morte turpissima damnaretur. Audiens hoc Pylatus cultello proprio se necavit et tali morte vitam finivit. Cognita Caesar morte Pylati dixit: vere mortuus est morte turpissima, cui manus propria non pepercit. Moli igitur ingenti alligatur et in Tyberim flumen immergitur, spiritus vero maligni et sordidi corpori maligno et sordido congaudentes et nunc in aquis nunc in aëre rapientes mirabiles inundationes in aquis movebant et fulgura, tempestates, tonitrua et grandines in aëre terribiliter generabant, ita ut cuncti timore horribili tenerentur. Quapropter Romani eum a Tyberis fluvio extrahentes derisionis causa ipsum [1]) Viennam deportaverunt et Rhodano fluvio immerserunt. Vienna enim dicitur quasi via Gehennae, quia erat tunc locus maledictionis, vel potius dicitur Bienna eo quod, ut dicitur, biennio sit constructa. Sed ibi nequam spiritus non defuerunt, ibidem eadem operantes, homines ergo illi tantam infestationem daemonum non ferentes vas illud maledictionis a se removerunt et illud sepeliendum Losannae civitatis territorio commiserunt. Qui cum nimis praefatis infestationibus gravarentur, ipsum a se removerunt et in quodam puteo montibus circumsepto immerserunt, ubi adhuc relatione quorundam quaedam dyabolicae machinationes ebullire videntur. Hucusque in praedicta historia apocrypha leguntur. Quae utrum recitanda sint, lectoris judicio relinquatur. Nota tamen, quod in hystoria scholastica legitur, quod Pylatus a Judaeis accusatus est apud Tyberium de violenta innocentium interfectione et quia Judaeis reclamantibus imagines gentilium in templo ponebat et quia pecuniam repositam in corbanam [2]) in suos redigeret usus, inde faciens aquaeductum in domum suam et pro his omnibus deportatus est in exilium Lugdunum, unde oriundus fuerat, ut ibi in opprobrium gentis suae moreretur. Potuit esse, si tamen illa hystoria continet veritatem, quia primo jam edictum dederat, ut Lugdunum jam in exsilium portaretur et quod ante reversionem Volusiani ad imperatorem [3]) ibi fuit deportatus.

---

1) Alii: Vigennam. 2) Alii legunt: corbonam. 3) Deputatus addit male Ed. Pr.

Sed postmodum Tiberius audiens, qualiter Christum occidisset, ipsum de exilio educi et ad se Romam adduci fecit. Eusebius autem et Beda in suis chronicis non dicunt ipsum in exilio relegatum sed tantum, quod in multas calamitates incidens propria manu se peremit.

De festivitatibus, quae occurrunt infra tempus reconciliationis.

Dicto de festivitatibus, quae occurrunt infra tempus deviationis, quod incepit ab Adam et duravit usque ad Moysen: quod tempus repraesentat ecclesia a septuagesima usque ad pascha, sequitur videre de festivitatibus, quae eveniunt infra tempus reconciliationis, quod tempus repraesentat ecclesia a pascha usque ad octavam pentecostes.

CAP. LIV. (52.).

De resurrectione domini.

Resurrectio Christi tertia die a passione ipsius facta est. Circa autem ipsam resurrectionem dominicam septem per ordinem sunt consideranda. Primum qualiter verum sit, quod tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro jacuit et in die tertia resurrexit. Secundo quare non statim ut mortuus est, resurrexit, sed usque in diem tertium exspectavit. Tertio, qualiter resurrexit: quarto, quare resurrectionem suam acceleravit nec usque ad generalem resurrectionem distulit: quinto, propter quid resurrexit: sexto, resurgens [1]) quoties apparuit: septimo, qualiter sanctos patres, qui erant in limbo, inde eduxit et quid ibi egit. Circa primum notandum, quod Christus tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro fuisse dicitur, secundum Augustinum per synecdochen [2]), ut prima dies accipiatur secundum partem sui extremam, secunda dies secundum se totam et partem sui integram, tertia secundum partem sui primam: et sic erunt tres dies et quilibet horum dierum suam noctem habuit praecedentem. Tunc enim secundum Bedam mutatus est hic ordo et cursus dierum ac noctium, antea enim dies praecedebant et noctes

---

1) Verbum resurgens al. omittunt. 2) Ed. Pr. male legit: sinodochen.

sequebantur, post passionem autem hic ordo mutatus est, ita quod noctes praecedant et dies sequuntur et hoc mysterio congruit, quoniam homo primo de die gratiae cecidit in noctem culpae, per Christi autem passionem et resurrectionem de nocte culpae rediit ad diem gratiae. Circa secundum sciendum est, quod conveniens fuit, ut non statim, quando mortuus fuit, Christus resurgeret sed usque in diem tertium exspectaret, propter quinque rationes. Primo propter significationem, ut scilicet ex hoc significaretur, quod lux suae mortis curavit nostram duplam mortem et igitur una die integra et duabus noctibus jacuit in sepulchro, ut per diem intelligatur lux suae mortis, per duas noctes nostra duplex mors, et hanc rationem assignat Glossa super illud Lucae XXIV: oportuit Christum pati etc. Secundo propter probationem, quia sicut in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, sic in tribus diebus experitur quis omne factum, et ideo ut mortem bene probaret et se probasse ostenderet, tribus diebus jacere voluit in sepulchro. Tertio propter suae potestatis ostensionem, quia si statim resurrexisset, non videretur potestatem habere ponendi animam suam sicut resurgendi. Et haec ratio videtur tangi I. Cor. XV super illo: quoniam Christus mortuus est etc. Ideo, inquit, de morte praemittitur, ut sicut vera mors ostenditur, ita vera resurrectio ostendatur. Quarto propter restaurandorum praefigurationem. Hanc rationem assignat Petrus Ravennas dicens: tres dies voluit esse suae sepulturae, quae in coelo sunt, restauraturus, quae in terra, reparaturus, quae apud inferos, redemturus. Quinto propter triplicis status justorum repraesentationem. Hanc rationem assignat Gregorius super Ezech. dicens: sexta feria Christus passus est, sabbato quievit in sepulchro, dominico autem die resurrexit a morte, praesens autem vita adhuc nobis sexta feria est, quia in angustiis et doloribus cruciamur, sed sabbato quasi in sepulchro quiescimus, quia requiem animae post mortem invenimus, dominico autem die a conditione, octavo cum corpore a morte resurgimus et in gloria animae etiam cum carne gaudemus. Dolor ergo nos in sexta, requies in septima et gloria excipit in octava. Haec Gregorius. Circa tertium scilicet, qualiter resurrexit, notandum, quod primo surrexit potenter, quia virtute propria. Joh. X: potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam. Joh. II: solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Secundo feliciter, quia deposita omni miseria; Matth. XXVI: postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam. Galilaea

interpretatur transmigratio, Christus ergo quando surrexit, in Galilaeam praecessit, quia de miseria ad gloriam, de corruptione ad incorruptionem transivit; Leo papa: post passionem Christi ruptis vinculis mortis infirmitas in virtutem, mortalitas in aeternitatem, contumelia transiit in gloriam. Tertio utiliter, quia capta praeda, Jerem. IIII: adscendit leo de cubili suo et praedo gentium se levavit. Item Johann.: cum exaltatus fuero, a terra omnia traham ad me ipsum, id est: cum exaltatus fuero a terra, animam scilicet educendo de limbo et corpus de sepulchro omnia traham etc. Quarto mirabiliter, quia remanente clauso sepulchro. Sicut enim exsistente clauso matris utero exivit et ad discipulos januis clausis intravit, sic nimirum exsistente clauso sepulchro inde exire potuit. Unde legitur in hystoria scholastica, quod cuidam monacho sancti [1]) Laurentii extra muros anno ab incarnatione domini millesimo CXI. miranti de cingulo suo, quo accinctus erat, insoluto projecto ante illum vox in aëre est facta: sic potuit Christus clauso exire sepulchro. Quinto veraciter, quia in corpore vero et proprio. Sex autem modis se vere resurrexisse probavit, primo per angelum, qui non mentitur, secundo per frequentem apparitionem. [2]) Per haec duo ostendit se vere resurrexisse. Tertio per comestionem, per quod probavit, quod non arte magica; quarto per palpationem, per quod probavit quod in vero corpore; quinto per cicatricum ostensionem, per quod probavit, quod in eodem corpore, in quo mortuus fuit; sexto per domus clausis januis ingressionem, per quod ostendit, quod glorificatus surrexit. Hae enim omnes dubitationes circa Christi resurrectionem videntur fuisse in discipulis Septimo surrexit immortaliter, quia nunquam de caetero moriturus. Roman. VI: Christus resurrexit ex mortuis jam non moriturus. Dixit tamen Dyonisius in epistola ad Demophilum, Christum etiam post adscensionem cuidam sancto viro nomine Carpo dixisse: paratus sum rursus pro hominibus salvandis pati; per quod videtur, si possibile esset, adhuc pro hominibus mori paratus esset. Retulit enim praedictus Carpus, vir mirae sanctitatis, beato Dyonisio, ut in eadem epistola continetur, quod cum quidam infidelium fidelem quendam pervertisset, adeo Carpus moleste tulit, ut ex hoc infirmitatem incurreret. Tantae autem sanctitatis erat, ut nunquam celebraret, quin sibi coelestis visio inferretur. Sed cum pro utriusque conversione orare deberet,

---

1) Ed. Pr. legit Laurentio. 2) Verba Per — resurrexisse omitt. Ed. Pr.

Deum tamen quotidie exorabat, ut combustione quadam amborum simul immisericorditer abrumperet vitas. Et ecce circa noctis medium, dum evigilaret et hanc orationem faceret, subito domus, in qua erat, in duo divisa fuit et quaedam fornax immensa ibidem apparuit respiciensque sursum vidit coelum apertum et ibidem Jesum circumdatum multitudine angelorum. Deinde juxta fornacem praedicti duo viri tremuli stare cernuntur, qui a serpentibus de fornace procedentibus morsibus et involutionibus violenter in fornacem trahebantur necnon a quibusdam aliis viris impingebantur. Haec videns Carpus adeo in istorum vindicta delectabatur, ut superiorem quidem visionem intueri contemneret et in horum vindictam totus intentus maneret, ita quod plurimum moleste ferebat, quod in fornacem non cito cadebant. Tandem cum difficulter in coelum respexisset et praedictam visionem ut prius vidisset, ecce Jesus hominum illorum misertus ex supercoelesti throno surrexit et usque ad illos cum multitudine angelorum descendens manum extendit et ipsos eripuit dixitque Jesus Carpo manu extensa: percutite contra me de caetero, paratus sum enim rursus pro hominibus salvandis pati et hoc mihi amicum, non, quod alii peccent homines. Hanc autem visionem, quam recitat Dyonisius, gratia hujus verbi posuimus. Circa quartum, quare non exspectavit cum aliis resurgere, quando scilicet fiet generalis resurrectio. Secundum est, quod propter tres rationes voluit differre. Primo propter corporis dignitatem. Cum enim illud corpus esset dignissimum, ex eo quod erat deificatum sive divinitati unitum, non fuit decens, ut tamdiu sub pulvere jaceret. Unde Psalm.: non dabis sanctum tuum, id est corpus sanctificatum, id est deificatum, videre corruptionem. Item Psalm.: surge domine in requiem tuam tu et archa sanctificationis tuae. Et vocatur archa sanctificationis corpus illud, quod fuit contentivum divinitatis. Secundo propter fidei firmitatem: si enim tunc non surrexisset, fides periisset nec verum Deum aliquis credidisset. Quod patet ex hoc, quod in passione excepta beata virgine omnes fidem amiserunt, sed cognita resurrectione ipsam recuperaverunt, I. Cor. XV: si Christus non resurrexisset, vana est fides nostra. Tertio propter nostrae resurrectionis exemplaritatem. Raro enim inveniretur, qui resurrectionem futuram speraret, nisi eam in exemplo praecessise videret, et propter hoc dicit apostolus: quia si Christus resurrexit et nos resurgemus, quia ejus resurrectio est causa exemplaris nostrae resurrectionis. Gregorius: exemplo dominus monstravit, quod pro-

misit in praemio, ut sicut omnes ipsum resurrexisse fideles cognoscerent, ita in se ipsis in fine mundi praemia resurrectionis sperarent. Idem: non plus quam triduanam esse mortem voluit, ne, si in illo resurrectio differretur, in nobis omnino desperaretur. Ideo habemus spem resurrectionis nostrae considerata gloria capitis nostri. Circa quintum, scilicet propter quid resurrexit. Sciendum, quod propter quatuor magnas utilitates nostras surrexit. Est enim ejus resurrectio operans justificationem peccatorum, docens novitatem morum, generans spem de receptione remunerandorum et causans resurrectionem omnium. De primo Roman. IV: traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter [1]) justificationem nostram. De secundo Roman. VI: sicut Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. De tertio I. Petr. II: qui propter magnam misericordiam suam resuscitavit nos in spem vitae per resurrectionem Christi a mortuis. De quarto I. Cor. XV: Christus dominus resurrexit a mortuis primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum. Et notandum quod, sicut patet per praedicta, Christus in sua resurrectione quatuor habuit propria. Primum est, quod nostra resurrectio usque in finem differtur, sua vero die tertia celebrata est. Secundum quia nos per illum resurgimus, ille vero per se. Unde Ambrosius: quomodo potuit adjutorium sui corporis quaerere suscitandi, qui alios suscitavit? Tertium est, quia nos incineramur, sed corpus ejus incinerari non potuit. Quartum est, quia sua resurrectio est nostrae resurrectionis causa efficiens, exemplaris et sacramentalis. De prima causa Glossa super Psalm.: ad vesperum demorabitur fletus etc. Resurrectio Christi est causa efficiens resurrectionis animae in praesenti et corporis in futuro. De secunda I. Cor. XV: si Christus resurrexit etc. De tertia Roman. VI ut quomodo Christus etc. Circa sextum, scilicet quotiens resurgens apparuerit, notandum est, quod ipsa die resurrectionis apparuit quinque vicibus [2]) et aliis diebus sequentibus etiam quinque vicibus. Primo enim apparuit Mariae Magdalenae. Joh. XX, item Marci ult.: surgens Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariae Magdalenae etc., quae typum gerit poenitentium. Voluit autem primo apparere Mariae Magdalenae quinque de causis. Primo quia ardentius diligebat, Luc. VII: dimissa sunt ei peccata

1) Ed. Pr. legit justitiam. 2) Verba et — vicibus omittit Ed. Pr.

multa, quoniam dilexit multum. Secundo, ut ostenderet se mortuum pro peccatoribus. Matth. IX: non veni vocare justos sed peccatores. Tertio quia meretrices praecedunt sapientes in regno caelorum. Matth. XXI: amen dico vobis, quia meretrices praecedent vos in regno caelorum etc. Quarto, ut sicut mulier fuit nuntia mortis, ita esset nuntia vitae, secundum Glossam. Quinto ut, ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia. Sicut dicitur Rom. V: secundo apparuit mulieribus redeuntibus a monumento, quando dixit iis: avete, et accesserunt et tenuerunt pedes ejus. Matth. ult.: et typum gerunt humilium, quibus dominus apparet. Tum ratione sexus, tum ratione affectus, quia tenuerunt pedes ejus. Tertio apparuit Simoni, sed ubi et quando, nescitur, nisi forte, quando redibat a monumento cum Johanne. Potuit enim esse, quod Petrus a Johanne alicubi divertit et ibi dominus sibi apparuit, Luc. ult. vel forte quando ad monumentum solus intravit, sicut dicitur in hystoria scholastica, vel forte in cavea sive spelunca. Dicitur enim in iisdem hystoriis, quod, quando Christum negavit, fugit in caveam, quae modo dicitur Gallicantus, in qua, ut dicitur, per tres dies flevit, ex eo quod Christum negavit et ibi Christus sibi apparuit et eum confortavit. Petrus autem interpretatur obediens et gerit typum obedientium, [1]) quia illi dominus apparet. Quarto apparuit discipulis in Emaus, quod interpretatur desiderium consilii et significat pauperes Christi, qui volunt illud consilium adimplere: vade et vende omnia, quae habes et da pauperibus etc. Quinto apparuit discipulis congregatis in unum et significat religiosos cum foribus quinque sensuum clausos. Joh. XX. Hae quinque apparitiones ipsa die resurrectionis factae sunt et has repraesentat sacerdos in missa quinquies se vertens ad populum. Sed tertia versio est cum silentio, quia significat tertiam apparitionem factam Petro, quae nescitur ubi vel quando facta fuerit. Sexto apparuit octava die discipulis congregatis praesente Thoma, qui dixerat, se non credere nisi videret, et significat haesitantes in fide. Joh. XX. Septimo discipulis piscantibus. Johann. ult.; et significat praedicantes, qui sunt piscatores hominum. Octavo discipulis in monte Thabor. Matth. ult.; et significat contemplativos, quia in praedicto monte transfiguratus fuit. Nono undecim discipulis recumbentibus in coenaculo, ubi incredulitatem eorum et duritiam cordis exprobravit.

---

1) Recent. praeferunt: quibus dominus.

Matth. ult.: quos intelligimus peccatores in undenario transgressionis positos, quos dominus aliquando visitat immisericorditer. Decimo et ultimo apparuit discipulis exsistentibus in monte oliveti, Luc. ult., per quos significantur misericordes et misericordiae oleum diligentes. De hoc loco adscenditur in coelum, quia pietas ad omnia valet promissionem habens etc. I. Timoth. IV. Sunt et aliae tres apparitiones, quae referuntur in ipsa die resurrectionis factae, sed tamen hoc ex textu non habetur. Prima quando apparuit Jacobo justo, id est Jacobo Alphei, de qua apparitione invenies in legenda ipsius Jacobi. Alia qua ipsa die apparuisse dicitur Joseph, sicut legitur in evangelio Nicodemi. Nam cum audiissent Judaei, quod Joseph corpus Jesu a Pylato petiisset et ipsum in monumento suo posuisset, indignati adversus eum ipsum ceperunt et in quodam cubiculo diligenter clauso et sigillato recluserunt, post sabbatum eum occidere volentes et ecce Jesus in ipsa nocte resurrectionis suspensa domo a quatuor angelis ad eum intravit et faciem ejus extersit et osculum dedit et inde salvis sigillis eum educens in domum suam in Arimathia ipsum adduxit. Tertia, qua ante caeteros virgini Mariae apparuisse creditur; licet hoc ab evangelistis taceatur. Hoc romana ecclesia approbare videtur, quae statim ipsa die apud sanctam Mariam celebrat stationem. Si enim hoc ideo non creditur, quia nullus evangelista testatur, consequens est, ut post resurrectionem nunquam sibi apparuerit, quia ubi vel quando, nullus evangelista edisserit. Sed absit, ut talem matrem talis filius tali negligentia dehonoraverit. Sed ideo forsan hic evangelistae subticuerunt, quia eorum fuit officium solummodo resurrectionis testes inducere, matrem autem ad testificandum pro filio inducere non decuit. Si enim verba extranearum feminarum deliramenta visa sunt, quanto magis matrem non pro filii amore crederent delirare, hoc igitur evangelistae scribere noluerunt, sed pro constanti reliquerunt. Debuit enim matrem prius laetificare de resurrectione, quia amplius caeteris constat doluisse de morte, ne matrem praetereat, qui sic alios consolari festinat. Hoc etiam Ambrosius testatur in libro tertio de virginibus dicens: vidit mater resurrectionem domini, et primo vidit et credidit, vidit Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. Sedulius quoque agens de Christi apparitione sic dicit: semper virgo manens, [1]) hujus se visibus astans, luce palam do-

1) Ed. Princ. legit hoc et omnia sequentia omittit inde a verbis bona — index.

minus prius obtulit, bona mater, grandia divulgans miracula, quae fuit olim advenientis iter, haec fit redeuntis et index. De septimo autem et ultimo hic considerando, qualiter sanctos patres, qui erant in limbo, Christus eduxit et quid ibi egit, evangelium aperte non explanavit. Augustinus tamen in quodam sermone et Nicodemus in suo evangelio aliquatenus hoc ostendunt. Ait enim sanctus Augustinus: mox ut Christus spiritum tradidit, unita suae deitati anima ad inferorum profunda descendit cumque tenebrarum terminum quasi quidam depraedator splendidus ac terribilis attigisset, adspicientes eum impiae ac tartareae legiones territae inquirere coeperunt dicentes: unde est iste tam fortis, tam terribilis vel tam splendidus, tam praeclarus? mundus ille, qui nobis subditus fuit, nunquam nobis talem mortuum misit, nunquam inferis talia munera destinavit; quis est ergo, qui sic intrepidus nostros fines ingreditur et non solum nostra supplicia non veretur, verum etiam alios de nostris vinculis absolvit? Ecce ipsi, qui sub nostris solebant suspirare tormentis, insultant nobis de perceptione salutis et non solum jam nihil verentur, sed insuper nobis minantur. Nunquam hic sic mortui superbierunt nec aliquando sic potuerunt laeti esse captivi. [1]) Ad quid huc istum adducere voluistis? O princeps noster, periit laetitia tua, in luctum conversa sunt gaudia tua. Dum tu Christum suspendis in ligno, ignoras, quanta damna sustineas in inferno. Post istas crudelium voces infernalium ad imperium domini omnes ferrei confracti sunt vectes et ecce innumerabiles sanctorum populi ejus genibus provoluti lacrimabili voce clamabant: advenisti [2]) redemtor mundi, advenisti, quem desiderantes quotidie exspectabamus; descendisti pro nobis ad inferos, noli nobis deesse, cum reversus fueris ad superos: adscende, domine Jesu, inferno exspoliato et auctore mortis suis vinculis irretito, redde jam laetitiam mundo, succurre, inquiunt, jam saevas exstingue poenas et miserando resolve captivos, dum hic es, absolve reos, dum [3]) adscenderis, defende tuos. Haec Augustinus. In evangelio Nicodemi legitur, quod Carinus et Leucius filii Simeonis senis cum Christo resurrexerunt et Annae et Cayphae et Nicodemo et Joseph et Gamalieli apparuerunt et ab iis [4]) adjurati, quae Christus apud inferos gessit, narraverunt dicentes: cum essemus cum omnibus patribus nostris patriarchis in

---

1) Vulgo ut legitur. 2) Recentiores addunt vocem desiderabilis. 3) Ed. Pr. male legit descenderis. 4) Verba duo antecedentia omittit Ed. Pr.

caligine tenebrarum, subito factus est aureus solis color purpureusque et regalis lux illustrans super nos statimque Adam humani generis pater exsultavit dicens: lux ista auctoris est luminis sempiterni, qui nobis promisit mittere lumen coaeternum suum. Et exclamavit Ysaias dicens: haec est lux patris, filius Dei, sicut praedixi, cum essem vivus in terris, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Tunc supervenit genitor noster Simeon et exsultans dixit: glorificate dominum, quia ego Christum infantem natum in manibus suscepi in templo et compulsus spiritu sancto dixi: nunc viderunt oculi mei salutare tuum quod parasti etc. Post hoc supervenit quidam eremi cultor et interrogatus a nobis, quis esset, dixit: ego sum Johannes, qui Christum baptizavi et ante ipsum parare vias ejus praeivi et ipsum ostendi digito dicens: ecce agnus Dei etc. et descendi nuntiare vobis, quia in proximo est Christum visitare nos. Tunc Seth dixit: cum ivissem ad portas paradisi rogare dominum, ut transmitteret mihi angelum suum, ut daret mihi de oleo misericordiae, ut inungerem corpus patris mei Adae, cum esset infirmus, apparuit Michael angelus dicens: noli laborare lacrymis orando propter oleum ligni misericordiae. Quia nullo modo poteris de illo accipere, nisi quando completi fuerint quinque millia [1]) quingenti anni. Haec audientes omnes patriarchae et prophetae exsultaverunt magna exsultatione, tunc Sathan princeps et dux mortis dixit ad inferum: praeparate suscipere Jesum, qui se gloriatur Christum filium Dei esse et homo est timens mortem dicens: tristis est anima mea usque ad mortem etc. et multos, quos feci [2]) surdos, sanavit et claudos erexit. Respondens inferus dixit: si potens es tu, qualis est homo ille Jesus, qui timens mortem potentiae tuae adversatur? Nam si dicit se timere mortem, capere te vult et vaeh tibi erit in sempiterna saecula. Cui Sathan: ego illum tentavi et populum adversum illum excitavi, jam lanceam exacui, fel et acetum miscui, lignum crucis praeparavi: in proximo est mors ejus, ut perducam eum ad te. Cui inferus: [3]) ipsene est, qui suscitavit Lazarum, quem tenebam? Cui Sathan: ipse est. Cui inferus: conjuro te per virtutes tuas et meas, ne perducas eum ad me, ego enim cum audivi imperium verbi ejus, contremui nec ipsum Lazarum continere potui, sed excutiens se ut aquila super omnem

---

1) Recent. ducenti legunt. 2) Recent. fortasse rectius curvos legunt.
3) Verba: ipse — inferus desunt in Ed. Pr.

agilitatem saliens exivit a nobis et, cum haec loqueretur, facta est vox ut tonitruum dicens: tollite portas principes vestras et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae. Ad hanc vocem concurrerunt daemones et ostia aenea cum vectibus ferreis clauserunt. Tunc dixit [1]) David: nonne ego prophetavi dicens: confiteantur domino etc., quia contrivit portas aeneas etc. Facta est iterum vox maxima dicens: tollite portas etc. Videns inferus, quod duabus vicibus clamaverat, quasi ignorans dixit: quis est iste rex gloriae? [2]) Cui Daniel: dominus fortis et potens, dominus potens in proelio, ipse est rex gloriae. Tunc rex gloriae supervenit et aeternas tenebras illustravit et extendens dominus manum et tenens dextram Adae dixit: pax tibi cum omnibus filiis tuis justis meis, et adscendit dominus ab inferis et omnes sancti sunt eum secuti. Dominus autem tenens manum Adae tradidit Michaeli archangelo et introduxit eos in paradisum, quibus occurrerunt duo viri vetusti dierum et interrogati sunt a sanctis: qui estis vos, qui nobiscum in inferis mortui nondum fuistis et in paradiso corpore collocati estis? Et respondit unus ex iis: ego sum Enoch, qui hic translatus sum, hic autem est Elias, qui huc curru igneo assumtus est, et adhuc mortem non gustavimus, sed in adventum Antichristi reservati sumus cum eo proeliaturi et ab eo occidendi et post triduum et dimidium diem in nubibus assumendi. Et cum haec diceret, ecce supervenit alius vir portans in humeris crucis signum, qui interrogatus, quis esset, dixit: ego latro fui et cum Jesu crucifixus fui et credidi ipsum esse creatorem et oravi dicens: memor esto mei, domine, quando veneris in regnum tuum; tunc dixit mihi: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, et dedit mihi istud crucis signum dicens: hoc portans ambula in paradisum et si non dimiserit te ingredi angelus custos paradisi, ostende illi signum crucis et dices ad illum, quia Christus, qui nunc crucifixus est, transmisit me. At cum hoc fecissem et dixissem angelo, statim aperiens introduxit me et ad dextram paradisi collocavit me. Cum hoc Carinus et Leucius locuti fuissent, subito transfigurati sunt et amplius visi non sunt. Gregorius quoque Nyssenus vel secundum quosdam libros [3]) Augustinus de hoc eodem sic ait: confestim aeterna nox inferorum Christo descendente resplenduit, mox ferruginei janitores talia inter

---

1) Ed. Pr. legit: Daniel. 2) Verba: Cui — gloriae desunt in Ed. Pr.
3) Ed. Pr. minus recte: et Augustinus secundum quosdam libros.

se umbrosa silentia metu [1]) incumbente submurmurant: quis namque est ille terribilis et nimio splendore coruscus, nunquam talem noster excepit tartarus, nunquam in nostram cavernam talem evomuit mundus, invasor est iste, non debitor, effractor est et destructor, non peccator, sed praedator. Judicem videmus, non supplicem, venit pugnare, non succumbere, eripere, non manere.

CAP. LV. (53.).
De sancto Secundo.

Secundus dicitur quasi se condens, id est, se honestate morum componens, vel Secundus dicitur quasi secundans, id est, obsecundans, id est, mandatis domini obtemperans, vel Secundus quasi secum dux. Fuit enim suus dux, quia ratione sensualitati bene praefuit et ipsam ad omne opus bonum produxit. Vel Secundus dicitur respectu primi, duae enim sunt viae eundi ad vitam, prima per poenitentiae lamentum, secunda per martirium. Iste autem martir pretiosus non solum ivit per primam, sed etiam per secundam.

Secundus miles strenuus, sed Christi athleta egregius et martir domini gloriosus in civitate Astensi martirio coronatus est, cujus gloriosa praesentia praedicta civitas illustratur et eo velut singulari patrono laetatur. Hic a beato Calocero, qui a [2]) Sapritio praefecto in civitate Astensi in carcere tenebatur, fidem Christi edoctus est. Cum igitur beatus Marcianus in Terdonensi civitate detineretur in carcere, Sapritius illuc proficisci voluit, ut eum faceret immolari, Secundus autem tanquam causa solatii secum est profectus, beatum Marcianum videre desiderans. Cum ergo extra civitatem Astensem fuissent, columba super Secundum descendens capiti ejus insedit, cui dixit Sapritius: vide, Secunde, quomodo Dii nostri te amant, ut etiam aves coelestes ad te visitandum transmittant. Cum autem ad [3]) Tanagrum fluvium pervenissent, vidit Secundus angelum domini super aquam ambulantem et sibi dicentem: Secunde, fidem habeas et sic super ydolorum cultores ambulabis. Cui Sapritius:

---

1) Ed. Pr. incubante offert. 2) Recent. Sambritius legunt. 3) Ed. Pr. legit: Thanagum.

frater Secunde Deos audio ad te loquentes. Cui Secundus: ambulemus ad desideria cordis nostri. Cum vero ad Burimam flumen pervenissent, angelus similiter ibidem sibi apparuit eique dixit: Secunde credis in Deum an forte tu dubitas? Cui Secundus: credo veritatem passionis ejus. Cui Sapritius: quid est quod audio? Cum ergo Terdonam ingrederetur, Marcianus ad praeceptum angeli de carcere exiens Secundo apparuit eique dixit: intra, Secunde, viam veritatis et perge, ut accipias palmam fidei. Sapritius dixit: quis est hic, qui nobis quasi somnians loquitur? Cui Secundus: tibi somnium, sed mihi admonitio et confortatio est. Post hoc Secundus Mediolanum ivit et Faustinam et Jonitam, qui in carcere detinebantur, angelus domini ad se extra civitatem adduxit et ab iis baptisma quadam nube aquam praebente suscepit. Et ecce subito columba de coelo venit et corpus et sanguinem domini deferens ea Faustino et Jonitae tribuit. Dedit autem Faustinus corpus et sanguinem domini Secundo, ut ad Marcianum deferret, rediens igitur Secundus, cum jam nox esset et ad ripam Padi venisset, angelus domini frenum accipiens equi super Padum ipsum transvexit et usque ad Terdonam perducens in carcerem ad Marcianum eum introduxit deditque Secundus Marciano munus Faustini et ipse illud sumens dixit: corpus et sanguis domini mecum sit in vitam aeternam. Tunc ad mandatum angeli Secundus de carcere exiit et ad suum hospitium ivit. Post hoc Marcianus capitalem sententiam accepit et Secundus corpus ejus rapiens sepelivit. Quod audiens Sapritius ipsum ad se vocavit eique dixit: quantum video, Christianum te esse profiteris. Cui Secundus: vere christianum profiteor me esse. Cui Sapritius: malam mortem desideras. Cui Secundus: illa tibi potius debetur. Cumque sacrificare nollet, jussit eum exspoliari, statimque angelus domini ibi adfuit et vestem sibi paravit. Tunc Sapritius eum in equuleum suspensum tamdiu torqueri fecit, donec ejus brachia a suis compaginibus solverentur. Sed cum fuisset sanitati a domino restitutus, jussit eum in carcerem reduci. Ubi dum esset, angelus domini ad eum venit eique dixit: surge Secunde, sequere me et ducam te ad creatorem tuum. Tunc ipsum usque in civitatem Astensem perduxit et eum in custodia, ubi erat Calocerus et salvator, eum posuit. Quem videns Secundus ad ejus pedes se projecit. Cui salvator: noli timere, Secunde, quia ego sum dominus Deus tuus, qui te de omnibus malis eripiam, benedicensque iis adscendit in coelum. Mane igitur Sapritius ad carcerem misit, qui carcerem

quidem signatum invenerunt, Secundum vero non invenerunt. Pergens autem Sapritius de Terdona ad civitatem Astensem, ut saltem Calocerum puniret, jussit ut praedictus Calocerus sibi praesentaretur, et ecce nuntiaverunt sibi, quod Secundus cum Calocero esset, quo audito eos ad se adduci fecit iisque dixit: quoniam Dii nostri sciunt vos esse contemtores suos, vos insimul mori volunt. Cum autem sacrificare nollent, picem cum resina[1]) liquari fecit et super eorum capita fundi et in os eorum jactari. Illi autem hoc tamquam aquam suavissimam cum magno desiderio bibebant et voce clara dicebant: quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine. Tunc Sapritius super eos dedit sententiam, ut Secundus in civitate Astensi decollaretur, Calocerus vero Albiganum mitteretur et ibidem puniretur. Cum autem beatus Secundus decollatus fuisset, ecce angeli domini corpus ejus tulerunt et ipsum cum multis laudibus et cantu sepulturae dederunt. Passus est autem III. cal. Apriles.

CAP. LVI. (54.)

De sancta Maria Aegyptiaca.

Maria Aegyptiaca, quae peccatrix appellatur, XLVII annis in eremo artissimam vitam duxit, quam circa annos domini CCLXX tempore Claudii intravit. Quidam autem abbas nomine Zosimas, dum[2]) Jordanem transiisset et eremum magnam percurreret, si forte aliquem sanctum patrem inveniret, vidit quendam[3]) ambulantem nudo nigroque corpore et ex incendio solis exusto. Hoc autem erat Maria Aegyptiaca statimque haec fugam arripuit et Zosimas post eam velocius currere coepit. Tunc ait illa: abbas Zosima, quid me persequeris? Ignosce mihi, non possum faciem meam ad te convertere, eo quod mulier sum et nuda, sed pallium tuum mihi porrige, ut possim sine verecundia te videre. Qui se nominari audiens stupefactus pallium tribuit et in terram prostratus, ut se benediceret, rogavit. Cui illa: ad te, pater, benedictio magis spectat, quem sacerdotii dignitas ornat. Ille ut audivit, quod nomen et

1) Recent. liquefieri offerunt. 2) Ed. Pr. male in Jordanem legit. 3) Illi: quandam et deinde: haec autem etc. offerunt, minus recte.

officium ejus sciret, amplius mirabatur et se benedici obnixius precabatur. Tunc illa: benedictus Deus redemtor animarum nostrarum. Cumque illa extensis manibus oraret, vidit eam quasi unius cubiti mensura elevari a terra. Tunc senex dubitare coepit, ne forte spiritus esset et fingendo orationem faceret. Cui illa: satisfaciat tibi Deus, qui me peccatricem mulierem immundum spiritum existimasti. Tunc Zosimas illam per dominum conjuravit, ut conditionem suam ei narrare deberet. Cui illa: ignosce mihi, pater, quia, si tibi statum meum narravero, velut a serpente territus fugies et aures tuae a sermonibus meis contaminabuntur et aër a sordibus polluetur. Cumque ille vehementer instaret, dixit: ego, frater, in Aegypto nata sum, XII aetatis meae anno Alexandriam veni ibique XVII annis publice libidini me subjeci et nulli ullatenus me negavi. Cum autem homines regionis illius pro adoranda sancta cruce Hierosolimam adscenderent, rogavi nautas, ut me secum mitterent proficisci. Cum vero me de naulo requirerent, dixi: non habeo, fratres, aliud naulum, sed pro naulo corpus habeatis meum, sicque sumserunt me et corpus meum nauli gratia habuerunt. Cum autem Hierosolimam pervenissem et pro adoranda cruce usque ad fores ecclesiae cum aliis devenissem, subito et invisibiliter repulsam patior nec intus intrare permittor. Iterum autem atque iterum perveni usque ad limen januae et subito injuriam patiebar repulsae. Cum tamen omnes liberum haberent aditum nec aliquod invenirent impedimentum, rediens igitur ad me et cogitans, quod hoc mihi ob scelerum meorum immanitatem accideret, pectus meum coepi manibus tundere, lacrymas amarissimas fundere et a cordis intimo graviter suspirare, respiciensque vidi ibi imaginem beatae virginis Mariae. Tunc ipsam lacrymabiliter exorare coepi, ut peccatorum meorum veniam impetraret et ad adorandam crucem sanctam me intrare permitteret, promittens me saeculo abrenuntiaturam et de caetero caste mansuram. Cumque hoc orassem et in nomine beatae virginis fiduciam recepissem, fores iterum ecclesiae adii et sine aliquo impedimento ecclesiam intravi. Cum autem sanctam crucem devotissime adorassem, quidam mihi tres nummos tribuit, de quibus tres panes emi, audivique vocem dicentem mihi: si Jordanem transieris, salva eris. Jordanem igitur transivi et in hoc desertum veni, ubi XLVII annis nullum penitus hominem videns mansi, illi autem tres panes, quos mecum detuli, instar lapidis per tempora duraverunt et XLVII annis mihi ex his comedendo suffecerunt,

vestimenta autem mea jamdudum putrefacta sunt, XVII [1]) annis in hoc deserto a tentationibus carnalibus molestata fui, sed nunc per Dei gratiam omnes vici: ecce omnia opera mea tibi narravi et rogo, ut pro me ad Deum preces fundas. Tunc senex ad terram prostratus in famula sua dominum benedixit. Cui illa: obsecro te, ut in die dominicae coenae ad Jordanem redeas et corpus dominicum tecum feras; ego ibidem tibi occurram et de manu tua corpus sacrum suscipiam, nam, a die, qua huc veni, communionem domini non accepi. Rediens igitur senex ad monasterium voluto anno, dum dies coenae appropinquaret, tulit corpus dominicum et usque ad ripam Jordanis veniens ex alia ripa mulierem stantem prospexit, quae super aquas facto crucis signaculo ivit et ad senem usque pervenit. Quam videns senex obstupuit et ad pedes ejus humiliter se prostravit. Cui illa: vide, ne feceris, cum sacramenta dominica penes te habeas et sacerdotii dignitate refulgeas, sed obsecro, ut sequenti anno ad me, pater, redire digneris. Tunc illa facto signo crucis super Jordanis aquas ivit et eremi solitudinem petivit. Senex vero ad suum monasterium rediens sequenti anno ad locum, in quo primum secum locutus fuerat, venit et eam ibidem exspirasse reperit. Qui lacrymari coepit et ipsam tangere non praesumsit, dixitque intra se: ego quidem corpusculum sanctae sepelire volebam, sed timeo, ne hoc sibi displiceat. Hoc eo cogitante vidit juxta caput suum litteras in terra descriptas ita continentes: sepeli, Zosima, Mariae corpusculum, redde terrae pulverem suum et ora pro me ad dominum, ad cujus praeceptum secundo die Aprilis reliqui hoc saeculum. Tunc senex pro certo cognovit, quod mox, ut domini sacramentum accepit et ad desertum rediit, vitam finivit illudque desertum, quod Zosimas per XXX dierum spatium vix ambulavit, illa in una hora percurrit et ad Deum migravit. Cumque senex terram foderet, sed nequiret, vidit leonem ad se venientem mansuete, dixitque illi: sancta huc mulier praecepit sepeliri corpus suum et ego, cum sim senex, fodere non possum nec etiam habeo [2]) ferramentum, tu ergo terram fode, ut possimus ejus corpus sanctissimum sepelire. Tunc leo coepit fodere et aptam foveam praeparavit, quo peracto leo ut agnus mansuetus abiit et senex ad suum monasterium glorificans Deum venit.

---

1) Recent. addunt primis. 2) Ed. Pr. male: firmamentum.

CAP. LVII. (55.).
De sancto Ambrosio.

Ambrosius dicitur de ambra, quae est species valde redolens et pretiosa. Iste enim ecclesiae valde pretiosus exstitit et in dictis et in factis suis valde redoluit. Vel dicitur Ambrosius ab ambra et syos, quod est Deus, quasi ambra Dei. Deus enim per eum quasi per ambram ubique redolet. Fuit enim et est bonus odor Christi in omni loco. Vel dicitur ab ambor, quod est pater luminis, et sior, quod est parvulus: quia pater in multorum filiorum spirituali generatione, luminosus in sacrae scripturae expositione et parvulus in sua humili conversatione. Vel sicut dicitur in Glossario: ambrosia, esca angelorum, ambrosium coeleste mellis favum. Fuit enim coelestis odor per odoriferam famam, sapor per contemplationem intimam, coeleste mellis favum per dulcem scripturarum expositionem, esca angelica per gloriosam fruitionem. Ejus vitam scripsit Paulinus Nolanus episcopus ad Augustinum.

1. Ambrosius, filius Ambrosii praefecti Romae, cum in cunabulis in atrio praetorii esset positus et dormiret, examen apum subito veniens faciem ejus et os ita complevit, ut quasi in alveolum suum intrarent pariter et exirent. Quae postea evolantes in tantam aëris altitudinem sublevatae sunt, ut humanis oculis minime viderentur. Quo peracto territus pater ait: si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Postea cum adolevisset et videret matrem et sororem, sacram virginem, manus sacerdotibus osculari, ipse ludens sorori dextram offerebat asserens, et sibi id ab ea fieri oportere. Illa vero, ut adolescentem et nescientem, quid diceret, respuebat. Romae igitur litteris eruditus cum causas praetorii splendide peroraret, a Valentiniano imperatore ad regendam Liguriam Emiliamque provinciam directus est, cumque Mediolanum venisset et ibidem episcopus tunc deesset, convenit populus, ut sibi de episcopo provideret. Sed cum inter Arianos et catholicos de eligendo episcopo seditio non modica oriretur, illuc Ambrosius causa sedandae seditionis perrexit et statim vox infantis insonuit dicens Ambrosium episcopum, cujus voci omnes unanimiter consenserunt Ambrosium episcopum acclamantes. Quo ille

cognito, ut eos a se terroribus removeret, ecclesiam exiens tribunal conscendit et contra consuetudinem suam tormenta personis adhiberi jussit. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: peccatum tuum super nos. Tunc ille turbatus domum rediit et philosophiam profiteri voluit. Quod ut ne faceret, revocatus est. Publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ut his visis ab ejus electione populum revocaret, sed cum nec sic proficeret, sed semper populum peccatum tuum super nos acclamare videret, fugam media nocte concepit, cumque Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, quae Romana dicitur, invenitur. Qui inventus cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem Valentinianum, qui summo gaudio accepit, quod judices a se directi ad sacerdotium peterentur. Laetabatur enim probus praefectus, quod verbum suum fuerat in eo adimpletum; dixerat enim, cum proficiscenti mandata donaret: vade, age, non ut judex, sed ut episcopus. Pendente relatione iterum absconditur, sed inventus cum adhuc esset catechumenus, baptizatur et VIII die in episcopalem cathedram sublimatur. Cum autem post annos IV Romam ivisset et soror sua, sacra virgo, ejus dextram oscularetur, sibi ridens ait: ecce, ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis. — — 2. Cum autem in quandam civitatem pro quodam episcopo ordinando ivisset et ejus electioni Justina imperatrix et alii haeretici contradicerent, volentes ut aliquis de sua secta ordinaretur, una de Arianorum virginibus impudentior caeteris tribunal conscendit et beatum Ambrosium per vestimentum apprehendit volens ipsum ad partem mulierum trahere, ut ab iis caesus de ecclesia cum injuria pelleretur. Cui Ambrosius ait: etsi ego indignus tanto sacerdotio, tibi tamen non convenit in qualemcunque sacerdotem manus injicere, unde timere debuisti judicium Dei, ne tibi aliquid contingat. Quod dictum exitus confirmavit. Nam die alio mortuam ad sepulchrum usque deduxit gratiam pro contumelia rependens. Quod factum omnes perterruit. Post hoc Mediolanum reversus innumeras insidias a Justina imperatrice pertulit, muneribus et honoribus adversus eum populum excitante. Cum ergo multi eum in exsilium pellere niterentur, unus eorum caeteris infelicior in tantum furorem excitatus est, ut juxta ecclesiam domum sibi locaret ac in ea quadrigam paratam haberet, quo procurante Justina facilius raptum ad exsilium deportaret. Sed Dei judicio ipso die, quo eum rapere arbitrabatur, in eadem quadriga

de eadem domo in exsilium pulsus est. Cui tamen Ambrosius reddens bona pro malis, sumptus et necessaria ministravit. Cantus et officium in ecclesia Mediolanensi celebrari instituit. Erant et tunc temporis Mediolani multi a daemonibus obsessi, qui se torqueri ab Ambrosio magnis vocibus clamabant, Justina autem et multi Arianorum, cum simul habitarent, dicebant Ambrosium pecunia homines comparare, qui se ab immundis spiritibus vexari mentirentur et ab Ambrosio dicerent se torqueri. Tunc subito unus ex illis Arianis, qui adstabant, arreptus a daemonio in medium prosiluit atque clamare coepit: utinam sic torqueantur, ut torqueor, qui non credunt Ambrosio! At illi confusi in piscinam demersum hominem necaverunt. Quidam haereticus acerrimus disputator et durus et inconvertibilis ad fidem cum audiret Ambrosium praedicantem, vidit angelum ad aures ejus loquentem verba, quae populo praedicabat. Quo viso fidem, quam persequebatur, coepit defendere. — — 3. Quidam aruspex daemones advocabat et ipsos ad nocendum Ambrosio transmittebat, sed reversi daemones renuntiabant, quod non solum ad ipsum, sed nec etiam ad fores domus suae appropinquare valebant, quoniam ignis insuperabilis omne illud adificium communiret, ut etiam longe positi urerentur. Praedictus vero aruspex cum a judice propter quaedam maleficia torqueretur, clamabat amplius ab Ambrosio se torqueri. Quendam daemoniacum Mediolanum ingredientem daemon dimisit, egredientem invasit: interrogatus de hoc daemon ait, Ambrosium se timere. Alius quidam nocte ejus cubiculum adiit, ut gladio ipsum necaret, prece ac pretio a Justina inductus, sed cum dextra gladium elevasset, ut ipsum percuteret, continuo aruit manus ejus. Cum viri Thessalonicae civitatis imperatori aliquid deliquissent, et iis imperator precibus beati Ambrosii indulsisset, clam agente curialium malitia, per jussum imperatoris nesciente Ambrosio plurimi sunt occisi. Quod ut Ambrosius comperit, imperatori copiam intrandi ecclesiam denegavit. Cui cum imperator diceret, quod David adulterium et homicidium commisisset, respondit: qui secutus es errantem, sequere corrigentem. Quod cum audiisset clementissimus imperator, ita gratanter cepit, quod puram poenitentiam agere non negavit. [1]) Quidam a daemonio arreptus clamare coepit, ab

1) Historiola antecedens inde a verbis: Cum viri — negavit deest in Ed. Princ.

Ambrosio se torqueri. Cui Ambrosius: obmutesce, dyabole, quia non te torquet Ambrosius, sed tua invidia, quia illuc homines adscendere conspicis, unde tu turpiter corruisti, nam Ambrosius nescit inflari. At ille statim obmutuit. — — 4. Quadam vice cum beatus Ambrosius per civitatem pergeret, quidam casu lapsus est et in terra postratus jacebat, quod videns alter ridere coepit. Cui Ambrosius: et tu, qui stas, vide ne cadas; quo dicto statim lapsum doluit suum, qui riserat alienum. Quadam etiam vice Ambrosius ad palatium Macedonii, magistri officiorum, ut pro quodam intercederet, venit, sed cum fores clausas invenisset nec intrandi copiam habere potuisset, ait: et tu quidem venies ad ecclesiam et non clausis januis ingredi, sed apertis januis non valebis. Elapso aliquo tempore metuens inimicos Macedonius ad ecclesiam fugit et patentibus januis aditum reperire non potuit. Fuit etiam tantae abstinentiae, quod quotidie nisi in sabbato et die dominico et festis praecipuis jejunabat. Tantae etiam largitatis erat, quod omnia, quae habere poterat, ecclesiis et pauperibus nil sibi retinens tribuebat. Tantae compassionis, ut, cum aliquis lapsum suum sibi confitebatur, sic amarissime flebat, quod illum similiter flere compellebat. Tantae humilitatis ac laboris, ut libros, quos dictabat, propria manu scribebat, nisi cum infirmitate corporis gravaretur. Tantae autem pietatis et dulcedinis, ut, cum alicujus sancti sacerdotis vel episcopi sibi obitus nuntiaretur, sic amarissime flebat, ut vix consolari valeret. Cum antem interrogaretur, cur viros sanctos, qui ad gloriam proficiscebantur, sic fleret, ajebat: ne putetis me flere, quod recesserint, sed quia me praecesserunt et quia difficile invenitur, qui tam dignus ejus officii habeatur. Tantae etiam constantiae et fortitudinis, quod imperatoris vel principum vitia non palpabat, sed eos voce libera constantissime arguebat. Cum quidam vir quoddam flagitium perpetrasset et coram eo adductus fuisset, dixit Ambrosius: oportet illum tradi Sathanae in interitum carnis, ne talia deinceps audeat perpetrare. Quem eodem momento, cum adhuc sermo esset, more ejus immundus spiritus discerpere coepit [1]). —— 5. Quadam vice, ut ajunt, cum beatus Ambrosius Romam pergeret et in quadam villa Tusciae apud quendam hominem nimium locupletem hospitatus fuisset, illum hominem super statu suo sollicite requisivit. Cui ille respondit:

1) Verba: Cum quidam vir — coepit omittit Ed. Pr.

status meus, domine, semper felix exstitit et gloriosus. Ecce enim divitiis infinitis abundo, servos et famulos quam plures habeo et omnia semper ad vota habui nec unquam mihi aliquid adversum accidit vel, quod contristaret, evenit. Quod audiens Ambrosius vehementer obstupuit et his, qui erant secum in comitatu, dixit: surgite et hinc quantocius fugiamus, quia dominus non est in loco isto. Festinate, filii, festinate nec in fugiendo moram facite, ne nos hic divina ultio apprehendat et in peccatis illorum pariter nos involvat. Cum ergo fugerent et aliquantulum processissent, subito se terra aperuit et hominem illum cum universis, qui ad illum pertinebant, ita absorbuit, ut nullum inde vestigium remaneret. Quod cernens Ambrosius dixit: ecce fratres, quam misericorditer Deus parcit, cum hic adversa tribuit, et quam severe irascitur, cum semper prospera elargitur. In eodem autem loco fovea quaedam profundissima remansisse dicitur, quae usque hodie in hujus facti testimonium perseverat. — — 6. Cum autem Ambrosius radicem omnium malorum avaritiam magis ac magis in hominibus crescere cerneret et maxime in his, qui erant in potestatibus constituti, apud quos omnia pretio vendebantur, nec non et in his, qui erant sacris ministeriis deputati, vehementer ingemuit et se de hujus saeculi aerumna liberari instantius exoravit. Qui cum se id obtinuisse gauderet, revelavit fratribus, quod usque ad resurrectionem dominicam secum esset. Ante vero paucos dies quam lectulo detineretur, cum XLIIII psalmum cum notario dictaret, subito ipsi vidente notario in modum scuti brevis ignis caput ejus operuit atque paulatim per os ejus, tanquam in domum habitator, intravit. Tunc facies tanquam nix effecta est, sed postmodum ad suam speciem reversa est. Ipso igitur die scribendi et dictandi finem fecit nec ipsum psalmum explere potuit, post igitur paucos dies infirmitate corporis laborare coepit. Tunc comes Italiae cum Mediolani esset, nobiles convocavit dicens, quod tanto viro recedente periculum esset, ne Italiae interitus immineret, rogavitque ut ad virum Dei accederent rogantes, ut sibi adhuc spatium vivendi uno anno a domino impetraret. Quod ille ut ab illis audivit, respondit: non ita inter vos vixi, ut me vivere pudeat, nec mori timeo, cum bonum dominum habeamus. Eo tempore quatuor ejus dyaconi invicem convenerunt tractantes inter se, quis post ejus obitum bonus esset. Cum ergo a loco, in quo vir Dei Ambrosius jacebat, longe essent et Simplicianum ita silenter nominassent, ut vix invicem se audi-

rent, ille ab iis longe positus tertio exclamavit: senex, sed bonus. Quod audientes territi fugerunt et nonnisi illum post ejus obitum elegerunt, in loco autem, in quo jacebat, vidit Jesum ad se venientem et sibi vultu alacri arridentem. Honoratus vero episcopus Vercellensis, qui beati Ambrosii obitum exspectabat, cum se sopori dedisset, vocem tertio se clamantis audivit: surge, quia mox est recessurus. Qui consurgens Mediolanum concitus venit et ei dominici corporis sacramentum dedit moxque ille manus in modum crucis expandit et ultimum spiritum inter verba oris efflavit. Floruit circa annos domini CCCLXXIX. Cum autem in nocte paschae corpus ejus ad ecclesiam fuisset delatum, plurimi infantes baptizati eum viderunt, ita ut aliqui eum sedentem in cathedra tribunali dicerent, alii adscendentem digito suis parentibus demonstrarent, nonnulli vero stellam super corpus ejus se videre narrarent. Quidam presbiter cum in convivio cum multis aliis esset et sancto Ambrosio detrahere coepisset, [1]) eum continuo plaga perculit et de convivio ad lectum ductus vitam finivit. In urbe Carthaginiensi cum tres episcopi simul convivarent et unus eorum beato Ambrosio detraxisset, relatum est, quid illi presbitero, qui sibi detraxerat, accidisset. Quod cum ille vilipenderet, subito letale vulnus accepit et extremum continuo diem clausit. — — —

7. Notandum, quod beatus Ambrosius in multis commendabilis fuisse videtur, primo in liberalitate, quia omnia, quae habebat, pauperum erant, unde refert de se ipso, quod imperatori petenti basilicam sic respondit et est in decreto XXIII qu. VIII: convenior etc., si a me peteret, quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum et hujusmodi meum, non refragarer, quamquam omnia, quae mea sunt, pauperum sunt. Secundo in munditiae puritate; fuit enim virgo. Unde refert Hieronymus eum dixisse: virginitatem non solum efferimus, sed etiam servamus. Tertio in fidei firmitate, unde dixit, cum imperator peteret basilicam, et est in eodem capitulo: prius est, ut animam mihi quam sedem auferat. Quarto in martirii aviditate, unde legitur in epistola sua de basilica non tradenda, quod praepositus Valentiniani Ambrosio mandavit dicens: tu contemnis Valentinianum, caput tibi tollo. Cui Ambrosius: Deus permittat tibi, ut facias, quod minaris, atque utinam Deus avertat

1) Ed. Pr. brevius: eo continuo ad lectum ducto.

eos ab ecclesia, in me omnia tela sua convertant et meo sanguine sitim suam expleant. Quinto in orationis instantia, unde dicitur de eo et habetur in libro XI hystoriae ecclesiasticae: Ambrosius adversum reginae furorem non se manu defensabat aut telo, sed jejuniis et continuatis vigiliis, sub altari positus per obsecrationes defensorem sibi atque ecclesiae Deum parabat. Sexto in lacrymarum abundantia, habuit enim tria genera lacrymarum, scilicet lacrymas compassionis pro aliorum culpis, unde dicit Paulinus de eo in legenda, quod, cum aliquis lapsum sibi confitebatur, sic amarissime flebat, quod illum similiter flere compellebat; lacrymas devotionis pro aeternis desideriis, unde supra dictum est a Paulino, quod, cum interrogabatur, cur sanctos, qui moriebantur, sic fleret, respondit: ne me putetis flere, quod recesserint, sèd quia me ad gloriam praecesserunt; lacrymas compassionis pro aliorum injuriis, unde ipse dicit de se et est in decreto in superiori capite: adversus milites Gothos lacrymae meae arma sunt mea, satis enim munimenta sacerdotis sunt, aliter nec debeo nec possum resistere. — — — 8. Septimo in forti constantia; cujus constantia maxime in tribus apparet, primo in defensione catholicae veritatis, unde dicitur in libro XI ecclesiasticae hystoriae, quod Justina mater Valentiniani imperatoris Arianae haereseos alumna coepit conturbare ecclesiarum statum, comminari sacerdotibus depulsiones et exsilia, nisi Ariminensis concilii decreta revocarent, quo bello ecclesiae murum ac turrim validissimum pulsabat Ambrosium. In ejus quoque praefatione sic de eo cantatur: tanta Ambrosium virtute solidasti, constantiae tanto munere coelitus decorasti, ut per eum exclusa torquerentur, daemonia Arianorum impietas propulsa tabesceret ac secularium principum colla tuo jugo subacta redderentur humilia. Secundo in tuitione ecclesiasticae libertatis, unde cum imperator auferre vellet quandam basilicam, opposuit se Ambrosius contra imperatorem, sicut ipse testatur et est in decreto XXIII, quaest. VI: convenior ipse a comitibus, ut per me basilicae fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jussisse, jure suo tradi debere, respondi: si patrimonium petit, invadite, si corpus, occurram, vultis in vincula, imponite, vultis in mortem, voluntatis est mihi. Non ego me vallabo confusione populorum nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor, mandatur tradere basilicam, urgemur igitur praeceptis regalibus,

sed [1]) confirmamur scripturae sermonibus. Qui respondit: tanquam una ex insipientibus locuta es, noli gravare te, imperator, ut putes, te in ea, quae divina sunt, jus habere, ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotes ecclesiae. Sanctus Naboth vineam suam proprio cruore defendit: si ille vineam suam non reddidit, nos trademus Christi ecclesiam? Tributum Caesari est, non negetur, ecclesia Dei est, Caesari utique non donetur. Si de me aliquid compellaretur aut posceretur, fundus aut domus aut aurum aut argentum, id quod juris mei esset, libenter offerrem, templo Dei nihil possum decerpere nec detrahere, cum illud custodiendum, non decerpendum acceperim. Tertio in objurgatione vitii et omnis iniquitatis; unde legitur in hystoria tripartita in quadam chronica, quod cum apud Thessalonicam orta seditione quidam judices fuissent a populo lapidati, Theodosius imperator indignatus jussit omnes interimi, nocentes ab innocentibus non secernens, ubi fere quinque millia hominum sunt occisa. Cum igitur imperator Mediolanum venisset et ecclesiam intrare vellet, occurrit ei Ambrosius ad januam eique aditum prohibuit dicens: cur, imperator, post causam tanti furoris non agnoscis molem tuae praesumtionis, sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii? decet te, ut vincat ratio potestatem, princeps es [2]), o imperator, sed conservorum. Quibus ergo oculis adspicies communis domini templum, quibus pedibus calcabis sanctum pavimentum, quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat injustus, qua praesumtione ore tuo poculum sanguinis ejus percipies, dum furore tuorum sermonum tantus injuste sit sanguis effusus. Recede ergo, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas; suscipe vinculum, quo te dominus nunc ligavit, est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus imperator obediens gemens et flens ad regalia remeavit. Cum ergo diu in fletu mansisset, Rufinus magister militum causam tantae tristitiae inquisivit. Cui ille: tu, inquit, mea mala non sentis, quia servis et mendicantibus aperta sunt templa, mihi vero ad ea ingressus non est. Et haec dicens singula verba singultibus interrumpebat. Cui Rufinus: curro, si vis, ad Ambrosium, ut tibi solvat vinculum, quo te ligavit. Et ille: non poteris suadere Ambrosio, quia non verebitur imperialem potestatem, ut legem possit praevaricari divinam. Sed cum ille

1) Ed. Pr. male confluamur. 2) Ed. Pr. legit princeps es imperatorum.

promitteret, quod eum flecteret, eum imperator ire praecepit, et ipse post paululum est secutus. Mox autem ut Ambrosius Rufinum vidit, ait: impudentiam canum imitatus es, o Rufine, tantae videlicet necis auctor exsistens et nec pudorem ex fronte detergens non erubescis contra majestatem latrare divinam. Cumque Rufinus pro imperatore supplicasset et diceret eum sequi, superno zelo accensus Ambrosius ait: ego tibi praedico, quoniam ingredi eum sacra limina prohibeo, si vero potestatem in tyrannidem mutaverit, necem libenter suscipio. Quod cum Rufinus imperatori nuntiasset: pergam, inquit, ad eum, ut justas in faciem contumelias recipiam. Cum ergo venisset et sua solvi vincula postulasset, occurrens Ambrosius et ingressum prohibens ait: quam poenitentiam ostendisti post tantas iniquitates? Et ille: tuum est imponere, meum obtemperare. Verum cum imperator allegaret, quod et David adulterium et homicidium commisisset, ait Ambrosius: qui secutus es errantem, sequere corrigentem. Quod ita gratanter imperator suscepit, quod publicam poenitentiam agere non recusavit. Cum igitur reconciliatus ecclesiam intrasset et intra cancellos staret, requirit Ambrosius, quid ibi exspectaret. Cui cum diceret, se perceptionem sacrorum [1]) ministeriorum exspectare, ait Ambrosius: o imperator interiora loca tantum sacerdotibus sunt [2]) collocata, egredere igitur et hanc exspectationem cum caeteris communem habe, purpura namque imperatores facit non sacerdotes. Cui imperator protinus obedivit. Cum ergo Constantinopolin reversus extra cancellos staret, mandavit eidem episcopus, ut intraret, et ille ait: vix discere potui, quod differentia sit imperatoris et sacerdotis, vix enim veritatis inveni magistrum, Ambrosium namque solum novi vocari pontificem. — — — 9. Octavo insana doctrina, ejus namque doctrina habet altam profunditatem. Hieronymus de XII doctoribus: Ambrosius super profundorum [3]) pinna raptus et aëris volucer quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto capere videtur; firmam soliditatem, Hieronymus ibidem: ejus omnes sententiae fidei et ecclesiae et omnium virtutum firmae sunt columnae; elegantem venustatem, Augustinus in libro de nuptiis et contractibus: Pelagius haeresiarcha sic laudat Ambrosium, ut dicat: beatus Ambrosius episcopus, in cujus praecipue libris romana lu-

---

1) Ed. Rec. fortasse rectius mysteriorum praebent. 2) Edit. Recent. collata offerunt, deinde vero Ed. Pr. loco vocis communem, quod recepi, communionem, legit. 3) Ed. Pr. male penna.

cet fides, qui scriptores inter latinos flos quidam emicuit. Et subdit Augustinus: cujus fidem et purissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere. Magnam auctoritatem, quia antiqui scriptores sicut Augustinus verba sua pro magna auctoritate habebant. Unde refert Augustinus ad Januarium, quod, cum mater ejus mirata fuisset, cur Mediolani sabbato non jejunaretur, et de hoc Augustinus Ambrosium interrogasset, ait Ambrosius: cum venio Romam, jejuno sabbato. Sic et tu, ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non inde vis scandalum esse nec quemquam tibi. Et subdit Augustinus: ego de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam coelesti oraculo acceperim.

Vita et passio Tiburcii et Valeriani in passione sanctae Caeciliae continetur.

CAP. LVIII. (56.)

De sancto Georgio.

Georgius dicitur a geos, quod est terra, et orge, quod est colere, quasi colens terram, id est carnem suam. Augustinus autem in libro de trinitate, quod bona terra est altitudine montium, temperamento collium, planitie corporum. Prima enim est bona ad virentes herbas, secunda ad vineas, tertia ad fruges. Sic beatus Georgius fuit altus despiciendo inferiora et ideo habuit virorem puritatis, temperatus per discretionem et ideo habuit vinum [1]) aeternae jucunditatis, planus per humilitatem et ideo protulit fruges bonae operationis. Vel dicitur a gerar, quod est sacrum, et gyon, quod est arena, quasi sacra arena. Fuit enim arena, quia ponderosus morum gravitate, minutus humilitate, et siccus a carnali voluptate. Vel dicitur a gerar, quod est sacrum, et gyon, quod est luctatio, quasi sacer luctator, quia luctatus est cum dracone et carnifice; vel Georgius dicitur a gero, quod est peregrinus, et gir praecisio et ys consiliator. Ipse enim fuit peregrinus in contemtu mundi, praecisus in corona martyrii et consiliator in prae-

1) Alii legunt: internae.

dicatione regni. Ejus legenda inter scripturas apocryphas in Nicaeno concilio connumeratur ex eo, quod ejus martirium certam relationem non habet. Nam in calendario Bedae legitur, quod sit passus in Persica civitate Dyaspoli, quae prius Lidda vocabatur, et est juxta Joppen. Alibi, quod passus sit sub Dyocletiano et Maximiniano imperatoribus; alibi quod sub Dyocletiano imperatore Persarum praesentibus LXXX regibus imperii sui. Hic [1]), quod sub Daciano praeside imperantibus Dyocletiano et Maximiniano.

Georgius tribunus genere Cappadocum pervenit quadam vice in provinciam Libyae in civitatem, quae dicitur Silena. Juxta quam civitatem erat stagnum instar maris, in quo draco pestifer latitabat, qui saepe populum contra se armatum in fugam converterat flatuque suo ad muros civitatis accedens omnes inficiebat. Quapropter compulsi cives duas oves quotidie sibi dabant, ut ejus furorem sedarent, alioquin sic muros civitatis invadebat et aërem inficiebat, quod plurimi interibant. Cum ergo jam oves paene deficerent, maxime cum harum copiam habere non possent, inito consilio ovem cum adjuncto homine tribuebant. Cum igitur sorte omnium filii et filiae hominum darentur et sors neminem exciperet, et jam paene omnes filii et filiae essent consumti, quadam vice filia regis unica sorte est deprehensa et draconi adjudicata. Tunc rex contristatus ait: tollite aurum et argentum et dimidium regni mei et filiam mihi dimittite, ne taliter moriatur. Cui populus cum furore respondit: tu, o rex, hoc edictum fecisti et nunc omnes pueri nostri mortui sunt et tu vis filiam tuam salvare? nisi in filia tua compleveris, quod in aliis ordinasti, succendemus te et domum tuum. Quod rex [2]) videns coepit filiam suam flere dicens: heu me, filia mea dulcissima, quid de te faciam? aut quid dicam? quando plus videbo nuptias tuas? Et conversus ad populum dixit: oro, ut inducias octo dierum lugendi mihi filiam tribuatis. Quod cum populus admisisset, in fine octo dierum reversus populus est cum furore dicens: quare perdis populum tuum propter filiam tuam? En omnes afflatu draconis morimur. Tunc rex videns, quod non posset filiam liberare, induit eam vestibus regalibus et amplexatus eam cum lacrymis dixit: heu me, filia mea dulcissima, de te filios in regali gremio nutrire credebam et nunc vadis, ut a dracone devo-

1) Recent. intrudunt: dicitur, deinde vero recte Daciano scribunt, ubi antiquiores libri male ex sequentibus repetunt Dyocletiano. 2) Alii fortasse ex glossa: audiens.

reris. Heu me, filia mea dulcissima, sperabam ad tuas nuptias principes invitare, palatium margaritis ornare, tympana et organa audire, et nunc vadis, ut a dracone devoreris. Et deosculans dimisit eam dicens: utinam, filia mea, ego ante te mortuus essem, quam te sic amisissem! Tunc illa procidit ad pedes patris petens ab eo benedictionem suam: quam cum pater cum lacrymis benedixisset, ad lacum processit. Quam beatus Georgius casu inde transiens ut plorantem vidit, eam, quid haberet, interrogavit. Et illa: bone juvenis velociter equum adscende et fuge, ne mecum pariter moriaris. Cui Georgius: noli timere, filia, sed dic mihi, quid hic praestolaris omni plebe spectante? Et illa: ut video, bone juvenis, magnifici cordis es tu, sed mecum mori desideras? fuge velociter. Cui Georgius: hinc ego non discedam, donec mihi, quid habeas, intimabis. Cum ergo totum sibi exposuisset, ait Gregorius: filia, noli timere, quia in Christi nomine te juvabo. Et illa: bone miles, [1]) sed te ipsum salvare festines, mecum non pereas! sufficit enim, si sola peream, nam me liberare non posses et tu mecum perires. Dum haec loquerentur, ecce draco veniens caput de lacu levavit. Tunc puella tremefacta dixit: fuge, bone domine, fuge velociter. Tunc Georgius equum ascendens et cruce se muniens draconem contra se advenientem audaciter aggreditur et lanceam fortiter vibrans et se Deo commendans ipsum graviter vulneravit et ad terram dejecit dixitque puellae: projice zonam tuam in collum draconis nihil dubitans, filia. Quod cum fecisset, sequebatur eam velut mansuetissima canis. Cum ergo eum in civitatem duceret, populi hoc videntes per montes et colles fugere coeperunt dicentes: vae nobis, quia jam omnes peribimus Tunc beatus Georgius innuit iis dicens: nolite timere, ad hoc enim me misit dominus ad vos, ut a poenis vos liberarem draconis; tantummodo in Christum credite et unusquisque vestrum baptizetur et draconem istum occidam. Tunc rex et omnes populi baptizati sunt. beatus autem Georgius evaginato gladio draconem occidit et ipsum extra civitatem efferri praecepit. Tunc quatuor paria boum ipsum in magnum campum foras duxerunt, baptisati autem sunt in illa die XX millia exceptis parvulis et mulieribus, rex autem in honorem beatae Mariae et beati Georgii ecclesiam mirae magnitudinis construxit, de cujus altari fons vivus emanat, cujus potus omnes lan-

1) Verba sed — festinet desunt in Ed. Pr.

guidos sanat, rex vero infinitam pecuniam beato Georgio obtulit, quam ille recipere nolens pauperibus eam dari praecepit. Tunc Georgius regem de quatuor breviter instruxit, scilicet ut ecclesiarum Dei curam haberet, sacerdotes honoraret, divinum officium diligenter audiret et semper pauperum memor esset, et osculato rege inde recessit. In aliquibus tamen libris legitur, quod, dum draco ad devorandam puellam pergeret, Georgius se cruce munivit et draconem aggrediens interfecit. Eo tempore imperantibus Dyocletiano et Maximiano sub praeside Daciano tanta persecutio christianorum fuit, ut infra unum mensem XVII millia martirio coronarentur, unde inter tot tormentorum genera multi christiani deficiebant et ydolis immolabant. Quod videns sanctus Georgius tactus dolore cordis intrinsecus omnia, quae habebat, dispersit, militarem habitum abjecit, christianorum habitum induit et in medium prosiliens exclamavit: omnes Dii gentium daemonia! dominus autem caelos fecit. Cui praeses iratus dixit: qua praesumtione audes Deos nostros daemonia appellare? Dic, unde es tu aut quo nomine voceris? Cui Georgius ait: Georgius vocor, ex nobili Cappadocium prosapia ortus Palaestinam Christo favente devici, sed omnia deserui, ut servire possem liberius Deo coeli. Cum autem praeses eum ad se inclinare non posset, jussit eum in equuleum levari et membratim corpus ejus ungulis laniari, appositis insuper ad latera facibus patentibus viscerum rimis sale plagas ejus fricari jussit. Eadem nocte dominus cum ingenti lumine ei apparuit et ipsum dulciter confortavit, cujus mellifiua visione et allocutione sic confortatus est, ut pro nihilo duceret cruciatus. Videns Dacianus, quod eum poenis superare non posset, quendam magum accersivit eique dixit: Christiani suis magicis artibus tormenta ludificant et Deorum nostrorum sacrificia parvi pendunt. Cui magus: si artes ejus superare nequivero, capitis reus ero. Ipse igitur maleficiis suis injectis et Deorum suorum nominibus invocatis venenum vino immiscuit et sancto Georgio sumendum porrexit, contra quod vir Dei signum crucis edidit haustoque eo nil laesionis sensit. Rursum magus priore fortius venenum immiscuit, quod vir Dei signo crucis edito sine laesione aliqua totum bibit. Quo viso magus statim ad pedes ejus cecidit, veniam lamentabiliter petiit et se christianum fieri postulavit, quem mox judex decollari fecit. Sequenti die jussit Georgium poni in rota, gladiis bis acutis undique circumsepta, sed statim frangitur et Georgius illaesus penitus invenitur. Tunc iratus jussit eum in sar-

taginem plumbo liquefacto plenam projici, qui facto signo crucis in eam intravit, sed virtute Dei coepit in ea quasi in balneo refoveri. Quod videns Dacianus cogitavit eum emollire blanditiis, quem minis superare non poterat vel tormentis, dixitque illi: vides, fili Georgi, quantae mansuetudinis sunt Dii nostri, qui te blasphemum tam patienter sustinent, parati nihilominus, si converti volueris, indulgere. Age ergo, dilectissime fili, quod hortor, ut superstitione relicta Diis nostris sacrifices, ut magnos ab ipsis et a nobis consequaris honores. Cui Georgius subridens ait: [1])ad quid a principio non magis mihi persuasisti blandis sermonibus quam tormentis? ecce paratus sum facere, quod hortaris. Hac Dacianus permissione delusus laetus efficitur jussitque sub voce praeconis, ut omnes ad se convenirent et Georgium tamdiu reluctantem tandem cedere et sacrificare viderent. Ornata igitur tota civitate prae gaudio cum Georgius ydolorum templum sacrificaturus intraret et omnes ibidem gaudentes adstarent, flexis genibus dominum exoravit, ut templum cum ydolis sic omnino destrueret, quatenus ad sui laudem et populi conversionem nihil de eo penitus remaneret, statimque ignis de coelo descendens templum cum Diis et sacerdotibus concremavit terraque se aperiens omnes eorum reliquias deglutivit. Hic exclamat Ambrosius in praefatione dicens: Georgius fidelissimus miles Christi, dum christianitatis professio silentio tegeretur, solus inter christicolas intrepidus Dei filium est confessus. Cui et tantam constantiam gratia divina concessit, ut et tyrannicae potestatis praecepta contemneret et innumerabilium non formidaret tormenta poenarum. O felix et inclitus domini proeliator! Quem non solum temporalis regni blanda non persuasit promissio, sed persecutore deluso simulacrorum ejus portenta in abyssum dejecit. Haec Ambrosius. Hoc audiens Dacianus Georgium ad se adduci fecit eique dixit: quae [2])malitia tua, pessime hominum, quod tantum facinus commisisti? Cui Georgius: ne credas, rex, sic esse, sed mecum perge et iterum me immolare vide. Cui ille: intelligo fraudem tuam, quia vis me facere absorberi, sicut templum et Deos meos absorberi fecisti. Cui Georgius: dic mihi miser, Dii tui, qui se juvare non potuerunt, quomodo te juvabunt? Iratus rex nimis dixit Alexandriae uxori suae: deficiens moriar, quia ab hoc homine me superatum cerno. Cui illa: tyranne crudelis et car-

---

1) Vulgo: ut quid. 2) Recent legunt: sunt maleficia.

nifex, numquid non dixi tibi, ne saepius christianis molestus esses, quia Deus eorum pro ipsis pugnaret, et nunc scias, me velle fieri christianam. Stupefactus rex ait: heu proh dolor! numquid et tu es seducta? Fecitque eam per capillos suspendi et flagellis durissime caedi. Quae dum caederetur, dixit Georgio: Georgi lumen veritatis, quo, putes, perveniam nondum aqua baptismi renata? Cui Georgius: nihil haesites, filia, quia sanguinis tui effusio baptismus tibi reputabitur et corona. Tunc illa orans ad dominum emisit spiritum. Huic attestatur Ambrosius in praefatione dicens: ob hoc et gentium regina Persarum crudeli a viro dictata sententia nondum baptismi gratiam consecuta gloriosae passionis meruit palmam, unde nec dubitare possumus, quod rosea perfusa sanguinis unda reseratas poli januas ingredi meruit regnumque possidere coelorum. Haec Ambrosius. Sequenti vero die Georgius accepit sententiam, ut per totam civitatem traheretur, postmodum capite puniretur. Oravit autem ad dominum, ut quicunque ejus imploraret auxilium, petitionis suae consequeretur effectum, divina autem vox ad eum venit, quod sic fieret, ut oravit. Completa oratione capitis abscisione martirium consummavit sub Dyocletiano et Maximiano, qui coeperunt circa annum domini CCLXXXVII, Dacianus autem cum de loco, in quo decollatus est, ad palatium rediret, ignis de coelo cecidit et ipsum cum ministris suis consumsit. Refert Gregorius Turonensis, quod, cum quidam quasdam reliquias sancti Georgii deferrent et in quodam oratorio hospitati fuissent, mane nullatenus capsam movere potuerunt, donec ibidem reliquiarum particulam dimiserunt. Legitur in hystoria Antiochena, quod, cum christiani ad obsidendum Jerusalem pergerent, quidam juvenis speciosissimus cuidam sacerdoti apparuit, qui sanctum Georgium ducem christianorum se esse dicens monuit, ut ejus reliquias secum in Jerusalem deportarent et ipse cum iis esset. Cum autem Jerusalem obsedissent et Saracenis resistentibus per scalas adscendere non auderent, beatus Georgius albis armis indutus et cruce rubra insignitus apparuit innuens, ut post se securi adscenderent et civitatem obtinerent. Qui hoc animati civitatem ceperunt et Saracenos occiderunt.

CAP. LIX. (57.)
De sancto Marco evangelista.

Marcus interpretatur sublimis mandato, certus, declinatus et amarus. Sublimis mandato ratione perfectionis in vita, quia non solum servavit mandata communia, sed etiam sublimia, sicut sunt consilia. Certus ratione certitudinis in doctrina evangelii sui, [1]) quia doctrinam evangelii sui certam tradidit doctrinam, utpote quam a Petro magistro suo didicit. Declinatus ratione profundae humilitatis, nam propter nimiam humilitatem pollicem sibi amputasse dicitur, ut sacerdotio reprobus haberetur. Amarus ratione poenae acerbitatis, quia ubique per civitatem tractus fuit et inter haec tormenta spiritum tradidit. Vel Marcus dicitur a marco, quod est malleus major, qui quidem eodem ictu ferrum domat, melodiam generat, incudem firmat. Sic Marcus unica doctrina sui evangelii domat haereticorum perfidiam, dilatat laudem divinam, confirmat ecclesiam.

Marcus evangelista leviticus genere et sacerdos, Petri apostoli in baptismate filius atque in divino sermone discipulus cum ipso beato Petro Romam profectus est. Cum autem Petrus ibidem evangelium praedicaret, rogaverunt fideles, qui erant Romae, beatum Marcum, ut evangelium ad perpetuam fidelium memoriam deberet conscribere. Quod ille quidem, ut ex ore magistri sui beati Petri audierat, fideli stilo conscripsit, Petrus autem illud diligenter examinans ubi omnem veritatem plene conspexit, recipiendum ab omnibus fidelibus comprobavit. Videns autem Petrus Marcum constantem in fide, ipsum Aquilegiam destinavit, ubi verbum Dei praedicans innumeras gentium multitudines ad fidem Christi convertit ac evangelium suum similiter ibi conscripsisse dicitur, quod quidem usque hodie in Aquilegiensi ecclesia ostenditur et devotione congrua reservatur. Tandem beatus Marcus Aquilegiensem civem, scilicet Ermagoram, quem ad fidem Christi convertit, Romam ad Petrum adduxit, ut eum Aquilegiae in episcopum consecraret. Suscepto itaque Ermagoras pontificatus officio cum Aquilegiensem ecclesiam optime gubernasset, tandem ab infidelibus capitur et ibidem martirio coronatur, Marcus vero a beato Petro Alexandriam missus est et ibi primus verbum Dei praedicavit. In primo autem introitu

1) Verba quia — sui desunt in Ed. Princ.

suo Alexandriam (ut ait Philo, disertissimus Judaeorum) maxima multitudo in fide et devotione et continentiae observatione adunata est, Papyas quoque Hieropolitanus episcopus valde praeclara ejus praeconia praecipue dilucidat stilo. Petrus vero Damiani sic ait de eo: tantam eidem apud Alexandriam gratiam praerogavit, ut omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam ac totius sanctae conversationis instantiam tanquam ad monasticae perfectionis fastigium pervolarent, ad quod mox modo miraculorum prodigiis, non modo praedicationis eloquiis, sed etiam eximiis provocabat exemplis. Et infra: factum est autem, ut post mortem ad Italiam deinde sit reversus, ut terra, in qua datum est sibi evangelium scribere, sacras mereretur ejus reliquias possidere. Beata es, o Alexandria, triumphali hoc sanguine purpurata, felix et tu Italia corporis hujus thesauro dives effecta. Tantae autem humilitatis dicitur fuisse, ut pollicem sibi amputaverit, ne ad ordinem sacerdotii posset humano judicio promoveri, verumtamen dispositio Petri et auctoritas sancti Petri praevaluit, qui ipsum Alexandriae episcopum destinavit. Mox autem ut Alexandriam est ingressus, subito calceamentum ejus ruptum est atque solutum, quod in spiritu intelligens ait: vere expeditum fecit dominus iter meum nec me Sathanas impedire poterit, quem ab operibus mortuis dominus jam absolvit. Videns autem Marcus quendam vetera consuentem, eidem calceamentum tradidit corrigendum; quod cum faceret, sinistram manum graviter vulneravit ac fortiter exclamare coepit: unus Deus. Quo audito vir Dei ait: vere prosperum fecit dominus iter meum, factoque luto ex sputo manum ejus unxit et continuo sanitatem recepit. Videns homo ille tantam ejus efficaciam in domum suam illum introduxit, et quis esset et unde, percunctari coepit. At ille se domini Jesu servum confessus est. Cui ille ait: vellem ego videre eum. Et Marcus: ego tibi eum demonstrabo; incipiensque Marcus Christum ei evangelizavit et ipsum cum tota domo sua baptizavit. Audientes autem viri civitatis illius quendam Galilaeum, qui deorum sacrificia contemneret, advenisse, ei insidias posuerunt; quod ille cognoscens hominem illum, quem curaverat, qui dicebatur Anianus, ibidem episcopum ordinavit et ipse Pentapolim perrexit et cum ibidem duobus annis stetisset, iterum Alexandriam rediit, qui et juxta mare in rupibus ecclesiam construxerat in loco, qui dicitur Bucculi, et fideles ibidem multiplicatos invenit. Pontifices autem templorum eum comprehendere conabantur; cum

autem in solemnitate paschali beatus Marcus missam celebraret, convenerunt illuc omnes et fune in collo ejus misso ipsum per civitatem trahebant dicentes: trahamus bubalum ad loca bucculi. Carnes autem ejus in terram fluebant et sanguine lapides rigabantur. Posthac in carcere recluditur et ibidem ab angelo confortatur, sed et ipse dominus Jesus Christus eum visitavit eumque confortavit dicens: pax tibi, Marce evangelista meus, noli timere, quia ego tecum sum, ut eruam te. Mane ergo facto funem iterum collo ejus immittunt et huc illucque raptim eum pertrahunt exclamantes: trahite bubalum ad loca bucculi. Ipse autem dum traheretur, gratias agebat dicens: in manus tuas commendo spiritum meum, et hoc dicens spiritum exhalavit sub Nerone, qui coepit circa annum domini LVII. Cum autem pagani eum vellent comburere, subito aër turbatur, grando exoritur, tonitrua intonant, fulguraque coruscant, ita ut quilibet evadere niteretur, et sanctum corpus intactum reliquerunt, Christiani vero corpus ejus rapuerunt et in ecclesia cum omni reverentia sepelierunt. Fuit autem forma beati Marci hujus longo naso, subducto supercilio, pulchris oculis, recalvaster, prolixa barba, habitudinis optimae, aetatis mediae, canis adspersus, affectione continens, gratia Dei plenus. Beatus autem Ambrosius de eo sic ait: cum beatus Marcus innumeris coruscaret miraculis, contigit, ut sutor, cui calceamentum tradiderat corrigendum, sinistram sibi in ejus labore pertunderet manum. Hic cum inflicto vulnere: unus Deus, clamavit, Dei famulus audiens laetus adfuit, litum ex sputo factum accepit ejusque manum inunxit sanamque illico reddidit et labori contra dedit. Illius, cujus nempe praedicabat evangelium, similiter imitatur miraculum caeci videlicet a nativitate illuminati a domino factum. Haec Ambrosius. — — 2. Anno ab incarnatione domini CCCCLXVIII tempore Leonis imperatoris Veneti corpus sancti Marci de Alexandria Venetias transtulerunt, ubi ecclesia in honore sancti Marci mira pulchritudine fabricata est. Quidam namque mercatores Veneti, qui Alexandriam perrexerant, duos presbiteros custodes corporis sancti Marci precibus et promissionibus induxerunt, ut occulte corpus illud tolli permitterent et Venetias transportarent. Verum cum corpus de tumulo levaretur, tantus odor totam Alexandriam sic perfudit, ut omnes, unde tanta prodiret odoris suavitas, mirarentur. Cum autem navigarent et qualiter corpus sancti Marci deferrent, aliis navibus revelassent, unus illorum ait: forsan alicujus Aegyptii corpus vobis datum de-

fertis et sancti Marci corpus vos deferre putatis. Continuo igitur navis, in qua erat corpus sancti Marci, per se ipsam mira celeritate se vertit et in navem, in qua ille residebat, insurgens lateris partem fregit, non prius illam dimittens, donec omnes se ibidem corpus esse beati Marci credere acclamarent. Cum quadam nocte naves cursu velocissimo ducerent et nautae tempestate conquassati et tenebris obvoluti, quo pergerent, ignorarent, sanctus Marcus cuidam monacho custodi corporis sui apparuit dicens: dic omnibus istis, ut velociter vela deponant, quia non longe a terra distant. Quibus depositis mane facto se juxta quandam insulam invenerunt. Verum cum per littora diversa transirent et sanctum thesaurum omnibus occultarent, venientes incolae conclamabant: o quam beati estis, qui sancti Marci corpus portatis. Sinite, ut ipsum suppliciter adoremus. Quidam nauta adhuc omnino incredulus a daemone arripitur et tamdiu vexatur, donec ad corpus adductus se credere confitetur. Qui liberatus gloriam Deo dedit et beatum Marcum in devotione magna deinceps habuit. Quodam tempore cum corpus sancti Marci infra quandam columnam de lapidibus marmoreis factam paucis consciis esset repositum, ut ibi cautius servaretur, contigit, ut testibus illis ex hac luce sublatis, nemo, ubinam sanctus esset thesaurus, posset agnoscere nec aliquibus indiciis invenire. Fit ex hoc planctus in ecclesiis, desolatio ingens in laicis, moeror imminet universis. Formidabat siquidem plebs devota, ne patronus tam inclitus furtive fuisset sublatus, ideoque jejunium sollemne indicitur, processio sollemnior ordinatur et ecce cunctis videntibus ac stupentibus lapides a columna prosiliunt et archam, ubi corpus ejus latebat, omnibus evidenter ostendunt. Mox devotas laudes agunt creatori, qui suum iis dignatus est revelare patronum sicque dies illustrata tanti prodigii gloria [1]) annis decurrentibus posteris fuit festiva. Juvenis quidam cancri morbo in mamilla vermibus corrodentibus cruciatus coepit beati Marci suffragia mente implorare devota et ecce ibi dormienti quidam peregrino habitu insignitus apparuit, qui gradu concito aliquo pergere videbatur. Qui ab eo interrogatus, quis esset et quo tam velociter festinaret, Marcum se esse asseruit, qui tam velociter pergeret et cuidam navi se invocanti periculo subveniret, extensaque manu infirmum tetigit, qui mane evigilans penitus se sanatum sensit. Post modicum navis illa portum

1) Recentiores addunt: singulis.

Venetiarum intravit narrans et suum periculum et Marci adjutorium. Pro utriusque igitur beneficio Deo gratiarum actio exsolvitur et in sancto suo Marco Deus mirabilis praedicatur[1]). — — — 3. Dum quidam mercatores Veneti supra quandam navem Saracenorum Alexandriam pergerent et imminens periculum evidenter viderent, mox super scapham adscendunt et funem praecidunt statimque navis illa fluctuum inundatione periit et universos Saracenos unda vorax involvit. Unus autem ex iis beatum Marcum invocans voto, quo potuit, se adstrinxit, quod, si suum sibi conferret auxilium, et suorum baptisma susciperet et ipsius limina visitaret. Mox sibi vir splendidus quidam apparuit, qui ereptum de fluctibus in scapha cum caeteris collocavit. Ille autem Alexandriam veniens, sed liberatori suo ingratus existens nec sancti Marci festinat ad limina nec nostrae fidei suscipit sacramenta. Cui denuo Marcus apparuit et ipsum de sua ingratitudine increpavit. Rediens igitur ad se Venetias venit et ibidem sacro baptismatis fonte renatus et Marcus appellatus et in Christum perfecte credidit et in bonis operibus vitam finivit. — — — 4. Vir quidam dum in summitate campanilis sancti Marci de Venetiis quiddam operis exerceret, subito cadit inprovide membratim toto corpore laniatus, in ipso tamen casu suo sancti Marci non immemor ejus patrocinium imploravit, qui cadens ex insperato cuidam ligno prominenti substitit et dato fune illaesus evasit et ad opus pristinum consummandum devotus assurgit. — — — 5. Quidam cujusdam nobilis provincialis temporaliter servus dum voto adstrictus corpus sancti Marci visitare vellet, sed a domino suo licentiam obtinere non posset, tandem timorem carnalis domini timori caelestis postposuit et insalutato domino ad sanctum visitandum devotus accessit. Quod dominus aegre ferens ipsum reversum excecari mandavit. Favent quantocius crudeli domino crudeliores satellites, et Dei famulum sanctum Marcum invocantem ad terram projiciunt et acutos palos oculis effodiendis apponunt. Sed nihil palorum proficiebant conamine, quia in se tabescebant subita fractione. Jubet igitur, ut securibus crura frangantur et pedes praecidantur, sed indomabile ferrum securium protinus mollescit in plumbum. Jubet malleis ferreis os et dentes contundi, sed ferrum suae virtutis obliviscitur et Dei potentia hebetatur. Quod dominus videns et stupens veniam petiit et cum servo sepulchrum sancti

1) Historiola antecedens inde a verbis: Juvenis quidam — praedicatur deest in Ed. Princ.

Marci devotione sedula visitavit. — — — 6. Miles quidam in proelio sic vulneratus in brachio, ut manus a brachio dependeret, adeo ut ipsam praecidendam medici et amici consulerent, ille vero erubescens fieri mancus, qui consuevit haberi tam probus, manum in locum suum restitutam pannis sive medicamentis ligari fecit. Invocavit igitur beati Marci suffragia et manus continuo fuit sanitati pristinae restituta, sola tamen cicatrix remansit et in tanti miraculi testimonium et in talis beneficii monumentum. — — — 7. Vir quidam in civitate Mantuae falso ab immundis accusatus in carcerem est reclusus, qui cum XL dies peregisset ibidem et nimio afficeretur taedio, tandem triduum jejunio se macerans beati Marci patrocinium invocavit, qui sibi apparens jubet, ut de carcere securus abscedat. Ille vero, dormitans prae taedio, neglexit parere jussionibus sancti existimans illusionibus se deludi. Deinde secundo et etiam tertio sibi apparuit et eadem similiter imperavit. Qui ad se rediens et ostium apertum conspiciens de carcere securus exiit et instar stuppae compedes mox confregit. Ibat igitur die media per medium custodum caeterorumque omnium, ita ut ipse cunctos videns a nemine videretur. Qui veniens ad sancti Marci tumulum exsolvit devote debitum gratiarum. — — — 8. Cum totam Apuliam sterilitas magna invaderet nec terram illam benedictionis pluvia irrigaret, revelatum est, quod tali plaga percutitur eo, quod ibi sancti Marci festivitas non colatur. Dum igitur sanctum Marcum invocarent et festum ejus festive se celebraturos promitterent, sterilitatem ab iis Marcus depulit et insuper abundantiam ministravit, dans iis salubrem aërem et pluviam congruentem. — — — [1]) 9. Circa annum domini MCCXII apud Papiam in conventu ordinis fratrum praedicatorum fuit quidam frater religiosae ac sanctae vitae nomine Julianus, natione Faventinus, juvenis corpore, sed canus mente, qui infirmitate ultima elaborans cum priorem domus super statu suo requisivisset et ille mortem vicinam sibi imminere diceret, statim facie exhilaratus et manibus ac toto corpore applaudens clamare coepit: date locum, fratres, quia per nimiam laetitiae abundantiam anima jam prosiliet ex corpore, ex eo quia jam jucundos rumores audivi, et elevatis in coelum manibus dicere coepit: educ de carcere animam meam etc. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hoc? Inter haec ille levi somno obdormiens vidit beatum Marcum

1) Paragr. 9. deest in Ed. Pr. et verisimiliter spuria habenda est.

ad se venisse et se juxta ejus locum collocasse, et ecce vox ad eum dicens: quid ibi agis, o Marce? Et ille: ad morientem accessi istum, quia Deo ejus ministerium est acceptum. Et iterum vox ad eum: quare inter caeteros sanctos ad eum maxime tu venisti? Et ille: quia in me specialem devotionem habuit et locum, ubi corpus meum quiescit, devotione sedula visitavit. Et ideo veni eum in hora sui exitus visitare. Et ecce quidam albati totam domum compleverunt. Quibus ait Marcus: quare huc venistis? Et illi: ut istius animam in conspectu domini praesentemus. Evigilans autem praedictus frater pro priore domus, a quo ego ista audivi, continuo misit, et omnia que viderat, sibi recitans, cum multo gaudio in domino feliciter obdormivit.

CAP. LX. (58.)

De sancto Marcellino papa.

Marcellinus annis novem et mensibus quatuor Romanam ecclesiam rexit. Hic jussu Dyocletiani et Maximiani capitur et ad sacrificandum adducitur. Cum autem non assentiret et ex hoc diversorum tormentorum genera sustinere deberet, metu passionis duo grana incensi in sacrificio posuit. Tunc magna adest infidelium laetitia, sed fideles ingens tristitia percussit. Verumtamen in capite infirmato fortia membra resurgunt et minas principum parvi pendunt. Tunc fideles ad summum pontificem conveniunt et ipsum plurimum redarguunt. Quod ille cernens in concilio episcoporum se supposuit judicandum. Ad quem illi: absit ut summus pontifex ab aliquo judicetur, sed tu in te collige causam tuam et proprio ore te dijudica. Ipse autem poenitens plurimum ingemuit et se ipsum deposuit, sed tamen eum omnis turba iterum reelegit. Quod Caesares audientes iterum eum capi fecerunt et, dum nullatenus sacrificare vellet, eum decollari mandaverunt et iterum crevit furor hostilis, ut infra mensem XVII millia christianorum perimerentur. Marcellinus autem cum decapitari deberet, se christiana sepultura indignum esse asseruit et ideo omnes, qui se sepelire praesumerent, excommunicavit. Quapropter corpus ejus insepultum XXXV diebus remansit. Post hoc beatus Petrus apostolus Marcello successori

apparuit dicens: frater Marcelle, quare non sepelis me? Cui ille: nonne dudum sepultus es, domine? Cui apostolus: me insepultum reputo, quamdiu Marcellinum insepultum videro. Cui ille: nonne, domine, nosti, quia ille omnes, qui eum sepelirent, anathematisavit. Cui Petrus: nonne scriptum est, qui se humiliat, exaltabitur? Unde hoc attendere debuisti. Vade igitur et ipsum ad pedes meos sepelias. Qui statim ivit et jussa laudabiliter complevit.

CAP. LXI. (59.)
De sancto Vitali.

Vitalis quasi vivens talis, quia qualis vivebat exterius in opere, talis erat intus in corde. Vel Vitalis a vita vel Vitalis vivens alis, id est tuens se alis virtutum. Ipse enim fuit tanquam unus de animalibus Dei, quae vidit Ezechiel, habens in se quatuor alas, scilicet alam spei, qua volabat in coelum, alam amoris, qua volabat in Deum, alam timoris, qua volabat in inferum, alam cognitionis, qua volabat in se ipsum. Ejus passio in libello Gervasii et Protasii reperta fuisse putatur.

Vitalis miles consularis ex Valeria uxore Gervasium et Protasium genuit. Hic cum Paulino judice Ravennam ingressus cum quendam ibidem christianum medicum nomine Ursicinum post multa tormentorum genera jussum decollari videret et ille medicus nimium expavisset, exclamavit ad eum sanctus Vitalis dicens: noli frater Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, te ipsum aeterna morte occidere, et qui ad palmam per multas passiones venisti, noli coronam amittere tibi a Deo paratam. Quod Ursicinus audiens confortatus est et de pavore suo poenitens martirium libenter accepit, sanctus autem Vitalis eum honorifice sepeliri fecit et post hoc ad Paulinum dominum suum ultra venire contemsit. Ille vero nimium indignatur, tum quia ad se venire noluit, tum quia Ursicinum sacrificare volentem retraxit, tum quia christianum se esse ostendit, et jussit eum in equuleum levari. Cui dicit Vitalis: stultissimus es, si me putas decipere, qui alios semper studui liberare. Et ait Paulinus ministris: ducite eum ad palmam, et si sacrificare noluerit, foveam profundissimam, donec perveneritis ad aquam,

ibidem facite et ibi eum vivum et supinum sepelite. Quod et fecerunt et beatum Vitalem ibidem vivum sepelierunt, sub Nerone, qui coepit circa annum domini LII. Sacerdos autem, qui hoc consilium dederat, statim a daemone arreptus per septem dies insaniens in illo loco exclamabat dicens: incendis me sancte Vitalis, die autem septima in flumen a daemone praecipitatus miserabiliter exspiravit. Uxor autem sancti Vitalis cum Mediolanum adiret, invenit quosdam ydolis immolantes, qui cum eam hortarentur, ut ydolis immolata comederet, respondit: christiana sum, non licet mihi de vestris sacrificiis manducare. Quod illi audientes tam dire eam verberaverunt, quod homines sui, qui cum ea erant, usque Mediolanum eam semivivam deduxerunt et infra triduum feliciter migravit ad dominum.

---

[1]) CAP. LXII. (60.)
De virgine quadam Antiochena.

Virgo quaedam fuit Antiochiae, cujus hystoriam Ambrosius in II. libro de virginibus recitat in haec verba. Antiochiae nuper virgo quaedam fuit, fugitans publici visus ostentationem. Sed quo magis vitabat oculos, incendebat affectus eo amplius impudicos. Pulchritudo enim audita nec visa plus desideratur duobus stimulis cupidita, tum amoris et cognitionis, dum et nihil occurrit, quod minus placeat, et plus putatur esse, quod placeat; quod non index oculus explorat, sed animus amator exoptat. Itaque sancta virgo, ne diutius aleretur potiendae spes cupiditatis, integritatem pudoris professa sic restrinxit improborum facies, ut jam non amaretur, sed proderetur. Ecce persecutio. Puella fugere nescia, aetate pavida, ne incideret in insidiatores pudoris, animam ad virtutem paravit, tam religiosa, ut mortem non timeret, tam pudica, ut mortem exspectaret. Venit enim coronae dies, maxima omnium exspectatio, producitur puella duplex professa certamen, castitatis et religionis. Sed ubi viderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratam ad cruciatus, erubescentem ad adspectus, excogitare coeperunt,

---

1) Haec legenda deest in Ed. Princ.

quemadmodum spem castitatis religionem tollerent, ut cum id abstulissent, quod erat amplius, etiam id eriperent, quod derelinquerent. Aut sacrificare virginem aut lupanari prostitui jubetur. Quomodo colunt Deos suos, qui sic vindicant, aut quemadmodum ipsi vivunt, qui ita judicant? Haec puella, non quod de religione ambigeret, sed quod de pudore trepidaret, ipsa secum inquit: quid agimus hodie? aut martir aut virgo, altera nobis invidetur corona. Sed nec virginis nomen agnoscitur, ubi virginitatis auctor negatur. Nam quemadmodum virgo, si meretricem colas, quemadmodum virgo, si adulterum diligas, quemadmodum virgo, si amorem petas? Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere. Utrumque bonum, si liceat, et si non liceat, saltem non homini castae, sed Deo simus. Et Raab meretrix fuit, sed postquam domino credidit, salutem invenit. Et Judith se, ut adultero placeret, ornavit, quae tamen quia hoc religione non amore faciebat, nemo eam adulteram judicabat. Bene successit exemplum, nam si illa, quae se commisit religioni, et pudorem servavit et patriam, fortassis et nos servando religionem servabimus etiam castitatem. Quodsi Judith pudicitiam religioni praeferre voluisset, perdita prima etiam pudicitiam perdidisset. Itaque talibus informata exemplis silenter animo tenens verba domini, quibus ait: quicunque perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, flevit et tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret, nec pudoris elegit injuriam sed Christi recusavit. Aestimate, utrum adulterare potuerit corpore, quae nec voce adulteravit. Jamdudum verecundabatur oratio mea et quasi adire gestorum seriem criminosam atque explanare formidat. Claudite aures, virgines Dei! ducitur puella Dei ad lupanar, sed aperite aures virgines Dei, virgo prostitui potest, adulterari non potest. Ubicunque Dei virgo est, templum Dei est, nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Ingens petulantium concursus fit ad fornicem. Discite martiris miracula sanctae virginis, discite loocorum vocabula, clauditur intus columba, strepunt accipitres foris, certant singuli, quis praedam primus invadat. At illa manibus ad coelum levatis quasi ad domum orationis venisset, non ad libidinis deversorium: Christe, inquit, domuisti virgini feros leones, potes domare etiam hominum feras mentes. Chaldaeis roravit ignis, Judaeis sese unda suspendit misericordia tua, non natura sua, Susanna ad supplicium genua flexit et de adulteris triumphavit, aruit dextra, quae templi tui dona violabat,

nunc templum ipsum attrectatur tuum, ne patiaris incestum sacrilegii, qui non passus es furtum. Benedicatur et nomen tuum, ut quae ad adulterium virgo veni, virgo discedam. Vix compleverat orationem et ecce miles specie terribilis irrupit: quemadmodum virgo tremuit, cui populus tremens cessit! Sed illa non immemor lectionis: et Daniel, inquit, supplicium Susannae spectaturus advenerat et quam populus damnaverat, unus absolvit. Potest et in hoc lupi habitu ovis latere. Habet et Christus milites suos, qui etiam legiones habet: aut fortasse percussor intravit, ne verearis anima: et tales solent martires facere. O virgo, fides tua te salvam fecit. Cui miles: quaeso, ne paveas soror: huc veni salvare animam, non perdere. Serva me, ut ipsa serveris, quasi adulter ingressus, si vis, martir egrediar, vestimenta mutemus, conveniunt mea tibi et tua mihi, sed utraque Christo. Tua vestis me verum militem faciet et mea te virginem. Bene tu vestieris, ego melius exuar, ut me persecutor agnoscat. Sume habitum, qui abscondat feminam, trade, qui consecret martirem. Indue chlamydem, quae occultet membra virginis et servet pudorem, sume pileum, qui tegat crines, abscondat ora: solent erubescere, qui lupanar intraverunt. Sane cum egressa fueris, ne respicias retro: memor uxoris Loth, quae naturam suam, quia impudicos licet castis oculis adspexit, amisit; nec vereare, ne quid pereat sacrificio. Ego pro te hostiam Deo meo reddam: tu pro me militem Christo habens bonam militiam castitatis, quae stipendiis militat sempiternis, loricam justitiae, quae spirituali munimine corpus induat, scutum fidei, quo vulnus repellas, galeam salutis. Ibi enim est praesidium nostrae salutis, ubi est Christus: quoniam mulieris caput est vir, virginum Christus. Et inter haec verba chlamydem exuit, suspectus tamen adhuc habitus et persecutoris et adulteri. Virgo cervicem, chlamydem coepit miles offerre. Quae pompa illa: quae gratia, cum in lupanari de martirio certarent. Addantur personae miles et virgo. Hae dissimiles inter se natura: sed Dei miseratione consimiles, ut compleatur oraculum: tunc lupi et agni simul pascentur. Ecce agna et lupus non solum simul pascuntur, sed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu evolat puella de laqueo: jam non suis alis, utpote quae spiritualibus ferebatur et, quod nulla unquam viderunt saecula, egreditur de lupanari virgo Christi. At illi, qui videbant oculis et non videbant corde, ceu raptores ad agnam lupi fremuere ad praedam. Unus, qui erat immodestior, introivit, sed ubi hausit oculis rei

textum, quid hoc, inquit, est? puella ingressa est, vir videtur. Ecce non fabulosum illud cerva pro virgine, sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram et non credideram, quod aquas Christus in vina convertit, jam mutare coepit sexum. Recedamus hinc, dum adhuc, quod fuimus, sumus. Numquid et ipse mutatus sum, qui aliud cerno, quam credo. Ad lupanar veni: cerno vadimonium: et tamen dum mutatur, egrediar: pudicus exibo, qui adulter intravi: judicio rei, quia debebatur tanto corona victori: damnatus est pro virgine, qui pro virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum virgines, sed etiam martires exierunt. Fertur puella ad locum supplicii cucurrisse, certasse ambos de nece. Cum ille diceret: ego sum jussus occidi, te absolvit sententia, quoniam me tenuit. At illa clamavit: non ego te vadem mortis elegi, sed praesidem pudoris optavi. Si pudor quaeritur, manet sexus: si sanguis exponitur, fidejussorem non desidero! Unde dissolvam, habeo, in me lata est sententia, quae pro me lata est. Certe si pecuniae te fidejussorem dedissem et absente me judex tuum censum foeneratori adjudicasset, eadem me sententia convinceres meo patrimonio solvere tuos nexus. Si recusarem, quis me indignam morte censeret, quanto major est capitis hujus censura? Moriar innocens, ne moriar nocens. Nihil medium est hodie: aut rea ero sanguinis tui aut martir mei. Si cito redii, quis me audeat excludere? Si moram feci, quis me audeat absolvere? Plus legibus debeo rea non solum fugae meae, sed etiam caedis alienae. Sufficiunt membra morti, quae non sufficiebant injuriae. Est in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliae; ego opprobrium declinavi, non martirium: tibi cessi vestem, non professionem mutavi. Quodsi mihi praeripis mortem, non redemisti me, sed circumvenisti. Cave quaeso, ne contendas, cave ne contradicere audeas. Noli eripere beneficium, quod dedisti, dum mihi hanc sententiam negas, illam restituis superiorem. Sententia enim sententia superiore mutatur, si posterior me non tenet, superior sententia tenet. Possumus utrique satisfacere sententiae, si me prius patiaris occidi. In te habent aliam, quam exerceant poenam, in virgine obnoxius pudor est. Itaque gloriosior eris, si videaris de adultera martirem fecisse, quam de martire adulteram reddidisse. Quid exspectatis? duo contenderunt et vicerunt: nec divisa est corona, sed addita. Itaque sancti martires invicem sibi beneficia conferentes, altera principium martirio, dedit alter effectum. At etiam philosophorum

gymnasia Damonem et Synthiam Pythagoreos incolas ferunt, quorum unus, cum esset morti adjudicatus, commendandorum suorum tempus poposcit. Tyrannus autem astutissimus cum reperiri non posse existimaret, petivit, ut sponsorem daret, qui pro se feriretur, si ipse moram faceret. Quid de duobus praeclarius, nescio: utrumque praeclarum: alter vadem mortis invenit, alter se obtulit. Itaque cum reus moram supplicio faceret, fidejussor sereno vultu mortem non recusavit. Cum duceretur, amicus reversus est, cervicem substituit, colla subjecit. Tunc admiratus tyrannus cariorem philosophis amicitiam quam vitam fuisse, petivit, ut ipse ab ipsis, quos damnaverat, in amicitiam reciperetur: tantam virtutis esse gratiam, ut tyrannum inclinaret. Digna laude, sed minora nostris: nam illi ambo viri, hic una virgo, quae primo etiam sexum vinceret; illi amici, isti incogniti, illi tyranno uni se obtulerunt: isti tyrannis pluribus ac etiam crudelioribus; quod ille pepercit, isti occiderunt. Inter illos in uno obnoxia necessitas, in his amborum voluntas libera. Hoc quoque isti prudentiores: quia illis studii sui finis amicitiae gratia, istis corona martirii. Illi enim certaverunt hominibus, isti domino. Haec Ambrosius.

CAP. LXIII. (61.)
De sancto Petro martire.

Petrus interpretatur agnoscens vel discalcians: vel dicitur Petrus a petros, quod est firmum. Per hoc intelliguntur tria privilegia, quae fuerunt in beato Petro. Fuit enim praedicator egregius et inde dicitur agnoscens: quia et perfectam scripturarum notitiam habuit et in praedicatione, quid cuique conveniret, agnovit. Secundo fuit virgo purissimus: et inde dicitur discalcians, quia a pedibus suarum affectionum omnem amorem mortuum discalciavit et exuit: ut non solum corpore, sed etiam mente virgo esset. Tertio fuit martir domini gloriosus et inde fuit firmus, quia martirium pro defensione fidei constanter sustinuit.

1. Petrus Novus martir de ordine praedicatorum fidei pugil egregius de civitate Veronensi exstitit oriundus. Hic tamquam splendidum lumen de fumo, lilium candens de sentibus, rubens rosa de spinis exoritur, dum de parentibus per errorem excaecatis lucidus

praedicator exsurgit et de sanctitatis mente corporeque corruptis virginale decus procedit ac de spinis, id est aeterno incendio deputatis, inclytus martir adscendit. Parentes namque suos infideles et haereticos beatus Petrus habuit, a quorum tamen errore se penitus mundum servavit. Cum autem adhuc septem esset annorum et a scholis rediret, a patruo suo, qui haeresim sapiebat, quidnam in scholis didicerit, interrogatur. Qui respondit se didicisse: credo in Deum patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae etc. Et ille: noli dicere creatorem coeli et terrae, cum ipse visibilium creator non fuerit, sed dyabolus omnia ista, quae videntur, creaverit. Ipse vero puer se potius velle dicere, sicut legerat, affirmabat et, sicut scriptum erat, se potius credere velle dicebat. Tunc ille per auctoritates hoc ei persuadere, ut poterat, nitebatur: quas omnes puer spiritu sancto repletus sic contra eum convertit eumque proprio gladio interemit, ut ille, quo diverteret, non haberet. Qui indigne ferens a puero se confusum patri totum, quod inter se gestum fuerat, retulit et ut Petrinum a scholis removeret, modis omnibus persuasit. Timeo enim, ait, ne cum Petrinus bene fuerit eruditus, ad meretricem illam Romanam ecclesiam se conferat et sic fidem nostram destruat et confundat. Qui nesciens verum dixit, dum Petrum haereticorum perfidiam destructurum esse tamquam alter Cayphas prophetavit. Sed quia res a Deo fiebat, pater fratris monitis assensum non praebuit sperans, quod per aliquem haeresiarcham ad suam sectam eum trahi faceret, cum in grammaticalibus fieret eruditus. Videns igitur puer sanctus non esse tutum cum scorpionibus habitare, mundum parentesque despiciens, mundus ipse fratrum praedicatorum ordinem introivit. In quo quidem ordine quam laudabiliter vixerit, Innocentius papa in sua epistola aperit dicens: cum enim beatus Petrus a mundi fallaciis in adolescentiae annis provide declinasset, ad ordinem fratrum praedicatorum se transtulit. In quo quidem ordine triginta fere annorum spatio fultus caterva virtutum, fide praeambula, spe adstante, comitante caritate sic praevaluit et profecit circa defensionem ipsius fidei, pro qua totus ardebat, quod contra illius diros hostes mente intrepida ferventique spiritu continuum certamen exercens suum tandem agonem diutinum victrici superante martirio feliciter consummavit. Et sic Petrus firmus in petra fidei petra demum passionis allisus ad petram Christi digne laureandus adscendit. Virginitatem quoque mentis et corporis semper illibatam servavit, nec alicujus mortalis criminis unquam

sensit contactum, sicut suorum confessorum fideli testimonio est probatum, et quia servus delicate nutritus proteruit in dominum, carnem suam assidua cibi et potus parcitate restrinxit. Ne vero per otii desidiam hostilibus pareret insidiis, in justificationibus domini exercebatur assidue, ut eo circa licita totaliter occupato locum in ipso illicita non haberent et a spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia humanae deputata quieti post dormitionem brevem decurrebat in studiis lectionum et somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum vel sedulis imminendo praedicationibus vel confessionum audientiae insistendo aut haereticorum dogma pestiferum validis rationibus confutando, in quibus specialis gratiae dono noscitur claruisse. Devotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placidus, benignitate suavis, pietate compatiens, patientia constans, caritate praestabilis et in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat, fervens quoque amator fidei, cultor praecipuus, propugnator ardens sic animo suo fidem impresserat, sic se totum in illius mancipaverat obsequium, quod quaeque ipsius opera et verba virtutem fidei redolebant. Pro hac quoque mortem subire cupiens hic principaliter a domino attentis et crebris postulationibus supplicasse probatur, quod non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumto pro illo calice passionis: nec fraudatus est tandem a desiderio suo. — — — 2. Multis vero in vita sua miraculis claruit, nam cum apud Mediolanum quemdam episcopum haereticorum a fidelibus captum beatus Petrus examinaret et multi episcopi et religiosi et maxima pars civitatis illuc convenisset, et dies tum ex praedicatione tum examinatione in longum protracta fuisset et maximus aestus cunctos affligeret, dixit haeresiarcha coram omnibus: o Petre perverse, si tu es ita sanctus, sicut hic stultus populus te esse affirmat, cur eum aestu mori permittis et non rogas dominum, ut nubem aliquam interponat, ut non moriatur hic stultus populus tanto aestu. Ad quem Petrus respondit: si vis promittere, te abnegaturum haeresin tuam et fidem catholicam recepturum, rogabo dominum et faciet, quod dixisti. Tunc fautores haereticorum conclamantes haeresiarchae dixerunt: promitte, promitte. Credebant enim, quod fieri non posset, quod Petrus se facturum coram omnibus spopondit, et maxime cum nulla vel minima nubecula in aëre appareret. Catholici autem super promissione beati Petri tristari coeperunt, timentes, ne fides catholica ex hoc confusioni pateret.

Cum ergo haereticus se obligare nollet, beatus Petrus cum magna fiducia dixit: ad hoc, quod verus Deus visibilium et invisibilium creator monstretur et ad consolationem fidelium et ad confusionem haereticorum rogo Deum, ut aliqua nubecula adscendat et se inter solem et populum interponat. Quod mox praemisso crucis signaculo factum fuit, per magnam horam in modum papilionis populum nubecula protegente. — — — **3.** Contractus quidam, nomine Asserbus cum per quinque annos mansisset contractus, ita ut per terram in sextario traheretur, Mediolanum ad beatum Petrum ductus fuit: quem cum beatus Petrus signasset, continuo sanatus surrexit. Quaedam etiam miracula, quae per eum dominus, dum viveret, fecit, Innocentius in praedicta epistola recitat dicens: cujusdam nobilis filium prae nimio et horribili totius gulae tumore nec loqui nec spirare valentem levatis ad dominum manibus et crucis in eo facto signaculo illoque accipiente ipsius cappam et infirmo supponente eum illico sanavit. Idem nobilis vehementi postmodum corporis tortione gravatus, credens et metuens exinde sibi mortis imminere discrimen cappam ipsam, quam extunc conservaverat, reverenter fecit afferri, qua suo apposita pectori mox vermem quendam duo habentem capita et pilorum densitate villosum evomuit plena liberatione secuta. Cuidam juveni muto, immisso in os digito suaeque linguae soluto ligamine beneficium loquelae concessit. Haec et alia plura, dum viveret, dignatus est per eum dominus operari. — — — **4.** Verum cum pestis haeretica in Lombardiae provincia pullularet et multas jam civitates contagione pestifera infecisset, summus pontifex ad pestem dyabolicam abolendam diversos inquisitores de ordine praedicatorum in diversis Lombardiae partibus delegavit. Sed cum apud Mediolanum haeretici non solum multi numero, sed etiam saeculari potentia acuti fraudulenta eloquentia et pleni dyabolica scientia residerent, summus pontifex sciens et intelligens beatum Petrum virum esse magnanimum, qui ab hostium multitudine non paveret, animadvertens quoque ejus constantem virtutem, per quam adversariorum potentiae nec in modico cederet, cognoscens etiam ejus facundiam, per quam facile haereticorum fallacias detegeret, non ignorans insuper ipsum in divina plene sapientia eruditum, per quam frivola haereticorum argumenta rationabiliter confutaret, ipsum tam strenuum fidei pugilem et tam indefessum domini bellatorem in Mediolano et ejus comitatu instituit, et inquisitorem suum auctoritate concessa plenaria ordinavit.

Ipse igitur injunctum officium diligenter exercens haereticos ubique perquirebat, nullam iis requiem tribuens, sed mirabiliter omnes confundens, potenter expellens, sapienter convincens, ita ut non possent resistere sapientiae et spiritui, qui per eum loquebatur. Quod videntes haeretici et dolentes de ipsius morte cum suis fautoribus tractare coeperunt, arbitrantes se posse pacifice vivere, si eorum tam validus persecutor de medio tolleretur. Cum igitur praedicator intrepidus mox martir futurus de Cumis Mediolanum pro inquirendis haereticis pergeret, in ipso itinere palmam martirii assecutus est, sicut Innocentius explicat in haec verba. Cum de civitate Cumana, ubi fratrum sui ordinis ibi morantium prior erat, Mediolanum pergeret pro exsequenda inquisitione contra haereticos sibi ab apostolica sede concessa, sicut in publica praedicatione praedixerat, quidam de ipsorum haereticorum credentibus prece illorum inductus et pretio in eum salutaris propositi iter prosequentem funestus insiliit, in agnum utique lupus, ferus in mitem, impius in pium, furibundus in mansuetum, in modestum effrenis, profanus in sanctum, praesumit insultum, exercet conatum, mortem intentat, sacrum autem caput illius crudeliter impetens et diris in ipsum impressis vulneribus satiato sanguine justi ense venerandum illum, non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam et caesoris sustinentem in patientia truces ictus dimisit spiritu petente superna in ipso loco passionis occisum, ipso quoque sacrilego percussuras in Christi ministrum geminas inculcante. Ille non querula voce gemens vel murmurans, sed sufferens omnia patienter suum domino commendabat spiritum dicens: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum. Symbolum etiam coepit dicere fidei, cujus nec in hoc articulo desiit esse praeco, [1]) prout ipse nefandus, qui a fidelibus captus fuit, et quidam frater dominicus, qui comes illius erat, et ab ipso lictore percussus diebus aliquibus supervixit, postea retulerunt. Sed cum adhuc martir domini palpitaret, cultellum crudelis lictor arripuit et per latera ejus transfixit. In ipsa autem die sui martirii confessor, martir, propheta et doctor quodammodo esse promeruit. Confessor in eo, quod fidem Christi inter tormenta constantissime confessus fuit, et in eo, quod ipsa die confessione more solito facta obtulit Deo sacrificium laudis. Martir in eo, quod pro defensione fidei sanguinem suum fudit, propheta in eo, quod

1) Ed. Princ.: ut ipse pro nefandis legit.

cum ipse tunc quartanam pateretur et socii dicerent, quod non possent Mediolanum applicare, ille respondit: si non poterimus ad domum fratrum pervenire, apud sanctum Simplicianum poterimus hospitari. Quod et factum est. Nam cum sacrum ejus corpus deferretur, fratres propter nimiam populi frequentiam non potuerunt illud eadem die ad domum deducere, sed apud sanctum Simplicianum deposuerunt et ibidem ea nocte permansit. Doctor in eo, quod etiam, cum pateretur, fidem veram edocuit, dum symbolum fidei clara voce cecinit. Cujus quoque passio veneranda dominicae passioni similis multum fuisse videtur. Christus enim passus est pro veritate, quam praedicabat, Petrus pro veritate fidei, quam defendebat, Christus passus est ab infideli populo Judaeorum, Petrus ab infideli turba haereticorum, Christus in paschali tempore crucifigitur, Petrus eodem tempore martyrium patitur, Christus cum pateretur: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum, dicebat, Petrus cum occideretur, verba eadem clamitabat, Christus pro triginta denariis traditus fuit, ut crucifigeretur, Petrus pro quadraginta libris Papiensibus fuit venditus, ut interficeretur, Christus per passionem suam multos ad fidem adduxit, Petrus per martirium haereticos multos convertit. Quamvis enim egregius doctor et fidei pugil haereticorum dogma pestiferum in vita sua plurimum eradicaverit, post mortem tamen suam ejus meritis et coruscantibus miraculis fuit adeo exstirpatum, ut quam plurimi errorem suum relinquerent et ad gremium sanctae ecclesiae convolarent, ita ut civitas Mediolanum et comitatus ejusdem, ubi tot haereticorum conventicula residebant, adeo purgata est, ut aliis exemplis et aliis ad fidem conversis nullus ibidem auderet aliqualiter comparere. Plures etiam de iis maximi et famosi praedicatores ordinem sunt ingressi, qui usque nunc cunctos haereticos et fautores fervore mirabili persequuntur. Sic noster Samson plures Philistaeos interfecit moriens, quam occideret vivens. Sic granum frumenti cadens in terram et infidelium manibus comprehensum et mortuum uberem consurgit in spicam, sic botrus in torculari calcatus liquoris redundat in copiam, sic aromata pilo contusa odorem plenius circumfundunt, sic granum sinapis contritum virtutem suam multipliciter demonstravit. — — — 5. Post sancti viri gloriosum triumphum multis eum dominus miraculis illustravit, quorum quaedam summus pontifex refert dicens: post mortem ipsius lampades ad sepulchrum ejus dependentes pluries per se ipsae absque omni humano studio et ministerio

divinitus sunt accensae, quia conveniens nimis erat, ut qui igne et lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis ac luminis miraculum appareret. Quidam autem, cum vesceretur cum aliis et ejus sanctitatem et miracula depravaret, sumto [1]) quodam sub obtestatione morsello, [2]) quem cum non posset, sed circa hoc delinqueret, transglutire, sensit mox ipsum sic gutturi inhaerentem, ut illum inducere vel educere non valeret. Quare illico poenitens et jam vultus mutato colore, quia sentiens vicinum mortis eventum facto intra se voto, quod linguam de caetero ad talia non laxaret, fuit protinus illo evomito liberatus. [3]) Hydropica quaedam ad locum passionis ejus auxilio viri sui perveniens fusa ibi oratione sanitatem integram mox recepit. Obsessas a daemonibus martir ipse dejectis illis cum multo sanguinis vomitu de corporibus liberavit, febres expulit, languores quam plurimos curavit et diversos. Cuidam sinistrae manus digitum ex morbo fistulae plurimorum foraminum concavitate defossum mira consolatione sanavit. Quidam insuper puer ex casu gravissimo sic oppressus, ut motu et sensu penitus destitutus tamquam mortuus defleretur, mox apposita de terra suo pectori sacro ejus martiris cruore contacta incolumis resurrexit. Quaedam etiam mulier, cujus carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis hujusmodi terra vulneribus est curata. Alii etiam diversis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum ejus in vehiculis et aliis sustentaculis adierunt, exinde postmodum plena incolumitate recepta sine aliquibus subsidiis rediere. — — — 6. Cum autem summus pontifex Innocentius quartus beatum Petrum sanctorum catalogo adscripsisset, fratres apud Mediolanum ad capitulum convenerunt: volentes autem ejus corpus ad altiorem locum transferre, cum plus quam per annum sub terra jacuisset, ita sanum et integrum ac sine alicujus exhalatione foetoris repertum est, ac si eadem die sepultum fuisset. Fratres igitur super magnum pulpitum juxta plateam corpus ejus cum magna reverentia deduxerunt et ibidem sic sanum et integrum coram omni populo est ostensum et ab eo suppliciter adoratum. [4]) Praeter miracula supra dicta in litteris summi pontificis posita plurima alia sunt comperta. Nam super lo-

---

1) Ed. Pr. male: quidam obtestationis. 2) Recent. non male legunt: qui eum non posset, si circa hoc delinqueret. 3) Sequentes historiolae de miraculis Petri inde a verbis Hydropica — subsidiis rediere desunt in Ed. Pr. 4) Sequentia inde a verbis: Praeter — testati sunt desunt in Ed. Pr.

cum passionis ejus saepe luminaria de coelo descendentia plures religiosi aliique quam plures visibiliter conspexerunt. Inter quae luminaria duos fratres in habitu praedicatorum se vidisse testati sunt. Quidam juvenis nomine Gunfredus, alias Guifredus [1]), de civitate Cumana dum de panno tunicae sancti Petri haberet et quidam haereticus eidem deridendo diceret, ut, si sanctum eum crederet, in ignem pannum ipsum projiceret et si comburi non contingeret, absque dubio sanctus esset et ipse suae fidei adhaereret, moxque super carbones accensos pannum sancti Petri projecit, sed ab ipso igne altius resilivit, deinde per se super ipsos carbones resiliens ipsos ardentes penitus exstinxit. Tunc incredulus ille dixit: sic per omnia pannus tunicae meae faciet. Positus est igitur super alios carbones ex una parte pannus haeretici et ex altera parte pannus sancti Petri. Pannus autem haeretici mox, ut ignis calorem sensit, penitus combustus, pannus vero sancti Petri in igne praevaluit et ignem ipsum exstinxit, ita quod nec pilus aliquis de eo combustus fuit. Quod videns haereticus ad viam veritatis rediit et miraculum omnibus publicavit. — — — [2]) **7.** Apud Flocentiam juvenis quidam haereticus pravitate corruptus cum in ecclesia fratrum de Florentia cum quibusdam aliis juvenibus ante quandam tabulam, ubi est depictum martirium sancti Petri, staret, videns lictorem eum percutientem evaginato gladio ipse dixit: utinam ego ibi fuissem, quia validius percussissem! Quo dicto statim mutus effectus est. Cumque socii requirerent, quid haberet, et ipse nihil respondere posset, eum domum reduxerunt. Sed cum in via ecclesiam quandam sancti Michaelis vidisset, elapsus de manibus sociorum ecclesiam intravit et flectens genua corde sanctum Petrum rogavit, ut sibi parceret, voto, sicut potuit, se obligans, quod, si liberaretur, peccata sua confiteretur et omnem haeresin abnegaret. Tunc subito loquelam recuperavit et veniens ad domum fratrum abjurata haeresi peccata sua confessus est, data licentia confessori, quod hoc in populo praedicaret. Ipse quoque in publica fratrum praedicatione surgens coram omni multitudine hoc confessus est. — — — **8.** Navis quaedam dum in medio maris paene naufragium pateretur, saeva fluctuum inundatione quassata, omnesque caliginosae noctis tenebris tenerentur, diversorum sanctorum suffragia postulabant, sed cum nullum suae liberationis viderent indicium seque periclitari plurimum for-

1) Ed. Pr. legit: Cuifredus de etc. 2) Sequentes paragraphi usque ad 16mam desunt in Ed. Pr., manifesto serioris originis.

midarent, quidam de iis natione Januensis facto silentio sic eos alloquitur: viri fratres, numquid non audistis, qualiter quidam frater de ordine praedicatorum nomine frater Petrus nuper ob defensionem fidei catholicae sit ab haereticis interfectus multaque per eum dominus signa ostendat. Nunc igitur devote ejus patrocinium imploremus, quia spero, quod a nostra nequaquam postulatione fraudabimur. Assentiunt universi beatum Petrum in sui auxilium devotis precibus invocantes. Illis sic orantibus mox antenna navis, in qua velum appenditur, cereis accensis tota plena conspicitur, ita quod omnis obscuritas ipsorum cereorum mirabili fulgore fugatur noxque illa tam caliginosa in diem clarissimam commutatur. Respicientes viderunt quendam cum habitu fratrum praedicatorum super velum stantem, de quo nulli dubium fuit, quin beatus Petrus exstiterit. Cum ergo praedicti nautae Januam incolumes advenissent, ad domum fratrum praedicatorum venerunt et Deo et beato Petro gratias referentes eisdem fratribus totius miraculi seriem narraverunt. — — — **9.** Mulier quaedam in Flandria cum jam tres filios mortuos peperisset et ex hoc a viro odio haberetur, rogavit sanctum Petrum, ut sibi in auxilium fieret. Cum ergo quartum filium peperisset, similiter mortuus est repertus. Quem mater accipiens ad rogandum sanctum Petrum totam se contulit, eum, ut filium suum reviviscere faceret, precibus devotis exorans. Cum igitur ad baptismum portatus fuisset, et ut Johannes vocaretur, definitum esset, sacerdos, cum ejus nomen dicere debuit, nesciens dixit Petrus, unde illud nomen postmodum ex devotione sancti Petri semper retinuit. — — — **10.** In provincia Teutoniae apud Trajectum mulieres quaedam videntes ad ecclesiam fratrum praedicatorum in honore sancti Petri martiris magnum concursum fieri populorum, dum ipsi in platea consisterent et filarent, adstantibus sic dicebant: ecce isti praedicatores omnem modum lucrandi noverunt, nam ut magnam possint pecuniam cumulare et lata aedificare palatia, unum novum martirem invenerunt. Dum haec et similia dicerent, ecce subito filum totum sanguine cruentatur et digiti, quibus filum torquebant, sanguine mox replentur. Quod illi videntes et admirantes digitos diligenter extergent, ne forte in iis accidisset aliqua inscissura. Sed cum digitos omnino sanos conspicerent et filum sic sanguinolentum viderent, trementes ac poenitentes dicere coeperunt: vere, quia pretiosi martiris sanguini detraximus, nobis hoc sanguinis miraculum tam stupendum evenit. Currentes igitur ad domum fratrum priori omnia

exposuerunt ac filum sanguine cruentatum eidem praesentaverunt. Prior autem ad multorum instantiam sollennem praedicationem convocavit et quidquid praedictis mulieribus acciderat, coram omnibus retulit et filum ipsum sic cruentatum omnibus ostendit. Iterum quidam magister artis grammaticae in eadem praedicatione consistens factum ipsum coepit plurimum deridere et adstantibus dicere: videte modo, qualiter isti fratres simplicium corda decipiunt. Nam cum aliquibus mulierculis de suis familiaribus conduxerunt, ut filum ipsum in aliquo sanguine tingerent et sic miraculose accidisse narrarent. Dum haec ille diceret, protinus ultionis divinae plagam accepit et ipsum validissimarum febrium aestus multis adspicientibus sic vexavit, ut a praedicatione ipsa inter manus amicorum in propriam domum deferretur. Sed cum vehementer febris excresceret et ille mortem vicinam timeret, praedictum priorem accersere facit et reatum suum confitens Deo et beato Petro coram dicto priore votum vovit, quod, si ejus meritis sanitatem reciperet, eum semper in speciali devotione haberet et de caetero linguam ad talia non laxaret. Mira res, mox ut praedictum votum protulit, sanitatem integram recepit. — — — **11.** Quadam vice cum supprior praedicti loci quosdam lapides pulcherrimos et magnos in quadam navi pro constructione praedictae ecclesiae duceret, navis ipsa ex improviso cuidam littori sic inhaesit, ut nullatenus posset moveri. Descendentes vero nautae omnes unanimiter ipsam impellebant, sed nullatenus movere poterant. Cum ergo navem se amisisse putarent, praedictus supprior omnibus aliis licentiatis manum ad navem apposuit et leviter ipsam impellens dixit: in nomine sancti Petri martiris, in cujus honorem lapides istos deferimus, vade. Statimque navis velocissime se movit et de littore sana recessit, super quam nautae adscendentes omnes sani et hilares ad propria remearunt. — — — **12.** In provincia Franciae civitate Senonis puella quaedam cum in aquam raptim transeuntem cecidisset et per magnum spatium temporis stetisset, tandem de flumine mortua est extracta. Cujus mortis erant quatuor argumenta, scilicet magnum spatium temporis et rigiditas corporis et frigiditas et nigredo. Delata est ergo a quibusdam ad ecclesiam fratrum. Qui cum eam sancto Petro vovissent, continuo vitae est reddita et saluti. — — — **13.** Frater Johannes Polonus cum apud Bononiam quartana laboraret et in festo sancti Petri martiris sermonem ad clerum facere deberet, accessionem eadem nocte juxta cursum naturalem exspectans

timere valde coepit, ne in injuncto sermone sibi deficeret. Ad sancti igitur Petri conversus suffragia ad altare ipsius cum devotione accessit orans, ut ejus meritis juvaretur, cujus debebat gloriam praedicare, sicque factum est, quod illa nocte febris penitus cessavit et postea nunquam eum invasit. — — — **14.** Matrona quaedam nomine Girolda uxor Jacobi de Vallesana cum per XIIII annos ab immundis spiritibus fuisset obsessa, venit ad quendam sacerdotem dicens: ego sum daemoniaca et spiritus malignus vexat me. Mox sacerdos territus fugiens sacristiam intravit et librum quendam, in quo erant conjurationes daemonum, et stolam latenter sub cappa deferens cum bona societate ad mulierem rediit; quae mox, ut vidit, ait: latro pessime, quo ivisti? Quid est, quod sub cappa occulte portasti? Cum autem sacerdos adjurationes suas faceret et nil curationis afferret, venit illa ad beatum Petrum, dum adhuc viveret, ab eo postulans adjuvari. Cui ille prophetica voce respondit: confide, filia, ne desperes, quia et si, quod postulas, ad praesens perficere non valeo, tempus tamen veniet, quo id, quod a me petis, plenarie obtinebis. Quod et factum est. Nam post passionem ejus, cum ad sepulchrum ejus praedicta mulier accessisset, ab illa infestatione daemonum fuit penitus liberata. — — — **15.** Mulier quaedam nomine Euphemia de loco Corriongo Mediolanensis dyocesis septem annis a daemonibus est vexata, sed cum ad sepulchrum sancti Petri ducta fuisset, coeperunt daemones eam amplius agitare et per os ejus cunctis audientibus clamare: Mariola, Mariola, Petrine, Petrine. Tunc daemones exeuntes eam quasi mortuam dimiserunt, sed modicum post dum plene sanata fuit, surrexit. Asserebat autem, quod diebus dominicis et festivis et maxime, quando missa celebrabatur, eam daemones amplius molestabant. — — — **16.** Quaedam mulier nomine Verona de Beregno per VI annos a daemonibus agitata cum ad sepulchrum sancti Petri fuisset adducta, vix a multis viris detineri poterat, inter quos erat quidam credens haereticorum, nomine Conradus de Ladriano, qui illuc advenerat, ut sancti Petri miracula derideret. Qui cum praedictam mulierem cum caeteris detineret, daemones eidem per mulierem dixerunt: cur tenes nos, nonne noster es? Nonne te ad talem locum portavimus et ibi tale homicidium perpetrasti? Nonne te ad talem et talem locum duximus et ibi tale et tale flagitium commisisti? Cumque multa peccata sibi dicerent, quae nullus alius nisi ipse solus sciebat, vehementer expavit: mox autem daemones

collum et pectus mulieris excoriantes et inde exeuntes semivivam eam dimiserunt, sed post modicum penitus sanata surrexit. Praedictus autem Conradus haereticus haec videns et stupens ad fidem catholicam est conversus. — — — **17.** [1]) Cum quidam haereticus acerrimus disputator et eloquentiae singularis cum beato Petro, cum adhuc viveret, disputaret et errores suos subtiliter et acute proposuisset in medium ac beatus Petrus, ut responderet ad proposita, importunus perurgeret, ille deliberationem petens oratorium quoddam, quod prope erat, intravit cum lacrymis orans Deum, ut causam fidei suae defenderet et loquentem tumidum aut ad fidei veritatem reduceret aut linguae privatione puniret, ne per eam de caetero contra fidei veritatem tumeret, rediensque ad haereticum coram omnibus palam dixit, ut suas iterum proponeret rationes. Qui ita penitus factus est mutus, uti nec unum solum verbum aliquatenus proferre valeret. Unde haeretici confusi recesserunt et catholici Deo gratias retulerunt. — — — **18.** Vir quidam nomine Opiso credens haereticorum cum occasione cujusdam haereticae consanguineae suae ad ecclesiam fratrum venisset et ad tumbam sancti Petri pergens duos ibi denarios conspexisset, ipse denarios accipiens dixit: bonum est, ut bibamus istos; statimque totus coepit tremere nec de loco eodem aliquatenus potuit se movere. Qui territus praedictos denarios in loco suo mox restituit et sic inde abscessit. Videns autem beati Petri virtutem, haeresim deseruit et ad fidem catholicam se convertit. — — — **19.** [2]) Sanctimonialis erat quaedam in Alemannia et in claustro Oetenbach ordinis sancti Sixti Constantiensis dyocesis, quae per annum et amplius gravem guttam in genu perpessa est, ita quod nullo remedio poterat liberari. Haec quia sepulchrum sancti Petri corporaliter visitare non poterat, utpote quae erat sub obedientia constituta et quae infirmitate gravissima urgebatur, cogitavit saltem praedictum sepulchrum mentali gressu adire ac devotione sedula visitare. Discens vero, quod in XIII diaetis de loco illo Mediolanum posset adire, quotidie pro qualibet diaeta centum pater noster ad honorem sancti Petri dicere coepit. Mirum in modum: cum istas mentales diaetas taliter coepit facere, successive semper et paulatim coepit se melius habere. At ubi ultimam diaetam perfecit et ad tumbam mentali gressu pervenit,

1) Haecce paragraphus in edit. recent. sequitur infra post paragraphum 22.
2) Iterum sequentes paragraphi ab 18ma usque ad 24mam desunt in Ed. Pr. manifesto recentioris originis.

flexis genibus ac si praesentialiter coram tumba adstaret, psalterium cum devotione maxima totum legit, quo expleto ab illa infirmatione adeo liberatam se sensit, ut jam inde modicum quid sentiret. Rediens vero eo modo, quo iverat, antequam omnes diaetas explevisset, penitus est sanata. — — — **20.** Vir quidam de Canapicio de villa Mazzati nomine Rufinus gravem valde infirmitatem incurrit, nam vena fracta in inferioribus partibus anterius sine cessatione sanguinem emittebat, quod a nullo medico aliquod sibi remedium poterat adhiberi. Cum ergo sanguis per sex dies et noctes continue effluxisset, ille beatum Petrum devote in sui auxilium invocavit, qui tam subito sanatus est, ut inter effusam orationem et receptam liberationem nullum paene fuerit intervallum. Cum autem se sopori dedisset, vidit quendam fratrem in habitu ordinis fratrum praedicatorum grossum atque facie brunum, quem socium beati Petri martiris existimabat, sicut vere et talis formae exstiterat. Qui cum expansione palmas plenas sanguine cum quodam suavi unguento eidem offerebat dicens: sanguis adhuc recens est, veni igitur ad recentem sanguinem sancti Petri. Qui evigilans sepulchrum sancti Petri statuit visitare. — — — **21.** Quaedam comitissae de castro Massyno Ypozensis dyocesis cum in beatum Petrum specialem devotionem haberent et ejus vigiliam jejunarent, cum ad suam ecclesiam, ut audirent vesperas, accessissent, una earum candelam quandam in honorem sancti Petri martiris ante quoddam altare beati Petri apostoli posuit comburendam. Quae cum domum rediissent, sacerdos avaritia ductus in ipsam candelam sufflans eam exstinxit, sed mox lumen rediit et denuo ipsam accendit. Secundo et tertio eam exstinguere voluit, sed lumen ut prius rediit. Unde taedio affectus chorum intravit et ante majus altare àliam candelam invenit, quam clericus in honòrem sancti Petri posuerat, qui ejus vigiliam similiter jejunabat. Quam sacerdos bis exstinguere voluit, sed nequivit. Quod videns clericus iratus dixit: dyabole, apertum miraculum non videtis et quod sanctus Petrus non vult, ut suam exstinguatis candelam? Territi igitur et stupentes sacerdos et clericus castrum adscenderunt et praedictum miràculum omnibus narraverunt. — — — **22.** Vir quidam nomine Roba de Meda cum usque ad vestes in ludis omnia perdidisset, domum in sero rediens cum lucerna accensa lectum suum adiit et videns se tam viles pannos habere et se tantum amisisse considerans prae nimia desperatione coepit daemones invocare ac se iisdem

ore nefario commendare, statimque tres daemones affuerunt, qui lucernam accensam in solarium projicientes eum per collum arripuerunt tam fortiter ipsum stringentes, ut nullatenus loqui posset. Quem cum plurimum agitarent, qui erant in domo inferiori, ad eum adscendentes dixerunt: quid est, quod agis Roba? Quibus daemones responderunt: ite in pace vestra et lectos vestros intrate. Illi autem vocem esse credentes praedicti viri protinus redierunt. Illis recedentibus coepit multo fortius a daemonibus agitari. Quod illi cognoscentes sacerdotem protinus advocaverunt, qui cum per beatum Petrum daemones adjurasset, duo protinus exierunt. Sequenti autem die ad sepulchrum sancti Petri adductus est, ad quem frater Guilhelmus Vercellensis accedens coepit daemonem increpare, qui eum, quem nunquam viderat, nomine vocans ait: frater Guilhelme pro te nunquam exibo, quia hic noster est et opera nostra fecit. Quem cum interrogasset, quo nomine vocaretur, ait: vocor Balcefas. Verumtamen cum per beatum Petrum adjuratus fuisset, ipsum in terra projiciens mox exivit, ipse autem perfecte sanus remansit et poenitentiam salutarem accepit. — — — **23.** Cum in Ramis palmarum, dum adhuc viveret, Mediolani praedicaret et ibi utriusque sexus esset maxima multitudo, dixit publice alta voce: scio pro certo, quod haeretici tractant mortem meam, ita quod pro morte mea jam pecunia data est, sed faciunt, quidquid possunt, quia magis persequar eos mortuus quam vivus. Quod verum fuisse manifestum est. — — — **24.** Apud Florentiam in monasterio Discipulis sanctimonialis quaedam in oratione posita ea die, qua beatus Petrus mortem sustinuit, vidit beatam virginem in excelso throno in gloria residere et duos fratres de ordine praedicatorum in coelum adscendere et hinc inde juxta eam collocatos esse. Et quum inquireret, quinam essent, audivit vocem dicentem sibi: hic est frater Petrus, qui in conspectu domini tamquam fumus aromatum gloriosus adscendit. Repertumque est pro certo, quod eodem die mortem subiit, qua dicta sanctimonialis visionem vidit. Unde cum longa et gravi infirmitate laboraret, ad rogandum beatum Petrum tota se devotione contulit et sanitatem integram mox recepit. — — — **25.** Scholaris quidam cum de Magalana ad Montem Pessulanum rediret, ex quodam saltu adeo est ruptus in inguine, ut dolore nimis vexaretur et incedere non valeret. Hic aliquando audiens praedicare, quod quaedam mulier terram sanguine beati Petri respersam super cancri corrosionem ponens fuerat liberata,

dixit: domine Deus de terra illa non habeo, sed qui illi terrae meritis beati Petri tantam dedisti virtutem, potes et isti dare. Accipiens igitur de terra cum signo crucis et invocatione martiris loco supposuit et statim curatus fuit. — — — **26.** Anno domini MCCLIX in civitate Apostella fuit quidam vir nomine Benedictus, qui tibias inflatas habebat in modum utrium, ventrem tumentem instar praegnantis, faciem prae nimio tumore horribilem, totumque corpus inflatum, ita ut monstrum aliquod videretur. Hic cum a quadam matrona vix super baculum se sustentans elemosinam peteret, illa respondit: magis fossa, quam alio bono indigeres, sed meo consilio acquiesce ac domum fratrum praedicatorum pergens ac peccata confitens beati Petri patrocinia invocato. Ille autem cum mane ad domum fratrum venisset et ostium ecclesiae clausum esset, secus portam se posuit et dormivit et ecce quidam reverendus in habitu praedicatorum eidem apparuit et cappa ipsum operiens eum in ecclesiam introduxit, ille autem evigilans et in ecclesia se esse reperit et perfecte sanatum invenit. Quod multis admirationem intulit et stuporem, cum viderent hominem paene mortuum tam subito a gravi infirmitate fuisse liberatum.

CAP. LXIV.[1]

De sancto Fabiano.

Sanctus Fabianus rexit Romanam ecclesiam multis annis et tandem temporibus Decii passus est. Iste dum eligeretur ad pontificium urbis Romae, spiritus sanctus in specie columbae multis visus est apparuisse. Iste passiones sanctorum, quae neglectae servantur a notariis, fecit excipi et scribi et multas basilicas per cimiteria sanctorum fabricari fecit, quas et dedicavit. Hic instituit, ut chrisma vetus cremaretur et novum omni anno in coena domini consecraretur. Alia require in festo beati Fabiani et Sebastiani martirum.

1) Hoc caput deest in edit. recentioribus.

CAP. LXV. (62.)
De sancto Philippo apostolo.

Philippus dicitur os lampadis vel os manuum, vel dicitur a philos, quod est amor, et yper, quod est super, quasi amator supernorum. Dicitur igitur os lampadis propter suam luculentam praedicationem, os manuum propter assiduam operationem, amator supernorum propter coelestem contemplationem.

Philippus apostolus cum XX annis per Sithiam praedicasset, a paganis tenetur et ad immolandum statuae Martis ab iisdem compellitur. Tunc subito draco quidam ingens desub base exivit, qui filium pontificis, qui ignem ministrabat, in sacrificio interfecit duosque tribunos, quorum ministri Philippum in vinclis detinebant, exstinxit caeterosque adeo sui flatus foetore infecit, ut omnes morbidi redderentur. Dixitque Philippus: credite mihi et statuam istam confringite et in loco ejus crucem domini adorate, ut infirmi vestri sanentur et mortui suscitentur. At hi, qui cruciabantur, clamabant: tantum fac, ut sanemur, et hunc Martem protinus confringemus. Tunc Philippus draconi praecepit, ut in locum desertum descenderet, ita ut nulli omnino noceret, qui statim recessit et ulterius non comparuit. Tunc Philippus omnes sanavit et illis tribus mortuis vitae beneficium impetravit sicque universis credentibus per annum unum iis adhuc praedicavit et in iis presbiteros et dyaconos ordinans in Asiam civitatem Hierapolin venit, ibique haeresin Hebronitarum, qui Christum carnem phantasticam assumsisse dogmatizabant, exstinxit. Erant autem ibi duae sacratissimae virgines, per quas dominus multos ad fidem convertit, Philippus autem ante VII dies obitus sui episcopos et presbiteros convocavit iisque dixit: hos VII dies propter admonitionem vestram mihi dominus concessit. Erat autem anno LXXXVII. Post hoc infideles ipsum tenuerunt et cruci ad instar magistri sui, quem praedicabat, affixerunt et sic ad dominum migravit et feliciter vitam complevit. Juxta autem eum duae filiae ejus, una a dextris et alia a sinistris sunt sepultae. De isto Philippo sic dicit Ysidorus in libro de vita et ortu et obitu sanctorum: Philippus Gallus praedicat Christum, barbaras gentes vicinasque tenebras et tumenti Oceano conjunctas ad scientiae lumen fideique portum deducit; demum in Hierapoli,

Phrygiae provinciae urbe crucifixus lapidatusque obiit simulque cum filiabus suis ibi requiescit. Haec Ysidorus. De Philippo autem, qui fuit de VII dyaconibus, dixit Hieronymus in martirologio, quod VIII. ydus Julii signis et prodigiis inclitus apud Caesariam requievit, juxta quem tres filiae ejus tumulatae sunt, nam quarta apud Ephesum requiescit. Primus ergo Philippus ab isto differt, quia ille fuit apostolus, iste dyaconus, ille quiescit apud Hierapolin, iste apud Caesaream, ille habuit duas filias prophetissas, iste quatuor, licet hystoria ecclesiastica videatur dicere, quod fuit Philippus apostolus, qui habuit IIII filias prophetissas, sed in hoc magis Hieronymo est credendum.

CAP. LXVI.[1]

De sancta Apollonia.

Cum apud Alexandriam temporibus Decii imperatoris immanis persecutio contra Dei servos sumsisset exordium, quidam Divinus nomine miser daemonum principalia praevenit edula, superstitiosum contra ejusdem Christi famulos excitans vulgus, a quo multitudo incensa nihil aliud quam piorum sanguinem sitiebat. Primo ergo quosdam religiosos utriusque sexus corripientes alios per corpus membratim fustibus conscisserunt vultumque et oculos acutis calamis terebrantes extra civitatem ejecerunt, quosdam vero ad ydola producentes adorare cogebant recusantes, imo potius exsecrantes, vincla pedibus innectentes et per plateas totius civitatis trahentes foedoque horrendoque supplicii genere discerpunt. Ergo erat his temporibus quaedam admiranda virgo longaevae aetatis nomine Apollonia, castitatis, sobrietatis atque munditiae floribus redimita, tanquam columna fortissima ipso spiritu domini confirmata pro fidei suae merito et virtute a domino percepta admiranda angelis et hominibus praebens spectacula. Cum itaque furens multitudo per domos servorum Dei irrueret atque crudelitate hostili cuncta diriperet, rapitur protinus ad tribunal impiorum beata Apollonia simplicitate innocens, virtute fortissima, nihil sane aliud de-

1) Deest haec legenda in editionibus recentioribus.

ferens quam suae intrepidae mentis constantiam et illaesae conscientiae puritatem, devotam Deo offerens animam et castissimum tradens persequentibus corpus ad poenam. Igitur comprehensa beata virgine persecutores in ipsam crudeliter saevientes primo ei omnes dentes ejus excusserunt, deinde congestis lignis rogum ingentem exstruxerunt, comminantes se vivam eam incensuros, nisi cum ipsis pariter impia proferret. At illa, ut rogum vidit esse succensum, paululum quidem intra semetipsam deliberans repente de manibus impiorum prorupit atque in ignem, quem minabantur, sponte prosiliit, ita ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis auctores, quod promtior est inventa femina ad mortem, quam persecutor ad poenam. Diversis igitur affectata suppliciis: fortissimam martirem Christi nec incumbentium tormenta poenarum et saevissimorum persecutorum superare flamma potuit, quia longe ardentius veritatis radiis mens ejus accensa fervebat. Unde nec potuit de infatigabili pectore calorem divinitus infusum corporeus ille et mortalium ministratus manibus ignis excludere. O magnum mirandumque certamen hujus virginis, quae miserantis Dei dispensante gratia arsit, ne arderet et ne ureretur, exusta est, quasi nullis esset ignibus et suppliciis tradita. Fuerat quidem securitas libertatis, sed nulla exstiterat gloria dimicantis. Validissima virgo martir Christi Apollonia mundi delicias continens, florentem mundum mentis despectu calcans et sponso suo Christo placere cupiens felici perseverantia in virginali proposito inter cruciamenta firmissima perstitit: praeminet ergo et praefulget inter martires meritum hujus virginis tam gloriose et feliciter triumphantis; profecto virilis animus in hac femina majus aliquod fecit, quoniam sibi tanto pondere certaminis fragilitas non defecit. Omnem quoque timorem terrenum a se per amorem coelestem expellens crucis Christi trophaeum arripuit et tam contra libidines quam ecce contra universa supplicia fide potius armata quam ferro dimicavit et vicit. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

CAP. LXVII. (63.)

De sancto Jacobo apostolo.

Jacobus supplantator vel supplantans festinantem vel praeparans. Vel dicitur Jacobus a ia, quod est Deus, et cobar, quod est onus vel pondus. Vel Jacobus quasi Jacopus a jaculo et cope, quod est caesio, quasi caesus jaculis. Dicitur ergo supplantator mundi per contemtum, supplantáns festinantem dyabolum, praeparans ad omne bonum corpus suum. Malae enim passiones nobis insunt ex tribus, sicut dicit Gregorius Nyssenus: ex mala educatione sive conversatione, ex corporis mala habitudine, ex vitio ignorantiae. Curantur autem, ut dicit, ex bona consuetudine, bona exercitatione, studio doctrinae. Sic beatus Jacobus se curavit et ideo corpus ad omne bonum paratum habuit. Dicitur etiam pondus divinum per gravitatem morum, jaculis caesus per martirium.

1. Jacobus iste apostolus vocatus est Jacobus Alphei, scilicet filius, frater domini Jacobus minor et Jacobus justus, Jacobus Alphei dicitur non tantum secundum carnem, sed etiam secundum nominis interpretationem. Alpheus enim interpretatur doctus vel documentum vel fugitivus vel millesimus. Dicitur ergo Jacobus Alphei, quia fuit doctus per scientiae inspirationem, documentum per aliorum eruditionem, fugitivus de mundo per despectionem, et millesimus per humilitatis reputationem. Frater quidem domini dicitur ex eo, quod simillimus sibi fuisse perhibetur, adeo ut plerique in eorum specie fallerentur. Unde cum Judaei ad capiendum Christum pergerent, ne forte Jacobum in persona Christi caperent, a Juda, qui Christum a Jacobo tanquam eorum familiaris optime discernebat, signum osculi acceperunt. Hoc etiam testatur Ignatius in epistola ad Johannem evangelistam sic dicens: si licitum est mihi apud te, ad Hierosolimae partes volo adscendere, ut videam illum venerabilem Jacobum, qui cognominatur justus, quem referunt Christo Jesu simillimum facie, vita et modo conversationis, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus. Quem, dicunt, si video, video et Christum Jesum secundum omnia corporis lineamenta. Vel dicitur frater domini, quoniam Christus et Jacobus, sicut a duabus sororibus descenderant, sic a duobus fratribus Joseph et Cleopha descendere putabantur. Non enim dicitur frater domini, quia fuerit filius Joseph sponsi Mariae de alia uxore, sicut aliqui volunt di-

cere, sed quia erat filius Mariae filiae Cleophae; qui quidem Cleophas fuit frater ipsius Joseph sponsi Mariae, licet magister Johannes Beleth dicat, quia Alpheus, pater ipsius Jacobi, fuit frater Joseph sponsi Mariae. Quod verum non creditur. Judaei ergo fratres vocabant, qui se ex utraque parte sanguinis contingebant, vel dicitur frater domini propter praerogativam et excellentiam sanctitatis, ob quam prae caeteris apostolis Hierosolymis est episcopus ordinatus. Dicitur etiam Jacobus minor ad differentiam Jacobi, filii Zebedaei; licet enim Jacobus Zebedaei prior natus sit, fuit tamen vocatione posterior, unde etiam haec consuetudo in plerisque regionibus observatur, ut ille, qui posterior ingreditur, major vocetur, et ille, qui prior, minor, licet sit prior aut aetate major aut sanctitate dignior. Dicitur etiam Jacobus justus propter meritum excellentissimae sanctitatis, nam secundum Hieronymum tantae reverentiae et sanctitatis in populo exstitit, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent tangere. Unde et de ejus sanctitate sic scripsit Hegesippus apostolorum vicinus, sicut in ecclesiasticis hystoriis legitur: suscepit, inquit, ecclesiam frater domini Jacobus, qui ab omnibus nominatus est justus, ab ipsis temporibus domini perdurans usque ad nos. Hic ex utero matris suae sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit, ferrum in caput ejus non adscendit, oleo non est unctus, balneis non est usus, sindone, id est veste linea, semper indutus. Totiens in oratione genua flexerat, ut callos in genibus sicut in calcaneis videretur habere. Pro hac incessabili et summa justitia appellatus est justus et abba, quod est interpretatum munimentum populi et justitia. Hic solus inter apostolos propter nimiam sanctitatem permittebatur intrare in sancta sanctorum. Haec Hegesippus [1]). Dicitur etiam, quod primus inter apostolos missam celebravit; nam propter excellentiam suae sanctitatis hunc sibi honorem apostoli fecerunt, ut post adscensionem domini primus inter eos missam Hierosolymis celebraret, etiam antequam esset episcopus ordinatus, cum ante ejus ordinationem in actibus dicatur, quod discipuli erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis, quod de missae celebratione accipitur, vel forte ideo primus celebrasse dicitur, quod primus in pontificalibus eam dixisse perhibetur, sicut et Petrus postmodum primus in Antiochia missam celebravit

1) Ed. Pr. addit verba sequentia aperte huc non pertinentia: non quidem ausa immolationis sed orationis.

et Marcus in Alexandria. Hic perpetuae virginitatis exstitit, sicut testatur Hieronymus in libro contra Jovinianum. In parasceue autem mortuo domino, sicut dicit Josephus et Hieronymus in libro de viris illustribus, Jacobus votum vovit, se non comesturum, donec videret dominum a mortuis surrexisse. In ipsa autem die resurrectionis cum usque ad diem illam Jacobus non gustasset cibum, eidem dominus apparuit ac iis, qui cum eo erant, dixit: ponite mensam et panem. Deinde panem accipiens benedixit et dedit Jacobo justo dicens: surge, frater mi, comede, quia filius hominis a mortuis resurrexit. Septimo igitur anno episcopatus ejus cum ad diem paschae apostoli Hierosolymis convenissent, interrogante eos Jacobo, quanta per eos fecisset dominus coram populo, referebant. Cum ergo VII diebus Jacobus cum aliis apostolis in templo praedicasset coram Caypha et aliquibus Judaeis et jam prope esset, ut baptizari vellent, repente quidam templum ingrediens clamare coepit: o viri Israelitae, quid facitis? Cur ab istis nos magis decipi permittitis? In tantum autem populum concitavit, ut apostolos lapidare vellent. Adscendit autem homo ille super gradum, ubi Jacobus praedicabat et ipsum praecipitavit deorsum et extunc plurimum claudicavit. Haec autem VII anno post adscensionem domini beatus Jacobus passus est. In anno autem episcopatus sui XXX, videntes Judaei, quod Paulum non possent occidere, eo quod Caesarem appellasset et Romam missus fuisset, persecutionis suae tyrannidem in Jacobum converterunt, contra eum occasionem quaerentes, et sicut praedictus Hegesippus apostolorum contemporaneus refert, secundum quod in hystoria ecclesiastica invenitur, Judaei ad eum convenerunt dicentes: oramus te, ut revoces populum, quia ipse errat in Jesu putans, quod ipse sit Christus. Precamur ergo, ut dissuadeas omnibus convenientibus in die paschae de Jesu, tibi enim obtemperabimus omnes et de te tam nos quam populus testimonium ferimus, quia justus es et personam nullius accipis. Statuerunt igitur illum super pinnam templi et voce magna clamantes dixerunt: virorum justissime, cui nos omnes obtemperare debemus, quoniam populus errat post Jesum, qui crucifixus est, enuntia nobis, quid tibi videtur. Tunc Jacobus cum ingenti voce respondit: quid me interrogatis de filio hominis, ecce ipse sedet in coelis a dextris summae virtutis venturus judicare vivos et mortuos. Haec audientes christiani valde gavisi sunt et libenter eum audierunt, Pharisaei autem et scribae dixerunt: male fecimus tale testimonium praestare Jesu, sed

adscendamus et praecipitemus eum deorsum, ut caeteri terreantur et ei credere non praesumant, et simul voce magna exclamaverunt dicentes: o, o et justus erravit. Adscenderunt ergo et praecipitaverunt eum. Cum ergo praecipitassent, lapidibus eum obruebant dicentes: lapidemus Jacobum justum; qui dejectus non solum mori non potuit, sed conversus et super genua procumbens dicebat: rogo, domine, dimitte iis, quia nesciunt, quid faciunt. Tunc unus ex sacerdotibus, ex filiis Rahab exclamavit: parcite, quaeso, quid facitis? pro vobis orat hic justus, quem lapidatis. Tunc unus ex ipsis perticam fullonis arripiens valido ictu caput ejus petiit et cerebrum excussit. Haec Hegesippus; talique martirio migravit ad dominum sub Nerone, qui coepit anno domini LVII, sepultus ibidem prope templum. Cum autem populus vellet ejus mortem vindicare et malefactores capere et punire, protinus aufugerunt. — — — **2.** Refert Josephus, quod propter peccatum mortis Jacobi justi factum est excidium in Jerusalem et dispersio Judaeorum: sed non solum ob mortem Jacobi, sed etiam ob mortem domini praecipue destructio ista facta est, secundum quod dominus dicit: non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae. Sed quoniam non vult dominus mortem peccatoris et ut ipsi excusationem non haberent, per XL annos eorum poenitentiam exspectavit et per apostolos, maxime per Jacobum fratrem domini inter eos continuo praedicantem eos ad poenitentiam revocabat, sed cum per admonitionem eos non posset revocare, voluit eos saltem prodigiis exterrere, nam in his XL annis sibi ad poenitentiam datis multa monstra et prodigia (sicut refert Josephus) evenerunt. Nam stella praefulgens gladio per omnia similis visa est civitati desuper imminere ac per totum annum exitialibus flammis ardere. In quodam festo azimorum hora noctis nona tantus fulgor aram templumque circumdedit, ut omnes diem clarissimum factum putarent. In eadem festivitate vetula ad immolandum adducta inter ministrorum manus agnam subito est enixa. Post aliquot dies prope solis occasum visi sunt currus et quadrigae in omni regione per aërem ferri et armatorum cohortes misceri nubibus et urbes circumdare agminibus improvisis. In alio die festo, quae pentecoste appellatur, noctu sacerdotes templum ingressi ad ministeria ex more complenda motus quosdam strepitusque senserunt ac voces subitas audierunt dicentes: transeamus ab his sedibus. Ante quartum etiam annum belli quidam vir nomine Jesus

Ananiae filius in festo tabernaculorum repente clamare coepit: vox ab oriente, vox ab occidente, vox a IIII ventis, vox super Hierosolymam et super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super populum universum. Praedictus igitur vir capitur, caeditur, verberatur, sed ille aliud dicere nequiens quanto plus verberabatur, tanto fortius clamabat. Ad judicem igitur adducitur, tormentis diris afficitur, usque ad patefactionem ossium laniatur. Sed ille nec preces nec lacrymas effundebat, sed cum quodam ululatu per singula paene verba eadem proferebat, addens etiam hoc: vaeh, vaeh Hierosolymis. Haec Josephus. Cum autem Judaei nec admonitionibus converterentur nec tantis prodigiis terrerentur, post XL. annum dominus Vespasianum et Titum Jerusalem adduxit, qui ipsam civitatem funditus destruxerunt. Haec autem fuit causa adventus ipsorum in Jerusalem, sicut in quadam hystoria invenitur, licet apocrypha. Videns Pylatus, quia Jesum innocentem condemnaverat, timens offensam Tyberii Caesaris pro se excusando nuntium nomine Albanum ad Caesarem destinavit. Eo autem tempore Vespasianus monarchiam in Galatia a Tyberio Caesare tenebat; nuntius igitur Pylati a ventis contrariis in Galatiam pellitur et ad Vespasianum adducitur. Talis autem ibi servabatur consuetudo, ut quicunque ibidem naufragium pateretur, rebus et servituti principis subderetur. Quem Vespasianus, quis esset aut unde veniret seu quo tenderet, requisivit. Cui ille: Hierosolymitanus sum, de partibus illis veni, Romam usque tendebam. Cui Vespasianus: de terra sapientum venis, artem nosti medicaminis, medicus es, curare me debes. Vespasianus enim quoddam genus vermium naribus insitum ab infantia gerebat, unde et a vespis Vespasianus dicebatur. Cui vir ille respondit: artem medicaminis, domine, nescio et ideo curare te non valeo. Cui Vespasianus: nisi me curaveris, morte morieris. Cui ille ait: ille qui caecos illuminavit, daemones effugavit, mortuos suscitavit, ille novit, quia artem medendi ignoro. Cui Vespasianus: quis est ille, de quo tanta profaris? Et ille: Jesus Nazarenus, quem Judaei per invidiam occiderunt, in quem si credideris, sanitatis gratiam consequeris. Et Vespasianus: credo, quia, quod mortuos suscitavit, me etiam de infirmitate hac liberare poterit. Et haec dicendo vespae de naribus ejus ceciderunt et continuo sanitatem recepit. Tunc Vespasianus ingenti gaudio repletus ait: certus sum, quia filius Dei fuit, qui me curare potuit. Petita igitur a Caesare licentia Hierosolymam cum manu armata pergam et

omnes proditores hujus et occisores funditus evertam. Dixitque Albano nuntio Pylati: rebus et vita sanus et incolumis domum tuam mei licentia revertaris. Vespasianus igitur Romam adiit et destruendi Judaeam et Jerusalem a Tyberio Caesare licentiam impetravit. Per annos igitur plures exercitus congregavit, tempore scilicet Neronis imperatoris, cum Judaei imperio rebellassent. Unde (secundum chronicas) non fecit hoc zelo Christi, sed quia a dominio recesserat Romanorum. Jerusalem igitur cum copioso exercitu Vespasianus advenit et in die paschae Jerusalem per circuitum potenter obsedit ibique infinitam multitudinem, quae ad diem festum convenerat, conclusit. Per aliquod autem tempus, antequam Vespasianus Jerusalem adveniret, fideles, qui ibi erant, a spiritu sancto admonentur, ut inde recedant et in quodam oppido trans Jordanem, quod Pella vocatur, secedant, ut ablatis ab urbe sanctis viris coelesti vindictae fieret locus tam de urbe sacrilega quam de populo scelerato. Quandam autem civitatem Judaeae, nomine Jonapatam, in qua Josephus et dux et princeps erat, primo omnium est agressus, sed Josephus cum suis viriliter resistebat; tandem videns Josephus imminere excidium civitatis assumtis XI Judaeis subterraneam domum intravit, ubi quadriduana fame afflicti Judaei non consentiente Josepho malebant ibidem mori, quam Vespasiani se subjicere servituti, volebantque se mutuo interficere et sanguinem suum in sacrificium Deo offerre, et quoniam Josephus inter eos dignior erat, volebant eum primitus occidere, ut ejus effusione sanguinis Deus citius placaretur, vel (ut in quadam chronica dicitur) ideo se mutuo interficere volebant, ne darentur in manibus Romanorum. At Josephus vir prudens et mori nolens judicem mortis et sacrificii se constituit, et quis prior alio occidendus esset, inter binos et binos sortem mittere jussit. Missis igitur sortibus sors nunc unum nunc alium morti tradidit, donec ventum est ad ultimum, cum quo Josephus sortem missurus fuit. Tunc Josephus homo strenuus et agilis gladium illi abstulit et quid magis eligeret, vitam scilicet aut mortem, requisivit, et ut sine dilatione eligeret, praecepit; et ille timens respondit: vivere non recuso, si gratia tui vitam conservare valeo. Tunc Josephus uni familiari Vespasiani et sibi etiam familiari latenter locutus est, et ut sibi vita donaretur, petiit et, quod petiit, impetravit. Cum autem ante Vespasianum Josephus esset adductus, dixit ei Vespasianus: mortem meruisses, si hujus petitionibus liberatus non esses. Et Josephus: si quid perperam

actum est, in melius commutari potest. Et Vespasianus: qui victus est, quid facere potest? Et Josephus: aliquid facere potero, si dictis meis aures tuas demulsero. Et Vespasianus: concedatur, ut verbis tuis inhaereas, et quidquid boni dicturus es, pacifice audiatur. Et Josephus: imperator Romanus interiit et senatus imperatorem te fecit. Et Vespasianus: si propheta es, quare non es vaticinatus huic civitati, quod meae sit subjicienda ditioni. Et Josephus: per XL dies hoc iis praedixi. Interea legati Romanorum veniunt, Vespasianum in imperium sublimatum asserunt eumque Romam deducunt. Hoc quoque Eusebius in chronica testatur, quod scilicet Josephus Vespasiano praedixit tam de imperatoris morte quam de sua sublimatione. Reliquit autem Vespasianus Titum filium suum in obsidione Jerusalem, Titus autem, ut in eadem hystoria apocrypha legitur, audiens patrem suum in imperium sublimatum, tanto gaudio et exsultatione repletur, quod nervorum contractione ex frigiditate corripitur et altero crure debilitatus paralysi torquetur, Josephus autem audiens Titum paralysi laborare, causam morbi et tempus morbi diligentissime inquirit. Causa nescitur, morbus ignoratur, de tempore autem, quoniam audita patris electione hoc sibi acciderit, aperitur. Josephus autem vir providus et sapiens ex paucis multa conjecit et ex tempore morbum et causam invenit, sciens, quod gaudio et laetitia superabundanti debilitatus fuerit. Animadvertens itaque, quia contraria contrariis curantur, sciens etiam quia quod amore conquaeritur, dolore frequenter amittitur, quaerere coepit, an aliquis esset, qui principis inimicus obnoxius teneretur. Et erat ibi servus adeo Tito molestus, ut sine vehementi conturbatione nullatenus in eum posset respicere, nec etiam nomen ejus audire; dixit itaque Tito: si curari desideras, omnes, qui in meo comitatu venerint, salvos facias. Cui Titus: quicunque in tuo comitatu venerit, securus habeatur et salvus. Tunc Josephus cito prandium fieri praecepit et mensam suam mensae Titi oppositam locavit et servum a dextris suis sedere fecit. Quem Titus respiciens molestia conturbatus infremuit et, qui prius gaudio infrigidatus fuerat, accensione furoris incaluit nervosque distendens curatus fuit. Post hoc Titus et servum in sui gratiam et Josephum in sui amicitiam recepit. Utrum autem haec hystoria narranda sit, lectoris judicio relinquatur. Biennio igitur a Tito Jerusalem obsessa inter caetera mala, quae obsessos graviter perurgebant, tanta fames omnes tenuit, quod parentes filiis et filii parentibus, viri uxo-

ribus et uxores viris cibos non tantum e manibus, sed etiam ex ipsis dentibus rapiebant, juvenes etiam aetate fortiores velut simulacra per viam oberrando prae fame exanimes cadebant; qui mortuos sepeliebant, saepe super ipsos mortuos mortui cadebant, foetorem itaque cadaverum non ferentes ex publico sumtu ipsa sepeliebant, sed deficiente sumtu, vincente cadaverum multitudine de muro cadavera praecipitabant. At Titus circuiens cum vidisset valles repletas cadaveribus et totam patriam ex eorum foetore corruptam manus suas cum lacrymis ad coelum levavit dicens: Deus, tu vides, quia ego hoc non facio. Tanta enim ibi fames erat, quod calceamenta sua et corrigias comedebant. Matrona quaedam insuper genere et divitiis nobilis, sicut in hystoria ecclesiastica legitur, cum praedones in ejus domum irruentes eam omnibus exspoliassent nec sibi ultra, quid comederet, remansisset, parvulum lactentem tenens in manibus ait: infelicis matris infelicior fili, in bello, in fame, in direptione, cui te reservabo? Veni ergo nunc, o mi nate, esto matri cibus, praedonibus scandalum, saeculis tabula. Et his dictis filium jugulavit et coxit et dimidium comedens partem alteram occultavit. Et ecce confestim praedones odorem carnis coctae sentientes in domum irruunt et, nisi carnem prodat, mortem minantur. Tunc illa detegens infantis membra: ecce, inquit, vobis partem optimam reservavi. At illos tantus horror invasit, quod nec loqui potuerunt. Et illa: meus, inquit, filius hic, meum est peccatum, securi edite, quia prior ego comedi, quem genui, nolite fieri aut matre religiosiores aut feminis molliores: quodsi vincit vos pietas et horretis, ego totum comedam, quod dimidium jam comedi. Illi vero trementes et territi discesserunt. Tandem secundo anno imperii Vespasiani Titus Jerusalem cepit et captam subvertit templumque funditus destruxit et, sicut Judaei Christum XXX denariis emerant, sic et ipse uno denario XXX Judaeos vendidit. Sicut autem narrat Josephus, nonaginta septem millia Judaeorum vendita sunt et undecies centena millia fame et gladio perierunt. Legitur quoque, quod Titus intrans Jerusalem quendam murum densissimum vidit, ipsumque perforari praecepit, factoque foramine quendam intus senem adspectu et canitie venerabilem invenerunt, qui requisitus, quis esset, respondit, se esse Joseph ab Arimathia civitate Judaeae seque a Judaeis ibidem clausum et muratum fuisse, eo quod Christum sepelisset, addiditque, quod ab illo tempore usque nunc coelesti sit cibo pastus et divino lumine confortatus. In evangelio ta-

men Nicodemi dicitur, quod cum Judaei ipsum reclusissent, Christus resurgens eum inde eripuit et in Arimathiam duxit. Potest dici, quod cum eductus a praedicatione Christi non cessaret, a Judaeis iterum est reclusus. Mortuo quoque Vespasiano imperatore Titus filius ejus eidem in imperio successit, qui fuit vir clementissimus et multae liberalitatis tantaeque bonitatis fuit, sicut ait Eusebius Caesariensis in chronica et testatur Hieronymus, quod dum quodam sero recordatus fuisset, quod illo die nil boni egisset aut nihil dedisset, ait: o amici diem perdidi. Post longa tempora quidam Judaei Jerusalem reaedificare volentes, exeuntes primo mane plurimas cruces de rore invenerunt, quas territi fugientes et secundo mane redeuntes, unusquisque, ut ait Miletus in chronica, cruces sanguineas vestibus suis insitas invenit. Qui vehementer territi in fugam iterum versi sunt, sed tertio die reversi vapore ignis de terra prodeuntis penitus sunt exusti.

CAP. LXVIII. (64.)

De inventione sanctae crucis.

Inventio sanctae crucis dicitur, quia tali die sancta crux inventa fuisse refertur. Nam et antea fuit inventa a Seth, filio Adam, in terrestri paradiso, sicut infra narratur, a Salomone in Libano, a regina Saba in Salomonis templo, a Judaeis in aqua piscinae, hodie ab Helena in morte Calvariae.

Inventio sanctae crucis post annos CC et amplius a resurrectione domini facta est, legitur enim in evangelio Nicodemi, quod cum Adam infirmaretur, Seth filius ejus portas paradisi adiit et oleum ligni misericordiae, quo corpus patris perungeret et sanitatem reciperet, postulavit. Cui apparens Michael archangelus ait: noli laborare neque flere pro oleo ligni misericordiae obtinendo, quia nullatenus illud assequi poteris, nisi quando completi fuerint quinque millia quingenti anni, licet ab Adam usque ad passionem Christi anni tantum [1]) quinque millia centum nonaginta novem fluxisse credantur. Legitur quoque alibi, quod angelus

1) Ed. Pr. male legit: M. C. nongenti triginta tres et in antec. post: nisi addit: transactus et

eidem ramusculum quendam obtulit et jussit, quod in monte Libani plantaretur. In quadam vero hystoria Graecorum licet apocrypha legitur, quod angelus de ligno, in quo peccavit Adam, eidem tradidit discens, quod, quando faceret fructum, pater sanaretur. Qui rediens et patrem mortuum inveniens ipsum ramum super tumulum patris plantavit, qui plantatus in arborem magnam crevit et usque ad Salomonis tempora perduravit. Utrum autem haec vera sint, lectoris judicio relinquatur, cum in nulla chronica vel hystoria authentica haec legantur. Salomon autem arborem tam pulchram considerans ipsam praecepit incidi et in domo saltus locari. Nusquam tamen, ut ait Johannes Beleth, locari poterat nec alicui loco apta reperiri valebat, sed modo aut excedebat longitudinem aut deficiebat nimia brevitate, si quando vero secundum loci exigentiam ipsam rationabiliter decurtassent, adeo brevis videbatur, quod omnino incongrua habebatur. Ob hoc indignati artifices ipsam reprobaverunt et super quendam lacum, ut esset pons transeuntibus, projecerunt. Regina autem Saba cum venisset audire sapientiam Salomonis et praedictum lacum transire vellet, vidit in spiritu, quod salvator mundi in ligno suspendendus fuerat, et ideo super illud lignum transire noluit, sed ipsum protinus adoravit. In hystoria tamen scholastica legitur, quod praedictum lignum regina Saba in domo saltus vidit, cumque ad domum suam rediisset, intimavit Salomoni, quod in illo ligno quidam suspendendus esset, per cujus mortem Judaeorum regnum deleri deberet. Salomon igitur praedictum lignum inde sustulit et in profundissimis terrae visceribus illud demergi fecit. Postea probatica piscina ibidem facta est, ubi Natmei hostias abluebant, et non solum ex descensu angeli, sed etiam ex virtute ipsius ligni traditur ibi fieri et aquae commotionem et infirmorum curationem. Appropinquante vero passione Christi praedictum lignum supernatasse perhibetur. Cum autem illud Judaei vidissent, ipsum acceperunt et crucem domino paraverunt, ipsa autem crux Christi ex quatuor generibus lignorum fuisse perhibetur, scilicet palmae, cypressi, olivae et cedri. Unde versus: Ligna crucis palma, cedrus, cypressus, oliva. In cruce enim fuit haec quadruplex differentia lignorum, scilicet lignum erectum, lignum transversum, tabula supposita et truncus, cui crux erat infixa, vel secundum Gregorium Turonensem tabula transversa, quae fuit sub pedibus Christi, unde quodlibet horum potuit esse alicujus praedictorum lignorum. Hanc differentiam lignorum

videtur apostolus innuere, cum dicit: ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum. Quae verba ibidem doctor egregius sic exponit: crucem, inquit, domini, cujus latitudo dicitur in transverso ligno, quo extenduntur manus, longitudo a terra usque ad ipsam latitudinem, quo a manibus infra totum corpus affigitur, altitudo a latitudine usque sursum, cui adhaeret caput, profundum vero, quod terrae infixum absconditur. Quo signo crucis omnis actio humana et christiana describitur, bene operari in Christo et ei perseveranter inhaerere, sperare coelestia, sacramenta non profanare. Istud lignum crucis pretiosum per annos CC et ultra sub terra latuit, sed ab Helena, matre Constantini imperatoris, hoc modo repertum fuit. In tempore illo congregata est juxta Danubium fluvium multitudo innumerabilis barbarorum, volens fluvium transire et omnes regiones usque ad occidentem suo dominio subjugare. Quod ubi Constantinus imperator comperit, castra movit et contra Danubium se cum suo exercitu collocavit, at barbarorum crescente multitudine et jam fluvium transeunte Constantinus nimio terrore concutitur videns, quod essent die crastino cum eo proelium commissuri. Sequenti igitur nocte ab angelo excitatur et, ut sursum respiciat, admonetur. Qui in coelum adspiciens vidit signum crucis ex clarissimo lumine factum litteris aureis hunc titulum habens scriptum: in hoc signo vinces. Qui coelesti visione confortatus similitudinem crucis fecit et ipsam ante suum exercitum ferri jussit irruensque in hostes ipsos in fugam vertit et multitudinem maximam interfecit. Tunc Constantinus omnes templorum pontifices convocavit et cujus Dei hoc signum esset, diligentius inquisivit. Quibus se nescire dicentibus quidam christiani advenerunt et ei sanctae crucis mysterium et fidem trinitatis plenius narraverunt. Qui in Christum perfecte tunc credidit et ab Eusebio papa vel, secundum quosdam libros, a Caesariensi episcopo sacrum baptisma suscepit. Sed in hac hystoria multa ponuntur, quibus contradicit hystoria tripartita et ecclesiastica et vita sancti Silvestri et gesta pontificum Romanorum. Secundum quosdam non fuit iste Constantinus imperator, qui a beato Silvestro papa fuit baptizatus et ad fidem conversus, sicut aliquae hystoriae videntur innuere, sed fuit Constantinus pater ipsius Constantini, sicut in aliquibus hystoriis invenitur. Ille enim Constantinus alio modo ad fidem venit, sicut in hystoria sancti Silvestri legitur, nec ab Eusebio, sed a Silvestro baptizatus fuisse

narratur. Mortuo tamen ipso Constantino Constantinus memor victoriae patris, quam virtute sanctae crucis habuerat, Helenam matrem suam Hierosolymam pro ipsa cruce invenienda transmisit, sicut inferius est notatum. Hystoria tamen ecclesiastica hanc victoriam aliter factam narrat. Ait enim, quod, cum Maxentius Romanum imperium invasisset, Constantinus imperator juxta pontem [1]) Albinum cum Maxentio conflicturus advenit. Cum igitur anxius multum esset et pro sibi mittendo auxilio ad coelum oculos crebro levaret, vidit per soporem ad orientis partem in coelo signum fulgore igneo rutilare angelosque adstare et sibi dicere: Constantine, in hoc vinces. Et, ut dicitur in hystoria tripartita, dum Constantinus, quid hoc esset, miraretur, Christus nocte superveniente eidem apparuit cum signo, quod vidit in coelo, jussitque ut fieret ejus signi figuratio, quod foret auxilium in congressibus proeliorum. Tunc Constantinus laetus redditus et de victoria jam securus signum crucis, quod in coelo viderat, in sua fronte designat, vexilla militaria in signaculum crucis transformat et in manu dextra auream crucem portat. Post hoc dominum exoravit, ne dexteram suam, quam signo crucis munierat, salutari cruore Romani sanguinis cruentari vel maculari permitteret, sed sine sanguinis effusione victoriam sibi de tyranno praestaret. Maxentius autem jussit, navibus ad decipulam compositis, fluvium sterni et suppositis pontibus [2]) exaequari. Cum jam autem Constantinus ad fluvium appropinquaret, Maxentius in occursum cum paucis velocius ei pergit jubens, ut caeteri subsequantur, suique oblitus operis pontem cum paucis conscendit et decipula, qua Constantinum decipere volebat, est deceptus et in fluvii profundum demersus, Constantinus vero ab omnibus unanimiter est susceptus et, sicut legitur in quadam chronica satis authentica, Constantinus tunc perfecte non credidit nec tunc sacrum baptisma suscepit, sed aliquanto temporis interjecto visionem illam Petri et Pauli vidit et sacro baptismate per Silvestrum papam renatus et a lepra mundatus in Christum deinceps perfecte credidit et sic matrem suam Helenam Hierosolymam misit, ut crucem domini requireret. Ambrosius tamen in epistola de obitu Theodosii et hystoria tripartita dicunt, quod in ultimis constitutus baptisma suscepit, baptismum differens, ut posset in Jordanis flumine baptizari. Hoc idem dicit Hieronymus in chronica. Certum est autem, quod sub

1) Ed. Pr. in Albinam. 2) Recent. legunt: excaecari, deinde oblitus omittunt.

Silvestro papa christianus effectus est, utrum autem baptismum distulit, in dubium vertitur, unde de illa legenda sancti Silvestri quo ad plura similiter dubitatur. Haec igitur hystoria de inventione sanctae crucis, quae in ecclesiasticis hystoriis invenitur, cui etiam consonant chronicae, videtur esse magis authentica quam illa, quae per ecclesias recitatur. Constat enim multa ibidem esse, quae non consonant veritati, nisi forte quis vellet dicere, ut superius dictum est, quod non fuit Constantinus, sed Constantinus pater ejus; quod tamen multum authenticum non videtur, licet in quibusdam ultramarinis hystoriis sic legatur. Cum autem Helena Jerusalem advenisset, omnes Judaeorum sapientes, qui per totam regionem reperti sunt, ad se congregari praecepit. Haec autem Helena prius stabularia fuerat, sed propter ejus pulchritudinem Constantinus eam sibi convinxit, secundum quod dicit Ambrosius in haec verba: stabulariam hanc fuisse asserunt, sed conjuncta est Constantino seniori, qui postea regnum adeptus est: bona stabularia, quae tam diligenter praesepe domini requisivit, bona stabularia, quae illum stabularium non ignoravit, qui vulnera curavit a latronibus vulnerati, bona stabularia, quae maluit omnia aestimare stercora, ut Christum lucrifaceret: ideo illam Christus de stercore levavit ad regnum. Haec autem Ambrosius. Alii vero asserunt et in quadam chronica satis authentica legitur, quod ipsa Helena fuit filia [1]) Clohelis regis Britonum, quam Constantinus in Britanniam veniens, cum esset unica patri suo, duxit uxorem, unde insula post mortem Clohelis sibi devenit. Hoc et ipsi Britones attestantur, licet alibi legatur, quod fuerit Trevirensis. Judaei igitur nimium formidantes dicebant ad invicem; quare putatis, quod regina nos ad se faciat convocari? Unus autem ex iis nomine Judas dixit; scio enim, quia vult a nobis discere, ubinam sit lignum crucis, in quo Christus crucifixus fuit. Videte ergo, ne aliquis sibi confiteri praesumat, [2]) si non autem, certissime sciatis, quod lex nostra evacuabitur et paternae traditiones funditus destruentur. Zachaeus enim avus meus praenuntiavit patri meo Symoni et pater moriens dixit mihi; vide, fili, quando inquiretur crux Christi, illam manifesta, antequam aliqua patiaris tormenta: nusquam enim extunc gens Judaeorum regnabit, sed illi, qui crucifixum adorant, quia ipse Christus filius Dei erat. Cui ergo dixi: pater mi, si vere patres nostri Jesum Christum

---

1) Alii legunt Chocli. 2) Sic legendum, vulgo sin.

esse Dei filium cognoverunt, cur ipsum crucis patibulo affixerunt? Et respondit: novit dominus, quia nunquam in consilio eorum exstiti, sed iis saepius contradixi: quia vero ipse Pharisaeorum vitia exprobrabat, ipsum crucifigi fecerunt. Ipse vero die tertia resurrexit et coelos discipulis videntibus penetravit. In quem Stephanus frater meus credidit, quem Judaeorum vesania lapidavit. Vide ergo, fili, ne ipsum vel discipulos ejus audeas blasphemare. Non videtur autem multum probabile, quod pater istius Judaei tempore passionis Christi esse potuerit, cum a passione Christi usque ad Helenam, sub qua Judas fuit, fluxerint plus quam ducenti septuaginta anni, nisi forte diceretur, quod tunc homines plus quam modo vivebant. Dixerunt ergo Judaei ad Judam: nos talia nunquam audivimus, verumtamen si de hoc regina quaesierit, vide ne hoc sibi aliquatenus confitearis. Cum ergo illi ante reginam stetissent et illa eos interrogasset de loco, ubi fuerit dominus crucifixus, et ipsi locum nullatenus indicare vellent, jussit eos omnes igne cremari. At illi omnes timentes tradiderunt Judam dicentes: hic, domina, justi et prophetae filius optime novit legem et tibi omnia, quae quaesieris, ab eo indicabit. Tunc illa omnes dimittens tenuit Judam solum, cui dixit: mors et vita tibi proposita sunt, quid malueris, elige. Ostende igitur mihi locum, qui Golgatha dicitur, ubi fuit dominus crucifixus, ut crucem ejus invenire possim. Respondit Judas: quomodo locum scire valeam, cum ducenti anni jam et amplius fluxerint, et nequaquam illo tempore natus essem. Cui regina: per crucifixum fame te perimam, nisi mihi dixeris veritatem. Ipsum igitur in puteum siccum jussit projici et ibidem famis molestia cruciari. Cum ergo ibidem VI diebus sine cibo mansisset, die septimo extrahi petiit et crucem se indicaturum promisit. Cum ergo extractus ad locum venisset et ibidem orasset, locus subito commovetur et fumus aromatum miri odoris sentitur, ita ut miratus Judas ambabus manibus plauderet et diceret: in veritate, Christe, tu es salvator mundi. Erat autem in loco illo, sicut in ecclesiasticis hystoriis legitur, templum Veneris, quod Hadrianus imperator ibidem construxerat, ut, si quis christianorum in loco illo adorare voluisset, videretur Venerem adorare, et ob hoc infrequens et paene oblivioni datus fuerat locus; regina autem templum funditus fecit destrui et locum inarari. Post hoc Judas praecingens se viriliter fodere coepit et XX passus fodiens tres cruces absconditas reperit, quas ad reginam protinus deportavit. Cum autem crucem

Christi ab illis latronum nescirent discernere, eas in medio civitatis posuerunt ibidem gloriam domini praestolantes et ecce cum circa horam nonam quidam juvenis mortuus deferretur, Judas feretrum tenuit et primam et secundam crucem super corpus defuncti apposuit, sed nequaquam ille surrexit, apponens autem tertiam protinus rediit defunctus ad vitam. In hystoriis autem ecclesiasticis legitur, quod cum quaedam mulier primaria civitatis semiviva jaceret, Macarius episcopus Hierosolymitanus primam et secundam crucem adhibuit, sed nihil profecit, tertiam vero apposuit et mulier apertis oculis protinus sanata surrexit. Ambrosius vero dicit, quod discrevit ipsam crucem domini per titulum, quem posuerat Pylatus, quem titulum ibidem invenit et legit. Dyabolus autem in aëre vociferabatur dicens: o Juda, quid hoc fecisti? Judae meo contraria operatus es: nam ille me suadente fecit proditionem et tu me renuente Jesu invenisti crucem: [1])per illum multorum lucratus sum animas, per te perdere videor jam lucratas: per illum regnabam in populo, per te jam expellar a regno; verumtamen tibi vicem rependam et contra te regem alium suscitabo, qui fidem deserens crucifixi cum tormentis te negare faciet crucifixum. Quod quidem de Juliano apostata dictum videtur, qui Judam episcopum Hierosolymis factum multis tormentis affecit et martirem Christi fecit. Audiens Judas vociferantem dyabolum nihil extimuit, sed constanter dyabolo maledixit dicens: Christus te damnet in abyssum ignis aeterni. Post hoc Judas baptizatur, Quiriacus appellatur et Hierosolymorum defuncto episcopo ibidem in episcopum ordinatur. Verum cum beata Helena clavos domini non haberet, rogavit episcopum Quiriacum, ut ad locum pergeret et clavos domini quaereret. Qui cum venisset et ad dominum preces fudisset, continuo velut aurum clavi fulgentes in terra apparuerunt, quos ille accipiens reginae detulit: illa autem genua figens in terra et caput inclinans eos cum multa reverentia adoravit. Crucis ergo partem Helena detulit filio, partem vero thecis argenteis conditam reliquit in loco, clavos vero, quibus dominicum corpus fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus, ut Eusebius Caesariensis refert, frenos, quibus uteretur ad bellum, composuit et ex aliis galeam suam armavit. Nonnulli autem asserunt, ut Gregorius Turonensis, clavos quatuor in dominico corpore fuisse, ex quibus Helena duos in freno imperatoris posuit,

---

1) Verba: per — lucratas omittit Ed. Pr.

tertium in imagine Constantini, qui Romae superemlnet urbi, locavit et quartum in mare Adriaticum, quod usque tunc fuerat navigantium vorago, projecit, praecipiens hoc festum de inventione sanctae crucis singulis annis sollemniter celebrari. Ambrosius vero sic ait: quaesivit Helena clavos domini et invenit et de uno frenos fieri praecepit, de altero dyadema intexuit: recte clavus in capite, corona in vertice et in manu habena, ut sensus praeemineat, fides luceat, potestas regat. Sanctum autem Quiriacum episcopum Julianus apostata postmodum interfecit ex eo, quod sanctam crucem invenit, cum ubique signum crucis destruere niteretur. Cum enim contra Persas pergeret, coepit Quiriacum invitare ad sacrificium ydolorum: quod cum ille renueret, dextram sibi abscidi fecit dicens: hac manu multas epistolas scripsit, quibus multos a [1]) Deorum sacrificiis revocavit. Cui dixit Quiriacus: multum mihi, [2]) canis insensate, profuisti, quia priusquam in Christum crederem, saepius ad synagogas Judaeorum scribebam epistolas, ut nullus in Christum crederet, et ecce nunc scandalum mei corporis abscidisti. Tunc Julianus plumbum fecit liquari et in os ejus infundi, deinde lectum ferreum afferri et in eo Quiriacum extendi et desuper carbones, sal et adipem spargi. Sed cum Quiriacus immobilis permaneret, dixit ei Julianus: si non vis sacrificare Diis, saltem dic te Christianum non esse. Qui cum exsecrans recusaret, jussit altam foveam fieri et serpentes venenatos ibidem poni et Quiriacum in eandem jactari, sed tamen serpentes continuo mortui sunt. Jussitque Julianus Quiriacum in caldariam oleo ferventissimo plenam mitti, qui dum se signans sponte intrare vellet, rogavit dominum, ut eum iterum de martirii lavacro baptizaret; iratus Julianus jussit pectus ejus gladio perforari et sic in domino consummari promeruit. Quanta autem sit virtus crucis, in illo fideli notario patet, quem quidam magus decepit et ad quendam locum, in quem daemones advocaverat, duxit promittens ei, quod multis divitiis abundaret, et ecce vidit quendam magnum Aethiopem super excelsum thronum sedentem et in circuitu ejus alios Aethiopes circa eum cum lanceis et fustibus stantes; tunc ille magum praedictum interrogavit dicens: quis est iste puer? Et ille: domine, servus noster est. Cui daemon: si vis me adorare et servus meus esse et Christum tuum negare, faciam te sedere in dextera mea. Ille autem signum crucis

1) Ed. Pr. legit Judaeorum. 2) Ed. Pr. loco vocabuli canis legit: in causis.

mox edidit et se Christi salvatoris servum libere esse exclamavit, statimque ut edidit signum crucis, omnis illa daemonum multitudo evanuit. Post hoc cum quadam vice templum sanctae Sophiae praedictus notarius cum domino suo intrasset et ante salvatoris imaginêm ambo starent, vidit dominus suus, quod praedicta imago super notarium oculos fixos haberet et ipsum attente respiceret. Quod videns dictus dominus et admirans juvenem ex parte dextera stare fecit viditque, quod imago in illam iterum partem oculos volvisset et super notarium fixos haberet, rursumque fecit ipsum ire ex parte sinistra et ecce iterum imago oculos volvit et notarium ut prius respicere coepit. Tunc adjuratus a domino, ut sibi diceret, quid apud Deum meruisset, propter quod sic eum imago respiceret, dixit, se nullius boni conscium esse, nisi quod eum coram dyabolo negare noluisset.

CAP. LXIX. (65.)

De sancto Johanne ante portam latinam.

Johannes apostolus et evangelista dum Ephesi praedicaret, a proconsule capitur et ut diis immolet, invitatur. Qui dum renueret, in carcerem mittitur et ad Domitianum imperatorem epistola mittitur, in qua magnus sacrilegus et Deorum contemtor et crucifixi cultor nominatur. Jussu igitur Domitiani Romam deducitur et deducto omnes capilli pro derisione a capite praescinduntur ac ante portam urbis, quae latina dicitur, in doleum ferventis olei igne desubter candente mitti jubetur, nullum tamen ibidem dolorem sensit, sed penitus illaesus exivit. In illo igitur loco ecclesia a christianis fabricatur et dies illa tamquam dies sui martirii solemnizatur. Cum ergo nec sic a praedicatione Christi cessaret, jussu Domitiani in Pathmos insulam relegatur nec tamen imperatores Romani apostolos persequebantur, quia Christum praedicabant, cum ipsi nullum Deum respuerent, sed quia ipsum sine senatus auctoritate deificatum ajebant, quod ipsi de nemine fieri prohibuerunt. Unde legitur in hystoria ecclesiastica, quod, cum Pylatus quadam vice ad Tyberium epistolas de Christo misisset et ipse Tyberius ejus fidem a Romanis recipi assentiret, senatus omnino respuit ex eo, quod non sui auctoritate Deus vocatus fuit. Alia causa est, quae legitur in

quadam chronica, ex eo quod Romanis prius non apparuerat. Alia causa est vero, quod omnium Deorum cultum, cui Romani inserviebant, evacuabat. Alia causa est ex eo, quod mundi despectum praedicabat et Romani avari et ambitiosi erant. Christus etiam hoc fieri non permisit, ne hoc humanae potentiae adscriberetur. Alia causa secundum magistrum Johannem Beleth, quare imperatores et senatus Christum et apostolos persequebantur, erat, quia videbatur iis Deus nimis superbus et invidus, eo quod consortem habere non dignaretur. Alia causa est, quam Orosius refert, quia senatus indigne tulit, quod Pylatus ad Tyberium et non ad senatum de Christi miraculis litteras destinavit, et ideo ejus consecrationem inter Deos fieri noluit, unde iratus Tyberius multos de senatoribus occidit et quosdam exsilio damnavit. Mater autem ipsius Johannis audiens filium Romae detineri, materna compassione permota Romam ad eum visitandum accessit, sed dum venisset et ipsum in exsilium relegatum audisset indeque rediret, in Campania civitate Nerulana [1]) migravit ad Christum. Cujus corpus in quodam specu sepultum multo tempore jacuit, sed postmodum a filio suo Jacobo revelatum fuit: quod quidem multo odore redolens ac miraculis multis refulgens ad praedictam civitatem cum multo honore translatum est.

CAP. LXX. (66.)

De letania majori et minori [2]).

Letaniae in anno bis fiunt, scilicet in festo sancti Marci, quae dicitur letania major, et tribus diebus ante adscensionem domini, quae dicitur letania minor, et interpretatur letania supplicationem vel rogationem. Prima igitur letania tripliciter vocatur, primo letania major, secundo dicitur processio septiformis, tertio dicitur cruces nigrae. Dicitur autem letania major propter tres causas, scilicet ratione illius, a quo instituta est, scilicet a magno Gregorio papa; ratione loci, in quo instituta est, quia Romae, quae est domina et caput mundi ex eo, quod ibi est corpus principis apostolorum et apostolica sedes; ratione causae, pro qua instituta est,

1) Rec. legunt vetulana. 2) Ita Ed. Pr. titulum exhibet, recent. Ed. offerunt: de letaniis.

quia pro magno et gravissimo morbo. Romani enim cum in quadragesima continenter vixissent et in pascha corpus domini reciperent, postmodum comissationibus, ludis et luxuriae frena laxabant, ideoque Deus provocatus pestem maximam in eos misit, quam inguinariam vocant, id est apostema sive inflaturam in inguine. Tam saeva autem illa pestis fuit, ut homines in via, in mensa, in ludis, in colloquiis subito morerentur, ita quod, cum aliquis, ut dicitur, sternutabat, saepe cum ipsa sternutatione spiritum exhalabat. Unde, cum aliquis aliquem sternutantem audiebat, statim accurrens: Deus te adjuvet, acclamabat, et abinde, ut dicunt, adhuc haec consuetudo servatur, ut, cum aliquem sternutantem audimus, Deus te adjuvet, acclamemus. Rursus, ut fertur, cum aliquis oscitabat, frequenter continuo et subito spiritum emittebat. Unde cum aliquis se velle oscitare sentiebat, continuo signum crucis sibi imprimere festinabat, et haec consuetudo similiter usque modo servatur. Haec autem pestis qualiter ortum habuerit, in vita sancti Gregorii reperitur. Secundo dicitur processio septiformis ex eo, quod beatus Gregorius processiones, quas tunc faciebat, per septem ordines disponebat: nam in primo ordine erat omnis clerus, in secundo omnes monachi et religiosi, in tertio sanctimoniales, in quarto omnes infantes, in quinto omnes layci, in sexto omnes viduae et continentes, in septimo omnes [1]) conjugati. Sed quod modo non possumus in numero personarum, suppleamus in numero letaniarum, quia septies dici debent, antequam insignia deponantur. Tertio dicuntur cruces nigrae, quoniam in signum moeroris ex tanta strage hominum et in signum poenitentiae homines nigris vestibus induebantur, et forte propter eandem causam cruces et altaria sacris cilicinis velabant. Homines etiam fideles vestes poenitentiales debent assumere. Alia autem dicitur letania minor, quae fit tribus diebus ante adscensionem, quam beatus Mammertus episcopus Viennensis tempore Leonis imperatoris, qui coepit anno domini CCCCLVIII ante institutionem primae instituit, quae dicitur letania minor, rogationes et processio. Dicitur autem letania minor ad differentiam primae, quia scilicet instituta est a minori episcopo in minori loco et pro minori morbo. Causa autem institutionis hujus haec fuit. Tunc enim apud Viennam frequentes et maximi terrae motus fiebant, quae domos et ecclesias plurimas subvertebant,

---

1) Ed. Pr. perperam c o n j u g a t a e legit.

nocturni sonitus et clamores saepe audiebantur, tunc etiam aliud terribile accidit, quia in die paschae ignis de coelo cecidit et regis palatium concremavit. Aliud insuper mirabilius fiebat. Sicut enim daemones porcos Dei permissione olim intraverunt, sic permissione domini propter peccata hominum lupos et alias feras intrabant et nullos verentes non solum per vias sed per civitatem publice discurrebant, et passim pueros et senes viros et feminas devorabant. Cum igitur tam dolorosi casus quotidie fierent, praedictus episcopus triduanum jejunium indixit, letanias instituit et sic praedicta tribulatio conquievit. Deinde statutum est ab ecclesia et firmatum, ut haec letania universaliter observetur. Dicitur etiam rogationes, quia tunc omnium sanctorum suffragia imploramus, et merito talis observantia his diebus servanda est et rogationibus sanctorum et jejuniis his diebus insistendum multiplici ratione: primo ut Deus bella pacificet, quia in vere frequentius concitantur, secundo ut teneros adhuc fructus conservando multiplicet, tertio ut motus carnales, qui hoc tempore magis fervent, in se quisque magis mortificet. In vere enim sanguis magis fervet et illiciti motus magis pullulant. Quarto, ut ad receptionem sancti spiritus se quisque magis habilitet, nam per jejunium homo magis habilitatur et per rogationes dignior redditur. Duas alias rationes assignat magister Wilhelmus Altissiodorensis: primo, ut scilicet Christo adscendente et dicente: petite et accipietis, confidentius petat ecclesia; secundo, quia ecclesia jejunat et orat, ut parum habeat de carne, per ipsius carnis macerationem, et acquirat sibi alas per orationem, quia oratio est ala animae, qua volat in coelum, ut sic Christum adscendentem libere possit assequi, qui adscendit iter pandens ante nos et volavit super pennas ventorum. Avis enim, quae multum abundat in carne et parum in plumis, bene volare non potest, sicut patet in struthione. Dicitur etiam processio, quia tunc ecclesia generalem facit processionem: in hac autem processione crux defertur, campanae pulsantur, vexillum portatur, draco quidam cum ingenti cauda in quibusdam ecclesiis bajulatur et omnium sanctorum singulariter patrocinia implorantur. Ideo autem ibidem crucem deferimus et campanas pulsamus, ut daemones territi fugiant. Nam sicut rex in suo exercitu habet insignia regalia, scilicet tubas et vexilla, sic Christus rex aeternus in sua ecclesia militanti habet campanas pro tubis et cruces pro vexillis: et sicut aliquis tyrannus valde timeret, qui alicujus regis potentis et sibi inimici tubas in

sua terra audiret et vexilla videret, sic daemones, qui sunt in isto aëre caliginoso, vehementer metuunt, quando tubas Christi, scilicet campanas pulsari sentiunt et vexilla, id est, cruces conspiciunt: et ista dicitur esse ratio, quare ecclesia campanas consuevit pulsare, quando tempestates concitari videt, ut scilicet daemones, qui hoc faciunt, tubas aeterni regis audiant et sic territi fugiant et a tempestatis concitatione quiescant, licet alia ratio sit, quia campanae tunc fideles admonent et provocant, ut pro instanti periculo orationi insistant. Aliud etiam vexillum aeterni regis est ipsa crux secundum illud: vexilla regis prodeunt etc. Quod quidem vexillum daemones valde timent, secundum quod dicit Chrysostomus: ubicunque, inquit, daemones signum dominicum viderint, fugiunt timentes baculum, quo plagam acceperunt: et haec est ratio, quare in quibusdam ecclesiis tempore tempestatis crux de ecclesia extrahitur et tempestati opponitur, ut scilicet daemones vexillum summi regis videant et territi fugiant. Ideo igitur crux in processione defertur et campanae pulsantur, ut daemones in ipso aëre exsistentes territi fugiant et a nostra infestatione desistant. Vexillum autem ibidem defertur propter repraesentandam victoriam resurrectionis et victoriam adscensionis Christi, qui cum magna praeda coelos adscendit, unde per aëra vexillum incedens est Christus in coelum adscendens, et sicut vexillum, quod in processione defertur, multitudo fidelium sequitur, sic Christum adscendentem magna sanctorum collectio comitatur. Cantus autem, qui ibi fiunt, significant cantus et laudes angelorum, qui Christo adscendenti obviaverunt et ipsum cum sua societate usque in coelum cum multis laudibus perduxerunt. In quibusdam autem ecclesiis et maxime in ecclesiis Gallicanis consuetudo habetur, quod draco quidam cum longa canda et inflata, plena scilicet palea vel aliquo tali duobus diebus primis ante crucem et tertio cum cauda vacua post crucem defertur; per quod significatur, quod in primo die ante legem et in secundo sub lege dyabolus in hoc mundo regnavit, in tertio autem die scilicet gratiae per passionem Christi de suo regno expulsus fuit. Rursus in ipsa processione omnium sanctorum pariter patrocinia postulamus. Quare autem tunc rogamus, plures causae sunt superius assignatae. Sunt autem et aliae causae generales, propter quas Deus ordinavit, ut sanctos oremus, scilicet propter nostram inopiam, sanctorum gloriam et Dei reverentiam. Sancti enim vota supplicantium scire possunt, quia in illo aeterno speculo intelligunt,

quantum vel illis pertinet ad gaudium, vel nobis ad auxilium. Prima ergo ratio est propter nostram inopiam et hoc vel propter inopiam, quam habemus in merendo, ut, ubi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena, vel propter inopiam, quam habemus in contemplando, ut, qui non possumus summam lucem respicere in se, saltem in sanctis adspicere valeamus; vel propter inopiam, quam habemus in amando, quia plerumque imperfectus homo magis sentit se affici circa unum sanctum, quam etiam circa Deum. Secunda ratio est propter sanctorum gloriam, vult enim Deus, ut sanctos invocemus, ut, dum per eorum suffragia, quod petimus, impetremus, ipsos magnificemus et glorificando collaudemus. Tertia ratio est propter Dei reverentiam, ut peccator, quia Deum offendit, quasi non audeat, ipsum in propria persona adire, sed amicorum possit patrocinia implorare. In hujusmodi autem letaniis esset illud angelicum canticum frequentandum: sancte Deus, sancte, fortis, sancte et immortalis miserere nobis. Refert enim Johannes Damascenus libro tertio, quod, cum apud Constantinopolin propter quandam tribulationem letaniae fierent, quidam puer de medio populi in coelum est raptus et istud canticum ibidem edoctus, deinde ad populum rediens illud angelicum canticum in conspectu populi decantavit et mox omnis tribulatio cessavit. In Chalcedonensi quoque synodo fuit istud canticum approbatum et concludit ita Damascenus: nos autem dicimus, quod per istud canticum daemones recedant. Hujus ergo cantici laus et auctoritas ex quatuor colligitur, primo ex eo, quod angelus illud edocuit, secundo ex eo, quod ad ejus prolationem illa tribulatio conquievit, tertio quod Chalcedonensis synodus illud approbavit, quarto ex eo, quod daemones illud timent.

CAP. LXXI.[1]
De sancto Bonifacio martire.

Passio sancti Bonifacii martiris sub Dyocletiano et Maximiniano apud Tarsum civitatem passi, sed Romae in via, quae latina nuncupatur, sepulti. Qui cum esset procurator rerum cujusdam nobilis

1) Haec legenda deest in libris recentioribus.

matronae nomine Aglaes et cum ea in stupro misceretur, tandem utique divino nutu compuncti consilium habuerunt, ut ad requirendum corpora martirum Bonifacius mitteretur, si quo modo servientes atque obsequentes eis per eorum orationes salvari mererentur. Perveniens igitur per dies aliquot Tarsum civitatem dixit ad eos, qui cum eo erant, Bonifacius: viri euntes requirite nobis hospitium, ego autem ibo videre eos, quos valde desidero, martires certantes. Festinans itaque ad locum vidit beatissimos martires, alium suspensum pedes igne supposito, alium in quatuor lignis extensum et diutissime afflictum, alium ungulis exaratum, alium manibus abscissum, alium stipitem in collo habentem affixum et a terrà elevatum, et sic per diversa supplicia martiria ab impio carnifice disposita cum eminus fervens et ipse amore Christi respiceret, magnum Deum sanctorum martirum clamare coepit et accurrens consedit pedibus eorum deosculans vincula ac dicens: certantes martires Christi calcate dyabolum, modicum perseverate, parvus quidem labor, sed multa requies et ineffabilis postmodum satietas. Ista enim tormenta, quae pro divinitatis amore patimini, temporalia sunt et quoque in momento transeuntia, post brevissimum tamen temporis spatium ad perpetuae felicitatis vos transmittite gaudia, ubi regis vestri visione gaudentes illique coelestium cantionum laudes inter choros angelorum immortalitatis decore vestiti referentes in aeternae calamitatis abysso impiissimos vivos videbitis cruciari tortores. Adspiciens autem Simplicius judex jussit eum applicari ad tribunal eique dixit: quis es tu? Sanctus Bonifacius dixit: christianus sum et Bonifacius vocor. Tunc iratus judex jussit eum suspendi et tamdiu corpus ejus ungulis radi, donec ossa ejus apparerent, deinde calamos acutos sub ungulas manuum ejus affigi, cumque sanctus Dei martir in coelum adspiciens alacriter dolores toleraret, videns impius judex jussit aperiri os ejus et plumbum bulliens infundi. Sanctus autem martir dicebat: gratias tibi ago, domine Jesu Christe, fili Dei vivi. Deinde judex jussit afferri ollam et eam pice impleri atque verso capite sanctum martirem in bullientem picem mitti. Sed cum nihil laesus esset, jussit judex, ut gladio caput ejus abscideretur. Quo facto terrae motus factus est magnus, ita ut multi infideles virtutem Christi in martirem cernentes crederent. Conservi vero martiris Bonifacii circuibant ubique requirentes eum et non invenientes ad invicem dicebant: ille modo in adulterio aut in taberna positus epulatur. Cum ergo inter se colloquerentur, con-

tigit, ut obviaret iis unus de Commentariensibus. Quem interrogant: vidisti aliquem virum peregrinum romanum? Ille ait: hesterna die vir peregrinus abscissus est capite in stadio. Et iterum interrogant: qualis erat adspectus ejus? At illi dixerunt: vir quadratus et crassus, robusto capillo, coccinea armillasia indutus. Et dicit ille: quem quaeritis, apud nos hesterna die martirio est finitus. At illi: quem nos quaerimus hominem, adulter est et ebriosus. Dixit iis ille: venite et videte eum. Cumque ostendisset iis beatissimi martiris corpus et pretiosum caput ejus, dixerunt ei: iste est, quem quaerimus; petimus, ut des nobis eum. Qui respondit: ego gratis corpus ejus vobis dare non possum. Illi autem dantes ei solidos quingentos acceperunt corpus sancti martiris et ungentes eum aromatibus involventesque linteaminibus pretiosis posuerunt illud in basterna et sic revertebantur gaudentes et glorificantes Deum. Angelus autem domini apparens dominae ipsius rem factam beati martiris indicavit, quae confestim cum omni veneratione obviavit sancto corpori et aedificans ei domum dignam reposuit illud in ea ab urbe Romana spatio stadiorum quinque. Martirisatus est autem Bonifacius quarto decimo die mensis Maji apud Tarsum metropolin Ciliciae et sepultus est Romae nona Julii. Beata vero Aglaes abrenuntiavit mundo et pompis ejus distribuens universa, quae possidebat, egenis ac monasteriis, relaxans universam familiam suam a jugo servitutis et ipsa sine intermissione vacans orationibus et jejuniis tantam gratiam a domino Jesu promeruit, ut in ejus nomine virtutum claresceret signis. Supervixit autem in habitu sanctimoniali annis XII, sepulta apud praefatum martirem operibus piis consummata.

CAP. LXXII. (67.)

De adscensione domini.

Adscensio domini XL die a resurrectione facta est, circa quam adscensionem septem per ordinem consideranda sunt, primo, unde adscendit, secundo, quare non statim post resurrectionem adscendit, sed tot dies exspectavit, tertio qualiter adscendit, quarto cum quibus adscendit, quinto quo merito adscendit, sexto quo adscen-

dit, septimo quare adscendit. Circa primum notandum, quoniam de monte oliveti versus Bethaniam coelos adscendit, qui mons secundum aliam translationem dicitur mons trium luminum, nam de nocte ex parte occidentis illuminabatur igne templi, quia erat ignis jugis in altari, mane ex parte orientis primo excipiebat radios solis, antequam illuminaret civitatem, habebat insuper in se copiam olei, quod est fomentum luminis, et ideo dicitur mons trium luminum. In hunc igitur montem Christus discipulos ire praecepit, nam in ipsa die adscensionis bis apparuit: semel XI apostolis comedentibus in coenaculo. Omnes quidem tam apostoli, quam alii discipuli necnon et mulieres habitabant in illa parte Jerusalem, quae dicebatur Mello, sive in monte Syon, ubi David construxerat sibi palatium, et erat ibi illud coenaculum grande stratum, in quo dominus praecepit sibi parari pascha, et in illo coenaculo tunc undecim apostoli habitabant, caeteri autem discipuli et mulieres habitabant circumquaque per diversa hospitia. Dum igitur in illo coenaculo comederent, dominus iis apparuit et incredulitatem eorum exprobravit, et cum comedisset cum iis et praecepisset, ut in montem oliveti versus Bethaniam irent, ibidem iis iterum apparuit ac indiscrete quaerentibus respondit et elevatis manibus iis benedixit et inde coram iis in coelum adscendit. De loco autem adscensionis dicit Sulpitius episcopus Hierosolymitanus et habetur in glossa, quia, cum ibi postea aedificata esset ecclesia, locus ille, in quo steterunt vestigia Christi adscendentis, nunquam potuit sterni pavimento, imo resiliebant marmora in ora collocantium. Calcati etiam pulveris a domino etiam hoc dicit esse documentum, quod vestigia impressa cernuntur et eandem adhuc speciem velut pressis vestigiis terra custodit. Circa secundum, quare scilicet non statim adscendit, ut resurrexit, sed per XL dies exspectare voluit, notandum, quod hoc fecit propter tres rationes. Primo propter resurrectionis certificationem: difficilius enim erat probare veritatem resurrectionis quam passionis, quia a prima die usque ad tertiam vere poterat probari passio, sed ad veram resurrectionem probandam plures requirebantur et ideo majus tempus requirebatur inter resurrectionem et adscensionem, quam inter passionem et resurrectionem. De hoc sic dicit Leo papa in sermone de adscensione: quadragenarius hodie dierum repletus est numerus sacratissima ordinatione dispositus et ad utilitatem nostrae eruditionis impensus, ut, dum a domino in hoc spatio mora praesentiae cor-

poralis extenditur, fides resurrectionis documentis necessariis muniretur: gratias agimus divinae dispensationi et sanctorum patrum necessariae tarditati. Dubitatum est ab illis, ne dubitaretur a nobis. Secundo propter apostolorum consolationem, quia enim consolationes divinae superabundant tribulationibus et tempus passionis fuit tempus tribulationis apostolorum, ideo plures debuerunt esse dies isti, quam illi. Tertio propter mysticam significationem, ut pro hoc daretur intelligi, quod consolationes divinae comparantur ad tribulationes, sicut annus ad diem, dies ad horam, hora ad momentum. Quod enim comparentur, sicut annus ad diem, patet per illud, quod legit Ysaias LXI: praedicarem annum placabilem domino et diem ultionis Deo nostro. Ecce pro die tribulationis reddit annum consolationis. Quod autem comparentur sicut dies ad horam, patet per hoc, quod dominus XL horis mortuus jacuit, quod fuit tribulationis, et per XL dies resurgens discipulis apparuit, quod fuit consolationis. Unde glossa: XL horis mortuus fuerat propter hoc XL diebus se vivere confirmabat. Quod vero comparentur sicut hora ad momentum, insinuatur Ysaias LII: in momento indignationis meae abscondi faciem meam etc. Circa tertium qualiter scilicet adscendit. Primo potenter, quia propriis viribus, Ysaias XLIII: quis est iste, qui venit de Edom etc. gradiens in multitudine virtutis suae. Item Johann.: nemo adscendit in coelum, scilicet propria virtute, nisi qui descendit de coelo filius hominis, qui est in coelo. Licet enim quasi in quodam globo nubis adscenderit, hoc tamen non fecit, quod nubis ministerio indigeret, sed ut per hoc ostenderetur, quod omnis creatura parata est obsequi creatori suo. Ipse enim potentia deitatis suae adscendit et in hoc notatur [1]) potentia sive dominium, secundum quod dicitur in hystoriis scholasticis. Nam Enoch translatus est, Helias subvectus est, sed Jesus propria virtute adscendit. Primus secundum Gregorium per coitum generatus et generans, secundus generatus, sed non generans, tertius non generatus nec generans. Secundo adscendit patenter, quia discipulis videntibus, unde dicitur: videntibus illis elevatus est. Item Johann. XVI: vado ad eum, qui misit me et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Glossa: itaque palam, ut nemo interroget, quod visu corporali fieri cernat. Ideo enim illis videntibus adscendere voluit, ut ipsi testes adscensionis exsisterent et naturam

---

1) Recent. legunt: differentia secundum etc.

humanam in coelum ferri gauderent et ipsum sequi desiderarent. Tertio laetanter, quia jubilantibus angelis, unde psalmus: adscendit Deus in jubilatione. Augustinus: adscendente Christo pavet omne coelum, astra mirantur, plaudent agmina, tubae sonant et laetis se admiscent blanda modulamina choris. Quarto velociter, Psalm.: exsultavit ut gigas ad currendam viam, valde enim velociter adscendit, quoniam tantum spatium quasi in momento percurrit. Refert enim rabbi Moyses maximus philosophus, quod quilibet circulus sive quodlibet coelum cujuslibet planetae habet in spissitudine viam quingentorum annorum, id est spatium tantum, quantum posset aliquis ire via plana in quingentis annis, et distantia inter coelum et coelum est similiter, ut dicit, via quingentorum annorum, et ideo cum sint septem coeli, erit secundum ipsum a centro terrae usque ad concavum coeli Saturni, et quod est coelum septimum, via VII. M. annorum, et usque ad concavum coeli VII. M. DCC. annorum, id est tantum spatium, quantum de via plana aliquis iret in VII millibus DCC annis, si tantum viveret: ita quod quilibet annus componatur ex CCCLXV diebus et iter cujuslibet diei sit XL milliarium et quodlibet milliare sit duorum millium passuum sive cubitorum. Hoc Rabbi Moyses. Utrum autem hoc verum sit, Deus scit. Hanc enim mensurationem ille novit, qui omnia fecit in numero, pondere et mensura. Iste igitur fuit magnus saltus, quem fecit Christus de terra, scilicet in coelum et de hoc saltu et quibusdam aliis saltibus Christi sic dicit Ambrosius: saltu quodam Christus venit in hunc mundum, apud patrem erat et in virginem venit et ex virgine in praesepe transsiliit, descendit in Jordanem, adscendit in crucem, descendit in tumulum, surrexit e tumulo et sedet ad patris dextram. Circa quartum, cum quibus scilicet adscendit, notandum, quod adscendit cum magna praeda hominum et magna multitudine angelorum. Quod enim cum praeda hominum adscendit, patet per illud, quod dicitur in psalmo: adscendisti in altum, cepisti captivitatem etc. Quod autem adscendit cum multitudine angelorum, patet per illas interrogationes, quas Christo adscendente minores angeli fecerunt majoribus, ut habetur Ysaias LXIII: quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, ubi dicit Glossa, quod quidam angeli non plene cognoscentes mysterium incarnationis, passionis et resurrectionis videntes adscendere ad coelos dominum cum multitudine angelorum et sanctorum hominum propria virtute, ipsum incarnationis et passionis mysterium admirantur et angelis comitantibus dominum di-

cant: quis est iste, qui venit etc. et in psalmo: quis est rex gloriae? Dionysius autem in libro angelicae hierarchiae cap. VII. insinuare videtur, quod dum Christus adscenderet, tres quaestiones ab angelis factae sunt. Primam fecerunt majores angeli ad invicem sibi ipsis, secundam fecerunt ipsi majores Christo adscendenti, tertiam fecerunt minores majoribus. Quaerunt igitur inter se majores dicentes: quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus etc. Edom sanguinea interpretatur, Bosra munita, quasi dicant: quis est iste, qui venit de mundo sanguineo per peccatum et munito per malitiam contra Deum, vel qui venit de mundo sanguineo et inferno munito? Respondet dominus: ego qui loquor justitiam etc. Dionysius ponit talem literam: ego enim, dicit, disputo justitiam et judicium salutaris. In redemtione humani generis fuit justitia, in quantum scilicet factor creaturam suam a domino alienam reduxit, et fuit judicium, in quantum dyabolum invasorem alieni juris ab eo, quem possidebat hominem, potenter ejecit. Sed secundum hoc facit Dionysius quaestionem hanc: cum ipsi superiores angeli sint Deo proximi et immediate a Deo illuminentur, quare ab invicem quaerunt, quasi ab invicem discere cupientes. Sed sicut solvit ipse et commentator exponit, in eo quod interrogant, significant se scientiam appetere. In eo autem, quod primo inter se conferunt, demonstrant, quod divinam in se percussionem non audent praevenire. Apud se ergo primo interrogare deliberant, ne forte illuminationem, quae ipsis a Deo fit, nimis festina interrogatione praeveniant. Secunda quaestio est, quam fecerunt ipsi supremi angeli ad Christum dicentes: quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestigia tua sicut calcantium in torculari? Dominus dicitur habuisse indumentum, id est corpus suum rubrum, id est sanguine cruentatum, ex eo quod adhuc, dum adscenderet, in corpore suo cicatrices habebat. Voluit enim cicatrices in corpore suo servare, secundum quod dicit Beda, quinque de causis. Ait enim sic: cicatrices dominus servavit et in judicio servaturus est, ut fidem resurrectionis adstruat, ut pro hominibus supplicando eas patri repraesentet, ut boni, quam misericorditer sint redemti, videant, ut reprobi, quam juste sint damnati, recognoscant, ut perpetuae victoriae suae certum triumphum deferat. Huic ergo quaestioni dominus sic respondit: torcular calcavi solus et de gentibus non est vir mecum et potest vocari torcular crux, in qua tamquam in prelo sic pressus est, ut etiam sanguis sic effunderetur. Vel torcular

vocat dyabolum, quod humanum genus sic funibus peccatorum involvit et strinxit, ut quidquid in iis spirituale erat, exprimeret et solum vinaria remanerent. Sed noster bellator torcular calcavit, vincula peccatorum dirupit et in coelum adscendens postmodum tabernam coeli aperuit et vinum sancti spiritus effudit. Tertia quaestio est, quam fecerunt minores angeli majoribus dicentes: quis est iste rex gloriae? Quibus illi responderunt: dominus virtutum ipse est rex gloriae. De hac angelorum quaestione et aliorum convenienti responsione sic dicit Augustinus: sanctificatur divino comitatu immensus aër et omnis illa volitans per aëra daemonum turba Christo adscendente transfugit. Quibus accurrentes angeli, quis esset, sciscitantur dicentes: quis iste rex gloriae? quibus alii respondentes dixerunt: hic est ille valde candidus et roseus, hic est ille, qui non habet speciem neque decorem, infirmus in ligno, fortis in spolio, vilis in corpusculo, armatus in proelio, foedus in morte, pulcher in resurrectione, candidus ex virgine, rubicundus in cruce, fuscus in opprobrio, clarus in coelo. Circa quintum, quo scilicet merito adscendit, notandum quod triplici merito adscendit, de quo sic dicit Hieronymus: propter veritatem, quia illa, quae per prophetas promiseras, adimplesti, et mansuetudinem, quia sicut ovis pro vita populi immolaris, et justitiam, quia non potestate sed justitia eripuisti hominem et deducet te mirabiliter dextera tua potentia sive virtus deducet te, hoc est in coelum. Circa sextum, quo scilicet adscendit, notandum quod super omnes coelos adscendit, secundum quod dicitur Ephes. IV: qui descendit, ipse est, et qui adscendit super omnes coelos ut adimpleret omnia. Super omnes coelos dicit, quia plures sunt coeli, super quos ipse adscendit. Est enim coelum materiale, rationale, intellectuale et supersubstantiale. Coelum materiale multiplex est, scilicet coelum aërium et aethereum, Olympium, igneum, sydereum, christallinum et empyreum. Coelum autem rationale est homo justus, qui dicitur coelum ratione inhabitationis divinae, quia sicut coelum est sedes et habitatio Dei, secundum quod dicitur in Ysai. LXVI: coelum mihi sedes est, sic anima justa secundum quod dicitur in Sapientia: anima justi sedes est sapientiae. Ratione conversationis sanctae, quia sancti per conversationem et desiderium semper habitant in coelo. Sicut dicebat apostolus: nostra conversatio in coelis est. Ratione operationis continuae, quia sicut coelum continue movetur, sic et sancti per bona opera continue moventur. Coelum intellectuale est

angelus. Angeli enim dicuntur coelum, quia instar sunt coeli altissimi ratione dignitatis et excellentiae. De quorum dignitate et excellentia dicit Dionysius in libro de divinis nominibus capit. IV: divinae mentes sunt super reliqua exsistentia et vivunt super reliqua viventià et intelligunt et cognoscunt super sensum et rationem et plus quam omnia exsistentia pulchrum et bonum desiderant et eo participant. Secundo sunt pulcherrimi ratione naturae et gloriae, de quorum pulchritudine dicit Dionysius in eodem libro: angelus est manifestatio occulti luminis, speculum purum, clarissimum, incontaminatum, incoinquinatum, immaculatum, suscipiens, si fas est dicere, pulchritudinem Dei boniformis Deiformitatis. Tertio sunt fortissimi ratione virtutis et potentiae, de quorum fortitudine dicit Damascenus libro II. cap. III.: fortes sunt et parati ad Dei voluntatis expletionem et ubique confestim inveniuntur, ubicunque divinus jusserit nutus. Coelum enim habet altitudinem, pulchritudinem, fortitudinem. De duobus primis Ecclesiast. XLIII.: altitudinis firmamentum etc., de tertio Job. XXVII: tu forsitan cum illo fabricatus es etc. Coelum autem supersubstantiale est aequalitas divinae excellentiae, de quo Christus venit, et usque ad illud postmodum adscendit. De quo dicitur in psalmo: a summo coelo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus. Super omnes igitur hos coelos usque ad ipsum coelum supersubstantiale Christus adscendit. Quod enim adscendit super omnes coelos materiales, habetur per illud, quod dicitur in psalmo: elevata est magnificentia tua super coelos. Super omnes enim coelos materiales usque in ipsum coelum empyreum adscendit non sicut Helias, qui in curru igneo adscendit usque ad sublunarem regionem nec eam transscendit, sed in paradisum terrestrem translatus est, qui adeo eminet, ut pertingat ad sublunarem regionem, nec eam transscendit. In hoc ergo coelo empyreo Christus residet et est specialis et propria ejus mansio et angelorum et aliorum sanctorum et congrue convenit haec habitatio habitatoribus. Illud enim coelum caeteros coelos excellit dignitate, prioritate, situ et ambitu et ideo est conveniens habitatio Christi, qui omnes coelos rationales et intellectuales transscendit dignitate, aeternitate, situ immutabilitatis ac ambitu potestatis. Similiter est congrua habitatio sanctorum, illud enim coelum est uniforme, immobile, luminositatis perfectae et capacitatis immensae, et recte congruit angelis et sanctis, qui fuerunt uniformes in operatione, immobiles in dilectione, luminosi

in fide sive cognitione, capaces in sancti spiritus receptione. Quod autem super coelos omnes rationales, id est omnes sanctos, adscenderit, patet per illud, quod dicitur Cant. II.: ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles et vocantur montes angeli, colles vero viri sancti. Quod vero super omnes coelos intellectuales, id est angelos, adscenderit, patet per illud, quod dicitur in psalmo: qui ponis nubem adscensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. [1]) Item adscendit super cherubim et volavit super pennas ventorum. Quod autem usque ad coelum supersubstantiale, id est, Dei aequalitatem adscenderit, patet per illud, quod dicitur Marc. ult.: et dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumtus est in coelum et sedet a dextris Dei. Dextra enim Dei est coaequalitas Dei. Bernardus: domino meo singulariter a domino et dictum et datum est sedere a dextris gloriae ipsius, utpote in gloria aequali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, aeternitate non posteriori. Vel potest dici, quod Christus in adscensione sublimis fuit quadruplici sublimitate, scilicet locali, remuneratione praemii cognitionali et virtuali. De primo illo Ephes. IV.: qui descendit ipse est et qui adscendit super omnes coelos. De secundo Phil. II.: factus obediens etc. Ubi dicit Augustinus: humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium. De tertio [2]) psalm.: adscendit super cherubim, id est, super omnem scientiae plenitudinem. De quarto patet, quia adscendit etiam super seraphim. Ephes. III: scit etiam supereminentem caritatem Christi. Circa septimum, quare scilicet adscendit, notandum, quod adscensionis suae novem sunt fructus sive utilitates. Prima utilitas est [3])humiliatio amoris divini. Johann. XVI: nisi ego abiero, paracletus non veniet. Ubi dicit Augustinus: si carnaliter mihi adhaeseritis, capaces spiritus non eritis. Secunda est major cognitio Dei, Joh. XIV: si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem etc. Ubi dicit Augustinus: ideo subtraho formam istam servi, in qua pater major me est, ut Deum spiritum aliter videre possitis. Tertia est meritum fidei. De hac sic dicit Leo in sermone de adscensione: tunc ad aequalem patri filium eruditior fides gressu mentis coepit accedere et contrectatione corporeae in Christo substantiae, e qua patre minor est, non egere [4]). Magnarum enim hic vigor est mentium incunctanter credere, quae corporeo non videntur in-

---

1) Ed. Pr. omittit verba: Item — ventorum. 2) Ed. Pr. male post legit.
3) Rec. legunt: consecutio. 4) Rec. legunt: in qua patre minor non.

tuitu, et ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum. Augustinus lib. confession.: exsultavit ut gigas ad currendum viam suam. Non enim tardavit, sed cucurrit clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, adscensu, clamans, ut redeamus ad eum, et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor et inveniamus eum. Quarta est nostra securitas. Ideo enim adscendit, ut noster advocatus sit apud patrem. Valde autem securi esse possumus, quando talem advocatum apud patrem habere consideramus. Joh. II: advocatum habemus apud patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. De hac securitate dicit Bernardus: securum accessum habes, o homo, apud Deum, ubi mater ante filium et filius ante patrem, mater ostendit filio pectus et ubera, filius ostendit patri latus et vulnera: nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot sunt caritatis insignia. Quinta est nostra dignitas. Maxima quidem nostra dignitas est, quando natura nostra usque ad dexteram Dei exaltata est, unde et angeli hanc dignitatem in hominibus considerantes deinceps prohibuerunt se adorari ab hominibus, sicut dicitur Apocal. XIX: cecidi, inquit, ante pedes ejus, ut adorarem eum, et dixit mihi: vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum, ubi dicit Glossa: in veteri lege non prohibuit se adorari, sed post adscensionem domini videns super se exaltari hominem timuit adorari. Leo papa in sermone de adscensione domini: hodie natura nostrae humanitatis ultra cunctarum altitudinem potestatum ad Dei patris est provecta [1]) consessum, ut mirabilior fieret gratia Dei cum remotis a conspectu hominum, qui merito reverentiam sui sentiebantur indicere, fides non diffideret, spes non fluctuaret, caritas non teperet. Sexta est spei nostrae soliditas; Hebr. IV: habentes ergo [2]) pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum filium Dei teneamus spei nostrae confessionem. Item Hebr. VI: qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut ancoram habemus animarum tutam ac firmam et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi praecursor pro nobis introivit Jesus. De hac iterum Leo: Christi adscensio nostra est provectio et quo praecessit gloria capitis, eo spes tendit et corporis. Septima est viae ostensio, Mich. III: adscendit pandens iter ante eos. Augustinus: via tibi factus est ipse salvator: surge et ambula, habes quo, noli pigrescere. Octava januae coelestis aperitio: sicut enim primus

---

1) Alii legunt: concessum. 2) Ed. Pr. legit: pontificem in quo p. coelum illum filium Dei te spei.

Adam aperuit januas inferni, sic secundus paradisi. Inde ecclesia cantat: tu devicto mortis aculeo etc. Nona loci praeparatio. Joh. XIV: vado parare vobis locum. Augustinus: domine, para, quod paras: nos enim tibi paras et te nobis paras, quando locum paras et tibi in nobis et in te nobis.

CAP. LXXIII. (68.)

De sancto spiritu.

Spiritus sanctus hodierna die, ut sacra actuum testatur hystoria, in apostolos in linguis igneis missus est. Circa cujus missionem sive ad adventum [1]) octo consideranda sunt: primo, a quo missus est; secundo, quot modis mittitur sive missus est; tertio, quo tempore missus est; quarto, quotiens missus est; quinto, qualiter missus est; sexto, in quos missus est; septimo, propter quod missus est; octavo, per quod missus est. Circa primum scilicet, a quo missus est, notandum, quod ipsum spiritum pater misit et filius misit et spiritus sanctus se ipsum dedit et misit. De primo Johannes XIV: paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo etc. De secundo Joh. XVI: si autem abiero, mittam eum ad vos. Missio enim in istis inferioribus habet comparationem ad suum mittentem sub triplici habitudine, scilicet ut ad dantem esse, et sic mittitur radius a sole, ut ad dantem virtutem, et sic mittitur jaculum a projectore, ut ad dantem jurisdictionem sive auctoritatem, et sic mittitur nuntius a praeceptore. Secundum hunc triplicem modum missio potest convenire spiritui sancto. Mittitur enim a patre et filio, tamquam ab iis habens esse et virtutem et auctoritatem in operando: nihilominus et ipse spiritus sanctus se ipsum dedit et misit, quod videtur insinuari Joh. XVI, cum dicitur: cum autem venerit ille spiritus veritatis etc. Nam sicut dicit Leo papa in sermone de Pentecoste: beata trinitas, incommutabilis Deitas una est in substantia, indivisa in opere, consors in voluntate, par in omnipotentia, aequalis in gloria. Divisit autem sibi opus nostrae redemtionis misericordia trinitatis, ut pater propitiaretur, filius propitiaret, spiritus

---

1) Ed. Pr. legit septem et deinde omittit verba octavo — est.

sanctus igniret. Quia enim spiritus sanctus Deus est, ideo recte dicitur se ipsum dare. Hoc autem, quod spiritus sanctus Deus sit, ostendit Ambrosius in libro de spiritu sancto sic dicens: ex quatuor istis manifesta divinitatis ejus gloria comprobatur. Deus enim esse cognoscitur, aut quia sine peccato est, aut quia peccata condonat, aut quia creatura non est, sed creator est, aut quia non adorat, sed adoratur. Et in hoc ostenditur, qualiter beata trinitas se totaliter nobis exhibuit: pater enim omnia, quae habuit, nobis exhibuit, quia, sicut dicit Augustinus, misit nobis filium suum in pretium nostrae redemtionis, spiritum sanctum in privilegium nostrae [1])adoptionis et se ipsum totum reservat in hereditatem adoptionis. Similiter filius totaliter se nobis exhibuit, quia, sicut dicit Bernardus, ipse pastor, ipse pascua, ipse redemtio: dedit enim nobis animam in pretium, sanguinem in potum et carnem in cibum et deitatem in praemium. Similiter et spiritus sanctus totaliter omnia dona sua nobis exhibuit et exhibet, quia sicut dicitur I. Cor. XII: alii per spiritum sanctum datur sermo scientiae, alii sermo sapientiae, secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu. Leo papa: spiritus sanctus inspirator est fidei, doctor scientiae, fons dilectionis, signaculum castitatis et totius causa salutis. Circa secundum, quot scilicet modis mittitur sive missus est, notandum, quod spiritus sanctus duobus modis mittitur, scilicet visibiliter et invisibiliter, invisibiliter cum mentibus sanctis illabitur, visibiliter cum in aliquo signo visibili demonstratur. De missione invisibili dicitur Joh. III: spiritus, ubi vult, spirat et vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat aut quo vadat. Nec mirum: quia, sicut dicit Bernardus de verbo invisibili: per oculos non intravit, quia non est coloratum, sed neque per aures, quia non sonuit, sed neque per nares, quia aëri non miscetur, sed menti, nec inficit aërem, sed fecit, neque vero per fauces, quia non est mansum vel haustum, neque per tactum corporis, quia illud palpabile non est. Quaeris igitur, cum sint ita investigabiles viae ejus, unde adesse noverim? nempe ex metu cordis intellexi praesentiam ejus et ex fuga vitiorum adverti potentiam virtutis ejus et ex discussione sive redargutione oculorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiae ejus, et ex qua quantulacunque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus et ex reformatione

---

1) Verba: adoptionis — hereditatem omittit Ed. Br.

et renovatione spiritus mentis meae percepi, utcumque speciem decoris ejus et ex contuitu horum omnium expavi multitudinem magnitudinis ejus. Haec Bernardus. Missio autem visibilis est, cum in aliquo signo visibili ostenditur. Et notandum, quod in quintuplici specie visibili spiritus sanctus monstratus est. Primo in specie columbae super Christum baptizatum; Lucas III: descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Secundo in specie nubis lucidae super Christum transfiguratum; Math. XVII: adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos. Ubi dicit Glossa: sicut baptizatio domino sic et glorificatio. Mysterium sanctae trinitatis ostendit spiritus sanctus ibi in columba, hic in nube lucida. Tertio in specie flatus; Johann XX: insufflavit et dixit iis, accipite spiritum sanctum etc. Quarto in specie ignis. Quinto in specie linguae. Et in hac duplici specie apparuit hodierna die. Ideo autem in hac quintuplici specie rerum monstratus est, ut detur intelligi, quod harum rerum proprietates operatur in cordibus, quibus illabitur. Primo monstratus est in specie columbae. Columba gemitum pro cantu habet, felle caret, in foraminibus petrae manet. Sic spiritus sanctus illos, quos replet, facit pro suis peccatis gemere, Ys. LIX: rugiemus quasi ursi omnes et quasi columbae meditantes gememus. Corinth. VIII: ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, nos postulantes et gementes facit. Secundo sine felle amaritudinis esse. Sapient. XII: o quam bonus et suavis est, domine, spiritus tuus in nobis. Item eod. VII: vocatur suavis, benignus, humanus ex eo, quod suaves, benignos, humanos faciat: suaves in sermone, benignos in corde et humanos in opere. Tertio in petrae foraminibus, id est, in Christi vulneribus habitare. Cantic. II: surge amica mea, sponsa mea, et veni, columba mea. Glossa: fovens mihi pullos meos infusione spiritus sancti; in foraminibus petrae, Glossa: in Christi vulneribus Threnor. ultim.: spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus, quasi dicat: spiritus sanctus, qui est oris nostri, quod os nostrum est Christus dominus, quia est os nostrum et caro nostra, facit nos dicere Christo: in umbra tua, id est, in passione tua, in qua Christus fuit tenebrosus et despectus, vivemus per jugem memoriam. Secundo monstratus est in specie nubis. Nubes a terra elevatur, refrigerium praestat et pluviam generat: sic spiritus sanctus, quos replet, a terra elevat per contemtum terrenorum. Ezech. VIII:

elevavit me spiritus inter coelum et terram etc. Item Ezech. I: quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter elevabantur sequentes eum, spiritus enim vitae erat in rotis. Item Gregorius: gustato spiritu desipit omnis caro. Secundo refrigerium praestat contra incentiva vitiorum: unde et Mariae dictum est: spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi, id est, te ab omni aestu vitiorum refrigerabit. Unde et spiritus sanctus vocatur aqua, quae habet vim regenerativam. Joh. VII: flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de spiritu sancto, quem erant accepturi credentes in eum. Tertio generat pluviam lacrymarum. Psalm.: flavit spiritus ejus et fluent aquae, scilicet lacrymarum. Tertio monstratus est in specie flatus. Flatus est mobilis, calidus, lenis et ad respirandum necessarius: sic spiritus sanctus mobilis, id est, velox est ad se diffundendum; omnibus enim mobilibus mobilior est. Glossa super illud: factus est repente de coelo sonus advenientis spiritus vehementis etc. dicit: nescit tarda molimina sancti spiritus gratia. Secundo calidus est ad inflammandum. Luc. XII: ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi quod ardeat. Unde et austro vento calido comparatur. Cantic. IV: surge, aquilo, et veni, auster, perflare hortum meum et fluent aromata illius. Tertio lenis est ad demulcendum, unde et ad ejus lenitatem insinuandam vocatur nomine unctionis, ut patet in canonica Joh. I. c. II: unctio ejus docet vos de omnibus. Nomine roris. Unde cantat ecclesia: et sui roris intima adspersione foecundet etc. Nomine aurae tenuis. III. Reg. XIX: et post ignem sibilus aurae tenuis, et ibi dominus. Quarto necessarius est ad respirandum. Adeo quippe flatus necessarius est, quod si ad horam subtraheretur, homo continuo moreretur. Sic et de spiritu sancto intelligendum est. Unde psalmus: auferes spiritum eorum et deficient et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae etc. Item Joh. VI: spiritus est, qui vivificat etc. Quarto spiritus sanctus monstratus est in specie ignis. Quinto in specie linguae [1]) secundum illud: apparuerunt illis dispartitae linguae tamquam ignis sedit supra singulos eorum etc. Quare autem in hoc die duplici specie apparuit, dicetur infra. Circa tertium, scilicet quo tempore missus est, notandum, quod missus est quinquagesimo die a pascha.

---

1) Verba sequentia secundum — etc. omittit. Ed. Pr.

Ideo autem in die quinquagesimo missus est, ut detur intelligi, quoniam a spiritu sancto est legis perfectio, aeterna remuneratio et peccatorum remissio. Legis perfectio, quoniam secundum Glossam a die agni praeimmolati quinquagesimo die data est lex in igne, in Novo etiam Testamento quinquagesimo die a pascha Christi descendit spiritus in igne, lex in monte Synay, spiritus in monte Syon, lex in sublimis montis loco, spiritus datus in coenaculo, unde per hoc insinuatur, quod ipse spiritus sanctus est perfectio totius legis, quia plenitudo legum est dilectio. Secundo aeterna remuneratio, unde Glossa: sicut quadraginta dies, quibus post resurrectionem cum discipulis conversatus est, praesentem ecclesiam designant, ita quinquagesimus dies, quo spiritus sanctus datur, denarium aeternae remunerationis exprimit. Tertio peccatorum remissio, unde Glossa ibidem: ideo in quinquagesimo anno indulgentia fiebat in jubilaeo et per spiritum sanctum peccata remittuntur; et sequitur in Glossa: in spirituali jubilaeo rei solvuntur, debita dimittuntur, exules in patriam revocantur, hereditas amissa redditur, servi, id est homines peccato venumdati a jugo servitutis liberantur. Hucusque Glossa. Rei mortis solvuntur et liberantur, unde Rom. VIII: lex spiritus vitae in Christo liberavit me a lege peccati et mortis. Debita peccatorum dimittuntur, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Exules in patriam revocantur, psalm.: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hereditas amissa redditur, Rom. VIII: ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes. Servi a peccato liberantur, II. Cor. IV: ubi spiritus domini, ibi libertas. Circa quartum, scilicet quotiens apostolis missus est, sciendum est, quod secundum Glossam tribus vicibus iis datus est, scilicet ante passionem, post resurrectionem et post adscensionem. Primo ad faciendum miracula, secundo ad relaxandum peccata, tertio ad confirmandum corda. Primo quoniam eos ad praedicandum misit et super omnia daemonia et ut languores curarent, potestatem dedit iis. Haec enim miracula per spiritum sanctum fiunt, secundum quod dicitur Math. XII: si autem in spiritu Dei ejicio daemonia etc. Non tamen consequens est, ut quicunque habet spiritum sanctum, faciat miracula, quoniam sicut Gregorius ait, miracula hominem sanctum non faciunt, sed ostendunt, nec quicunque facit miracula, habet spiritum sanctum, quoniam et mali asserunt se fecisse miracula dicentes: domine, nonne in nomine tuo prophetavimus

etc. Deus enim facit miracula per auctoritatem, angeli per materiae [1]) humilitatem, daemones per virtutes naturales rebus insitas, magi per occultos contractus cum daemonibus, boni christiani per publicam justitiam, mali christiani per signa publicae justitiae. Secundo dedit iis spiritum sanctum, quando in eos insufflavit dicens: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc. Non tamen potest quis peccatum remittere, quantum ad maculam, quae est in anima, aut quantum ad reatum, id est obligationem ad poenam aeternam, aut quantum ad Dei offensam, quae solum ex infusione gratiae et virtute contritionis remittuntur. Dicitur tamen sacerdos absolvere, tum quia a culpa absolutum esse [2]) insinuat, tum quia poenam purgatoriam in temporalem commutat, tum quia de ipsa temporali partem relaxat. Tertio dedit iis hodierna die, quando eorum corda sic solidata sunt, ut nil tormenta timerent. Psalm.: spiritus oris ejus omnis virtus eorum. Augustinus: talis est gratia spiritus sancti, quod, si tristitiam invenit, [3]) dissolvit, si desiderium perniciosum, consumit, si trepidationem, abjicit. Leo papa: sperabatur ab apostolis spiritus sanctus, non ut tunc primum sanctorum habitator esse inciperet, sed ut sacrata sibi pectora et ferventius accenderet et copiosius [4]) inundaret, cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate. Circa quintum, qualiter scilicet missus est, notandum, quod missus est cum sono in linguis igneis et ipsae linguae apparuerunt sedendo, sonus autem fuit repentinus, coelestis, vehemens et replens; repentinus, quia spiritus sanctus tarda molimina nescit, coelestis, quia coelestes efficit, vehemens, quia timorem filialem inducit, vel quia aeternum vaeh adimit, unde vehemens, quasi vaeh adimens, vel quia mentem ab omni carnali amore vehit, unde vehemens quasi vehens mentem. Fuit et replens, quia spiritus sanctus omnes apostolos replevit, unde repleti sunt omnes etc. Triplex est autem signum plenitudinis, quod fuit in apostolis: primum est non resonare, ut patet in dolio, quod, cum plenum est, non resonat; Job. VI: numquid mugiet bos, [5]) cum praesepe plenum fuerit, quasi dicat: cum praesepe cordis plenitudinem habet gratiae, locum non habet mugitus impatientiae. Hoc signum habuerunt apostoli, quia in tribulationibus per impatientiam non resonabant, immo ibant gauden-

---

1) Sic Ed. Pr., alii legunt: habilitationem. 2) Hoc verbum male omittit Ed. Pr. 3) Recent. male dissolvitur legunt. 4) Alii immundaret. 5) Recent. legunt: cum ante praesepe plenum steterit.

tes a conspectu consilii etc. Secundum signum est non plus recipere sive satietatem habere. Quando enim vas aliquo liquore plenum est, aliud recipere non potest: similiter homo satur non appetit amplius. Sic sancti, qui habent plenitudinem gratiae, non possunt recipere alium liquorem dilectionis terrenae, Ysai. I: plenus sum et ideo holocausta etc. Similiter qui gustaverunt coelestem suavitatem, ideo non sitiunt terrenam voluptatem. Augustinus: qui biberit de fluvio paradisi, cujus una gutta major est oceano, restat, ut in eo sitis hujus mundi exstincta sit. Hoc signum habebant apostoli, qui nihil proprium voluerunt habere, sed in communi omnia dividere. Tertium signum est superfluere, ut patet in fluvio inundante[1]); Eccles. XXIV: qui implet quasi Phison sapientiam. Ad litteram: illius fluvii proprium est effluere et circumadjacentia irrigare: sic apóstoli coeperunt effluere, quia coeperunt loqui variis linguis, ubi dicit Glossa: ecce signum plenitudinis; plenum vas erumpit, ignis in sinu non potest occultari, coeperunt iterum circumadjacientia irrigare. Unde statim Petrus praedicare coepit et tria millia convertit. Secundo missus est in linguis igneis, circa quod tria videnda sunt, primo, quare conjunctim in linguis igneis, secundo quare in igne potius, quam in alio elemento, tertio quare in lingua potius, quam in alio membro. De primo sciendum, quod triplici modo apparuit in linguis igneis: primo, ut verba ignea proferrent, secundo ut legem igneam praedicarent, scilicet legem amoris. De his duobus Bernardus: venit spiritus sanctus in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignea loquerentur et legem igneam linguae igneae praedicarent. Tertio ut spiritum sanctum, qui ignis est, per eos loqui cognoscerent et hoc ne diffiderent et ne aliorum conversionem sibi attribuerent et ut omnes eorum verba tamquam Dei audirent. De secundo sciendum, quod missus est in specie ignis multiplici ratione. Prima sumitur penes ejus septemplicem gratiam: spiritus enim ad modum ignis alta humiliat per donum timoris, emollit dura per donum pietatis, illuminat obscura per scientiam, restringit fluida per consilium, consolidat mollia per fortitudinem, clarificat metalla tollendo rubiginem per donum intellectus, sursum tendit per donum sapientiae. Secunda sumitur penes ejus dignitatem et excellentiam; ignis enim excellit omnia elementa specie, ordine et virtute. Specie, ra-

1) Ed. Pr. mundante male.

tione pulchritudinis in luce, ordine, ratione sublimitatis in situatione, virtute, ratione vigorositatis in actione; sic et spiritus sanctus in his omnia excedit. Propter primum dicitur spiritus sanctus incoinquinatus, propter secundum, quia capiat omnes spiritus intelligibiles, propter tertium habens omnem virtutem, Sap. VII. Tertia sumitur penes ejus multiplicem efficaciam. Hanc rationem assignat Rabanus sic dicens: ignis quatuor habet naturas, urit, purgat, calefacit et illuminat. Similiter spiritus exurit peccata, purgat corda, teporem excutit, ignorantias illustrat. Haec Rabanus. Exurit peccata, unde Zachar. XIV: per ignem uram eos, sicut uritur argentum. Hoc etiam igne uri petebat propheta dicens: ure renes meos etc. Purgat corda, Ysai. IV: si sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris. Teporem excutit, unde dicitur de illis, quos replet spiritus sanctus, Rom. XII: spiritu ferventes etc. Gregorius: in igne apparuit spiritus sanctus, quia ab omni corde, quod replet, torporem frigoris excutit et hoc in desiderio suae aeternitatis accendit. Ignorantias illustrat, Sapient. IX: sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis, et ita I. Corinth. II: nobis autem revelavit Deus per spiritum sanctum. Quarta sumitur penes ipsius amoris naturam. Amor enim per ignem habet significationem triplici ratione. Primo quia ignis semper est in motu, sic et amor spiritus sancti, quos replet, semper facit esse in motu bonae operationis, unde Gregorius: nunquam est amor Dei otiosus. Operatur enim magna, si est. Si autem operari negligit, amor non est. Secundo quia ignis inter caetera elementa est maxime formale et modicum habet de materia et multum de forma. Sic amor spiritus sancti, quos replet, facit habere modicum de amore terrenorum et plurimum de amore coelestium et spiritualium, ut jam non carnalia carnaliter, sed potius spiritualia spiritualiter diligat. Distinguit enim Bernardus quatuor modos diligendi, scilicet diligere carnem carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter et spiritum spiritualiter. Tertio quia ignis habet alta inclinare, sursum tendere, fluida adunare et congregare, per haec tria intelligitur triplex vis amoris. Amor enim, sicut habetur ex verbis Dionysii in libro de divinis nominibus, habet triplicem vim, scilicet inclinativam, elevativam et coordinativam. Inclinativam, quia inclinat superiora inferioribus, elevativam, quia elevat inferiora superioribus, coordinativam, quia coordinat aequalia coaequalibus. Haec Dionysius. Hanc enim tri-

plicem vim amoris spiritus sanctus efficit in his, quos replet, quia inclinat eos per humilitatem et sui contemtum, elevat in desiderium supernorum et coordinat invicem per uniformitatem morum. De tertio sciendum, quod apparuit potius in lingua, quam in alio membro, triplici ratione. Lingua enim est membrum igne Gehennae inflammatum, difficile ad regendum et utile bene rectum. Quia ergo lingua igne infernali inflammata erat, ideo igne spiritus sancti indigebat; Jacob. III: lingua nostra ignis est etc., quia difficile regitur, ideo prae caeteris membris gratia spiritus sancti indiget, Jacob. III: omnis natura bestiarum etc. Quia utilis valde, si bene regitur, ideo necesse fuit, ut spiritum sanctum rectorem haberet. In linguá etiam apparuit, ad significandum, quod praedicantibus valde necessarius fuit; praedicantibus enim necessarius est, quia facit eos loqui ferventer absque trepiditate, et ideo missus est in specie ignis. Bernardus: venit spiritus sanctus super discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur et legem igneam linguae igneae praedicarent. Confidenter absque pusillanimitate, Act. IV: repleti sunt omnes spiritu sancto et coeperunt loqui cum fiducia verbum Dei etc. Multipliciter propter capacitatis auditorum diversitatem, et ideo dicitur Act. II, quod coeperunt loqui variis linguis. Utiliter ad aedificationem et utilitatem, Ysaias LXII: spiritus domini super me eo quod unxerit me etc. Tertio ipsae linguae apparuerunt sedendo ad significandum, quod praesidentibus necessarius erat. Praesidentibus quoque et judicibus necessarius est, quia confert auctoritatem ad peccatum remittendum; Joh. XX: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc. Sapientiam ad judicandum, Ysaias XIII: ponam spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Mansuetudinem ad supportandum, Numeri XI: dabo jis de spiritu, qui in te est, ut supportetur onus populi tecum. Spiritus Moysi erat spiritus mansuetudinis, ut patet Num. XII: erat Moyses mansuetissimus etc. Ornatum sanctitatis ad informandum; Job. XXVI: spiritus domini ornavit coelos. Circa sextum, in quos scilicet missus est, notandum, quod missus est in discipulos, qui fuerunt receptacula munda et habilia ad susceptionem spiritus sancti propter septem, quae fuerunt in iis. Ipsi enim primo fuerunt animo quieti, quod notatur in hoc, quod dicitur: dum complerentur dies pentecostes, id est dies requietionis. Illud enim festum erat ad requiem deputatum, Ysai. LXVI: super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem etc. Secundo di-

lectione uniti, quod notatur in hoc, quod dicitur: erant omnes pariter. Erat enim iis cor unum et anima una. Sicut enim spiritus hominis non vivificat membra corporis, nisi [1]) in vita, sic nec spiritus sanctus scilicet membra spiritualia. Et sicut ignis lignorum divisione exstinguitur, sic spiritus sanctus per discordiam in hominibus, et ideo cantatur de apostolis: invenit eos concordes caritate et illustravit eos inundans [2]) deitas deitatis. Tertio loco secreti, quod notatur in hoc, quod dicitur in eodem loco, scilicet in coenaculo. Hos. II: ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus. Quarto oratione assidui, unde praemittitur: erant perseverantes unanimiter in oratione; unde cantamus de iis: orantibus apostolis [3]) Deum venisse nuntiat. Quod enim oratio necessaria sit ad susceptionem spiritus sancti, ostendit Sap. VII: invocavi et venit in me spiritus sapientiae. Item Joh. XIV: rogabo patrem meum et alium paracletum dabit vobis. Quinto humilitate praediti, quod notatur in hoc, quod dicitur sedentes; psalm: qui emittis fontes in convallibus, id est gratiam spiritus sancti donas humilibus, et super quem requiescet spiritus meus etc. Sexto pace conjuncti, quod notatur in hoc, quod erant in Jerusalem, quae interpretatur visio pacis. Quod autem ad recipiendum spiritum sanctum pax necessaria sit, ostendit dominus Joh. XX: ubi primo pacem obtulit dicens: pax vobis, deinde statim insufflavit et dixit: accipite spiritum sanctum. Septimo in contemplatione erecti, quod notatur in hoc, quod spiritum sanctum receperunt in superiori coenaculo, unde dicit Glossa ibidem: qui spiritum sanctum desiderat, carnis domicilium transscendens mentis contemplatione calcat. Circa septimum propter quid scilicet missus est, notandum quod missus est propter sex causas, quae notantur in hac auctoritate: paracletus autem spiritus sanctus etc. Primo ad consolandum moestos, quod notatur, cum dicitur: paracletus, quod idem est ac consolator, Ysaias LXI: spiritus domini super me etc. et sequitur ut ponerem consolationem lugentibus Syon. Gregorius: consolator spiritus dicitur, qui de peccati perpetratione moerentibus, dum spem veniae paeparat, ab afflictione tristitiae mentem levat. Secundo ad vivificandum mortuos, quod notatur, cum dicitur spiritus, quod spiritus enim, qui vivificat. Ezech. XXXVII: ossa arida audite verbum domini etc. Ecce ego immittam in vos spiritum et vivetis. Tertio ad

1) Recentiores legunt: nisi sunt unita. 2) Alii: divinitatis legunt.
3) Sic Recent., Ed. Pr. legit: eum venisse.

sanctificandum immundos, quod notatur, cum dicitur sanctus, sicut enim dicitur spiritus, qui vivificat, ita sanctus, quia sanctificat et mundat. Unde sanctus idem est quod mundus. Psalm.: [1]) fluminis impetum, id est, mundans et abundans gratia spiritus sancti laetificat civitatem Dei, id est, ecclesiam Dei et per istud flumen sanctificavit tabernaculum suum altissimum. Quarto ad confortandum amorem inter discordes et odiosos: quod notatur, cum dicitur pater: pater enim dicitur eo, quod naturaliter diligit nos; Joh. XHI: ipse enim pater amat nos. Si pater et nos filii ejus et fratres ad invicem et inter fratres perfecta amicitia perseverat. Quinto ad salvandum justos: quod notatur in hoc, cum dicitur: in nomine meo, quod est Jesus, et salus interpretatur. In nomine igitur Jesu, id est salutis, pater misit spiritum, ut ostendat, quod ad salvandas gentes venit. Sexto ad docendum ignaros, quod notatur in eo, quod dicitur: ille vos docebit omnia. Circa octavum notandum, quod datur sive missus est in primitiva ecclesia; primo per orationem, unde: orantibus apostolis etc. et Luc. III: orante Jesu descendit spiritus sanctus etc. Secundo per verbi Dei devotam et attentam auditionem Act. X: adhuc loquente Petro cecidit spiritus sanctus etc. Tertio per assiduam operationem, quod notatur in manuum impositione. Act. VIII: tunc imponebant manus super illos etc. Vel impositio manuum significat absolutionem, quae fit in confessione.

CAP. LXXIV. (69.)

De sancto Gordiano[2]).

Gordianus a geos, quod est dogma sive domus, et dyan, quod est clarum, quasi clara domus, in qua habitabat Deus: sicut dicit Augustinus in libro de civitate Dei: bona domus est paribus membris disposita, ampla et lucida. Sic ille sanctus fuit pariter dispositus per concordiae imitationem, amplus per caritatem, lucidus per veritatem. Epymachus ab epy, [3]) quod est supra et machin, quod est rex, quasi supernus rex, vel ab epy, quod est supra, et machos, quod est pugna, quasi pro supernis pugnans.

1) Ed. Pr. male legit: Post fluminis. 2) Rec. legunt: de sanctis G. et Epimacho. 3) Verba quod est — pugnans omittit Ed. Pr.

Gordianus vicarius Juliani imperatoris cum quemdam christianum nomine Januarium ad sacrificandum compelleret, ad praedicationem tamen ipsius Januarii ad fidem cum uxore sua, nomine [1])Mariria, et LIII viris conversus est. Quod audiens Julianus jussit Januarium in exsilium mitti, Gordianum vero, si sacrificare nollet, capite truncari. Decollatus est igitur beatus Gordianus et corpus ejus ad canes per VIII dies projectum est. Sed cum omnino remansisset intactum, tandem a familia sua rapitur et cum beato Epymacho, quem dudum praedictus Julianus occidi fecerat, non longe ab urbe milliario fere uno circa annum domini CCCLX sepelitur.

CAP. LXXV. (70.)
De sancto Nereo et Achilleo.

Nereus interpretatur lucis consilium vel Nereus a nereth, quod est lucerna, et vs festinans; vel Nereus quasi ne, id est, nequaquam reus. Fuit ergo consilium lucis in virginitatis praedicatione, lucerna in honesta conversatione, festinans in coeli fervore, ne reus, id est, nequaquam reus in conscientiae puritate. Achilleus ab achi, quod est frater meus, et lesa, quod est salus, quasi fratrum salus. Horum passiones Euthices, Victorinus et Macro, [2]) alias Maro, servi Christi scripserunt.

Nereus et Achilleus eunuchi cubicularii Domicillae neptis Domitiani imperatoris fuerunt, quos beatus Petrus apostolus baptizavit. Cum ergo praedicta Domicilla Aureliano filio consulis nupta esset et gemmis et purpureis vestibus tegeretur, Nereus et Achilleus fidem praedicaverunt et virginitatem multipliciter commendaverunt ostendentes virginitatem Deo esse proximam, angelis germanam, hominibus innatam, uxorem viro subjici, pugnis et calcibus caedi, deformes partus saepius procreari, rursus, quae vix matris pia monita sustinebat, oportere grandia convicia pati mariti. Illa autem inter caetera dixit: scio patrem meum fuisse zelotypum et matrem meam ab eo convicia plurima passam esse: numquid vir meus talis

---

1) Recent. omittunt Mariria. 2) Verba alias Maro omittit Ed. Pr.

futurus est? Cui illi: quoniam quamdiu sunt sponsi, videntur esse benigni, sed mariti effecti crudeliter dominantur et aliquando ancillas praeferunt dominabus, omnis autem sanctitas amissa per poenitentiam revocari potest, sola autem virginitas ad suum statum revocari non potest (reatus enim per poenitentiam expelli potest, virginitas revocari non potest), [1]) ut ad statum pristinae sanctitatis attingat tunc Flavia Domicilla credidit et virginitatem vovit et a sancto Clemente velata est. Quod sponsus ejus audiens licentia a Domitiano impetrata virginem cum sanctis Nereo et Achilleo in Pontianam insulam relegavit, putans se per hoc posse virginis propositum immutare. Post aliquod tempus, cum ipse ad insulam perrexisset et multis muneribus sanctos, ut virgini suaderent, induceret, hujusmodi penitus respuentes magis eam in domino confortabant. Quapropter cum ad sacrificia compellerentur et dicerent se a beato Petro apostolo baptizatos nulla ratione posse ydolis immolare, capite caesi sunt circa annum domini LXXX, quorum corpora juxta sepulchrum Petronellae posita sunt. Alios etiam, scilicet Victorinum, Euthicen et Maronem, quibus Domicilla adhaereret, tamquam servos tota die in suis praediis laborare faciebat et vespere cantabrum ad manducandum iis dabat. Tandem Euthicem caedi jussit, quousque spiritum exhalaret, Victorinum vero in aquis foetentibus suffocari, Maronem vero saxo ingenti opprimi jussit. Cum autem immanissimam petram, quam vix LXX viri movere poterant, super eum jactassent, ipse praedictum lapidem in humeros suos accepit, et quasi leves paleas ad duo milliaria portavit et, cum plurimi credidissent, consularis eum occidi fecit. Post hoc Aurelianus Domicillam de exsilio reduxit et duas virgines, Euphrosinam et Theodoram, collactaneas ejus, ut ei suaderent, misit, quas tamen Domicilla ad fidem convertit. Tunc Aurelianus cum sponsis praedictarum puellarum et tribus joculatoribus ad Domicillam venit, ut ejus nuptias celebraret et ipsam saltem violenter opprimeret. Sed cum Domicilla praedictos duos juvenes convertisset, Aurelianus Domicillam in thalamum introduxit et ibidem mimos canere fecit et caeteros secum saltare jussit, volens eam postmodum violare. Sed cum deficerent mimi in canendo et caeteri in saltando, ipse tamen per duos dies non cessavit, quousque in saltando deficiens exspiravit. Luxurius [2]) vero frater ejus impetrata licentia omnes, qui crediderant, inter-

---

1) Verba ut — attingat omittit Ed Pr. 2) Luxuriosus alii offerunt.

fecit et cubiculo, ubi praedictae virgines morabantur, ignem supposuit, quae orantes spiritum miserunt, quarum corpora sanctus Caesarius mane illaesa reperiens sepelivit.

CAP. LXXVI. (71.)

De sancto Pancratio.

Pancratius a pan, quod est totum, et gratus, quod est citius, quasi totus cito gratus, quia in sua pueritia, vel sicut dicitur in Glossario, pancras dicitur rapina, pancranarius flagellis subjectus, pancras lapis varie coloratus. Ipse enim rapuit praedam captivorum, fuit subjectus flagellis tormentorum, coloratus varietate virtutum.

Pancratius nobilissimis ortus parentibus dum apud Phrygiam et patre et matre orbatus esset, sub cura Dionysii patrui sui relictus est. Ambo ergo Romam, ubi largum habebant patrimonium, redierunt, in quorum vico Cornelius papa cum fidelibus latitabat. A quo quidem Cornelio cum praedictus [1]) Dionysius et Pancratius fidem Christi recepissent, tandem Dionysius in pace moritur et Pancratius capitur et Caesari praesentatur. Erat autem Pancratius quasi annorum XIV, cui dicit Dyocletianus Caesar: infantule, suadeo tibi, ne mala morte moriaris, quia, cum puer sis, facile deciperis, et quia nobilis comprobaris et carissimi mei filius exstitisti, rogo te, ut recedas ab hac vesania, ut velut filium meum te habeam. Cui Pancratius: etsi puer sum corpore, cor tamen gero senile et virtute domini mei Jesu Christi terror vester tantum apud nos est, quantum haec pictura, quam cernimus. Dii autem tui, quos me hortaris colere, deceptores et germanarum stupratores fuerunt, qui etiam nec parentibus pepercerunt. Quod si hodie tuos servos tales cognosceres, protinus occidi juberes. Tales Deos miror, quomodo colere non erubescis. Augustus igitur putans se a puero victum, jussit eum in via Aureliana decollari circa annos domini CCLXXXVII, cujus corpus Cocavilla senatrix diligenter sepelivit. Ad ejus sepulchrum, ut ait Gregorius Turonensis, si quis falsum jurare voluerit, antequam ad chori can-

---

1) Ed. Pr. male Dyocletianus bis legit.

cellum perveniat, aut statim a daemone captus insanit aut cadens in pavimentum protinus vitam perdit. Lis non modica inter duos erat et judex reum minime ignorabat. Zelo igitur justitiae judex ductus ambos ad altare sancti Petri deduxit et ibidem reum innocentiam suam, quam praetendebat, juramento expiare coegit, rogans apostolum, ut aliquo judicio ostenderet veritatem. Cum autem ille jurasset et nihil mali passus fuisset, judex ejus malitiae conscius zelo accensus justitiae exclamavit: senior iste Petrus aut nimis misericors est aut minori defert. Eamus ad Pancratium juvenem et ab eo requiramus. Cum ergo venissent et super tumulum reus jurare falsum praesumsisset, manum inde trahere non potuit et ibidem postmodum exspiravit, unde usque hodie a plerisque observatur, ut super reliquias beati Pancratii pro arduis juramentum fiat.

De festivitatibus, quae occurrunt infra tempus peregrinationis.

Dicto de festivitatibus, quae occurrunt inter tempus reconciliationis, quod tempus repraesentat ecclesia a pascha usque ad octavam pentecostes, sequitur videre de festivitatibus, quae eveniunt infra tempus peregrinationis, quod tempus repraesentat ecclesia ab octava pentecostes usque ad adventum. Principium autem hujus temporis non semper hic incipit, sed juxta paschalem terminum variatur.

CAP. LXXVII. (72.)

De sancto Urbano.

Urbanus ab urbanitate dictus vel Urbanus ab ur, quod est lumen vel ignis, et banal responsio. Fuit enim lumen per conversationem honestam, ignis per caritatem succensam, responsio per doctrinam; fuit lumen sive lux, quia lux est in adspectu amabilis, in essentia immaterialis, in situ coelestis, in actu perutilis. Sic ille sanctus fuit amabilis in conversatione, immaterialis in mundi despectione, coelestis in contemplatione, utilis in praedicatione.

Urbanus Calixto papae successit, cujus tempore cum fuisset maxima persecutio in christianis, tandem Alexander, cujus mater Ammaea christiana erat, quam Origenes converterat, imperium sumsit. Ipsa igitur filium precibus maternis induxit, ut a persecutione christianorum cessaret, verumtamen Almachius urbis praefectus, qui beatam Caeciliam decollaverat, in christianos crudeliter saeviebat, sanctum igitur Urbanum diligenter inquiri fecit et in quodam antro procurante Carpasio quodam ministro cum tribus presbiteris et tribus dyaconibus repertum in carcerem mitti jussit. Post hoc coram se ipso adduci praecepit et quod quinque millia hominum cum sacrilega Caecilia et illustribus viris Tyburtio et Valeriano seduxerat, eidem objecit et thesauros Caeciliae requisivit. Cui Urbanus: ut video, plus te ad saeviendum in sanctos ducit cupiditas, quam cultus Deorum: thesaurus Caeciliae per manus pauperum coelos conscendit. Cum igitur sanctum Urbanum cum sociis plumbatis caederent et ipse nomen domini Elyon invocaret, subridens praefectus ait: sapiens vult iste senex videri et ideo nunc ignota loquitur. Cum autem superari non possent, iterum in carcerem recluduntur, ubi tres tribunos ad se venientes cum custode carceris Anolino sanctus Urbanus baptizavit. Audito igitur, quod Anolinus christianus factus esset, praefecto sistitur et sacrificare renuens decollatur, sanctus autem Urbanus cum sociis ad simulacrum ducitur et thura imponere urgetur: tunc orante Urbano simulacrum cecidit et XXII sacerdotes, qui ignem ministrabant, occidit. Tunc gravissime laniantur et post hoc ad sacrificandum ducuntur, qui in ipsum ydolum exspuentes frontes cruce munierunt et invicem dato pacis osculo capitalem sententiam acceperunt sub Alexandro, qui coepit circa annum domini CCXX. Sed statim Carpasius a daemone arripitur et Deos suos blasphemans et christianos invitus magnificans a daemone suffocatur: quod ejus uxor Armenia videns cum filia sua Lucina et tota familia a sancto Fortunato presbitero baptisma suscepit et post hoc sanctorum corpora honorifice sepelivit.

CAP. LXXVIII. (73.)
De sancta Petronella.

Petronella, cujus vitam sanctus Marcellus scripsit, fuit filia sancti Petri apostoli, quae cum nimis speciosa esset et ex voluntate patris febribus laboraret, discumbentibus apud eum discipulis dixit ad eum Titus: cum omnes a te sanentur infirmi, cur Petronellam jacere permittis? Cui Petrus: quia sic ei expedit. Verumtamen ne putetur impossibilitas sanitatis ejus meis sermonibus excusari, ait ad illam: surge, Petronella, velocius et ministra nobis. Quae statim sanata surrexit et iis ministravit. Completo autem ministerio dixit Petrus: Petronella, redi ad lectum tuum; quae statim rediit et ut prius febribus laborare coepit; at ubi in Dei amore coepit esse perfecta, eam perfecte sanavit. Comes igitur Flaccus ad eam venit, ut ipsam propter ejus pulchritudinem acciperet in uxorem, cui illa respondit: si me in uxorem desideras, jube ad me virgines venire, quae me usque ad domum tuam debeant sociare. Quas cum ille pararet, Petronella jejuniis et orationibus insistere coepit et corpus domini suscipiens ac in lecto se reclinans post triduum ad dominum migravit. Flaccus delusum se videns ad Feliculam sociam Petronellae se convertit et, ut aut sibi nuberet aut ydolis immolaret, praecepit. Quod cum illa utrumque renueret, praefectus septem diebus sine cibo et potu in carcere eam esse fecit et postmodum in equuleo tortam occidit ac ejus corpus in cloacam projecit; quam tamen sanctus Nicodemus elevans sepelivit; unde a Flacco comite Nicodemus accersitur et sacrificare renuens plumbatis caeditur et in Tyberim corpus ejus projicitur, sed a Justo clerico levatur et honorifice sepelitur.

CAP. LXXIX. (74.)
De sancto Petro exorcista [1].

Petrus exorcista dum ab Archemio in carcere detineretur et praedicti Archemii filia a daemone vexaretur et ob hoc a patre saepius plangeretur, dixit ei Petrus, quod, si in Christum crederet, statim sanitatem filia ejus reciperet. Cui Archemius: miror, qua

1) Recent. addunt: et Marcellino.

ratione dominus tuus filiam meam liberare poterit, qui te tanta patientem pro eo liberare non valet. Cui Petrus: potens quidem est Deus meus eripere me, sed vult, ut per passionem transitoriam perveniamus ad gloriam sempiternam. Cui Archemius: si me catenas super te duplicante Deus tuus te liberaverit et filiam meam sanaverit, protinus in Christum credam. Quod cum factum fuisset, sanctus Petrus candidis vestibus indutus et tenens signum crucis eidem apparuit et ille ejus se pedibus prostravit et filia ejus sanata ipse cum tota domo sua baptisma suscepit permisitque aliis incarceratis, quod exirent liberi, quicumque vellent fieri christiani, multisque credentibus a beato Marcellino presbitero baptizantur. Quod audiens praefectus omnes incarceratos ad se adduci praecepit, quos Archemius convocans et manus eorum deosculans dixit, ut, si quis vellet venire ad martirium, veniret intrepidus, quodsi quis nollet, abiret illaesus. Comperto [1]) autem judex, quod Marcellinus et Petrus eos baptizassent, ipsos accersivit et eos separatim in carcere reclusit. Marcellinus quidem nudus super vitrum fractum consternitur et ei lumen et aqua negatur, Petrus vero in alio carcere altissimo et artissimo [2]) cippo constringitur, angelus autem domini Marcellinum intuens et solvens ipsum cum Petro in domo Archemii restituit et, ut septem diebus populum confortarent et postea se judici praesentarent, praecepit. Cum ergo praedictus judex eos in carcere non invenisset, accersitum Archemium et sacrificare nolentem in terra cum uxore sua obrui jussit. Quod sancti Marcellinus et Petrus audientes illuc venerunt et illa crypta [3]) sanctus Marcellinus christianis se protegentibus missam celebravit dixeruntque sancti ad incredulos: ecce Archemium potuissemus liberare et nos abscondere, sed neutrum voluimus facere. Tunc irati gentiles Archemium gladio necaverunt, matrem vero cum filia lapidibus obruerunt, Marcellinum autem et Petrum ad silvam [4]) nigram, quae nunc candida propter eorum martirium vocatur, decollaverunt, tempore Dyocletiani, qui coepit anno domini CCLXXXVII. Quorum animas vestibus splendidis et gemmis indutas ab angelis in coelum deferri spiculator nomine Dorotheus vidit, unde et christianus effectus est: postmodo in pace quievit.

---

1) Ed. Pr. legit compertus. 2) Ed. Pr. legit cibo. 3) Rec. addunt septem diebus. 4) Sic libri recent., Ed. Pr. fortasse rectius magnam offert.

CAP. LXXX. (75.)

De sancto Primo et Feliciano.

Primus quasi summus et magnus, Felicianus quasi felix anus, id est, felix senex. Ille enim dicitur summus sive magnus dignitate propter martirii perpessionem, potestate propter miraculorum operationem, sanctitate propter vitae perfectionem, felicitate propter vitae gloriosam fruitionem. Iste autem dicitur senex non tantum propter temporis antiquitatem, sed etiam propter reverentiae dignitatem, propter sapientiae maturitatem et propter morum gravitatem.

Primus et Felicianus apud Dyocletianum et Maximianum a templorum pontificibus accusantur, quod, nisi eos sacrificare fecerint, nulla a Diis beneficia obtinere valebunt. Jussu igitur imperatorum in carcere recluduntur, sed ab angelo soluti[1]) postmodum iterum imperatoribus praesentantur, qui cum in fide firmi persisterent, crudeliter laniati ab invicem separantur, dicitque praeses Feliciano, ut suae senectuti consuleret et Diis immolaret. Cui Felicianus: ecce jam LXXX annos habeo et XXX anni sunt, ex quo veritatem agnovi et elegi Deo vivere, qui me potest de tuis manibus liberare. Tunc jussit praeses eum ligari et clavos in manibus et pedibus affigi eique dixit: tamdiu sic eris, donec nobis consenseris. Qui dum laeto vultu persisteret, eum ibidem torqueri jussit et nihil penitus ministrari. Post hoc sanctum Primum adduci fecit eique dixit: ecce frater tuus imperatorum decretis consensit et ob hoc magnus in palatio veneratur, tu igitur similiter age. Cui ille: licet dyaboli filius sis, verum tamen in parte dixisti, quia frater meus imperatoris coelestis decreto consensit. Tunc iratus praeses jussit facibus latera ejus incendi et plumbum bulliens in os ejus infundi, cernente Feliciano, ut sic terreri posset, ipse autem plumbum tanquam aquam frigidam suaviter bibit. Tunc iratus praeses duos leones ad eos mitti praecepit, qui statim ad pedes eorum se projecerunt et tamquam agni mansueti coram iis steterunt. Rursus ursas crudeles dimittit, et cum leonibus mansuescunt. Aderant ad hoc spectaculum plus quam XII millia virorum, de quibus D viri in domino crediderunt, praeses autem sanctos fecit decollari

1) Rec. legunt: ab angelo visitantur, et a vinculis, quibus erant ligati, absolvuntur et liberi in carcere deambulantes dominum clara voce collaudabant.

et eorum corpora canibus et avibus projici, sed tamen ab his illaesa a christianis honorifice sunt sepulta. Passi sunt autem circa annos domini CCLXXXVII.

CAP. LXXXI. (76.)

De sancto Barnaba [1] apostolo.

Barnabas interpretatur filius venientis vel filius consolationis aut filius prophetae aut filius concludens. Quatuor vicibus ponitur filius propter quatuor modos filiationis ipsius; dicitur enim filius in scriptura ratione generationis, eruditionis, imitationis et adoptationis, fuit enim a Christo regeneratus per baptismum, eruditus per evangelium, est ipsum imitatus per martirium et ab ipso adoptatus per coeleste praemium, et hoc quantum ad se, quantum vero ad alios, fuit adveniens, consolans, prophetans et concludens. Adveniens discurrendo et praedicando ubique: quod patet, quia fuit socius Pauli; consolans pauperes et desolatos: pauperes, quibus elemosinam detulit, desolatos, quibus ex parte apostolorum epistolam destinavit; prophetans, quia prophetiae spiritu claruit; concludens, quia magnam multitudinem in fide conclusit et adunavit, sicut patet, cum missus fuit in Antiochiam. De his quatuor Act. XI: erat vir, id est virilis, quantum ad primum, bonus quantum ad secundum, plenus spiritu sancto quantum ad tertium, et fidelis quantum ad quartum. Ejus passionem compilavit Johannes, qui et Marcus ejus consobrinus, et maxime a visione ipsius Johannis usque fere in finem, quam Beda de Graeco in latinum creditur transtulisse.

Barnabas levites Cyprius genere, unus de LXII discipulis domini ab hystoria actuum in multis extollitur et laudatur: fuit namque optime informatus et ordinatus et hoc quantum ad se et quantum ad Deum et quantum ad proximum. Quantum ad se ordinatus exstitit secundum tres vires, secundum rationabilem, concupiscibilem et irascibilem. Habuit namque rationabilem illustratam lumine cognitionis, unde dicitur Act. XIII: erant autem in ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae et doctores, in quibus Barnabas et Symon etc. Secundo habuit concupiscibilem, purgatam a pulvere mundanae affectionis, unde dicitur Act. IV, quod Joseph, qui cognomi-

---

1) Recentiores omittunt vocem apostolo.

natus est Barnabas, cum haberet agrum, vendidit illum et attulit pretium et posuit ad pedes apostolorum, ubi dicit Glossa: destituendum probat, quod tangere devitat, et docet calcandum esse aurum, quod subdit gressibus apostolorum. Tertio habuit irascibilem, roboratam magnitudine probitatis et hoc velut viriliter aggrediendo ardua vel perseveranter agendo fortia, vel constanter sustinendo adversa. Viriliter aggrediendo ardua, sicut patet in hoc, quod illam maximam Antiochiam ad convertendum accepit, sicut etiam patet Act. IX, quia cum post conversionem Paulus Hierosolymam venisset et discipulis se jungere vellet et omnes eum tam quam lupum agni fugerent, Barnabas ipsum audacter apprehendit et ad apostolos duxit. Perseveranter operando fortia, quia corpus suum maceravit et jejuniis afflixit, unde dicitur Act. XIII de Barnaba et quibusdam aliis: ministrantibus autem illis domino et jejunantibus etc. Constanter sufferendo adversa, sicut apostoli perhibent ei testimonium dicentes: cum carissimis nostris Barnaba et Paulo hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri Jesu Christi. Secundo fuit ordinatus quantum ad Deum deferendo Dei auctoritati, majestati et bonitati. Auctoritati, quod patet ex hoc, quod officium praedicationis sibi non usurpavit, sed hoc ex auctoritate Dei accipere voluit, sicut habetur Act. XIII: dixit spiritus sanctus, segregate mihi Barnabam et Paulum in opus, ad quod assumsi eos. Secundo Dei majestati, cum enim, ut sic habetur Act. XIII, majestatem divinam sibi quidam vellent attribuere et ei tamquam Deo hostias immolare, vocantes eum Jovem tamquam priorem et Paulum Mercurium, tamquam prudentem et eloquentem, continuo Barnabas et Paulus conscissis tunicis clamaverunt: viri, quid facitis? Et nos mortales sumus similes vobis, annuntiantes vobis ab his vanis Diis converti ad Deum vivum. Tertio Dei bonitate. Nam sicut habetur Act. XV, cum bonitatem gratiae Dei, qua gratis et non ex lege sumus salvati, quidam conversi de Judaeis artare et deminuere vellent, asserentes hoc sine circumcisione nequaquam sufficere, Paulus et Barnabas contra eos viriliter restiterunt et solam bonitatem gratiae Dei sine lege sufficere ostenderunt; insuper et quaestionem ad apostolos detulerunt et contra illorum errorem apostolorum epistolas impetraverunt. Tertio fuit optime ordinatus quantum ad proximum, quia gregem suum pavit verbo, beneficio et exemplo. Verbo, quia verbum Dei sollicite evangelizavit, unde dicitur Act. XV: Paulus et Barnabas demorabantur Antiochiae docen-

tes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum domini. Hoc etiam patet per illam maximam multitudinem, quam Antiochiae convertit, adeo ut ibi primo vocarentur discipuli christiani. Secundo exemplo, quia vita sua fuit omnibus speculum sanctitatis et exemplum religionis. Fuit enim in omni opere suo virilis et religiosus et strenuus, omnium morum bonitate conspicuus, omni gratia spiritus sancti plenus et omni virtute et fide praeclarus. De his quatuor habetur Act. XV: miserunt Barnabam Antiochiam, et sequitur: hortabatur omnes proposito cordis permanere in domino, quia erat vir bonus, plenus spiritu sancto et fide. Tertio beneficio et hoc dupliciter. Est enim duplex beneficium sive elemosina, scilicet temporalis, quae consistit in necessariorum subministratione, et spiritualis, quae consistit in offensae dimissione. Primam habuit beatus Barnabas, quando elemosinam fratribus, qui erant in Jerusalem, detulit. Nam sicut dicitur Act. XI: cum facta esset fames maxima sub Claudio secundum quod prophetizaverat Agabus, discipuli, prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus: quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabae et Pauli. Secundam, quia Johanni, qui cognominabatur Marcus, offensam dimisit: cum enim praedictus discipulus Barnabam et Paulum reliquisset, redeunti tamen et poenitenti Barnabas indulsit et iterum in discipulum resumpsit, Paulus autem ipsum iterum assumere in discipulum renuit et ideo inter eos separatio facta fuit. Uterque enim ex pia causa et intentione fecit, nam quod Barnabas ipsum assumpsit, hoc fecit ex dulcedine misericordiae, quod autem Paulus ipsum assumere noluit, hoc fecit ex fervoris rectitudine. Nam sicut ibidem dicit Glossa Act. XV: quoniam in frontis facie se constituens nimis trepidus steterat, merito ipsum Paulus abjecit, ne illius quasi contagione vires aliorum corrumperentur. Illa autem separatio non est facta ex commotione vitii, sed ex instinctu spiritus sancti, ut scilicet ab invicem separarentur et pluribus praedicarent, sicut et postmodum factum est. Nam cum esset Barnabas in Yconio civitate, praedicto Johanne ejus consobrino, vir quidam splendidus in visu apparuit dicens: Johannes constans esto, quia amodo non Johannes, sed excelsus vocaberis. Quod cum ille Barnabae retulisset, respondit ei: cave diligenter, ne cuiquam, quod vidisti, reveles: nam et mihi similiter dominus hac nocte apparuit dicens: constans esto, Barnaba, quia aeterna praemia percipies, eo quod gentem tuam reliquisti

et animam tuam pro nomine meo tradidisti. Cum ergo Paulus et Barnabas diu in Antiochia praedicassent, angelus quoque domini Paulo apparuit dicens: festina venire Jerusalem, quia quidam frater adventum tuum praestolatur ibidem. Cum ergo Barnabas Cyprum vellet pergere et parentes suos invisere, Paulus autem Jerusalem properare vellet, sancto sic instigante spiritu ab invicem discesserunt. Verum cum Paulus Barnabae, quod sibi dixerat angelus, indicasset, respondit Barnabas: fiat voluntas domini, nunc autem Cyprum vado et ibidem vitam finiens te amplius non videbo. Et cum flens ejus pedibus se humiliter volutaret, compatiens ei Paulus dixit: noli flere, quia sic domini est voluntas, nam et mihi dominus in hac nocte apparuit dicens: ne prohibeas Barnabam ire Cyprum, quia multos ibidem illuminabit et martirium consummabit. Pergens igitur Barnabas Cyprum cum Johanne evangelium sancti Matthaei secum detulit et super infirmos ponens multos Dei virtute sanavit. Cum autem de Cypro exiissent, invenerunt Elymam magum, quem Paulus lumine oculorum ad tempus privaverat; qui iis restitit et [1]) Paphum intrare prohibuit. Die igitur quadam vidit Barnabas homines et mulieres nudas currentes et sic sua festa agentes, unde indignatus templo maledixit et subito pars ejus corruens multos oppressit. Tandem Salaminam devenit et ibidem contra eum praedictus magus seditionem non modicam excitavit, comprehendentes igitur Judaei Barnabam multis affectum injuriis trahebant et judici civitatis puniendum tradere festinabant. Comperto autem, quod Eusebius vir magnus et potens de genere Neronis illuc advenisset, timuerunt Judaei, ne ipsum de manibus eorum eriperet et sic liberum abire permitteret, ligantes igitur funem in collo ejus extra portam eum traxerunt et ibidem eum protinus combusserunt. Denique nec sic impii Judaei satiati ossa ejus in quodam vase plumbeo recluserunt in mare eadem praecipitare volentes, Johannes autem discipulus ejus cum duobus aliis de nocte consurgens ea rapuit et in quadam crypta occulte sepelivit, quae ibidem, ut ait Sigbertus, usque ad tempora Zenonis imperatoris et Gelasii papae et usque ad annum domini D latuerunt, sed tunc ipso revelante reperta fuerunt. Beatus autem Dorotheus sic ait: Barnabas in Roma Christum primum praedicavit, episcopus Mediolani factus.

1) Recent legunt Paulum.

CAP. LXXXII. (77.)
De sanctis Vito et Modesto.

Vitus dicitur a vita; distinguit autem Augustinus in libro de civitate Dei triplex genus vitae, scilicet actuosum, quod pertinet ad vitam activam, otiosum, quod pertinet ad otium spirituale vitae contemplativae, et ex utroque compositum. Et istud triplex genus vitae fuit in eo. Vel Vitus quasi virtus, id est virtuosus.

Modestus quasi stans in medio, hoc est in medio virtutis, quamlibet enim virtutem tanquam medium circumstant duo vitia, tamquam extrema. Nam extrema prudentiae sunt dolositas et fatuitas, extrema temperantiae desideriorum carnalium adimpletio et omnimoda sui afflictio, extrema fortitudinis pusillanimitas et temeritas, extrema justitiae crudelitas et remissio.

Vitus puer egregius et fidelis annorum XII in Sicilia martirium passus est. Hiç a patre crebro verberatus ex eo, quod ydola contemnebat nec ipsa adorare volebat: quod audiens Valerianus praefectus puerum accersivit et sacrificare nolentem fustibus caedi jussit, brachia autem verberantium et manus praefecti statim aruerunt clamavitque praefectus: vaeh mihi, quia manum amisi. Cui Vitus: accedant Dii tui et sanent te, si possunt. Cui ille: numquid et tu facere vales hoc? Cui Vitus: in nomine domini mei valeo, statimque pro eo oravit et sanitatem sibi obtinuit. Dixitque praefectus patri: corripe puerum tuum, ne male pereat. Tunc eum in domum ducens diversis musicorum generibus et puellarum lusibus aliarumque deliciarum generibus immutare animam pueri satagebat. Cum autem eum in thalamum inclusisset, mirabilis odoris fragrantia inde exiit, quae patrem et totam familiam nimio odore perfudit adspiciensque pater per ostium, vidit septem angelos circa infantem stantes dixitque: Dii venerunt in domum meam, statimque coecatus est. Ad cujus clamorem tota civitas Lucana commota est, ita ut Valerianus accurreret et, quid sibi accidisset, interrogavit. Cui ille: Deos vidi igneos et vultum eorum ferre non potui. Ad templum igitur Jovis deducitur et pro recuperatione luminis taurum cum cornibus aureis pollicetur, sed cum nihil proficeret, filium pro sua sanatione rogavit et lumen suis precibus recuperavit. Cum autem nec sic crederet, sed potius filium occidere cogitaret, angelus do-

mini Modesto paedagogo ejus apparuit et ut navem conscendens puerum ad aliam terram duceret, imperavit. Quod cum fecisset, aquila iis cibum afferebat et multa ibidem mirabilia faciebant. Interea filius Dyocletiani imperatoris a daemone arripitur et, nisi Vitus Lucanus veniat, se nunquam exire fatetur. Vitus quaeritur et inventus ad imperatorem ducitur, cui Dyocletianus: puer, puerum meum sanare vales? Cui ille: non ego, sed dominus, statimque super eum manus imposuit et protinus ab eo daemon aufugit. Et ait Dyocletianus: puer, consule tibi et Diis sacrifica, ne mala morte intereas. Quod cum ille recusaret et in carcerem cum Modesto missus fuisset, subito ferri moles, quae iis erat imposita, cecidit et carcer immenso lumine coruscavit: quod cum imperatori nuntiatum fuisset, eductus in clibanum ardentem mittitur, sed tamen illaesus egreditur. Tunc leo terribilis ad eum devorandum mittitur, sed tamen ab eo fidei virtute placatur. Tandem ipse cum Modesto et Crescentia nutrice sua, quae semper eum secuta fuerat, in equuleum suspendi jubetur, sed subito aër perturbatur, terra concutitur, tonitrua mugiunt, ydolorum templa corruunt et multos occidunt, imperator autem territus fugiens pugnis se percutiebat dicens: vaeh mihi, quod ab uno puero victus sum. Illi autem ab angelo continuo soluti juxta quoddam flumen se invenerunt et ibidem pausantes et orantes animas domino reddiderunt, quorum corpora ab aquilis custodita Florentia [1]) sepelivit. Passi sunt autem sub Dyocletiano, qui coepit circa annos domini ducentesimo octogesimo septimo.

CAP. LXXXIIII. (78.)

De sancto Quirico et Julita ejus matre.

Quiricus quaerens arcum, vel a chisil, quod est fortitudo, et cus niger, [2]) quasi fortis per virtutem et niger per humiliationem, vel a quiris, quod est hasta, vel a quiriles, quod dicitur sedile. Ipse enim arcus fuit, id est, curvus in sui humiliatione, in tormentorum passione, niger in sui despectione, hasta in inimici de-

---

1) Recent. addunt: illustris matrona sancto Vito revelante reperit et ea accipiens honorifice s. 2) In seq. cap. omittunt verba: quasi — humiliationem.

bellatione, Dei sedile ex Dei habitatione. Haec enim in eo gratia supplevit, quae aetas negavit. Julita juvans vita, quia vita spirituali vixit et per hanc multis profuit.

Quiricus fuit filius Julitae illustrissimae matronae Yconii, quae persecutionem declinare volens in Tarsum Ciliciae cum puero suo Quirico, qui erat trium annorum, venit, sed tamen Alexandro praesidi praesentatur in ulnis suis puerum gestans, quod duae famulae suae videntes fugerunt et eam protinus reliquerunt. Praeses igitur puerum in ulnis suis suscepit et matrem sacrificare nolentem crudis nervis flagellari praecepit. Puer autem matrem flagellari conspiciens amare flebat et lamentabiles voces dabat. At praeses puerum Quiricum in ulnas et super genua ponens eum osculis et aliis blanditiis demulcebat, infans autem ad matrem respiciens praesidis oscula abhorrebat et caput cum indignatione avertens vultum ejus ungulis laniabat et matri consonas voces dabat, quasi diceret: et ego christianus sum. Tandem diu reluctans praesidem in scapulis momordit; tunc praeses indignatus, dolore cruciatus puerum ab alto per gradus praecipitavit, ita ut tribunali tenellum cerebrum adhaereret, Julita vero filium ad regnum praecessisse videns laeta gratias Deo reddidit. Tunc Julita jussa est excoriari et bullienti pice perfundi et demum capite truncari. In quadam autem legenda invenitur, quod Quiricus tyrannum blandientem aeque ut minantem parvi pendens christianum se esse confitebatur, secundum quidem tempus elinguis infantulus, sed in eo loquebatur spiritus sanctus. Quem cum praeses interrogaret, quis eum docuisset, ait: tuam, praeses, miror insipientiam, qui meam tantillam cernens aetatulam necdum temporis circulo triennem percontaris, quis me divinam docuerit sapientiam. Qui cum caederetur, clamabat: christianus sum, et quotiens hoc clamabat, totiens vires inter tormenta recipiebat. Praeses autem matrem cum puero membratim scindi fecit et eorum membra ne a christianis sepelirentur, dispergi mandavit. Sed tamen ab angelo sunt collecta et nocte a christianis sepulta. Horum corpora tempore Constantini magni, cum pax esset reddita ecclesiae, ab una de ancillis, quae adhuc supererat, revelantur et in devotione magna ab omni populo habentur. Passi autem sunt circa annos domini ducentesimo XXX. sub Alexandro imperatore.

CAP. LXXXIV. (79.)

De sancta [1])Marina virgine.

Marina virgo unica erat patri suo: cum autem pater quoddam monasterium intrasset, mutavit habitum filiae suae, ut non femina, sed masculus videretur, rogavitque abbatem et fratres, ut filium suum unicum reciperent; quibus ejus precibus annuentibus in monachum est receptus et frater Marinus ab omnibus appellatus. Coepit autem valde religiose vivere et valde obediens esse. Cum autem esset viginti septem annorum et pater ejus se morte appropinquare sentiret, filiam suam vocavit et ipsam in bono proposito confirmans praecepit, ne aliquando alicui revelaret, quod mulier esset. Ibat igitur frequenter cum plaustro et bobus et ligna monasterio deferebat: consueverat autem hospitari in domo cujusdam viri, cujus filia cum de quodam milite concepisset, interrogata Marinum monachum se violasse asseruit. Interrogatus autem Marinus cur tantum flagitium perpetrasset, se peccasse fatetur et veniam precatur; statim de monasterio ejectus ad ostium monasterii mansit et tribus annis ibidem permanens bucella panis sustentabatur. Postmodum filius ablactatus abbati mittitur et Marino educandus traditur et cum eo ibidem per duos annos commoratur. Omnia autem cum maxima patientia recipiebat et in omnibus gratias Deo referebat. Tandem ejus humilitatis et patientiae fratres miserti eum in monasterium recipiunt et quaeque officia viliora sibi injungunt, ipse autem omnia hilariter suscipiebat et cuncta patienter et devote agebat. Tandem in bonis operibus vitam ducens migravit ad dominum: cum autem corpus ejus lavarent, et in vili loco sepelire disponerent, respicientes mulierem ipsum esse viderunt. Stupefacti sunt omnes et perterriti, se in Dei famulam plurimum deliquisse fatentur: currunt omnes ad tam grande spectaculum et veniam postulant ignorantiae et delicti. Corpus igitur ejus in ecclesia honorifice posuerunt, illa autem, quae famulam Dei infamaverat, a daemone arripitur et scelus suum confitens et ad sepulchrum virginis veniens liberatur. Ad cujus tumulum populi undique confluunt et multa miracula ibi fiunt. Obiit autem XIV calendas Julii.

---

1) Ed. Pr. ubique retinet scripturam Maria loco: Marinae.

CAP. LXXXV. (80.)[1]

De sancto Gervasio et Prothasio.

Gervasius a gerar, quod est sacrum, et vas: vel a gena, quod est incolatus, et syor, parvulus, quasi sacer per vitae meritum, vas per virtutum receptaculum, peregrinus per mundi contemtum, parvulus per sui despectum.

Prothasius a prothos, quod est primum, et syos Deus, sive divinus, vel a procul et stasis, quod est positio, quasi primus per dignitatem, divinus per dilectionem, procul positus a mundi affectione. Horum passionem Ambrosius in libello ad caput eorum posito scriptam invenit.

Gervasius et Prothasius gemini fratres filii fuerunt sancti Vitalis et beatae Valeriae; qui omnia sua bona pauperibus erogantes manebant cum sancto Nazario, qui apud Ebrudunum oratorium construebat et ei Celsus puer lapides porrigebat. Quod vero Nazarius jam Celsum habuisse narratur, forte per anticipationem accipitur, cum longe post eum sibi fuisse oblatum ex hystoria Nazarii colligatur. Cum autem omnes ad Neronem imperatorem ducerentur, sequebatur eos ejulans puer Celsus; quem cum unus militum alapis caederet et caedentem Nazarius increparet, irati milites Nazarium calcibus ceciderunt et ipsum cum aliis in carcere recluserunt et postmodum in mare praecipitaverunt, Gervasium vero et Prothasium Mediolanum duxerunt, Nazarius vero miraculose liberatus Mediolanum venit. Eo tempore superveniente comite Astasio, qui contra Marcomannos proficiscebatur ad bellum, Deorum cultores eidem occurrerunt asserentes, quod Dii sibi respondere contemnerent, nisi prius Gervasius et Prothasius immolarent. Continuo igitur tenentur et ut sacrificent invitantur. Cui cum Gervasius omnia ydola surda et muta diceret et ipsum ab omnipotente Deo victoriam[2]) habere doceret, iratus tamdiu eum plumbatis caedi jussit, quamdiu spiritum exhalaret. Deinde Prothasium accersiri fecit eique dixit: miser, vel tu vivere stude et noli cum fratre tuo mala morte perire. Cui Prothasius: quis est miser, ego, qui te non timeo, aut tu, qui me timere probaris? Cui Astasius: ego te, miser

1) Hoc caput sequitur in recentioribus libris caput sequens vel 86mum.
2) Alii requirere debere.

homo, quomodo timeo? Cui Prothasius: in hoc me timere et te laedi probaris, si non sacrificavero Diis tuis. Si enim te laedi a me nequaquam timeres, nunquam ad sacrificium ydolorum me ipse compelleres. Tunc eum comes in equuleum suspendi praecepit. Cui Prothasius: non tibi, comes, irascor, quoniam caecos tui oculos cordis attendo, quin potius tui misereor, quia nescis, quid facias. Age igitur, quod coepisti, ut mihi cum fratre occurrere possit benignitas salvatoris. Tunc comes jussit eum decollari, Philippus autem servus Christi cum filio suo corpora eorum rapuit et occulte in domo sua in archa saxea sepelivit et libellum eorum ortum, finem et vitam continentem ad eorum caput posuit. Passi sunt autem sub Nerone, qui coepit circa annos domini quinquagesimum septimum[1]). Horum corpora multo tempore latuerunt, sed tempore beati Ambrosii hoc modo reperta fuerunt. Ambrosio namque in ecclesia sanctorum Naboris et Felicis in oratione posito ita, ut nec vigilaret aperte, nec dormiret integre, apparuerunt ei duo pulcherrimi juvenes vestibus candidis, id est colobio et pallio induti, caliculis calcati, secum manibus extensi orantes. Oravit igitur Ambrosius, ut, si esset illusio, non ultra appareat, si autem veritas, denuo reveletur. Simili igitur modo canente gallo orantes secum juvenes apparuerunt, tertia vero nocte defecto jam corpore [2]) vigiliis non dormienti, sed stupenti cum tertia sibi apparuere persona, quae similis Paulo apostolo videbatur, secundum quod in pictura prospexerat, illisque tacentibus apostolus sibi dixit: isti sunt, qui nihil terrenum desiderantes monita mea secuti sunt, quorum corpora in eo loco reperies, in quo stas, duodecim pedum altitudine terra coopertam archam invenies et ad caput eorum libellum, in quo ortus eorum continetur et finis. Convocatis igitur vicinis coepiscopis ipse prior terrae fossor accessit et omnia, prout dixerat sibi Paulus, invenit et licet jam trecenti anni et ultra fluxissent, ita tamen corpora eorum sunt reperta, ac si ipsa hora ibidem fuissent reposita. Insuper vero odor suavissimus et nobilis inde fragrabat, caecus autem quidam tangens feretrum illuminatus est et multi alii meritis eorum curati sunt. In horum sollemnitate pax inter Longobardos et Romanum imperium reformata fuit et ideo Gregorius papa: loquetur dominus pacem in plebem suam etc., in introitu missae cantari instituit, unde et officia partim sanctis con-

---

1) Ed. Pr. male legit: quingentesimo quarto. 2) Alii jejuniis.

veniunt, partim eventibus, qui ipsis contigere diebus. Refert Augustinus in libro vicesimo de civitate Dei, quod ipso praesente et imperatore et multa turba quidam caecus apud Mediolanum ad corpora martirum Gervasii et Prothasii lumen recepit. Utrum autem sit praedictus caecus an alius, ignoratur. Idem quoque refert ibidem, quod quidam juvenis in villa Victoriana, quae ab Ypporegio triginta milliaribus distat, cum in quodam flumine equum lavaret, continuo dyabolus eum vexavit et in flumen tamquam mortuum projecit. Cum autem vespere in ecclesia beatorum Gregorii et Prothasii, quae prope erat, cantaretur, ille vocibus illis quasi percussus cum grandi fremitu ecclesiam intrans altare tenebat, inde amoveri non valens, tamquam si ibidem alligatus fuisset. Et cum daemon, ut inde exiret, adjuraretur, ille se ejus membra amputare, si exiret, minabatur: cum ergo adjuratus exiret, oculus ejus in maxillam fusus tenui venula dependebat, sed in loco suo, sicut potuerunt, oculum revocaverunt et ecce intra paucos dies meritis sanctorum Gervasii et Prothasii plene sanatus est. Ambrosius quoque in praefatione sic ait: hi sunt, qui vexillo coelesti signati victricia apostoli arma sumpserant a mundanis nexibus absoluti, nequissimi hostis vitiorum aciem prosternentes liberi et expediti Christum dominum sunt secuti. O quam felix germanitas, quae sacris inhaerendo eloquiis nullo potuit interpellari contagio. O quam gloriosa certaminis causa, ubi pariter coronantur, quos unus uterus maternus effudit.

CAP. LXXXVI. (81.)

De nativitate sancti Johannis baptistae.

Johannes baptista multipliciter nominatur. Dicitur enim propheta, amicus sponsi, lucerna, angelus, vox, Helias, baptista salvatoris, praeco judicis et praecursor regis. In propheta designatur praerogativa cognitionis, in amico sponsi praerogativa dilectionis, in lucerna ardenti praerogativa sanctitatis, in angelo praerogativa virginitatis, in voce praerogativa humilitatis, in Helia praerogativa fervoris, in baptista praerogativa mirabilis honoris, in praecone praerogativa praedicationis, in praecursore praerogativa praeparationis.

1. Nativitas Johannis baptistae ab archangelo hoc modo annuntiata fuit. David enim rex, sicut habetur in hystoria scholastica, volens cultum Dei ampliare, XXIV summos sacerdotes instituit, quorum tamen unus major erat, qui princeps sacerdotum dicebatur. Statuit autem XV viros de Eleazar et VIII de Ytamar et secundum sortes dedit unicuique hebdomadam vicis suae, Abias autem VIII. hebdomadam habuit, de cujus genere Zacharias fuit. Erant autem Zacharias et uxor ejus senes et absque liberis. Cum ergo Zacharias templum domini, ut incensum poneret, ingressus fuisset, et multitudo populi de foris exspectaret, apparuit ei Gabriel archangelus. Cum autem Zacharias in ejus visione timeret, ait angelus: ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua. Proprium est enim bonorum angelorum, secundum quod dicit Glossa, ex sua visione territos benigna exhortatione protinus consolari, contra mali angeli se in lucis angelos transfigurantes, si quos ex sui praesentia territos senserint, ampliori eos horrore concutiunt. Amnunciat igitur Gabriel Zachariae, se filium habiturum, cujus nomen Johannes esset, qui vinum et siceram non biberet et ante dominum in spiritu et virtute Heliae praecederet. Johannes vocatur Helias ratione situs, quia ambo in deserto; ratione victus, quia ambo victu parci; ratione cultus, quia ambo vestitu inculti; ratione officii, quia ambo praecursores, sed ille praecursor judicis, iste salvatoris; ratione zeli, quia utriusque verbum quasi facula ardebat. Zacharias autem considerans sui senectutem et uxoris sterilitatem dubitare coepit et more Judaeorum signum ab angelo requisivit, angelus autem pro eo, quod verbis suis non credit, ipsum taciturnitatis plaga percussit. Notandum autem, quod dubitatio consuevit fieri et excusari aliquando propter promissorum magnitudinem, sicut legitur de Abraham. Cum enim dominus sibi promisisset, quod semen suum terram Canaan possideret, dixit ad eum Abrahem: domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sum eam? Et respondens Deus: sume, inquit, mihi vaccam etc. Aliquando propter fragilitatis propriae considerationem, sicut patet in Gideone, qui ait: obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infirma est in Manasse et ego minimus in domo patris mei, et ex hoc signum petiit et accepit. Aliquando propter naturae impossibilitatem, sicut patet in Sara. Cum enim dixisset dominus: revertens veniam ad te et habebit Sara filium, risit Sara post ostium dicens: postquam consenui et dominus meus vetulus

est etc. Quid est ergo, quod solus Zacharias ex eo, quod dubitavit, plagam incurrit, cum ibi esset et magnitudo promissionis et consideratio propriae fragilitatis, quia talem filium se habiturum indignum reputabat? et haec impossibilitas naturalis. Hoc multiplici de causa factum fuisse putatur. Primo, secundum Bedam, quoniam discredendo locutus est, ideo silentio plectitur, ut tacendo credere discat, secundo, quia ideo mutus effectus est, ut majus miraculum in nativitate filii appareret. Cum enim in nativitate Johannis patri loquela redditur, miraculum miraculo cumulatur. Tertio, quia congruum fuit, ut vocem amitteret, quando vox nascebatur et legi silentium imponebatur. Quarto quoniam ipse a domino signum petiit et ipsam taciturnitatem in signum accepit. Cum autem Zacharias foras ad populum exiisset et cum factum mutum viderent, cognoverunt ipso innuente, quod visionem vidisset in templo; completa autem septimana officii sui abiit in domum suam et concepit Elizabeth, et mensibus quinque se occultavit, quia, sicut ibi dicit Ambrosius, partus sui erubescebat aetatem, ne in senectute vacasse libidini videretur, et tamen gaudebat sterilitatis carere opprobrio, quia opprobrium est mulieribus non habere praemium nuptiarum, propter quod nuptiae celebrantur et carnalis coitus excusatur. Mense autem sexto beata Maria, quae jam dominum conceperat, congratulans virgo foecunda ablatae sterilitati et compatiens senectuti venit ad Elizabeth et cum eam salutasset, beatus Johannes, jam spiritu sancto repletus, sensit filium Dei venire ad se et prae gaudio in matris utero exsultavit et tripudiavit et motu salutavit, quem voce non potuit. Exsultavit enim, quasi gestiens salutare et domino suo assurgere. Mansit ergo virgo beata cum cognata sua tribus mensibus ministrans ei natumque puerum suis sanctis manibus de terra levavit, ut habetur in hystoria scholastica, et quasi morem gerulae officiosissime peregit. Hic domini praecursor beatus novem specialiter et singulariter privilegiis claruit. Nam idem angelus, qui dominum annuntiavit, ipsum annuntiavit, in utero matris exsultat, mater domini ipsum a terra levat, linguam patris reserat, baptismum primus ordinat, Christum indice demonstrat, ipsum Christum baptizat, ipsum prae omnibus laudat Christus, in limbo positis Christum venturum praenuntiat. Propter haec novem privilegia vocatur ab ipso domino propheta et plus quam propheta. Chrysostomus, quare dicatur etiam plus quam propheta, sic ait: prophetae est beneficium a Deo accipere, numquid prophetae est

beneficium baptismatis Deo dare? Prophetae est, ut ipse de Deo prophetiset, [1]) numquid prophetae est, ut Deus de illo prophetiset? Omnes prophetae prophetizaverant de Christo, de illis autem prophetizatum non est, ipse autem non solum prophetizavit de Christo, sed etiam alii prophetae prophetizaverant de illo, omnes portitores verbi fuerunt, iste autem ipsa vox, quantum autem vox proximior verbo, non tamen verbum, tantum Johannes propinquior Christo, non tamen Christus. Secundum Ambrosium laus Johannis ex quinque colligitur vel comprehenditur, scilicet ex parentibus, ex moribus, ex miraculis, ex munere, ex praedicatione. Laus autem parentum secundum eundem Ambrosium ex quinque manifestatur. Ait enim sic: plena laudatio, qui genus in moribus, mores in aequitate, officium in sacerdotio, factum in mandatis, judicium in justificationibus comprehendit. Secundo ex miraculis, quorum quaedam fuerunt ante ejus conceptionem in utero, scilicet angelica annuntiatio, nominis impositio et loquelae patris amissio. Quaedam quantum ad ejus conceptionem in utero, scilicet supernaturalis conceptio, ejus in utero sanctificatio et prophetalis doni repletio. Quaedam quantum ad ejus nativitatem ex utero, scilicet utriusque parentis spiritus prophetalis adeptio, quia et mater nomen scivit et pater canticum edidit. Loquelae patris reseratio et spiritus sancti repletio, unde et Zacharias pater ejus repletus est spiritu sancto etc. Ambrosius: respicite Johannem, quanta vis sit ejus vocabulo, cujus nuncupatio reddit muto vocem, patri prolem, populo pietatem et sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, privatus officio, at ubi Johannes nascitur, fit repente pater propheta, loquelae usum recipit, prolem a spiritu sancto suscipit, sacerdotem functio recognoscit. Tertio ex moribus, quia sanctissimae vitae fuit. De cujus sanctitate dicit Chrysostomus: conversatio Johannis omnium vitam culpabilem faciebat apparere. Quemadmodum enim, si videris albam vestem, dicis: satis candida vestis, si vero posueris eam juxta nivem, incipit tibi sordida apparere, etsi vere sordida non est, sic quantum ad comparationem Johannis omnis homo videbatur immundus, cujus quidem sanctitatis triplex habuit testimonium. Primo a supercoelestibus, id est ab ipsa trinitate, et primo a patre, qui vocat eum angelum; Malach. II: ecce mitto angelum meum etc. Angelus autem nomen est officii, non naturae, et

1) Ed. Rec. verba: numquid — prophetiset omittunt.

ideo dicitur angelus ratione officii ex eo, quod omnium angelorum officium exercuisse videtur. Habuit enim officium Seraphin. Interpretatur enim Seraphin ardens, quia illi nos ardentes faciunt et in Dei amore plus ardent, et de Johanne dicitur in Eccles.: surrexit Helias quasi ignis etc. Ipse enim venit in spiritu et virtute Heliae. Secundo habuit officium Cherubin, Cherubin enim interpretatur plenitudo scientiae et Johannes dicitur Lucifer Jes. XXXVIII ex eo, quod fuit terminus noctis ignorantiae et initium lucis gratiae. Tertio habuit officium thronorum, quorum officium est judicare et de Johanne dicitur, quia arguebat Herodem dicens: non licet tibi habere uxorem fratris tui. Quarto habuit officium dominationum, quae docent nos erga subditos dominium gerere, et Johannes erga subditos habebatur in amore, erga reges in timore. Quinto officium principatuum, qui docent nos superiores revereri, et Johannes de se dicebat: qui de terra est, de terra loquitur, de Christo autem, qui de caelo venit, super omnes est etc. Item: cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Sexto officium potestatum, per quas potestates aëreae vel contrariae arcentur, quae non potuerunt nocere sibi jam sanctificato. A nobis etiam arcebat, cum ad baptismum poenitentiae nos disponebat. Septimo officium virtutum, per quas fiunt miracula, et beatus Johannes multa miracula in se ipso ostendit. Magna enim miracula mel silvestre et locustas edere, pilos camelorum induere et hujusmodi. Octavo officium archangelorum, quando revelabat majora, sicut ea, quae spectant ad nostram redemtionem, cum dicebat: ecce agnus Dei etc. Nono officium angelorum, quando annuntiabat minora, sicut ea, quae spectant ad mores, ut illud: poenitentiam agite etc. Item: neminem concutiatis etc. Secundo habuit testimonium a filio, sicut patet Matth. XI, ubi cum Christus multipliciter et mirabiliter commendat dicens inter caetera: inter natos mulierum non surrexit major Johanne baptista. Petrus Damiani: ab illo verbo Johannis sunt depromta praeconia, per quod fundata est arida et moventur sydera et sunt condita elementa. Tertio a spiritu sancto, cum per patrem suum dixit: tu, puer, propheta altissimi vocaberis etc. Secundo ab angelis et coelestibus, sicut patet Lucae primo, ubi eum angelus multipliciter commendabat ostendens, quantae sit dignitatis quo ad Deum, cum dicit: ero enim magnus coram domino: quantae sanctitatis quo ad se ipsum, cum subdit: vinum et siceram non bibit et spiritu sancto explebitur ex utero matris; quantae utilitatis quo ad proximum,

cum dicit: et multos filiorum Israel convertet etc. Tertio a subcoelestibus, id est ab hominibus, sicut a patre suo et vicinis, unde dicebant: quis, putas, puer iste erit etc. Quarto comprehenditur laus Johannis ex munere. Habuit enim munus in statu in utero, in egressu ex utero, in mundi progressu et in mundi egressu. In utero habuit triplex mirabile munus gratiae, primo gratiam, qua in utero sanctificatus fuit, unde fuit ante sanctus quam natus, Jerem. I: priusquam te formarem in utero, novi te etc. Secundo gratiam, quia prophetare meruit, sicut quando in utero matris exsultans Deum adesse cognovit. Unde Chrysostomus volens ostendere, qualiter fuerit plus quam propheta, dicit: prophetae est pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Numquid prophetae fuit, ut prius fuerit propheta, quam homo, et quia consuetudo erat, ut prophetae inungerentur, tunc quando beata virgo Elizabeth salutavit, Christus Johannem in utero in prophetam inunxit secundum quod dicit Chrysostomus in haec verba: ideo Christus Mariam fecit salutare Elizabeth, ut sermo procedens de utero matris, ubi habitat dominus, et per aures Elizabeth ingressus descenderet ad Johannem, ut illic eum ungeret in prophetam. Tertio gratiam, qua suis meritis matri prophetiae spiritum tradidit. Unde Chrysostomus volens ostendere, qualiter fuerit plus quam propheta ait: quis prophetarum, cum esset propheta, prophetam facere potuit? Helias quidam unxit Helisaeum in prophetam, non tamen prophetandi gratiam contulit. Iste autem in utero matris exsistens divini introitus scientiam matri donavit et os illius verbo confessionis aperuit, ut, cujus non videbat personam, cognosceret dignitatem dicens: unde hoc mihi, ut mater domini mei veniat ad me? In egressu ex utero habuit triplex munus gratiae, quoniam ortus ejus fuit miraculosus, sanctus et jucundus. Quia miraculosus, excluditur defectus impotentiae, quia sanctus, reatus culpae, quia jucundus, lamentum miseriae. Celebratur autem ejus ortus sive nativitas secundum magistrum Guilhelmum Altissiodorensem triplici ratione: primo ratione sanctificationis in utero, secundo ratione dignitatis in officio, ipse enim tanquam lucifer venit et aeternum gaudium nobis primus nuntiavit, tertio ratione jucunditatis in ortu suo. Dixerat enim angelus: et multi in ejus nativitate gaudebunt et ideo dignum est, ut et nos in nativitate ejus gaudeamus. In progressu habuit similiter multiplex munus: in hoc autem patent ejus excellen-

tissima et diversa munera gratiae, quoniam habuit perfectionem [1]), nam propheta fuit, quando dixit: qui post me venturus est etc.; plus quam propheta, quando Christum digito demonstravit, apostolus, quia a Deo missus fuit, apostolus enim idem est, quod missus. Unde fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes; martir, quia pro justitia mortem sustinuit; confessor, quia confessus est et non negavit, virgo, unde et propter ipsius virginita tem angelus est appellatus Malach. II: ecce ego mitto angelum meum etc. In egressu de mundo habuit triplex munus, quia efficitur martir invictus: tunc enim palmam martirii adeptus est; dirigitur nuntius pretiosus, ipse enim tunc illis, qui erant in limbo, pretiosum nuntium attulit, scilicet de adventu Christi et redemtione ipsorum, et colitur exitus gloriosus, ejus enim exitus de omnibus, qui ad limbum descenderunt, specialiter ab ecclesia sollemnizatur et gloriose colitur. Quinto ex praedicatione: circa cujus praedicationem angelus quatuor ponit, cum dicit: et multos filiorum Israel convertit ad dominum Deum ipsorum et ipse praecedet etc. Tangit quatuor, scilicet fructum, ordinem, virtutem et finem, sicut in littera patet, et notandum, quod praedicatio Johannis tripliciter fuit commendabilis. Ipse namque praedicavit ferventer, efficaciter et prudenter. Ferventer enim dicebat: genimina viperarum etc,, qui quidem fervor fuit inflammatus caritate, quia erat lucerna ardens. Unde ipse dicit in persona Jeremiae: posuit os meum quasi gladium acutum. Informatus veritate, quia erat lucerna lucens. Unde Johann. V: vos misistis ad Johannem et ille perhibuit testimonium veritati. Directus a discretione sive scientia, unde turbis et publicanis et militibus secundum uniuscujusque exigentiam propriam legem dedit, firmus constantia, unde et tam constanter praedicavit, quod ex hoc vitam amisit. Haec enim quatuor debet habere zelus secundum quod dicit Bernardus: zelum tuum inflammet caritas, informet veritas, regat scientia et firmet constantia. Secundo efficaciter, quoniam ad praedicationem ejus multi conversi sunt. Praedicavit enim verbo per assiduitatem doctrinae et exemplo per sanctitatem vitae praedicavit et convertit meritis et orationibus devotis. Tertio prudenter: cujus prudentia praedicationis in tribus fuit: primo in eo, quod usus fuit comminationibus, ut malos terreret, dicens: jam enim securis ad radicem arboris posita est; secundo

1) Ed. Rec. addunt omnium sanctorum.

promissionibus, ut bonos alliceret, dicens: poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum; tertio moderationibus, ut mediocres paulatim ad perfectionem attraheret, unde turbis et publicanis et militibus levia imponebat, ut postmodum ad majora proveherentur, turbis, ut opera misericordiae facerent, publicanis, ut se ab aliorum appetitu abstinerent, militibus, ut neminem concuterent, nulli calumniam facerent et suis stipendiis contenti essent. Et notandum, quod sanctus Johannes evangelista hac die migravit ad dominum, sed ecclesia ipsius festum in tertium diem post Christi nativitatem celebrandum instituit, quia tunc ejus ecclesia dedicata fuit et sollemnitas nativitatis beati Johannis baptistae in suo die remansit, nimirum quia hic dies ab angelo gaudio nativitatis praecursoris authenticatus fuit. Non autem dogmatizandum est, quod evangelista baptistae cesserit, tamquam minor majori; non enim decens est, quis major sit eorum, disputare. Quod etiam quodam exemplo divinitus est ostensum. Erant enim, ut legitur, duo doctores theologi, quorum unus Johannem baptistam, alter vero Johannem evangelistam praeferebat; tandem super hoc sollemni disputatione indicta quilibet valde sollicitus erat auctoritates et efficaces rationes invenire, quibus suum Johannem posset praeferre, adveniente autem disputationis die quilibet sanctorum aemulatori suo apparuit eique dixit: bene concordes sumus in coelis, de nobis non disputetis in terris. Tunc illi sibi ad invicem et omni populo visionem publicaverunt et dominum benedixerunt. — — — **2.** Paulus hystoriographus Longobardorum, Romanae ecclesiae dyaconus et Casinensis monachus, cum deberet quadam vice cereum consecrare, fauces ejus raucae factae sunt, cum prius vocalis esset; ut ergo vox sibi restitueretur, hymnum scilicet, ut queant laxis resonare fibris mira gestorum famuli tuorum etc. ad honorem beati Johannis composuit, ubi in principio petit sibi vocem restitui, sicut et Zachariae restituta fuit. Ossa mortuorum animalium undecumque collecta in hac die ab aliquibus comburuntur, cujus duplex est causa, ut ait Johannes Beleth: una est ex antiquae institutionis observantia, sunt etenim quaedam animalia, quae dracones vocantur, quae in aëre volant, et in aquis natant, in terra ambulant; quandoque autem dum per aëra ambularent, ad libidinem concitabantur, et in puteis, et in aquis fluvialibus sperma jactabant et inde sequebatur letalis annus. Contra hoc ergo istud inventum fuit remedium, ut de ossibus animalium rogus fieret et sic talia animalia fumus fugaret, et

quia istud maxime hoc tempore fiebat, ideo istud adhuc ab aliquibus observatur. Alia causa est ad repraesentandum, quia ossa sancti Johannis in Sebaste civitate ab infidelibus combusta fuerunt. Feruntur etiam faculae ardentes, quia Johannes fuit facula ardens et lucens, et rota vertitur, quia sol tunc in circulo descendit ad significandum, quod [1]) ipse testimonium perhibuit dicens: me oportet minui, illum autem crescere. Hoc significatum est secundum quod dicit Augustinus in eorum ortibus et in eorum mortibus; in eorum ortibus, quia circa nativitatem Johannis dies incipiunt decrescere, circa nativitatem Christi crescere juxta illud: solstitium decimo Christum praeit atque Johannem. Item in eorum mortibus, quia corpus Christi in cruce fuit exaltatum, corpus Johannis capite minoratum. — — — **3.** Refert Paulus in hystoria Longobardorum, quod Rocharith rex Longobardorum juxta ecclesiam sancti Johannis baptistae cum multo ornatu sepultus fuit, quidam vero cupiditate illectus nocte sepulchrum aperiens abstulit universa, cui beatus Johannes apparens dixit: cur ausus fuisti tangere mihi commissum, ecclesiam meam de caetero ingredi non valebis. Quod utique sic evenit, nam quicumque praedictam ecclesiam intrare volebat, quasi a validissimo pugile guttur ejus feriebatur et sic subito retro ruebat.

CAP. LXXXVII. (82).

De sanctis Johanne et Paulo.

Johannes et Paulus primicerii et praepositi Constantiae, filiae Constantini Augusti fuerunt: eo autem tempore cum gens Scythica Daciam et Thraciam occuparet et Gallicanus dux Romani exercitus contra praedictam gentem mitti deberet, Constantiam filiam Constantini pro mercede laboris sibi in uxorem dari petebat, quod etiam Romani principes instantius fieri postulabant. Pater autem plurimum tristabatur sciens filiam suam, postquam a beata Agnete sanata fuerat, in virginitatis proposito positam facilius occidi posse quam ad consensum inclinari, virgo tamen de Deo confidens patri consuluit, ut eam sibi spondeat, cum victor rediret, verumtamen

1) Recent. addunt: fama Johannis qua Christus putabatur secundum quod.

duas filias suas, quas ex uxore defuncta susceperat, idem Gallicanus secum manere permitteret, ut per eas mores et votum patris scire posset, et ipsa duos praepositos suos Johannem et Paulum sibi concederet in spe quasi majoris firmitatis, rogans Deum, ut ipsum et filias converteret. Quod ubi omnibus placuit, Gallicanus assumtis Johanne et Paulo et copioso exercitu proficiscitur, sed tamen a Scytharum gente ejus exercitus frangitur et in urbe [1]) Thraciarum ab hostibus obsidetur. Tunc accedentes Johannes et Paulus eidem dixerunt: fac votum Deo coeli et eris victor melior quam fuisti. Quod cum fecisset, juvenis in humero ferens crucem statim sibi apparuit eique dixit: sume gladium tuum et sequere me. Quem ille accipiens per media castra ruit et ad regem usque deveniens illumque occidens solo timore universum exercitum subjugavit et Romanis tributarios fecit, duo quoque milites armati eidem apparentes eum hinc inde confirmabant. Factus igitur christianus Romam rediit et cum multo honore susceptus rogavit Augustum, ut sibi indulgeret, si filiam minime desponsaret, eo quod de caetero Christo continenter vivere proponeret. Quod cum Augusto plurimum placuisset et duae filiae Gallicani a Constantia virgine ad Christum conversae essent, ipse Gallicanus ducatu cessit et omnia pauperibus tribuens Christo cum aliis servis Dei in paupertate servivit. Multa autem miracula faciebat ita, ut solo visu daemones de obsessis corporibus effugaret. Hujus sacrae opinionis fama in toto orbe terrarum in tantum excrevit, ut ab oriente et occidente venientes viderent virum ex patricio consule lavantem pedes pauperum, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicite ministrantem et caetera sanctae servitutis officia exhibentem. Constantino igitur defuncto Constantius Constantini magni filius Ariana haeresi depravatus imperium tenuit, verum cum Constantius frater Constantini duos filios, scilicet Gallum et Julianum, reliquisset, Constantius imperator dictum Gallum Caesarem fecit et contra Judaeam rebellantem misit, quem tamen postmodum interfecit. Julianus vero timens, ne exemplo fratris a Constantio perimeretur, monasterium ingressus est, ubi magnam religionem simulans lector ordinatus est, qui per maleficum daemonem consuluit, responsum accipiens, quod ad imperium sublimandus esset. Post aliquod tempus urgentibus aliquibus negotiis Constantius Julianum Caesarem

---

1) Alii: Trajectarum.

fecit et ipsum in Galliam destinavit, qui omnia strenue agebat, mortuo autem, ut dictum est, Constantio et Juliano apostata in imperium a Constantio sublimato, jussit Julianus, ut Gallicanus aut Diis immolaret aut abscederet: tanto enim viro non audebat necem inferre. Ille igitur Alexandriam perrexit et ab infidelibus per cor transfixus martirii coronam percepit, at Julianus captus cupiditate sacrilega avaritiam suam evangelii testimonio colorabat. Nam facultates a christianis auferens dicebat: Christus vester dicit in evangelio, qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus. Audiens igitur, quod Johannes et Paulus ex opibus, quas virgo Constantia reliquerat, christianos pauperes sustentabant, mandavit iisdem, quod, sicut Constantino, ita quoque et sibi adhaerere deberent. At illi dixerunt: dum gloriosi imperatores Constantinus et filius ejus Constantius se esse servos Christi gloriabantur, nos famulabamus eisdem, tu vero quia religionem plenam virtutibus reliquisti, a te omnino recessimus et tibi obedire contemnimus. Quibus Julianus mandavit: ego in ecclesia clericatum obtinui et, si voluissem, ad primum ecclesiae statum pervenissem, sed considerans vanum esse inertiam sectari et otium, militiae animum dedi Diisque sacrificans eorum suffragiis imperium obtinui. Unde vos in aula regia nutriti non debetis lateri meo deesse, ut primos vos in palatio meo habeam. Quodsi a vobis contemtus fuero, agam necesse est, ut contemni non possim. Qui respondentes dixerunt: Deum tibi praeponentes minas tuas nequaquam timemus, ne Dei aeterni inimicitias incurramus. Ad hoc Julianus: si infra decem dies ultro ad me venire contemseritis, coacti postmodum facietis, quod sponte facere non curatis. Cui sancti responderunt: jam decem dies praeteriisse aestima et hodie facito, quod tunc te facturum esse minaris. Quibus Julianus: putatis, quod martires vos faciant christiani: nisi mihi consenseritis, puniam vos, non ut martires, sed ut publicos hostes. Tunc Johannes et Paulus per totos decem dies elemosinis insistentes omnia sua pauperibus erogabant, decima autem die missus est ad eos Terentianus, qui dixit iis: dominus noster Julianus statiunculum aureum Jovis ad vos misit, ut eidem thura incendatis: alioquin ambo simul peribitis. Cui sancti dixerunt: si tuus dominus est Julianus, habeto pacem cum illo, nobis alius dominus non est nisi Jesus Christus. Tunc jussit eos occulte decollari et in fovea intra domum sepeliri, famam faciens, quod in exsilium essent missi. Post hoc filius Te-

rentiani a daemone arripitur et infra domum clamare coepit, quod a daemone vexaretur: quod videns Terentianus scelus confitetur et christianus efficitur, passio sanctorum ab eo conscribitur et ejus filius liberatur. Passi sunt autem circa annum domini CCCLXIV. Refert Gregorius in homelia evangelii: si quis vult venire post me, quod quaedam matrona dum ecclesiam istorum martirum frequentius visitaret et die quadam inde rediret, duos stantes monachos sub peregrino habitu invenit, quos peregrinos credens elemosinam sibi dari praecepit, sed postquam dispensator iis ad largiendum appropinquasset, adstiterunt ei vicinius et dixerunt: tu nos modo visitas, nos te in die judicii requiremus, et quidquid poterimus, tibi praestabimus. Quo dicto ab oculis ejus ablati sunt. Ambrosius de his martiribus in praefatione sic dicit: beati martires Johannes et Paulus veraciter impleverunt, quod Davidica voce dicitur: ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, nascendi lege consortes, fidei societati conjuncti, passionis aequalitate consimiles, in uno semper domino gloriosi.

CAP. LXXXVIII. (83.)
De sancto Leone papa.

Leo papa, ut in miraculis beatae virginis legitur, dum in ecclesia sanctae Mariae [1]) majoris missam celebraret, et dum fideles per ordinem communicaret et quaedam matrona manum ejus osculata fuisset, ex hoc in eum vehemens carnis tentatio insurrexit, at vir Dei in semet ipsum saevissimus ultor insurgit et eadem die manum se scandalizantem [2]) occulte penitus amputavit et a se rejecit. Interea murmur oriebatur in populo, cur summus pontifex divina more solito non celebraret. Tunc Leo ad beatam virginem se convertit et ejus providentiae totaliter se commisit. Tunc illa continuo sibi adstitit et manum illi suis sanctissimis manibus restituit et confirmavit jubens, ut procederet et filio suo sacrificium immolaret. Leo igitur omni populo, quid sibi contigerit, praedicavit et manum restitutam omnibus evidenter ostendit. Hic Chalcedonense

---

1) Rec. legunt: M. virginis in die resurrectionis missam. 2) Rec. omittunt occulte.

concilium celebravit, solas virgines ibidem [1])velari instituit, ibi etiam statutum fuit, ut virgo Maria mater Dei appellaretur. Eo quoque tempore Attila Italiam devastabat, igitur sanctus Leo in ecclesia apostolorum tribus diebus et tribus noctibus orationi vacans post hoc dixit ad suos: qui vult me sequi, sequatur. Cum igitur ad Attilam appropinquasset, ille ut beatum Leonem vidit, de equo descendit ejusque pedibus provolutus rogavit, ut peteret, quidquid vellet. Qui petiit, ut ab Italia discederet et captivos relaxaret, et dum argueretur a suis, quod triumphator orbis a sacerdote victus esset, respondit: providi mihi et vobis, vidi enim a dextris ejus fortissimum militem evaginato gladio stantem mihique dicentem: nisi huic parueris, cum omnibus tuis interibis. Cum beatus Leo epistolam ad Fabianum episcopum Constantinopolitanum adversus Eutychium et Nestorium scripsisset, super sepulchrum beati Petri ipsam posuit et jejuniis et orationibus insistens dixit: quidquid in hac epistola ut homo erravi, tu, cui ecclesia commissa est, corrige et emenda. Et post dies XL oranti illi Petrus apparuit dicens: legi et emendavi, accipiensque Leo epistolam invenit eam manibus apostoli correctam et emendatam. Alias etiam sepulchro beati Petri XL diebus jejuniis et orationibus Leo adstitit obsecrans, ut suorum sibi peccatorum veniam impetraret. Cui beatus Petrus apparens dixit: deprecatus sum pro te dominum et omnia peccata tua dimisit. Solummodo de manuum impositione debes inquiri, id est, si bene sive aliter alicui manus imposueris, exigeris. Obiit circa annos domini CCCCLX.

CAP. LXXXIX. (84.)

De sancto Petro apostolo.

Petrus trinomius exstitit, vocatus enim est Symon Bariona, Symon interpretatur obediens vel ponens tristitiam, Bariona filius columbae, bar lingua Syra filius, Jona hebraice columba. Fuit enim obediens, quando Christus eum vocavit, et ad unius jussionis vocem domino obedivit, ponens tristitiam, quando Christum negavit, cum egressus foras flevit amare, filius columbae, quia Deo simplici intentione servivit. Secundo vocatus est Caiphas, quod

1) Vocem velari omittit Ed. Pr.

interpretatur caput vel petra vel increpans ore: caput ratione principatus in praelatione, petra ratione firmitatis in passione, increpans ore ratione constantiae in praedicatione. Tertio vocatus est Petrus, quod interpretatur agnoscens vel discalcians vel dissolvens, quia Christi divinitatem agnovit, cum dixit: tu es Christus filius Dei vivi, et pedes affectuum suorum ab omni opere mortuo et terreno discalciavit, cum dixit: ecce nos reliquimus omnia etc., et vincula peccatorum a nobis dissolvit et hoc per claves, quas a domino accepit. Habuit autem triplex cognomen, dictus est enim Symon Johanna, quod interpretatur domini pulchritudo; secundo Symon Johannis, quod interpretatur: cui donatum est; tertio Symon Bariona, quod interpretatur filius columbae, per quod datur intelligi, quod ipse habuit pulchritudinem morum, dona virtutum, abundantiam lacrymarum, quia columba habet gemitum pro cantu. Istud autem nomen Petrus Jesus primo sibi imponendum permisit et dixit Joh. I: tu vocaberis Cayphas, quod interpretatur Petrus; secundo promissum imposuit, sicut dicitur Marc. III: et imposuit Symoni nomen Petrus; tertio impositum confirmavit, cum dixit Matth. XVI: et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram etc. Ejus martirium Marcellus, Linus papa, Hegesippus et Leo papa scripserunt.

1. Petrus apostolus inter caeteros et super caeteros apostolos majoris fervoris exstitit, nam et scire domini proditorem voluit, quia, ut dicit Augustinus, si eum scivisset, dentibus discerpsisset et ob hoc dominus proditorem suum nominare nolebat, quia, ut ait Chrysostomus, si ipsum nominasset, Petrus continuo surrexisset et ipsum protinus trucidasset. Hic super mare ad dominum ambulavit, in domini transfiguratione et puellae suscitatione a domino electus fuit, staterem in ore piscis invenit, claves regni caelorum a domino accepit, pascendas oves a Christo suscepit, tria millia hominum in pentecoste sua praedicatione convertit, Ananiae et Saphirae mortem praedixit, Aeneam paraliticum curavit, Cornelium baptizavit, Tabitam suscitavit, umbra sui corporis infirmos sanavit, ab Herode incarceratur, sed ab angelo liberatur. Qualis autem ejus cibus vel indumentum fuerit, ipse hoc in libro Clementis testatur: panis, inquit, solus est mihi cum olivis et raro cum oleribus in usu est; indumentum autem hoc est mihi, quod vides, tunica cum pallio, et hoc habens nihil aliud requiro. Fertur quoque, quia in sinu semper sudarium portabat, quo crebro fluentes lacrymas tergebat, quia, quando dulcis allocutionis et praesentiae Dei memor erat, prae ni-

mia amoris dulcedine lacrymas continere non poterat. Quando etiam culpam negationis ad memoriam reducebat, ubertim lacrymas emittebat, unde adeo in consuetudine habuit flere, ut ejus facies tota adusta lacrymis videretur, sicut dicit Clemens. Idem etiam dicit, quod audito in nocte gallicantu ad orationem surgere consueverat, et tunc similiter ad fletum prorumpere consuevit. Refert quoque Clemens, secundum quod in hystoria ecclesiastica invenitur, quod, cum uxor Petri ad passionem duceretur, Petrus ingenti gaudio exsultavit ac eam proprio vocans nomine, post eam clamavit: o conjux, memento domini. Quadam vice dum Petrus apostolus duos de discipulis suis misisset ad praedicandum, dum viginti diaetas ivissent, unus illorum defunctus est, alter vero ad Petrum rediit et, quod acciderat, nuntiavit. Hic dicitur fuisse beatus Martialis vel secundum quosdam Maternus. Alibi legitur, quod primus fuit beatus Fronto; socius, qui defunctus est, secundus fuit presbiter Georgius. Tunc Petrus suum baculum sibi tradidit praecipiens, ut ad socium pergeret et eum super illum poneret. Quod cum fecisset ille, qui jam per XL dies jacebat mortuus, protinus surrexit vivus. — 2. Eo tempore erat in Jerusalem quidam magus nomine Symon, qui se primam veritatem dicebat et sibi credentes perpetuos effici asserebat et nulla sibi impossibilia dicebat. Legitur etiam in libro Clementis, ipsum dixisse: adorabor, ut Deus, publice, divinis donabor honoribus et, quidquid voluero, facere potero. Aliquando cum mater mea Rachel juberet me exire ad campum, ut meterem, ego falcem videns positam praecepi falci, ut per se meteret, et messuit decuplo amplius caeteris. Addidit quoque, secundum quod dicit Hieronymus: ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego paraclitus, ego omnia Dei. Serpentes quoque aeneos faciebat se movere, statuas aeneas et lapideas ridere, et canes cantare. Hic igitur, ut Linus ait, volens disputare cum Petro et ostendere, quod Deus esset, statuta die venit Petrus ad locum certaminis et adstantibus Petrus dixit: pax vobis, fratres, qui veritatem amatis. Cui Symon: nos tua pace opus non habemus, si enim pax sit et concordia, ad inveniendam veritatem nihil proficere poterimus. Habent enim intra se pacem latrones, propter quod noli invocare pacem, sed pugnam: duobus enim dimicantibus tunc erit pax, cum alter fuerit superatus. Et Petrus: cur times audire pacem? Ex peccatis enim bella nascuntur, ubi autem peccatum non fit, pax est; in disputationibus veritas, in operibus justitia invenitur. Et Symon: nihil dicis, sed

ego ostendam tibi deitatis meae potentiam, ut repente adores me; ego sum prima virtus et possum volare per aëra, novas arbores facere, lapides in panem mutare, in igne sine laesione durare et omnia, quae volo, possum facere. Contra hunc igitur Petrus disputabat et omnia ejus maleficia detegebat. Tunc videns Symon, quia Petro non posset resistere, omnes libros suae magicae artis, ne forte magus proderetur, in mare projecit et Romam, ut ibi Deus habeatur, perrexit. Quod ubi Petrus comperit, ipsum insequitur et Romam usque proficiscitur. Quarto igitur anno Claudii imperatoris Petrus Romam applicuit et ibi annis XXV sedit et duos episcopos Linum et Cletum sibi coadjutores, ut ait Johannes Beleth, unum extra muros urbis, alium intra ordinavit. Praedicationi autem insistens multos ad fidem convertebat et infirmos quam plures curabat, sed et in praedicatione sua semper laudans et praeferens castitatem quatuor concubinas Agrippae praefecti adeo convertit, quod ad praefectum redire ulterius recusarent, unde iratus praefectus adversus Petrum occasionem quaerebat. Post hoc apparuit dominus Petro dicens: Symon et Nero contra te cogitant, sed ne timeas, quia tecum sum, ut eruam te, et dabo tibi servi mei Pauli solatium, qui cras Romam ingredietur. Sciens igitur Petrus, ut ait Linus, quia velox esset depositio tabernaculi sui, in conventu fratrum positus manum Clementis apprehendit et eum in episcopum ordinavit et in cathedra loco suo sedere coegit. Post hoc Paulus, sicut dominus praedixerat, Romam venit et cum Petro Christum praedicare coepit, Symon autem magus in tantum a Nerone amabatur, quod vitae ejus et salutis et totius civitatis custos sine dubio putabatur. Quadam autem die, sicut dicit Leo papa, dum ante Neronem adstaret, ejus effigies subito mutabatur et modo senior, modo adolescentior videbatur. Quod cum videret Nero, verum hunc esse Dei filium aestimabat. Dixit itaque Symon magus Neroni, sicut idem Leo refert: ut scias optime, imperator, me Dei filium esse, jube me decollari et die tertia resurgam. Praecepit igitur Nero carnifici, ut eum decollare deberet. Qui cum putaret se decollare Symonem, decollavit arietem, Symon autem arte magica illaesus evasit et arietis membra colligens ea abscondit et tribus diebus se occultavit, sanguis autem arietis ibidem congelatus remansit. Die autem tertio ostendit se Neroni dicens: fac sanguinem meum, qui effusus est, extergi, quia ecce ego, qui decollatus fueram, sicut promisi, die tertia resurrexi. Quem Nero videns obstupuit et ip-

sum verum filium Dei putavit. Haec Leo. Aliquando etiam cum in conclavi cum Nerone esset, daemon in ejus specie foris populo loquebatur: denique Romani in tanta veneratione eum habuerunt, quod eidem imaginem fecerunt et hunc titulum superscripserunt: Symoni Deo sancto. Petrus autem et Paulus, ut Leo testatur, ad Neronem introierunt et omnia ejus maleficia detegebant, addidit quoque Petrus, quod sicut in Christo sunt duae substantiae, scilicet Dei et hominis, sic et in isto mago sunt duae substantiae, scilicet hominis et dyaboli, dixitque Symon, ut testatur sanctus Marcellus et Leo: ne diutius hunc paliar inimicum, praecipiam angelis meis, ut vindicent me de isto. Cui Petrus: angelos tuos non timeo, sed ipsi me timent. Nero dixit: non times Symonem, qui divinitatem suam rebus affirmat? Cui Petrus: si divinitas est in ipso, dicat nunc mihi, quid cogito vel quid facio, quam cogitationem meam prius auribus tuis insinuo, ut non audeat mentiri. Nero dixit: accede huc et dic mihi, quid cogitas. Petrus autem accedens secreto dixit: jube mihi panem hordeaceum afferri et occulte dari. Qui cum allatus fuisset et Petrus illum benedixisset et sua manica abscondisset, dixit: dicat Symon, qui se Deum fecit, quid sit cogitatum, quid dictum vel quid sit factum. Respondit Symon: Petrus magis dicat, quid cogitem ego. Dixitque Petrus: quid cogitet Symon, me scire docebo, dum, quod cogitaverit, fecero. Tunc Symon indignatus clamavit: procedant canes magni et devorent eum. Et subito canes maximi apparuerunt et in Petrum impetum fecerunt, ille vero panem benedictum obtulit et subito ipsos in fugam convertit. Tunc dixit ad Neronem Petrus: ecce ostendi me nosse, quod contra me cogitaverat Symon, non verbis, sed factis. Nam qui promiserat contra me angelos venturos, exhibuit canes, ut ostendat se divinos angelos non habere, sed caninos. Dixitque Symon: audite, Petre et Paule, si hic vobis nihil possum facere, veniemus, ubi oportet me vos judicare; ego autem modo vobis parco. Haec Leo. Tunc Symon, ut ait Hegesippus et Linus, in superbiam elatus ausus est jactare, quod posset mortuos suscitare, et accidit, ut quidam juvenis moreretur, vocatis ergo Petro et Symone hanc omnes de voluntate Symonis sententiam firmaverunt, ut ille occideretur, qui mortuum suscitare non posset. Symon igitur dum super mortuum suas incantationes faceret, visus est a circumstantibus caput agitare defunctus. Tunc omnes exclamantes Petrum lapidare volebant, Petrus autem vix impetrato silentio dixit:

si vivit defunctus, surgat, ambulet et loquatur, alioquin sciatis phantasma esse, quod caput mortui commovetur; separetur Symon a lectulo, ut plene figmenta dyaboli denudentur. Separatur igitur Symon a lectulo et puer immobilis remansit, Petrus autem a longe stans et oratione facta exclamavit dicens: adolescens, in nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula, et statim vivus surrexit et ambulavit. Cum autem p[illegible] vellet Symonem lapidare, ait Petrus: satis est illi ad poenam, quod se in suis artibus agnoscit superatum, magister autem noster nos docuit, ut pro malis bona reddamus. Dixit autem Symon: scitote, vos, Petre et Paule, non vobis continget, quod cupitis, ut martirio vos digner coronare. Ait Petrus: adveniat nobis, quod cupimus, tibi autem nunquam bene sit, quia quaecumque loqueris, mentiris. Tunc Symon, ut ait sanctus Marcellus, ivit ad domum Marcelli discipuli ejus ligavitque maximum canem ad ostium ejus domus dicens: nunc videbo, si Petrus, qui ad te venire consuevit, ingredi poterit. Post paululum venit Petrus et facto signo crucis canem solvit, canis autem omnibus aliis blandus, solum Symonem persequebatur, qui apprehendens eum ad terram subter se dejecit et eum strangulare volebat, accurrens autem Petrus cani clamavit, ne ei noceret, et canis quidem corpus ejus non laesit, sed vestes adeo laceravit, ut ille nudus positus remaneret, populus autem et maxime pueri cum cane tamdiu post eum concurrerunt, donec illum quasi lupum de civitate fugarent. Cujus opprobrii pudorem non ferens per annum nusquam comparuit, Marcellus autem haec miracula videns deinceps Petro adhaesit. Postea autem Symon rediens iterum in Neronis amicitiam est receptus. Symon igitur, ut refert Leo, populum convocavit et se a Galilaeis graviter offensum perhibuit et ideo urbem, quam tueri solebat, se deserere velle dixit et diem statuere, qua coelum deberet adscendere, quia non dignabatur in terris amplius habitare. Statuto igitur die turrim excelsam vel, secundum Linum, Capitolium adscendit et inde se dejiciens coronatus lauro volare coepit. Dixit autem Paulus ad Petrum: meum est orare et tuum est imperare, dixitque Nero: verax est hic homo; vos autem seductores estis. Petrus autem dixit ad Paulum: Paule, erige caput et vide. Cumque elevasset caput et vidisset Symonem volantem, dixit ad Petrum: Petre, quid cessas, perfice quod coepisti, jam enim vocat nos dominus. Tunc Petrus ait: adjuro vos, angeli Sathanae, qui eum in aëra fertis, per dominum nostrum Jesum Christum, ut ipsum amplius non feratis, sed

corruere dimittatis: et continuo dimissus corruit et confractis cervicibus exspiravit. Audiens hoc Nero talem virum se perdidisse doluit dixitque apostolis: suspecto animo me fecistis, propterea malo exemplo vos perdam. Haec Leo. Deditque eos in manu Paulini viri clarissimi et Paulinus tradidit eos in custodia [1]) Mamertini sub cura militum Processi et Martiniani, quos milites Petrus ad fidem convertit, unde carcerem aperuerunt et [illegible]eros dimiserunt. Quapropter Paulinus post passionem apostolorum Processum et Martinianum accersivit et comperto quod christiani essent, [2]) jussu Neronis capite caesi sunt. Rogabant ergo fratres Petrum, ut inde discederet, et cum discedere nollet, tandem victus precibus abscessit et, cum venisset ad portam, ut Leo et Linus testantur, ad locum, ubi nunc dicitur sancta Maria ad passus, vidit Christum sibi occurrentem et ait: domine, quo vadis? Qui respondit: venio Romam iterum crucifigi. Cui Petrus: iterum crucifigeris? Cui dominus: etiam. Petrus vero ait: ergo, domine, revertar, ut tecum crucifigar. His dictis dominus vidente Petro et lacrymante in coelum adscendit. Quod cum de sua passione dictum intelligeret, rediit: cumque hoc fratribus retulisset, a ministris Neronis capitur et praefecto Agrippae praesentatur factaque est ejus facies sicut sol, ut ait Linus. Cui dixit: tune es ille, qui in plebibus et mulierculis, quas a toro virorum separas, gloriaris? Quem apostolus increpans dicebat, se in cruce domini gloriari. Tunc Petrus tamquam alienigena jussus est crucifigi, Paulus vero, quia civis erat romanus, jussus est capite truncari. De hac autem sententia in ipsos data dicit Dionysius in epistola ad Timotheum de morte Pauli in haec verba: o frater mi Timotheus, si vidisses agones consummationis ipsorum, defecisses quidem prae tristitia et dolore. Quis non fleret illa hora, quando praeceptum sententiae egressum in eos est, ut Petrus scilicet crucifigeretur et Paulus decollaretur. Vidisses tunc turbas gentilium et Judaeorum percutientes eos et exspuentes in facies eorum. Adveniente autem terribili tempore consummationis ipsorum, cum separarentur ab invicem, ligaverunt columnas mundi, non utique absque fratrum gemitu et planctu. Tunc inquit Paulus Petro: pax tecum fundamentum ecclesiarum et pastor ovium et agnorum Christi. Petrus ait ad Paulum: vade in pace, praedicator bonorum morum, mediator et dux salutis justorum. Cum autem

1) Ed. Pr. omittit male verba Mamertini — et. 2) Haec duo verba omittit Ed. Pr.

elongassent eos ab invicem, secutus sum magistrum meum, non enim in eodem vico occiderunt eos. Haec Dionysius. Petrus autem, ut Leo et Marcellus testantur, dum venisset ad crucem, ait: quoniam dominus meus de coelo ad terram descendit, recta cruce sublimatus est, me autem, quem de terra ad coelum vocare dignatur, crux mea caput meum in terra debet ostendere et pedes ad coelum dirigere. Ergo quia non sum ita in cruce esse dignus, ut dominus meus, crucem meum girate et capite demisso me crucifigite. Tunc illi crucem verterunt et pedes sursum, manus autem deorsum fixerunt. Tunc autem populus furore repletus volebat Neronem et praefectum occidere et apostolum liberare, qui eos rogabat, ne passionem suam impedire deberent. Dominus autem, ut ait Hegesippus et Linus, aperuit oculos eorum, qui ibi flebant, et viderunt angelos stantes cum coronis de floribus rosarum et liliorum et Petrum in cruce stantem cum iis et librum a Christo accipientem et ea verba, quae loquebatur, ibi legentem. Tunc Petrus, ut testatur idem Hegesippus, de cruce dicere coepit: te, domine, imitari optavi, sed rectus crucifigi non usurpavi: tu semper rectus, excelsus et altus, nos primi hominis filii, qui caput suum demersit in terram, cujus lapsum significat species generationis humanae: sic enim nascimur, ut proni in terram videamur effundi. Mutata quoque conditio est, ut hoc putet mundus dextrum, quod constat esse sinistrum: tu, domine, mihi omnia es, totum, quod es tu mihi totum, et nihil aliud nisi tu solus: gratias tibi ago spiritu toto, quo vivo, quo intelligo, quo interpello. Ubi duae aliae rationes tanguntur, quare rectus noluit crucifigi. Vidensque Petrus, quod fideles gloriam suam vidissent, gratias agens et Deo fideles commendans spiritum emisit. Tunc Marcellus et Apulejus fratres, discipuli ejus, cum de cruce deposuerunt et diversis condientes aromatibus sepelierunt. Ysidorus in libro de ortu et obitu sanctorum sic ait: Petrus postquam Antiochenam fundavit ecclesiam sub Claudio Caesare contra Symonem magum Romam pergit ibique praedicans evangelium XXV annis ejusdem urbis pontificatum tenuit, tricesimo autem sexto anno a passione domini a Nerone deorsum, ut ipse voluit, crucifixus est. Haec Ysidorus. In ipsa autem die Petrus et Paulus Dionysio apparuerunt, secundum quod ipse dicit in praedicta epistola in haec verba: attende miraculum, vide prodigium, frater mi Timotheus, diei victimationis ipsorum. Nam praesto fui in tempore separationis ipsorum: post mortem autem illorum vidi eos invicem manu ad manum in-

trantes portas urbis, indutos vestibus luminositatis vel veste luminis et coronis claritatis et lucis ornatos. Haec Dionysius. — — —
8. Nero autem non impunitus exstitit super hoc scelere et aliis, quae commisit, nam manu propria se peremit, quorum scelerum hic aliqua breviter inseramus. Cum Seneca magister suus, ut in quadam hystoria, licet apocrypha, legitur, condignam mercedem laboris sui speraret, jussit Nero ipsum eligere, in cujus arboris ramo suspendium affectaret, dicens, quod hoc praemium laboris sui ab eo recepturus esset. Cum autem Seneca requireret, unde hoc mortis supplicium meruisset, acutum gladium super ejus verticem crebro vibrari fecit, Seneca autem nutu capitis minanti gladio cedebat, vehementer timens periclitari mortis periculum. Cui Nero ait: magister, [1]ad quid nutu capitis minanti gladio cedis? Cui Seneca respondit: homo sum et ideo mortem vereor et invitus morior. Cui Nero ait: sic ego adhuc te metuo, ut puer metuere consuevi, quare te vivente quiete non potero vivere. Dixitque Seneca: si me mori necesse est, saltem mihi concede, ut, quod voluero, eligam genus mortis. Cui Nero: festinus eligas, tantum mori ne differas. Tunc Seneca balneo in aqua facto in utroque brachio sibi minui fecit et sic nimio sanguinis fluxu ibidem vitam finivit et sic quodam praesagio Seneca nomen habuit quasi se necans, quia quodammodo licet coactus manu propria se necavit. Hic Seneca duos fratres habuisse legitur. Unus fuit Julianus Gallio declamator egregius, qui manu propria se peremit, alius Mela pater Lucani poetae, qui Lucanus jussu Neronis incisione venarum obiisse legitur. Rursus Nero nefaria mentis vesania ductus, ut in eadem hystoria apocrypha reperitur, matrem occidi et scindi jussit, ut videret, qualiter in ejus utero fovebatur, physici vero eum de matris perditione arguentes dicebant: jura negant et fas prohibet, ut filius matrem necet, quae ipsum cum dolore peperit et cum tanto labore et sollicitudine enutrivit. Quibus Nero: faciatis me puero impraegnari et postea parere, ut, quantus dolor matri meae fuerit, possim scire. Hanc insuper voluntatem pariendi conceperat eo, quod per urbem transiens quandam mulierem parientem vociferantem audiverat. Dicunt ei: non est possibile, quod naturae contrarium est, nec est [2]facile, quod rationi non est consentaneum. Dixit ergo iis Nero: nisi me feceritis impraegnari et parere, omnes vos faciam crudeli morte interire. Tunc illi eum impotionantes ranam sibi occulte ad bibendum

1) Vulgo: ut quid. 2) Alii scibile legunt.

dederunt, et eam artificio suo in ejus ventre excrescere fecerunt et subito venter ejus naturae contraria non sustinens intumuit, ita ut Nero se puero gravidum aestimaret, faciebantque sibi servare diaetam, qualem nutriendae ranae noverant convenire dicentes, quod propter conceptum talia eum observare oporteret. Tandem nimio dolore vexatus medicis ait: accelerate tempus partus, quia languore pariendi vix anhelitum habeo respirandi. Tunc ipsum ad vomitum impotionaverunt et ranam visu terribilem, humoribus infectam et sanguine edidit cruentatam, respiciensque Nero partum suum ipsum abhorruit et mirabatur adeo monstruosum, dixerunt autem, quod tam difformem fetum protulerit, ex eo, quod tempus partus noluerit exspectare. Et ait: fuine talis de matris egressus latibulis? Et illi: etiam. Praecepit ergo, ut fetus suus aleretur et testudini lapidum servandus includeretur. Haec autem in chronicis non leguntur, sed apocrypha sunt. Deinde miratus, qualis et quanta fuerit succensio Trojae, Romam per VII dies et noctes succendi fecit, quod ex altissima turri prospectans laetatusque flammae pulchritudine turgido habitu [1]) Iliadem decantabat. Hic, sicut habetur in chronicis, retibus aureis piscabatur, cantibus intendebat, ita ut omnes cytharistas et tragoedos superaret, virum in uxorem duxit, ipse a viro, ut uxor, acceptus est, ut ait Orosius, Romani vero ejus vesaniam ulterius non ferentes in eum impetum fecerunt et usque extra civitatem persecuti sunt. Qui videns, quod evadere non posset, fustem dentium morsibus exacuit et se per medium palo transfixit et tali morte vitam finivit. Alibi tamen legitur, quod a lupis devoratus sit. Redeuntes Romani ranam in testudine latitantem invenerunt et ipsam extra civitatem projicientes combusserunt, unde et pars illa civitatis, ut aliqui dicunt, ubi latuerat rana, Lateranensis [2]) nomen accepit. — 4. Tempore sancti Cornelii papae Graeci fideles apostolorum corpora furati eadem asportabant, sed daemones in ydolis habitantes divina coacti virtute clamabant: viri Romani, succurrite, quia Dii vestri auferuntur. Quapropter fidelibus intelligentibus de apostolis, gentilibus vero de suis Diis multitudo adunata fidelium et infidelium eos persequitur, unde Graeci timentes apud catacombas apostolorum corpora in puteum projecerunt, sed a fidelibus inde postmodum sunt extracta. Gregorius tamen in registro dicit, quod tanta eos vis tonitrui atque fulguris terruit ac

1) Vulgo legitur: Helyedam. 2) Additur: a latente rana. Male.

dispersit, ut ea apud catacombas dimitterent, sed cum dubitarent, quae ossa essent beati Petri et quae beati Pauli, orantibus fidelibus et jejuniis insistentibus de coelo eis responsum est: majora ossa sunt praedicatoris, minora vero piscatoris, et sic ossa se ab invicem separaverunt et in suis ecclesiis, quas cuilibet aedificaverant, posuerunt. Alii vero dicunt, quod Silvester papa volens ecclesias consecrare tam magna quam parva ossa in lance summa reverentia ponderavit et medietatem in una ecclesia et medietatem in alia collocavit. Refert Gregorius in dyalogo, quod in ecclesia sancti Petri, ubi corpus ejus requiescit, vir quidam erat, Agontius nomine, magnae humilitatis et sanctitatis exsistens. Cum vero quaedam puella paralitica in ejus ecclesia permanens manibus reperet et dissolutis renibus et pedibus corpus per terram traheret diuque a beato Petro sanitatem peteret, ei per visionem adstitit dicens: vade ad Agontium mansionarium et ipse te saluti restituet. Coepit igitur illa per ecclesiae loca se huc atque illuc trahere et, quis esset Agontius, investigare, cui repente obviam ipse factus est, quem quaerebat, eique dixit: pastor et nutritor noster beatus Petrus apostolus ad te me misit, ut ab infirmitate mea me liberes. Cui ille respondit: si ab ipso missa es, surge, apprehensaque ejus manu ipsam levavit illaque nullo languoris vestigio remanente plene sanata fuit. In eodem quoque libro ait Gregorius, quod Galla urbis Romae nobilissima puella Symmachi consulis ac patricii filia marito tradita in unius anni spatio ejus est morte viduata. Quam dum ad iterandum thalamum aetas et opes vocarent, elegit magis spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus a luctu incipitur, sed ad aeterna gaudia pervenitur, quam carnalibus nuptiis subjici, quae a laetitia semper incipiunt, sed ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum valde ignea conspersio corporis inesset, coeperunt medici dicere, quia, nisi ad amplexus viri rediret, calore nimio contra naturam barbam habitura esset. Quod ita post factum est: sed illa nihil exterius deformitatis timuit, quod interiorem speciem amavit, nec verita est, si hoc in ea foedaretur, quod a coelesti sponso non amaretur. Abjecto igitur saeculari habitu apud ecclesiam sancti Petri monasterio se dedit ibique nostris annis in simplicitate orationibus et elemosinis Deo servivit. Tandem cancri ulcere in mammilla percussa, dum ante ejus lectum duo candelabra semper lucerent, quia velut amica lucis non solum spirituales, sed et corporales tenebras odio habebat, vidit beatum Petrum apostolum

inter ipsa duo luminaria ante ejus lectum constitisse. Quae ex amore sumens audaciam exsultavit et dixit: quid est, domine meus? Dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille benignissimo vultu inclinato capite annuit dicens: dimissa. Veni. Et illa: rogo, ut soror benedicta mecum veniat. Et ille: non, licet talis veniat tecum. Quod illa abbatissae indicans die tertia cum illa defuncta est. In eodem insuper libro Gregorius dicit, quod dum presbiter quidam magnae sanctitatis ad extrema deductus esset, cum magna laetitia clamare coepit dicens: bene veniunt domini mei, bene veniunt domini mei, quod ad tantillum servum virum dignati estis venire. Venio, venio: gratias ago, gratias ago. Cumque, qui adstabant, quibus haec diceret, interrogarent, ille admirando respondit: numquid convenisse huc sanctos apostolos Petrum et Paulum non videtis? Cum vero iterum ut prius repeteret, sancta illa anima e carne soluta est. Dubitatur autem ab aliquibus, utrum eadem die Petrus et Paulus passi sint. Dixerunt autem quidam, quod eadem die revoluto anno, sed Hieronymus et omnes fere sancti, qui de hoc tractant, in hoc concordant, quod eodem die et anno passi sunt, sicut manifeste etiam habetur ex epistola Dionysii et sicut dicit Leo vel Maximus secundum quosdam in quodam sermone, ubi sic ait: non enim sine causa factum putamus, quod una die in uno loco unius tyranni toleravere sententiam. In uno die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent, uno loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persecutore, ut aequalis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus autem pro gloria, persecutor autem idem decretus est pro virtute. Haec Leo. Licet autem eadem die et hora passi sint, non tamen eodem loco; sed in diversis: et quod dixit Leo, quod eodem loco passi sunt, hoc dicit ex eo, quod ambo Romae passi fuerant. De hoc quidam sic versibus dixit:

Ense coronatur Paulus, cruce Petrus, eodem
Sub duce, luce, loco, dux Nero, Roma locus.

Item alius:

Ense sacrat Paulum par lux, dux, urbs cruce Petrum.

Licet autem eadem die passi fuerint, ordinavit tamen Gregorius, ut ipsa die specialius fieret, quo ad officium, sollemnitas Petri, et in sequenti die commemoratio Pauli, tum quia ea die fuit dedicata ecclesia sancti Petri, tum quia major est dignitate, tum quia prior conversione, tum quia primatum tenuit Romae.

CAP. XC. (85.)

De sancto Paulo apostolo.

Paulus interpretatur os tubae vel os eorum seu electum mirabile vel electionis miraculum, vel Paulus a pausa, quod est requies hebraice, modicus latine. Per haec intelliguntur sex praerogativae, quas habuit Paulus prae caeteris. Primum est lingua fructuosa, quia ab Illyrico usque ad Hierosolymam praedicavit evangelium, et ideo dicitur os tubae, secundum caritas viscerosa, quia quis infirmatur et ego non infirmor etc.: inde dicitur os eorum, os scilicet cordis, de quo ipse dicit: os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Tertium est conversio miraculosa et inde dicitur electum mirabile, quia mirabiliter electus et conversus fuit. Quartum est manus operosa et inde dicitur electionis miraculum. Magnum enim miraculum fuit, quando elegit sibi propriis manibus sumptus acquirere et incessanter praedicare. Quintum fuit contemplatio deliciosa, quia raptus est usque in tertium coelum et inde fuit domini requies, quia in contemplatione exigitur requies mentis. Sextum est humilitas virtuosa et inde dicitur modicus. De hoc autem nomine Paulus tres sunt opiniones. Origenes vult, quod semper fuerit binomius et vocatus sit semper Saulus et Paulus; Rabanus vero vult, quod ante dictus est Saulus a Saule, rege superbo, sed post conversionem vocatus est Paulus, quasi parvulus, a modico et humili spiritu, unde et nomen suum interpretando dicebat: ego sum minimus apostolorum etc. Beda autem vult, quod dictus est Paulus a Sergio Paulo proconsule, quem ad fidem convertit. Passionem sancti Pauli Linus papa conscripsit.

Paulus apostolus post sui conversionem multas persecutiones passus est, quas beatus Hilarius breviter enumerat dicens: Paulus apostolus in Philippis virgis caeditur, in carcere ponitur et ligno pedibus affigitur, in Listris lapidatur, in Yconio et Thessalonica ab iniquis persequitur, in Epheso feris datur, in Damasco per sportam e muro deponitur, in Jerusalem sistitur, caeditur, ligatur, insidiatur, in Caesaria clauditur, criminatur, navigans in Italiam periculo dirigitur, Romam veniens sub Nerone judicatur et occisus finitur. Haec Hilarius. Apostolatum inter gentes accepit, quendam contractum in Listris erexit, juvenem, qui de fenestra ceciderat

et exspiraverat, suscitavit et multa alia miracula fecit, apud Mitilenem insulam vipera manum ejus invasit, sed nihil eum laesit, quia potius in ignem ipsam excussit. Dicitur quoque, quod omnes, qui de progenie illius hominis, qui Paulum hospitio excepit, nascuntur, a venenosis ullatenus non laeduntur, unde cum pueri nati sunt, in cunis eorum patres serpentes ponunt, ut probent, si veri eorum filii sint. Invenitur autem aliquando, quod Paulus est minor Petro, quandoque major, quandoque aequalis, sed revera minor dignitate, major praedicatione, aequalis sanctitate. Refert Haymo, quod Paulus a pullorum cantu usque ad quintam horam labori manuum insistebat, deinde praedicationi vacabat, ita quod plerumque usque ad noctem sermonem protrahebat, residuum vero temporis comestioni, somno, orationi satis necessarium erat. Dum venisset vero Romam, cum Nero nondum esset in imperium confirmatus et etiam audiens, quod de lege Judaeorum et fide christianorum inter Paulum et Judaeos quaestio vertebatur, non multum inde curavit et sic Paulus, quo volebat, libere ibat et libere praedicabat. Hieronymus quoque in libro de viris illustribus ait, quod XXV. anno a passione domini, hoc est Neronis secundo, Paulus Romam vinctus mittitur et per biennium in libera manens custodia adversus Judaeos disputavit, deinde a Nerone dimissus evangelium in occidentis partibus praedicavit, XIV vero Neronis anno, eodem anno et die, quo crucifixus est Petrus, capite truncatur. Haec Hieronymus. Ejus autem sapientia et religio ubique divulgabatur et ab omnibus admirabilis habebatur, multos etiam de domo Caesaris sibi in amicitiam copulavit et eos ad Christi fidem convertit, quaedam etiam scripta ejus coram Caesare recitata sunt et ab omnibus mirabiliter commendata, senatus etiam de illo alta non mediocriter sentiebat. Quadam vero die dum Paulus circa vesperas in quodam solario praedicaret, quidam juvenis nomine Patroclus, pincerna Neronis et sibi admodum dilectus, ut Paulum propter multitudinem commodius audiret, fenestram adscendit et paululum ibi dormitando decidens exspiravit. Quod audiens Nero plurimum de ejus morte doluit et statim alium in ejus officium ordinavit, Paulus vero per spiritum hoc cognoscens dixit adstantibus, ut illuc irent et Patroclum Caesaris carissimum ad se defunctum afferrent, quem allatum Paulus suscitavit et ad Caesarem cum sociis suis misit. Qui cum de morte ejus lamentaretur, ecce Patroclus vivens adesse prae foribus nuntiatur. Audiens Nero Patroclum vivum, quem paulo

ante noverat mortuum, plurimum quidem expavit et cum ad se ingredi recusavit, sed tandem persuasu amicorum introire permisit. Cui Nero ait: Patrocle, vivis? Et ille: Caesar, vivo. Et Nero: quis te fecit vivere? Cui ille: Jesus Christus omnium rex saeculorum. Iratus Nero dixit: ergo ille regnabit in saecula et resolvet omnia regna mundi? Cui Patroclus: etiam Caesar. Tunc Nero dedit ei alapam dicens: ergo militas illi regi? Et ille: utique milito, quia me a mortuis excitavit. Tunc quinque ministri imperatoris, qui ei jugiter assistebant, dixerunt ei: cur, imperator, percutis juvenem prudentem et veraciter respondentem? nam et nos illi regi invictissimo militamus. Quod audiens Nero eos reclusit in carcerem, ut eos nimium torqueret, quos ante nimis dilexerat. Tunc omnes christianos fecit inquiri et omnes sine interrogatione per tormenta varia puniri. Tunc Paulus vinctus inter caeteros ante Neronem ductus est; cui Nero: o homo, magni regis servus, mihi autem vinctus, cur milites meos mihi subtrahis et tibi recolligis? Cui Paulus: non solum de tuo angulo milites collegi, sed etiam de orbe universo, quibus rex noster dona talia, quae nunquam deficient et quae omnem excludent indigentiam, largietur. Huic si subjectus esse volueris, salvus eris. Qui tantae exstat potentiae, ut judex omnium veniat et mundi hujus figuram per ignem resolvat. Hoc audiens Nero et ira succensus, quia figuram mundi per ignem Paulus dixerat dissolvendam, omnes milites Christi igne jussit cremari, Paulum vero tamquam majestatis reum capite truncari. Tanta autem tunc christianorum occisa est turba, ut populus Romanus palatium virtute irrumperet et seditionem contra eum excitare moliens proclamaret: pone modum, Caesar, tempera occisionem vel jussionem, nostrates sunt, quos perdis, Romanum tuentur imperium. Timens imperator mutavit edictum, ut nullus christianos tangeret, donec imperator de iis plenius judicaret. Quapropter Paulus iterum est reductus et adspectui Neronis oblatus; quem ut Nero vidit, vehementissime exclamavit: tollite maleficum, decollate impostorem, nec sinite vivere criminatorem, perdite sensuum alienatorem, auferte de superficie terrae mentium immutatorem. Ad quem Paulus ait: Nero, tempore modico patiar, sed vivam aeternaliter domino Jesu Christo. Nero dixit: auferte ab eo caput, ut me rege suo fortiorem intelligat, qui eum devici, et videamus, si semper vivere valeat. Cui Paulus: ut scias me post mortem corporis aeternaliter vivere, cum mihi caput abscissum fuerit, vivus

tibi apparebo et tunc cognoscere poteris, quod Christus est Deus vitae, et non mortis. Et his dictis ad locum supplicii ducitur. Qui cum duceretur, dixerunt ei tres milites, qui eum ducebant: dic nobis, Paule, quis est ille rex vester, quem tantum diligitis, quod pro eo magis mori quam vivere eligitis, et qualem inde mercedem habebitis? Tunc Paulus de regno Dei et poenis inferni praedicavit adeo iis, quod eos ad fidem convertit. Qui cum rogarent eum, ut libere abiret, quo vellet, ait: absit, fratres, ut fugiam, non enim sum profugus, sed miles Christi legitimus; scio enim, quod per hanc vitam transitoriam ad vitam transibo aeternam, mox autem, ut fuero decollatus, viri fideles rapient corpus meum. Vos autem locum notate et illuc cras mane venite, invenietis enim juxta sepulchrum meum duos viros orantes, scilicet Tytum et Lucam, quibus cum dixeritis, qua de causa vos ad eos misi, ipsi vos baptizabunt et regni coelestis facient consortes et cohaeredes. Quod cum loqueretur, misit Nero duos milites, ut viderent, si adhuc esset occisus, et cum eos vellet convertere, illi dixerunt: cum mortuus fueris et resurrexeris, tunc credemus his, quae dicis; nunc autem cito veni et, quod meruisti, accipe. Cumque ad locum passionis duceretur, in porta Ostiensi cuidam matronae nomine Plantillae, discipulae Pauli, quae secundum Dionysium alio nomine dicebatur Lemobia, quia forte fuit binomia, obviam habuit, quae flens suis orationibus se recommendare coepit. Cui Paulus: vade, Plantilla, aeternae salutis filia, commoda mihi velum, quo caput tuum tegis, et inde oculos meos ligabo et postmodum tibi restituam illud. Quod dum sibi traderet, irridebant ei carnifices dicentes: quid impostori isti et mago tam pretiosum pannum tribuis, ut ipsum amittas? Cum ergo ad locum passionis Paulus venisset, ad orientem versus et manibus in coelum extensis diutissime cum lacrymis patria voce oravit et gratias egit. Post hoc valefaciens fratribus oculos sibi de velo Plantillae ligavit et utrumque genu in terra figens collum extendit et sic decollatus est. Mox ejus caput de corpore exsiliens: Jesus Christus, quod sibi in vita tam dulce exstiterat et tam crebro nominaverat, hebraice clara voce insonuit. Dicitur enim ipsum in suis epistolis Christum vel Jesum vel utrumque quingentis vicibus nominasse. De ejus autem vulnere unda lactis usque in vestimenta militis exsilivit et postea sanguis effluxit, in aëre lux immensa emicuit, de corpore odor suavissimus emanavit. Dionysius autem in epistola ad Timotheum de morte Pauli

sic dicit: in hora autem illa tristitiae plena, frater mi dilecte, dicente carnifice Paulo: collum para, tunc beatus apostolus suspexit in coelum, muniens frontem et pectus suum signo crucis et dixit: domine mi, Jesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum; et tunc absque tristitia et compulsione extendit collum suum et suscepit coronam, percutiente autem carnifice et amputante Pauli caput, tunc beatissimus in ipso ictu explicuit velum et collegit sanguinem proprium in velo et ligavit eum et obvolvit et tradidit illi feminae et reverso militi carnifici dixit Lemobia: ubi dimisisti magistrum meum Paulum? Respondit miles: cum socio jacet ibi extra urbem in valle pugilum et velo tuo velata est facies ejus. Ipsa autem respondens ait: ecce, intraverunt nunc Petrus et Paulus induti veste praeclara, et coronas fulgentes luce radiantes habebant in capitibus suis, et protulit velum sanguine cruentatum et monstravit iis: propter quod opus multi crediderunt domino et christiani facti sunt. Haec Dionysius. Audiens Nero, quod contigerat, vehementer extimuit et de his omnibus cum philosophis et amicis loqui coepit. Dum haec invicem loquerentur, venit Paulus januis clausis et ante Caesarem stans ait: Caesar, ecce Paulus regis aeterni et invicti miles, vel nunc crede, quia non sum mortuus, sed vivus, et tu miser aeterna morte morieris, eo quod sanctos Dei injuste interficis. Et his dictis disparuit. Nero autem ex nimio timore velut amens effectus, quid ageret, ignorabat et suasu et consilio amicorum Patroclum et Barnabam cum aliis solvit et, quo vellent, libere abire permisit. Illi vero milites, Longinus magister militum et Accestus ad sepulchrum Pauli mane venerunt et duos viros, scilicet Tytum et Lucam orantes et in eorum medio Paulum stantem viderunt, quos Tytus et Lucas videntes vehementer territi fugere coeperunt et Paulus disparuit. Illi autem post eos clamantes dicebant: non, ut putatis, vos persequimur, sed a vobis baptizari volumus, sicut Paulus nobis dixit, quem modo vobiscum orantem vidimus. Hoc illi audientes reversi sunt et cum magno gaudio eos baptizaverunt. Caput autem Pauli in quandam vallem projectum est et prae multitudine aliorum, qui interfecti fuerunt et illuc projecti, inveniri non potuit. Legitur autem in eadem epistola Dionysii, quod cum quadam vice fovea mundaretur, et caput illud Pauli cum aliis purgamentis projectum fuisset, quidam pastor illud in virga sua levavit et juxta caulas ovium fixit. Vidit autem per tres noctes continuas ipse cum domino suo super prae-

dictum caput lucem ineffabilem refulgere; quod cum episcopo et fidelibus nuntiatum fuisset, dixerunt: vere hoc est caput Pauli. Egressus igitur episcopus et universa fidelium multitudo caput illud secum detulerunt et in quadam mensa aurea illud deponentes id corpori conjungere volebant. Quibus patriarcha respondit: nos scimus, quod multi fideles occisi sunt et eorum capita sunt dispersa, unde dubito illud caput corpori Pauli conjungere, sed caput hoc ad pedes corporis ponamus et omnipotentem dominum exoremus, ut, si caput suum est, convertatur corpus et capiti conjungatur. Quod cum omnibus placuisset, caput ipsum ad pedes corporis Pauli posuerunt et ecce cunctis orantibus et stupentibus corpus se convertit et in loco suo capiti se junxit, et sic omnes Deum benedixerunt et hoc esse caput Pauli veraciter cognoverunt. Haec Dionysius. Refert Gregorius Turonensis, qui tempore Justini junioris claruit, quod quidam desperans laqueum sibi parabat, nomen tamen Pauli invocans semper dicebat: adjuva me, sancte Paule. Tunc adfuit quaedam umbra squalida hortans eum ac dicens: eya, bone vir, age quod agis, moram ne feceris. At ille semper parans laqueum dicebat: beatissime Paule, adjuva me. Expedito jam laqueo adfuit umbra alia, tamquam hominis, dicens illi, qui hominem hortabatur: fuge, miserrime, quia Paulus advocatus advenit. Tunc squalida umbra evanuit et homo ad se rediens et laqueum projiciens poenitentiam condignam accepit. Gregorius in registro: ex catenis beati Pauli multa miracula demonstrantur et dum multi parum quid ex limatura petunt, assistit sacerdos cum lima et aliquibus petentibus ita concite aliquid catenis ipsis excutit, ut nulla mora sit. Quibusdam vero petentibus diu per catenas ipsas lima ducitur et tamen, ut aliquid inde exeat, non obtinetur. In eadem quoque epistola, quae supra dicta est, beatus Dionysius mortem Pauli magistri sui piis verbis deplorat dicens: quis dabit oculis aquas et pupillis nostris fontem lacrymarum, ut ploremus die ac nocte lumen ecclesiarum, quod exstinctum est. Quis non induet fletum et gemitum? aut non vestietur lugubribus et mente attonitus non obstupescet? Ecce etenim Petrus fundamentum ecclesiarum, gloria sanctorum apostolorum a nobis recessit et nos orphanos dereliquit, Paulus quoque gentium familiaris et consolator pauperum defecit nobis et ulterius non invenitur, qui fuit pater patrum, doctor doctorum, pastor pastorum; abyssum sapientiae, fistulam altisonam, praedicatorem veritatis infatigabilem, Paulum dico no-

bilissimum apostolorum. Hic angelus terrestris et homo coelestis, imago et similitudo deitatis et spiritus deiformis omnes nos dereliquit, nos, inquam, inopes et indignos in hoc mundo contemtibili et maligno. Ingressus est ad Deum suum dominum et amicum: heu, frater mi Timotheus, dilecte animae meae, ubi est pater tuus, magister et amator? Unde te ulterius salutabit? Ecce enim orphanus factus es et remansisti solus, jam nequaquam scribet tibi sua sanctissima manu dicens tibi: fili carissime, veni frater mi Timotheus, quid hic accidit tristitiae et tenebrarum et damni, quia orphani facti sumus? Jam non veniunt ad te epistolae ejus, in quibus scriptum sit: Paulus modicus servus Jesu Christi; jam non scribet de te ulterius civitatibus dicens: suscipite filium meum dilectum. Complica, frater, libros prophetarum et signa super eos, quia neminem habemus interpretem parabolarum et paradigmatum et eloquiorum ipsorum. David propheta plangebat filium suum et dicebat: vaeh mihi fili mi, vaeh mihi. Ego autem: vaeh mihi magister mei, vere vaeh mihi. A modo defecit et cessavit concursus discipulorum tuorum Romam venientium et quaerentium nos. Jam nemo dicturus est: eamus et videamus doctores nostros et interrogemus eos, qualiter nos regere oporteat ecclesias nobis commissas et interpretabuntur nobis eloquia domini nostri Jesu Christi et eloquia prophetarum. Vere vaeh his filiis, frater mi, quia privati sunt patribus spiritualibus, quibus privatus est grex, et nobis etiam, frater, vaeh, qui privati sumus magistris nostris spiritualibus, qui collegerant intellectum et scientiam veteris ac novae legis et colligaverant in suis epistolis. Ubi est cursus Pauli et labor sanctorum pedum ejus, ubi est os loquens et lingua consulens et spiritus bene placens Deo suo? Quis non ploret et ululet? Nam qui meruerunt gloriam et honorem apud Deum, tamquam malefactores traduntur in mortem. Vaeh mihi, quoniam in illa hora intuitus sum corpus sanctum sanguine innocenti cruentatum. Heu mihi, pater mi magister et doctor, non quidem reus tali morte exstitisti. Nunc ergo, quo ibo te quaerere, gloria christianorum et laus fidelium, quis conticescere fecit vocem tuam; fistula ecclesiarum et fistula altisona, plectrum psalterii decachordi? Ecce introiisti ad dominum Deum tuum, quem desiderasti et toto affectu concupisti. Jerusalem et Roma prava amicitia aequales factae sunt in malo, Jerusalem crucifixit dominum nostrum Jesum Christum, Roma vero apostolos ejus interemit, Jerusalem autem servit, quem crucifixit, Roma autem sollemnisando

glorificat, quos interemit. Et nunc, frater mi Timotheus, quos dilexisti et toto corde desiderabas, Saul dico regem et Jonathan, in vita sua non sunt separati nec in morte, et ego non sum separatus a domino magistro meo, nisi cum separaverunt nos homines pessimi et iniqui, et separatio hujus horae non erit semper, anima ejus cognoscit dilectos, etiam sine hoc, quod ei loquantur, qui nunc ab eo elongati sunt, in die autem resurrectionis magna jactura esset separari ab iis. Haec Dionysius. Ideo Chrysostomus in libro de laudibus Pauli hunc gloriosum apostolum multipliciter commendat sic dicens: nihil prorsus erravit, qui pratum insigne virtutum ac paradisum spiritualem Pauli animam nuncupavit. Quae autem lingua laudibus ejus inveniatur aequalis, cum omnia, quae sunt in omnibus bona, anima sua una possideat et ea cuncta plene accumulet non solum hominum, sed etiam, quod est amplius, angelorum. Nec tamen idcirco reticebimus, quin potius pauca dicemus. Est enim hoc maximum laudis genus, cum orationis copiam virtus superat et magnitudo laudati, sicque vinci multo est nobis gloriosius quam saepe vicisse; unde igitur opportunius laudum ejus sumemus exordium, nisi ab hoc ipso? primum, ut ostendamus eum bona omnium possidentem. Abel obtulit sacrificium et inde laudatur, sed si Pauli hostiam adducamus in medium, quantum coelum a terra superior apparebit. Siquidem semet ipsum per dies singulos immolabat, quam tamen hostiam dupliciter offerebat, tum in corde tum in corpore mortificationem circumferens, non enim oves offerebat aut boves, sed se ipsum dupliciter immolabat, neque his contentus fuit, sed etiam orbem universum studuit offerre, quia terram ac mare, Graeciam atque barbariem omnemque sub sole regionem quasi volitans circumivit ex hominibus angelos faciens, quin immo ipsos homines quasi ex daemonibus in angelos pervehens. Quid huic hostiae reperietur aequale, quam Paulus gladio spiritus sancti immolavit et in illo altari, quod super coelum locatum est, obtulit? Sed Abel dolo germani percussus occubuit, Paulus vero ab iis interfectus est, quos ab innumeris malis cupiebat eruere. Vis autem ejus innumeras tibi ostendam mortes, tot utique quot etiam dies vixit? Noe se tantum in archa legitur servasse cum liberis, hic autem multo saeviore inundante diluvio non archam coaptando compaginibus tabularum, sed epistolas componendo pro tabulis universum orbem periclitantem ex mediis fluctibus liberavit. Haec autem archa non uno loco circumfertur, quae

orbis terminos comprehendit, nec bitumine ac pice, sed spiritu sancto ejus tabulae sunt perunctae. Haec suscipiens paene irrationabilibus animalibus stultiores imitatores fecit angelorum. Hinc quoque illam vicit archam, quia illa corvum recipiens corvum rursum emisit et includens lupum feritatem ejus mutare non potuit, hic vero accipitres milvosque suscipiens fecit columbas et excludens omnem feritatem mansuetudinem spiritus introduxit. Abraham mirantur omnes, quia ad Dei praeceptum patriam atque cognatos reliquit, sed quomodo Paulo possit aequari, quia non tantummodo patriam vel cognatos, sed ipsum quoque mundum reliquit, immo etiam coelum et coelum coeli et haec omnia Christum suscipiendo despexit, unum pro cunctis istud solum, id est Christi caritatem requirens, neque praesentia, inquit, neque futura neque altitudo etc. Sed et Abraham in periculum se tradens hostibus filium fratris eripuit, at Paulus, universum orbem ut de ipsa dyaboli extraheret manu, innumerabilia pericula sustinuit propriisque mortibus maximam securitatem aliis comparavit; filium quoque Abraham voluit immolare, Paulus vero semetipsum millies immolavit; in Ysaac patientiam aliqui admirantur, qui modo puteos a se factos obstrui patiebatur, at Paulus vero puteos cernens lapidibus obrutos scilicet proprium corpus non solum, sicut ille, cedebat, sed eos etiam, a quibus patiebatur, in coelum studebat evehere. Quanto enim amplius obruebatur iste fons, tanto magis erumpebat ac pluries a se effundendo fluvios manabat. De longanimitate atque patientia Jacob scriptura miratur et quaenam illa est tam adamantina anima, quae Pauli patientiam possit imitari? neque enim septem annorum, sed totius vitae servitium pro sponsa pertulit Christi. Non adustus solum aestu diei et noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus scissus atque collisus et inter certamina ubique prosiliens captas oves ex dyaboli faucibus abstrahebat. Sed et Joseph pudicitiae virtute decoratus est, et ego vereor, ne jam ridiculum sit hinc etiam Paulum laudare, qui semetipsum crucifigens non solum humanorum corporum pulchritudines, sed omnia etiam, quae videntur rebus clara ac decora, cernebat, quemadmodum nos favillam cineremque conspicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. Stupent Job omnes homines, est enim athleta mirabilis, at Paulus non mensibus tantum, sed annis pluribus in agone perdurans tam clarus emicuit non testae gleba saniem carnis radens, sed in ipsius intelligibile os leonis frequenter incurrens et pugnans adversus tentatio-

nes innumeras omni erat lapide tolerantior. Qui non a tribus et quatuor amicis, sed a cunctis infidelibus, a fratribus etiam opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus atque maledictus: et illius erat magna hospitalitas et cura pauperum, sed quam ille curam impendebat carne debilibus, hanc iste animis morbidis exhibebat, illius omni advenienti aperiebantur domus, hujus vero anima universo patebat orbi, et ille quidem cum oves et boves haberet innumeros, erat in pauperes liberalis, hic vero nihil amplius corpore suo possidens de hoc sufficienter indigentibus ministrabat, quod alicubi commemorans, necessitatibus, inquit, meis et his, qui mecum erant, ministraverunt manus istae. Sed etiam vermes atque vulnera saevos sancto Jobi inferebant dolores, sed si Pauli verbera, famem catenasque seu pericula consideres, quae a domesticis, ab extraneis, a caetero patiebatur orbe, sollicitudinem, quam ipse pro ecclesiis, ustionem, quam pro scandalizatis singulis perferebat, videbis, quod omni erat saxo durior anima illa et ferrum atque adamantem firmitate superabat. Quae enim ille corpore, haec mente Paulus sustinuit, quem omni moerore molestior de singulis quibuscunque labentibus moestitia consumebat, unde et juges ex eo fontes lacrymarum non diebus solum, sed etiam noctibus effluebant, omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat: filioli mei, quos iterum parturio. Moyses pro Judaeorum salute deleri elegit de libro, Moyses itaque se cum caeteris obtulit perire, Paulus pro caeteris; non enim cum pereuntibus perire voluit, sed ut alii salvarentur, ipse de gloriae aeternitate decidere. Et quidem ille Pharaoni, hic dyabolo quotidie repugnabat, ille pro una gente, iste pro universo orbe certavit, non sudore, sed sanguine. Johannes in cibum locustas et mel silvestre sumebat, sed Paulus ita in medio mundi strepitu, quemadmodum ille in eremo quiete versatus est, non quidem pastus locustis aut melle silvestri. Multo autem victu viliore his contentus est ac necessario quidem ibi indulgens cibo, ferventi studio praedicandi. Verum illius adversus Herodiadem apparuit magna constantia, et ille non unum aut duos aut tres, sed innumeros et simili positos potestate corripuit, immo longe illis saeviores tyrannos. Restat, ut Paulum angelis comparemus, in quibus magnificum praedicamus, quia cum omni cura Deo obedivit. Quod David admirando dicebat: potentes virtute facientes verbum ejus etc. Quid vero aliud propheta in angelis miratur? qui facit, inquit, angelos

suos spiritus et ministros suos ignem urentem. Sed hoc in Paulo possumus invenire, qui velut ignis ac spiritus totum terrarum [1]) purgavit orbem, sed nondum coelum iste sortitus est, et hoc est omnino mirabile, quia talis versabatur in terris etiam mortali adhuc carne circumdatus. Quanta ergo nos condemnatione digni sumus, cum uno homine bona in se omnia congregante nec minimam quidem partem eorum studemus imitari. Non enim aliam est ille sortitus naturam nec dissimilem nactus animam nec alterum habitans mundum, sed in eadem terra eademque regione, sub iisdem etiam legibus nutritus et moribus cunctos, qui nunc homines sunt vel fuerunt, animi virtute transscendit. Nec vero in illo hoc solum mirabile est, quod prae abundantia devotionis quodammodo non sensit dolores pro virtute susceptos, sed quod virtutem ipsam pro mercede pensavit. Nam nos quidem [2]) propter eam proposita mercede certamus, quam ille complectens etiam sine praemio diligebat, cuncta illa, quae asperitate sui videntur impedire virtutem, cum omni mansuetudine perpetiens quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior et intentatis sibi periculis nova semper claritate pugnabat. Qui cum sibi mortem jam imminentem videret, ad communionem delectationemque gaudii alios provocabat dicens: gaudete et congratulamini mihi. Itaque ad confusiones et injurias, quas ob praedicandi studium sustinebat, magis quam ad honorum oblectamenta properabat, mortis potius quam vitae desiderium appetens, paupertatis, quam opulentiae, et multo amplius labores, quam alii requiem post laborem, ac moerorem magis eligens, quam alii voluptatem, studiosius pro inimicis et fructuosius orans, quam alii adversus inimicos. Unum illi formidandum erat atque metuendum, offensa nimirum Dei, nec desiderabile aliud erat, nisi placere domino semper. Non autem dico, quod nihil praesentium desiderabat, sed nec futurorum. Non enim mihi dicas mercedem et gentes[3]), exercitus, pecunias, provincias, potestates: haec enim nec quasi aranearum fila reputavit, sed ea, quae promittuntur in coelis, et tunc ejus ardentem in Christo amorem videbis. Hic siquidem pro ejus amore non angelorum, non archangelorum dignitatem, nec quidquam horum simile concupivit, quod enim erat majus omnibus, Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem cunctis se putabat, sine hoc autem neque dominantium neque principatuum socius esse

---

1) Alii percutit et percurrendo purgavit legunt. 2) Ed. Pr. propteriane. 3) Alii merces ingentes legunt.

cupiebat, sed cum hac dilectione magis esse vel extremus, immo etiam ex numero punitorum, quam sine hoc inter summos honores et sublimes. Hoc enim erat illi maximum ac singulare tormentum ab hac caritate discedere, hoc illi erat gehenna, hoc sola poena, hoc infinita et intoleranda supplicia, sed perfrui caritate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc regnum, hoc promissio, haec bona videbantur innumera. Sic despiciebat universa, quae timemus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ac populos spirantes furore velut quosdam esse culices aestimabat, mortem vero atque cruciatus et mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo pro Christo aliquid sustineret, decorabatur enim vinctus catena magis quam dyademate coronatus, etenim coartatus carcere habitabat in coelo ac libentius verbera recipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiant, et dolores non minus quam praemia diligebat. Cum ipsos utique dolores duceret loco praemiorum, propterea ipsos etiam gratiam nominabat, quoniam, quae nobis sunt causa tristitiae, haec illi maximam pariebant voluptatem. Moerore quoque maximo urebatur, propter quod et dicebat: quis scandalizatur et ego non uror? Etiamsi in moerore dicat quis inesse aliquam voluptatem, multi enim, qui filiorum mortibus vulnerantur, aliquid consolationis accipiunt, cum suis fletibus relinquuntur magisque dolent, cum dolere prohibentur. Sic et Paulus nocte ac die consolationem accipiebat ex lacrymis, nullus quippe tanto affectu mala propria, quanto ille deflebat aliena. Quemadmodum enim illum opinaris afflictum, cum perditionem defleret peccatorum, qui, ut illi salvi fierent, a coelorum gloria cupiebat excludi, nam non salvari illos multo acerbius aestimabat, quam semet ipsum perire. Hunc ergo cuinam rerum poterit quis comparare, cui ferro, cui adamanti? Quidnam aliquis illam appellet animam auream vel magis adamantinam, nam et omni erat adamante fortior, auro gemmisque pretiosior et alteram quidem materiam firmitate, alteram superabat pretiositate. Cui igitur rei hujus ab aliquo anima comparetur? Earum quidem, quae sunt omnino, nulli. Quodsi velut auro adamantis fortitudo, vel adamanti honor daretur auri, tunc forte aliquo modo comparatio ejus Pauli posset animae convenire. Sed quid ego adamantem et aurum ad similitudinem adduco Pauli, mundum si ex diverso appendas omnem, et tunc videbis aperte Pauli ingens pondus examinis: mundo igitur et omnibus, quae in mundo sunt, Paulum dicimus digniorem. Si igitur

mundus eo dignior non est, sed forte vel coelum? sed istud quoque invenitur inferius. Si enim non solum coelum, sed etiam, quae habentur in coelis, Dei postposuit caritati, quomodo non magis dominus, qui tanto est benignior Paulo, quanto malitiam bonitas antecellit, innumeris coelis eum judicat digniorem? Non enim nos tantum diligit Deus, quantum a nobis ipse diligitur, sed tanto effusius, quanto nec sermo sufficit explicare. In paradisum quoque hunc Deus rapuit et in coelum tertium sublevavit, nec immerito, siquidem Paulus in terra gradiens sic se gerebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam visibili adhuc corpori colligatus illorum perfectione gaudebat, tantis fragilitatibus corporis subditus in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam et tamquam pennatus totum docendo pervolavit orbem et velut in corpore labores periculaque contemsit et quasi jam coelum possidens cuncta prorsus terrena despexit et tamquam cum ipsis jam incorporeis virtutibus degens jugi mentis intentione vigilavit. Et angelis quidem saepe diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi populum gubernavit, ut Paulus universum orbem. Sicut autem aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cujus quanto magis conviciis ictibusque pulsatur, tanto ejus potius miseretur et deflet, ita Paulus istis, a quibus affligebatur, majora adhibebat fomenta pietatis. Namque saepe pro illis, qui eum quinquies verberaverant et ejus sanguinem sitiebant, lacrymabatur et vehementer dolebat et pro iis orabat: fratres, inquit, voluntas quidem cordis mei etc. Et vehementer quoque mordebatur ac penitus dissecabatur, cum eos pereuntes videret. Ut enim missum in ignem ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus caritate suspensus effectus est totus caritas. Qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore vel actione hominum et ipsos eorum imitabatur parentes, immo cunctos non carnales, verum etiam spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat. Omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, quasi enim universum mundum ipse genuisset, et sic omnes in Dei regno festinabat inducere, corpus et animam pro his, quos diligebat, impendens. Homo iste ignobilis et circumferarius, qui artem exercebat in pellibus, tanta virtute progressus est, ut vix XXX annorum spatio et Romanos et Persas et Parthos et Medos, Indos et Scythas, Aethiopes et Saramatas atque Saracenos et omne prorsus hominum genus sub jugo mitteret veritatis, et sicut in

stipulas aut foenum ignis immissus, sic omnia daemonum opera consumsit. Paulo enim insonante lingua et omni igne vehementius irruente cedebant omnia atque fugiebant et daemonum cultus et tyrannorum minae et domesticorum insidiae. Magis autem sicut radiis solis orientibus et tenebrae fugantur et adulteri ac fures foveis conduntur et latrones recedunt, homicidae ad antra fugiunt omniaque lucida efficiuntur et clara desuper illustrantibus radiis, sic ubique evangelium disseminante Paulo fugabatur error et veritas remeabat, adulteria et alia dictu foeda defecerunt atque consumta sunt isto ignis vapore palearum vice pereuntes. Clara vero inter haec veritatis fama ceu flamma surgebat resplendens et usque ad coeli sublimitatem conscendens ab his potissimum sublevata, quae eam opprimere videbantur, nec pericula aut impetus processum ejus impedire potuerunt. Erroris vero talis est conditio, quae nullo sibi obsistente consenescit ac defluit vel desinit. Talis autem e diverso veritatis status, quod multis impugnantibus suscitatur et crescit. Quoniam igitur ita genus nostrum nobilitavit Deus, ut ei similes studeamus inveniri neque impossibile istud putemus, quoniam tale illi, quale nobis corpus fuit, talis anima, tales cibi, idem illum teque formavit et quemadmodum illius, ita est Deus tuus. Vis Dei dona in Paulo cognoscere, vestimenta ejus terror daemonibus erant. Haec vero amplius admiranda, quia Paulus, nec cum in pericula irrueret, temeritatis argui poterat nec, cum pericula surgerent, timiditatis. Amabat enim praesentem vitam ob lucrum docendi et rursus eam valde despiciebat ob philosophiam, ad quam illum mundi contemtus evexerat. Denique cum videris Paulum pericula fugientem, non minus illum admireris, quam cum se periculis gaudet opponere. Ut enim hoc fortitudinis, ita illud est sapientiae: et cum videris illum de se ipso aliqua sonantem, similiter admireris ac si videris illum semetipsum despicere. Ut enim illud humilitatis est, ita istud magnanimitatis. Magis enim merebatur loquendo de se quam tacendo laudare, quoniam nisi fecisset istud, culpabilior illis esset, qui se ipsos importune laudare didicerunt. Nisi enim gloriatus fuisset, creditos sibi omnes perdidisset, quia, dum se humiliasset, eos extulisset. Amplius tunc Paulus placuit gloriando, quam alter laudes proprias occultando. Nec tantum quisquam profuit, cum sua merita celaret, quantum iste, cum proderet. Est autem grande malum de se ipso grande aliquid dicere atque mirabile extremaeque dementiae est, nulla imminente necessitate rerum violenta prorsus

laudibus velle decorari. Non hoc secundum Deum loqui indicium est, sed potius insaniae est. Hoc enim omnem mercedem evacuat laboribus sudoribusque quaesitam: etenim altius de se efferre sermonem gloriosi est et insolentis seseque jactantis, dicere autem illa, quae praesenti causae tantummodo necessaria sunt, fructum amantis et multorum remedia cogitantis, sicut et fecit Paulus, qui dum a pseudo caperetur, in laudes suas ire compulsus est, maxime quae dignitatem suam ostenderent, plura autem et majora celavit. Veniam, inquit, ad visiones et revelationem de parco etc. Tanta Paulus tamque crebra cum Deo habens eloquia, quanta nec prophetarum nec apostolorum ullus habuit, per ea ipse humilior reddebatur. Visus est plagas metuere, ut disceres, quia secundum naturam unus erat ex pluribus, per voluntatem non solum super multos homines, verum etiam unus ex angelis erat neque vero metuere plagas reprehensione dignum, sed plagarum metu aliquid indignum pietate committere. Hoc ipso enim, quo plagas timet, qui in certamine non vincitur, admirabilior ostenditur, quam ille, qui non timet. Sicut nec moerere culpabile est, sed per moerorem dicere aut facere aliquid eorum, quae Deo displicent. Hinc qualis fuerit Paulus, ostenditur, quia in tali natura vivens potuit quodammodo supra naturam, quod si mortem timuit, nec ipsam quidem recusabat. Non enim naturam habere infirmitatibus subditam, sed servire infirmitatibus criminosum est, ut merito ille admirabilis habeatur, qui imbecillitatem naturae voluntatis virtute superavit, quam si Johannem, qui dicebatur Marcus, a consortio separavit. Hoc itaque rectissime per praedicationis officium effecit, cum siquidem, qui istud suscepit officium, non oportet esse mollem aut resolutum, sed fortem et per cuncta robustum. Neque enim aliquis debet attingere praeclari hujus muneris functionem, nisi paratus sit animam millies tradere in mortem atque discrimina. Qui enim non tali animo est, multos alios suo perdet exemplo, magisque utile est, si quiescat sibique tantum vacet. Non ita gubernatorem, non ad bestias dimicantem, non ludo gladiatorio destinatum, non quempiam omnino sic ad discrimina atque mortes paratam atque dispositam animam oportet habere, ut eum, qui officium suscepit praedicandi. Nam et pericula profecto majora et adversarii saeviores nec usquam prorsus simili conditione certatur. Coelum namque in praemio, in supplicio gehenna proponitur. Si vero aliqua inter eos commotio facta est, noli hoc delictum putare: non enim commoveri malum est, sed

irrationabiliter nulloque justo flagitante negotio commoveri malum est. Hunc enim affectum providus nobis creator inseruit, ut dormientes animas atque resolutas ab inertia atque desidia suscitaret. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostrae irae acumen imposuit, ut, cum oportet, utamur. Benignitas autem semper bona est, sed cum illam tempus efflagitat, quando vero id non adest, etiam illa vitiosa est. Ita et Paulus saepe hoc usus est affectu et immodeste loquentibus melior erat iratus. Hoc autem in eo erat mirabile, quia cum vinculis, verberibus atque vulneribus longe splendidior erat dyademate purpuraque fulgentibus cumque vinctus per tam vastum pelagus ducebatur, ita gaudebat, tamquam in maximum imperium duceretur. Postquam vero Romam ingressus est, nec ibi stare contentus est, sed in Hispaniam percurrit nec unum quidem diem in otio passus est et quiete transire, sed in praedicandi ardore ipso igne ardentior nec pericula timuit nec irrisiones erubuit. Hoc vero majori admiratione dignum est, quam cum tam audax esset ac velut ad pugnam semper accinctus et ignem quendam belli aspirans rursus placabilem atque flexibilem se praebebat. Nam saevienti vel potius ferventi praeceperunt, ut iret Tarsum, non recusavit, dixerunt per murum eum oportere deponi et passus est. Hujus rei gratia ista faciebat, ut praedicationi diutius insisteret et cum multis hinc credentibus iret ad Christum. Metuebat profecto, ne forte pauper hinc atque inops salutis multorum abscederet. Ceterum cumque hi, qui sub uno pugnant magistro, viderint in eo infixa [1]) vulnera, fluentem sanguinem et nec sic ipsum hostibus aliquando cedentem, sed stantem fortiter hastamque vibrantem et crebris ictibus adversarios corruere facientem nec omnino dolori parcentem, majori absque dubio tanto duci alacritate subduntur. Hoc ita factum est in Paulo. Videntes enim illum ligatum catenis nihilominus in carcere praedicantem, videntes etiam vulneratum et tamen verberantes ipsos sermone capientem, majorem profecto fiduciam colligebant. Id quod significans ait, ita ut plures e fratribus confidentes in vinculis meis abundanter auderent, sine timore verbum Dei loqui. Tunc certiorem alacritatem ipse capiebat et vehementius in adversarios ferebatur. Sicut enim ignis in diversas plerumque materias incidens augetur magis et incrementa sortitur, sic etiam lingua Pauli quibuscunque fuisset admota, ad se eos continuo transferebat. [2]) Impugnatores

---

1) Alii in eo fixa legunt. 2) Ed. Pr. legit: Impugnatores quoque in ejus pabulum spirituale efficiebatur.

quoque ejus pabulum spirituale efficiebantur igni, quia per ipsos evangelii flamma magis crescebat. Haec Chrysostomus.

CAP. XCI. (86.)

De septem fratribus, [1]qui fuerunt filii beatae Felicitatis.

Septem fratres fuerunt filii beatae Felicitatis, quorum nomina sunt Januarius, Felix, Philippus, Silvanus, Alexander, Vitalis et Martialis. Hos omnes cum matre jussu imperatoris Antonii Publius praefectus ad se vocari fecit suasitque matri, ut sui et filiorum suorum misereri deberet. Quae ait: neque blanditiis tuis potero allici, nec terroribus frangi; secura enim sum de spiritu sancto, quem habeo, quia te superabo viva et melius vincam occisa. Et conversa ad filios ait: videte, filii, in coelum et sursum adspicite, carissimi, quia ibidem Christus nos exspectat, fortiter pro Christo pugnate et fideles vos in Christi amore exhibete. Quod praefectus audiens eam alapis caedi jussit. Cum ergo mater et filii in fide constantissimi apparerent, omnes matre vidente et confortante diversis sunt suppliciis peremti. Hanc beatam Felicitatem vocat Gregorius plus quam martirem, quia septies passa est in septem filiis et octavo in corpore suo. Gregorius in homiliis: beata Felicitas, quae credendo exstitit ancilla Christi, praedicando etiam facta est martir Christi, septem quoque filios sic post se relinquere timuit vivos in carne, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos praemittant; parturivit spiritu, quos carne pepererat, ut praedicando pareret Deo, quos carne pepererat mundo; filios suos, quos carnem suam esse noverat, sine dolore non poterat morientes videre, sed erat vis amoris interior, quae dolorem vinceret carnis. Recte ergo hanc feminam ultra martirem dixerim, quae totiens in filiis est et tam desideranter exstincta. Dum enim multiplex martirium obtinuit, ipsa quoque martirii palmam vicit, quia et amore Christi sola mors sua ei minime suffecit. Passi sunt circa annos domini [2]) CX.

---

1) Verba qui — Felicitatis omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. male legit MIX.

CAP. XCII. (87.)
De sancta Theodora.

Theodora nobilis mulier et sponsa apud Alexandriam tempore Zenonis imperatoris virum habebat divitem et timentem Deum, dyabolus autem Theodorae invidens sanctitati virum quendam divitem in illius concupiscentiam incitavit, qui eam crebris nuntiis et muneribus molestabat, ut assensum sibi praeberet. Sed illa nuntios respuebat et munera contemnebat. In tantum autem eam molestabat, quod ipsam quietem habere non permitteret et paene deficere videretur, tandem quandam magam ad eam misit, quae eam, ut viri illius misereretur sibique consentiret, plurimum hortabatur. Quae cum diceret, se coram oculis Dei cuncta cernentis tam grande peccatum nunquam committere, malefica adjunxit: quidquid in die fit, hoc utique Deus scit et videt, quidquid autem advesperascente et occidente sole committitur, Deus minime intuetur. Dixitque puella maleficae: numquid veritatem dicis? Et illa: etiam dico veritatem. Decepta puella verbis maleficae dixit, ut advesperascente die virum ad se venire faceret, et voluntatem suam adimpleret. Quod cum viro retulisset, ille vehementer exsultans hora, qua condixerat, ad eam venit secumque concubuit et abscessit, Theodora autem ad se ipsam rediens amarissime flebat et faciem suam percutiebat dicens: heu, heu me, perdidi animam meam, destruxi aspectum decoris mei. Vir autem ejus domum rediens et uxorem suam sic desolatam et moerentem videns causam tamen nesciens eam consolari nitebatur, sed illa nullam consolationem percipere volebat, mane autem facto quoddam monasterium monialium adiit et abbatissam interrogavit, an Deus quoddam grave delictum, quod die advesperascente commiserat, scire posset. Cui illa: nihil Deo abscondi potest et Deus scit et videt omne, quod fit, quacumque hora illud committatur. Quae flens amare dixit: da mihi librum sancti evangelii, ut sortiar memet ipsam. Aperiens reperit: quod scripsi, scripsi. Rediens ergo domum, dum quadam die vir suus abesset, comam suam praecidit, vestimenta viri assumens ad quoddam monasterium monachorum, quod per octo milliaria distabat, festinabat et, ut ibidem cum monachis reciperetur, petiit et, quod petiit, impetravit. Interrogata de nomine dixit, se Theodo-

rum nuncupari; illa vero officia omnia humiliter faciebat et ejus servitium omnibus gratum fuit. Post aliquot ergo annos abbas fratrem Theodorum vocavit et, ut boves jungeret et oleum de civitate afferret, praecepit. Vir autem ejus plurimum flebat timens, ne cum viro altero recessisset. Et ecce angelus domini sibi dixit: surge mane et sta in via martirii Petri apostoli et quae tibi obviaverit, ipsa tua uxor erit. Quo facto Theodora cum camelis venit et virum suum videns et recognoscens intra se dixit: heu me, vir bone meus, quantum laboro, ut eripiar a peccato, quod feci in te. Cum autem appropinquasset, salutavit eum dicens: gaudeat dominus meus. Ille autem eam penitus non cognovit, sed cum diutissime exspectaret et se deceptum clamaret, facta est vox ad eum dicens: ille, qui te heri mane salutavit, uxor tua erat. Tantae autem sanctitatis fuit beata Theodora, ut multa miracula faceret, nam et hominem a bestia laceratum eripuit et suis precibus suscitavit, ipsam quoque bestiam insecuta maledixit, quae subito mortua corruit. Dyabolus autem suam sanctitatem ferre non volens eidem apparuit dicens: meretrix prae omnibus et adultera reliquisti virum tuum, ut huc venires et me contemneres: per virtutes meas tremendas in te suscitabo proelium et, si non te fecero crucifixum negare, non dicas, quia ego sum. Ipsa autem signum crucis sibi edidit et protinus daemon evanuit. Quadam autem vice dum de civitate cum camelis rediret et in quodam loco hospitata fuisset, puella quadam nocte ad eam venit dicens: dormi mecum. Quae cum respueret, ivit ad alterum, qui in eodem loco jacebat; cum autem ejus venter intumuisset et, de quo concepisset, interrogata fuisset, ait: monachus ille Theodorus dormivit mecum. Natum igitur puerum ad abbatem monasterii transmiserunt, qui cum Theodorum increparet, et ille sibi indulgeri peteret, scapulis suis puerum imposuit et de monasterio projecit. Illa autem abjecta per septem annos extra monasterium mansit et de lacte pecorum infantem nutrivit. Dyabolus autem tantae ejus patientiae invidens in speciem viri sui se transfiguravit eique dixit: quid hic agis, domina mea? ecce langueo pro te nec aliquam consolationem recipio. Veni ergo, lux mea, quia, si cum viro aliquo jacuisti, hoc tibi indulgeo. At illa credens virum suum esse, dixit ad illum: nunquam amplius tecum manebo, quia filius Johannis militis jacuit mecum et volo agere poenitentiam de eo, quod in te peccavi. Et cum orasset, statim evanuit et daemonem fuisse cognovit. Altera iterum vice dyabolus vo-

lens eam terrere, in similitudinem ferarum terribilium daemones ad eam venerunt et vir quidam instigans eas dicebat: comedite meretricem hanc. Ista autem oravit et evanuerunt. Altera vice multitudo militum veniebat, quam princeps praecedebat, et eum caeteri adorabant, dixeruntque milites Theodorae: surge et adora principem nostrum. Quae respondit: dominum Deum adoro. Quod cum principi nuntiatum fuisset, jussit eam adduci et tot tormentis affici, ut mortua putaretur, et postmodum omnis turba evanuit. Alia iterum vice vidit ibidem aurum multum, quae signans se illud refugit et Deo se recommendavit. Altera etiam vice vidit quendam canistrum plenum omni genere ciborum ferentem et dicentem sibi: dicit princeps, qui te cecidit, tolle, comede, quia nesciens fecit hoc. Illa autem se signavit et protinus evanuit. Completis autem septem annis abbas patientiam ejus considerans eam reconciliavit et cum puero suo in monasterium introduxit. Ubi cum duos postmodum annos laudabiliter peregisset, puerum accepit et secum illum in cella sua clausit: quod cum abbati revelatum fuisset, misit quosdam monachos, qui diligentius auscultarent, quidnam cum eo loqueretur. Illa autem puerum amplexans et deosculans dixit: fili mi dulcissime, tempus vitae meae venit, relinquo te Deo, ipsum patrem et adjutorem habeas, fili dulcissime, jejuniis et orationibus insistas et fratribus tuis devote servias. Hoc dicens spiritum tradidit et in domino feliciter obdormivit circa annos domini CCCCLXX: quod puer cernens plurimum flere coepit. In ipsa autem nocte visio abbati monasterii monstrata est in hunc modum. Nuptiae maximae parabantur et veniebant ordines angelorum et prophetarum et martirum et omnium sanctorum et ecce in medio eorum mulier sola, gloria ineffabili circumdata, et venit usque ad nuptias et sedit super lectum et omnes adstantes advocabant eam. Et ecce vox dicens: hic est abbas Theodorus, qui falso de puero accusatus est, VII tempora super ea mutata sunt; castigata est enim, quia cubile viri sui coinquinavit. Excitatus autem abbas concitus cum fratribus ad cellam ejus ivit et eam jam defunctam invenit et intrantes et discooperientes ipsam esse feminam invenerunt misitque abbas pro patre puellae, quae eam infamaverat, et dixit illi: vir filiae tuae mortuus est; et auferens vestimentum mulierem esse cognovit. Factus est igitur timor magnus super omnes, qui hoc audierunt, angelus autem domini abbati locutus est: surge velociter, equum adscende et vade in civitatem et, si quis obviaverit, assume et

tecum adduc. Qui dum pergeret, quidam vir currens sibi obviavit. Quem cum abbas interrogaret, quo pergeret, ille ait: mulier mea mortua est et vado videre eam. Et assumsit abbas virum Theodorae in equum et venientes plurimum fleverunt et ipsam cum multis laudibus sepelierunt. Vir autem ejus cellam uxoris suae Theodorae accepit et ibidem permanens tandem in domino obdormivit, puer autem Theodorae nutricem sequens omni morum honestate pollebat, ita quod mortuo abbate monasterii in abbatem ipse unanimiter est electus.

CAP. XCIII. (88.)

De sancta Margareta.

Margareta dicitur a quadam pretiosa gemma, quae margarita vocatur: quae gemma est candida, parva et virtuosa. Sic beata Margareta fuit candida per virginitatem, parva per humilitatem, virtuosa per miraculorum operationem, Virtus autem hujus lapidis dicitur esse contra sanguinis effusionem, contra cordis passionem et ad spiritus confortationem. Sic beata Margareta habuit virtutem contra effusionem sui sanguinis per constantiam, quia in suo martirio constantissima exstitit, contra cordis passionem, id est, daemonis tentationem per victoriam, quia ipsa dyabolum superavit, ad spiritus confortationem per doctrinam, quia per suam doctrinam multorum animos confortavit et ad Christi fidem convertit. Cujus legendam Theotimus [1]) vir eruditus scripsit.

Margareta de civitate Antiochiae filia fuit Theodosii gentilium patriarchae: haec nutrici traditur et ad adultam aetatem veniens baptizatur et propter hoc exosa patri plurimum habebatur. Quadam igitur die, dum jam annum XV. attigisset et cum aliis virginibus oves nutricis custodiret, praefectus Olybrius inde transitum faciens et puellam tam speciosam considerans mox in ejus amore exarsit et pueros ad se concitus misit dicens: ite et eam comprehendite, ut, si libera est, eam mihi in uxorem accipiam, si ancilla est, eam mihi in concubinam habeam. Cum ergo ejus adspectui

1) Ita legendum loco vulgar. Theotinus, nisi fortasse Theotinchus praeferendum est, cujus viri nomen inter legendarum auctores occurrit (cf. Fabr. Bibl. Gr. XII. p. 755).

fuisset praesentata, eam de genere suo ac nomine et religione requisivit. Illa autem respondit, se genere nobilem, nomine Margaretam ac religione christianam. Cui praefectus: duo prima tibi recte conveniunt, quia nobilis haberis et pulcherrima margarita comprobaris, sed tertium tibi non convenit, ut puella tam pulchra et nobilis Deum habeat crucifixum. Cui illa: unde scis, Christum fuisse crucifixum? Et ille: ex libris christianorum. Cui Margareta: cum igitur legatur poena Christi et gloria, quae verecundia est vestra, ut unum credatis et alterum denegetis? Cum autem Margareta eum sponte crucifixum fuisse pro redemtione nostra assereret, sed nunc eum in aeternum vivere affirmaret, iratus praefectus eam in carcerem mitti jussit, sequenti autem die eam ad se vocari fecit eique dixit: vana puella, miserere pulchritudinis tuae et Deos nostros adora, ut tibi bene sit. Cui illa: illum adoro, quem terra contremiscit, mare formidat et omnes creaturae timent. Cui praefectus: nisi mihi consentias, corpus tuum faciam laniari. Cui Margareta: Christus in mortem semetipsum pro me tradidit et ideo pro Christo mori desidero. Tunc praefectus jussit eam in equuleum suspendi et tam crudeliter primo virgis, deinde pectinibus ferreis usque ad nudationem ossium laniari, quod sanguis de ejus corpore tamquam de fonte purissimo emanavit. Flebant autem, qui ibi aderant, et dicebant: o Margareta, vere de te dolemus, quia corpus tuum tam crudeliter laniari conspicimus; o qualem amisisti pulchritudinem propter tuam incredulitatem, tamen nunc vel saltem crede, ut vivas. Quibus illa: o mali consiliarii, recedite et abite, haec carnis cruciatio est animae salvatio, dixitque ad praefectum: impudens canis et insatiabilis leo, in carnem potestatem habes, sed animam Christus reservat. Praefectus autem faciem chlamyde operiebat nec tantam sanguinis effusionem videre poterat. Deinde eam deponi fecit et in carcerem recludi jussit et mira ibi claritas fulsit. Ubi dum esset, oravit dominum, ut inimicum, qui secum pugnat, sibi visibiliter demonstraret, et ecce draco immanissimus ibidem apparuit, qui dum eam devoraturus impeteret, signum crucis edidit et ille evanuit, vel, ut alibi legitur, os super caput ejus ponens et linguam super calcaneum porrigens eam protinus deglutivit, sed dum eam absorbere vellet, signo crucis se munivit et ideo draco virtute crucis crepuit et virgo illaesa exivit. Istud autem, quod dicitur de draconis devoratione et ipsius crepatione, apocryphum et frivolum reputatur. Dyabolus iterum, ut eam decipere posset, in

speciem hominis se mutavit, quem videns in orationem se dedit et dum surrexisset, dyabolus ad eam accessit et manum tenens dixit: sufficiant tibi, quae fecisti, ideo nunc cessa de mea persona. Illa autem eum per caput apprehendit et sub se ad terram dejecit et super cervicem ejus dexterum pedem posuit et dixit: sternere, superbe [1]) daemon, sub pedibus feminae. Daemon autem clamabat: o beata Margareta, superatus sum; si juvenis me vinceret, non curassem, ecce a tenera puella superatus sum et inde plus doleo, quia pater tuus et mater tua amici mei fuerunt. Illa vero eum coegit, ut diceret, cur venisset. Qui se venisse ait, ut sibi consuleret, quod monitis praesidis obediret. Coegit quoque, ut diceret, cur christianos tam multipliciter tentaret. Qui respondit, naturale odium sibi esse contra viros virtuosos, et quamvis saepe ab iis repellatur, sed tamen desiderio seducendi ipse infestus exsistit et, quia invidet homini de felicitate, quam ipse amisit, quamvis eam recuperare non possit, ipsam tamen aliis auferre contendit. Additque, quod Salomon infinitam daemonum multitudinem in quodam vase inclusit, post mortem suam cum de illo vase daemones ignem mitterent et homines ibidem magnum esse thesaurum putarent, vas confregerunt et daemones exeuntes aërem impleverunt. His dictis virgo pedem sublevavit et dixit: fuge, miser; et daemon statim evanuit. Secura igitur efficitur, quia, quae principem vicerat, ministrum procul dubio superaret. Sequenti igitur die convenientibus populis judici praesentatur et sacrificare contemnens exuitur corpusque facibus ardentibus comburitur, ita ut cuncti mirarentur, quomodo tam tenera puella tot posset tormenta sustinere. Deinde in vase pleno aqua ipsam ligari atque poni fecit, ut ex poenarum commutatione cresceret vis doloris, sed subito terra concutitur et cunctis videntibus virgo illaesa egreditur. Tunc V millia virorum crediderunt et pro nomine Christi capitalem sententiam acceperunt, praefectus autem timens, ne alii converterentur, concitus beatam Margaretam decollari praecepit, illa autem impetrato orandi spatio pro se et suis persecutoribus nec non et pro ejus memoriam agentibus et se invocantibus devote oravit, addens, ut, quaecumque in partu periclitans se invocaret, illaesam prolem emitteret, factaque est de coelo vox, quod in suis se noverit petitionibus exauditam, surgensque ab oratione dixit spiculatori: frater, tolle gladium tuum

1) Alii non male „demum" loco vocis „daemon" legunt.

et percute me. Qui percutiens caput ejus uno ictu abstulit et sic martirii coronam suscepit. Passa est autem XIV. cal. Augusti, ut in ejus hystoria invenitur. Alibi legitur, quod III. ydus Julii. De hac sancta virgine sic dicit quidam sanctus: beata Margareta fuit timoris Dei plena, justitia praedita, religione cooperta, compunctione perfusa, honestate laudabilis, patientia singularis, nihilque in ea contrarium religioni christianae inveniebatur, odiosa patri suo, dilecta domino Jesu Christo.

CAP. XCIV. (89.)

De sancto Alexio.

[1]) Alexius dicitur ab a, quod est valde, et lexis, quod est sermo: inde Alexius quasi valde in verbo Dei robustus.

Alexius fuit filius Euphemiani, viri nobilissimi Romanorum et in aula imperatoris primi, cui tria millia puerorum assistebant, qui zonis aureis cingebantur et vestimentis sericis induebantur. Erat autem praefectus Euphemianus valde misericors et singulis diebus in domo sua tres mensae pauperibus, orphanis, viduis et peregrinis parabantur, quibus strenue serviebat et hora nona ipse cum viris religiosiosis cibum in timore domini capiebat. Cui uxor nomine Aglaes ejusdem religionis ac propositi erat. Cum autem filium non haberent, ad preces tamen suas dominus contulit iis filium, [2]) post quem ipsi deinceps in castitate vivere firmaverunt. Traditus autem puer liberalibus disciplinis, cum omnibus philosophiae artibus ipse floreret et jam ad puberem aetatem pervenisset, puella sibi de domo imperiali eligitur et sibi in conjugem copulatur. Venit nox, in qua cum sponsa sua suscepit secreta silentia: tunc sanctus juvenis coepit sponsam suam in Dei timore instruere et ipsam ad virginitatis provocare pudorem; deinde annulum suum aureum et caput balthei, quo cingebatur, sibi servanda tradidit dicens: suscipe hoc et serva, donec Deo placuerit, et dominus sit inter nos. Post hoc de substantia sua accipiens ad mare discessit adscendensque occulte navem Laodiceam usque devenit indeque pergens in Edessam civitatem Syriae profectus est, ubi imago domini nostri Jesu Christi sine humano opere facta in sindone habebatur. Quo perveniens

1) Verba Alexius — robustus omittit Ed. Pr. 2) Alii: postquam.

omnia, quae secum detulerat, pauperibus distribuit et vestimenta vilia induens cum caeteris pauperibus, in atrio Dei genitricis Mariae sedere coepit. De elemosinis vero quantum sibi sufficere poterat, sibi retinebat, caetera vero aliis pauperibus erogabat. At vero pater de recessu filii plurimum ingemiscens per universas mundi partes pueros suos misit, qui eum inquirerent diligenter. Quorum cum aliqui ad civitatem Edessam venissent, ab eo cogniti, sed ipsi eum minime cognoscentes eidem cum caeteris pauperibus elemosinas tribuerunt, quas accipiens Deo gratias agens dixit: gratias tibi ago, domine, quia a servis meis elemosinam recipere me fecisti. Reversi autem pueri renuntiant patri, quod nusquam valeat reperiri, mater autem sua a die sui recessus saccum in pavimento cubiculi sui stravit, ubi evigilans lamentabiles voces dabat dicens: hic semper in luctu manebo, donec filium meum recuperavero. Sponsa vero ad socrum dixit: donec audiam de sponso meo dulcissimo, instar turturis solitaria tecum manebo. Cum igitur Alexius in praedicto atrio XVII. anno maneret in Dei servitio, imago tandem beatae virginis, quae ibidem erat, custodi ecclesiae dixit: fac introire hominem Dei, quia dignus est regno coelorum et spiritus Dei requiescit super eum, nam oratio ejus sicut incensum in conspectum Dei adscendit. Cum autem custos, de quonam [1])diceret, ignoraret, iterum ei dixit: ille, qui foris sedet in atrio, ipse est. Tunc custos festinus exiit et ipsum in ecclesiam introduxit. Quod factum dum cunctis innotesceret et ab omnibus venerari coepisset, humanam gloriam fugiens inde recessit et Laodiceam venit ibique navem adscendens cum in Tharsum Ciliciae vellet pergere, dispensante Deo navis a ventis pulsa in Romanum portum devenit. Quod cernens Alexius ait intra se: in domo patris mei ignotus manebo nec alteri onerosus ero. Patrem igitur a palatio redeuntem multitudine obsequentium circumdatum obvium habuit ac post eum clamare coepit: serve Dei, me peregrinum in domo tua suscipi jubeas et de micis mensae tuae me nutriri facias, ut tui quoque peregrini dignetur dominus misereri. Quod audiens pater ob amorem filii sui eum suscipi jussit et locum proprium in domo sua constituit et cibum de mensa sua tribuit et ministrum proprium delegavit, ipse autem in orationibus perseverabat et corpus suum jejuniis et vigiliis macerabat, famuli autem domus ipsum

---

1) Verba diceret, ignoraret omittit Ed. Pr.

multipliciter deridebant et aquam utensilium super caput ejus frequenter fundebant, [1]) et multas injurias ei irrogabant, sed ipse ad omnia patiens valde erat. Septendecim igitur annos in domo patris permansit sic ignotus: videns igitur per spiritum, quod appropinquaret terminus vitae suae, chartam cum atramento petiit et totum ordinem vitae suae ibidem conscripsit. Dominica igitur die post missarum sollemnia in sanctuario vox de coelo insonuit dicens: venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quod audientes omnes territi in facies suas deciderunt et ecce vox secundo dicens: quaerite hominem Dei, ut oret pro Roma. Quaerentibus illis et minime invenientibus iterum dictum est: in domo Euphemiani quaerite. Requisitus ille se nihil scire de hoc dicebat. Tunc imperatores Arcadius et Honorius una cum pontifice Innocentio ad domum praedicti viri venerunt et ecce minister Alexii ad dominum suum venit dicens: vide domine, ni ille peregrinus noster sit, quia magnae [2]) vitae et patientiae homo est. Currens igitur Euphemianus eum defunctum reperit et vultum ejus tamquam angeli rutilantem vidit voluitque chartam, quam in manu habebat, accipere, sed nequivit. Exeunte igitur eo cum hoc imperatoribus et pontificibus retulisset et illi ad eum intrassent, dixerunt: quamvis peccatores sumus, regni tamen gubernacula gerimus et hic curam universalem regiminis pastoralis: da igitur nobis chartam, ut sciamus, quae in ea scripta sunt. Et accedens pontifex chartam de manu sua accepit et ille eam statim sibi dimisit fecitque eam legi coram omni populo et multitudine et patre ipsius. At Euphemianus hoc audiens nimio dolore conturbatus obstupuit et factus exanimis resolutusque viribus in terram decidit. Cum vero aliquantulum ad se rediisset, vestimenta sua scidit coepitque canos capitis sui evellere, barbam trahere atque semet ipsum discerpere ac super filii sui corpus exclamabat: heu me, fili mi, quare me sic contristasti et per tot annos mihi dolores et gemitus incussisti? Heu me miserum, quia te video baculum senectutis meae in grabato jacentem et non loquentem mihi, heu me, qualem consolationem de caetero habere potero? Mater vero ejus hoc audiens, quasi leaena rumpens rete, scissis vestimentis ruens coma dissoluta ad coelum oculos levabat, et cum prae nimia multitudine sanctum corpus adire non posset, clamavit dicens: date mihi, viri, aditum,

---

1) Verba et — irrogabant omittit Ed. Pr. 2) Alii: magnae vere pat.

ut videam filium meum, ut videam consolationem animae meae et qui suxit ubera mea. Et cum pervenisset ad corpus, incumbens super illud clamabat: heu me, fili mi, lumen oculorum meorum, quare sic fecisti et tam crudeliter nobiscum egisti? Videbas patrem tuum et me miseram lacrymantes et non ostendebas te ipsum nobis: servi tui injuriabantur tibi et sustinebas! Et iterum atque iterum prosternebat se supra corpus et nunc brachia super illud expandebat, nunc manibus angelicum vultum contrectabat osculansque clamabat: plorate mecum omnes, qui adestis, quia per XVII annos eum in domo mea habui et non cognovi, quia unicus filius meus esset, servi etiam eum conviciabantur et alapis percutiebant. Heu me, quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte dolorem animae meae? Sponsa vero ejus induta veste Adriatica cucurrit plorans et dicens: heu me, quia hodie desolata sum et apparui vidua, jam non habeo, in quem conspiciam nec in quem oculos levem, nunc ruptum est speculum meum et periit spes mea: amodo coepit dolor, qui finem non habet. Populus autem audiens hoc lacrymabiliter flebat. Tunc pontifex cum imperatoribus posuerunt corpus in honorato feretro et duxerunt in mediam civitatem et nuntiatum est populo inventum esse hominem Dei, quem civitas tota quaerebat, et omnes obviam currebant sancto. Si quis autem infirmus illud corpus sanctissimum tangebat, protinus curabatur, caeci visum recipiebant, daemoniaci curabantur. Imperatores autem tanta mirabilia videntes coeperunt per se cum pontifice lectum portare, ut et ipsi sanctificarentur ab eodem corpore sancto. Tunc imperatores jusserunt copiam auri et argenti in plateis spargi, ut turbae occuparentur amore pecuniarum et sinerent corpus sancti perducere ad ecclesiam. Sed plebs amore pecuniarum [1]) seposito magis ac magis ad tactum sacratissimi corporis irruebat et sic cum magno labore ad templum sancti Bonifacii martiris illud tandem perduxerunt et illic per septem dies in Dei laudibus persistentes operati sunt monumentum ex auro et gemmis et lapidibus pretiosis, in quo sanctum corpus cum magna veneratione collocaverunt. De ipso quoque monumento ita suavissimus odor fragravit, ut omnibus videretur aromatibus esse plenum. Obiit autem XVI. cal. Augusti circa annos domini CCCXCVIII.

1) Alii male supposito.

CAP. XCV. (91.[1])
De sancta Praxede.

Praxedis virgo fuit beatae Potentianae soror, quae fuerunt sorores sancti Donati et Timothei, qui ab apostolis in fide eruditi sunt. Qui cum persecutione saeviente multorum christianorum corpora sepeliissent et facultates suas pauperibus erogassent, tandem in pace quieverunt circa annos domini CLXV sub Marco et Antonio secundo.

CAP. XCVI. (90.)
De sancta Maria Magdalena.

Maria interpretatur amarum mare, vel illuminatrix aut illuminata. Per haec tria intelliguntur tres partes, optime quas elegit, scilicet pars poenitentiae, pars contemplationis internae et pars coelestis gloriae. De qua triplici parte intelligitur, quod dicit dominus: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Prima autem pars non auferetur ratione finis, quae est consecutio beatitudinis, secunda ratione continuitatis, quia contemplatio viae continuatur cum contemplatione patriae, tertia ratione suae aeternitatis. In quantum igitur elegit optimam partem poenitentiae, dicitur amarum mare, quia ibi multam amaritudinem habuit, quod patet, quia tot lacrymas fudit, quod inde pedes domini lavit. In quantum elegit optimam partem contemplationis internae, dicitur illuminatrix, quia ibi hausit avide, quod postmodum effudit abunde: ibi lumen accepit, quo postmodum caeteros illustravit. In quantum elegit optimam partem coelestis gloriae, dicitur illuminata, quia nunc illuminata est lumine perfectae cognitionis in mente et illuminabitur lumine claritatis in corpore. Magdalena dicitur, quasi manens rea, vel Magdalena interpretatur munita vel invicta vel magnifica, per quae insinuatur, qualis fuit ante conversionem, qualis in conversione et qualis post conversionem. Nam ante conversionem fuit manens rea per obligationem ad poenam aeternam; in conver-

1) In edit. recent. hoc caput sequitur cap. 90. de sancta Maria Magdalena.

sione vel munita vel invicta per poenitentiae armaturam, optime enim omnibus armis poenitentiae se munivit, quia quot in se habuit oblectamenta, tot de se reperit holocausta; post conversionem magnifica per gratiae superabundantiam, quia ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.

1. Maria Magdalena a Magdalo castro cognominata clarissimis est orta natalibus, utpote ex regia stirpe descendentibus: cujus pater Syrus, mater vero Eucharia nuncupata est. Haec cum fratre suo Lazaro et sorore sua Martha Magdalum castrum, quod est secundo milliario a Genezareth, Bethaniam, quae est juxta Jerusalem, et magnam Hierosolymorum partem possidebat. Qui tamen omnia inter se taliter diviserunt, quod Maria Magdalum, a quo et Magdalena nuncupata est, Lazarus partem urbis Jerusalem et Martha Bethaniam possideret. Cum autem Magdalena deliciis corporis se totam exponeret et Lazarus plus militiae vacaret, Martha prudens partes sororis et fratris sui strenue gubernabat et militibus et famulis suis ac pauperibus necessaria ministrabat. Omnia tamen haec post adscensionem domini vendiderunt et ad pedes apostolorum pretium posuerunt. Cum igitur Magdalena divitiis abundaret, quia rerum affluentiam voluptas comes sequitur, quanto divitiis et pulchritudine splenduit, tanto corpus suum voluptati substravit, unde jam proprio nomine perdito peccatrix consueverat appellari. Sed cum Christus illic et alibi praedicaret, illa nutu inspirata divino ad domum Simonis leprosi, ubi audivit eum discumbere, properavit et non audens, ut peccatrix, inter justos comparere retro secus pedes domini mansit, ubi pedes ejus lacrymis lavit, capillis tersit et unguento pretioso perunxit, nam incolae regionis illius propter vehementissimum solis calorem unguentis et balneis utebantur. Cumque Symon pharisaeus intra se cogitaret, quoniam, si hic esset propheta, a peccatrice tangi se nequaquam permitteret, dominus illum de superba justitia redarguit et mulieri omnia peccata dimisit. Haec est igitur illa Maria Magdalena, cui dominus tam magna beneficia contulit et tanta signa dilectionis ostendit. Nam ab ea septem daemonia expulit, in suo amore eam totaliter accendit, familiarissimam eam sibi constituit, hospitam suam fecit et procuratricem suam eam in itinere habere voluit et eam semper dulciter excusavit. Nam excusavit eam apud Pharisaeum, qui dicebat ipsam immundam, et apud sororem suam, quae dicebat ipsam otiosam et apud Judam, qui dicebat eam prodigam, lacry-

mantem videns lacrymas continere non potuit. Cujus dilectione quatriduanum fratrem suum resuscitavit, cujus amore Martham sororem suam a fluxu sanguinis, quem septem annis perpessa fuerat, liberavit, cujus meritis Martillam sororis suae famulam, ut illud tam beatum et tam dulce verbum exclamans diceret: beatus venter, qui te portavit, dignam fecit. Nam secundum Ambrosium illa fuit Martha et haec ejus famula. Haec est, inquam, illa, quae domini pedes lacrymis lavit, capillis tersit et unguento perunxit, quae in tempore gratiae sollemnem poenitentiam primo fecit, quae optimam partem elegit, quae ad pedes sedens domini verbum audivit et domini caput perunxit, quae juxta crucem in domini passione fuit, quae unguenta parans corpus ejus ungere voluit, quae a monumento discipulis recedentibus non recessit, cui Christus resurgens primo apparuit et apostolorum apostolam fecit. Post adscensionem igitur domini, scilicet anno XIV. a passione cum Judaei Stephanum jamdiu occidissent et caeteros discipulos a Judaeae finibus ejecissent, diversarum gentium discipuli subeunt regiones, verbum domini ibidem seminantes. Erat autem tunc temporis cum apostolis beatus Maximinus unus de LXXII domini discipulis, cui a beato Petro Maria Magdalena fuerat commendata. In hac igitur dispersione beatus Maximinus, Maria Magdalena, Lazarus frater ejus, Martha soror ipsius et Martilla pedissequa Marthae nec non et beatus Cedonius, qui caecus a nativitate exstiterat, sed a domino fuerat liberatus, omnes hi insimul et plures alii christiani navi ab infidelibus impositi et pelago sine aliquo gubernatore expositi, ut omnes scilicet simul submergerentur, divino tandem nutu Massiliam advenerunt. Ubi cum nullos, qui eos hospitio recipere vellent, invenissent, sub quadam porticu, quae fano gentis illius terrae praeerat, morabantur. Cum autem beata Maria Magdalena videret populum ad fanum confluere, ut ydolis immolaret, assurgens vultu placido, facie serena, lingua discreta eos ab ydolorum cultura revocabat et Christum constantissime praedicabat, et admirati sunt universi prae specie, prae facundia, prae dulcedine eloquentiae ejus. Nec mirum, si os, quod tam pia et tam pulchra pedibus salvatoris infixerat oscula, caeteris amplius verbi Dei spiraret odorem. — 2. Post hoc autem advenit princeps provinciae illius cum uxore sua, ut pro habenda prole ydolis immolaret. Cui Magdalena Christum praedicans sacrificia dissuasit. Interea evolutis aliquot dierum curriculis apparuit in visu Magdalena illi matronae dicens:

quare, cum tot divitiis abundetis, sanctos Dei fame et frigore mori permittitis? Addidit et minas, nisi marito suo persuaderet, ut sanctorum inopiam revelaret, iram Dei omnipotentis incurreret. Ipsa autem viro suo visionem indicare timuit. Sequenti igitur nocte eidem similia dicens apparuit, sed adhuc viro suo hoc indicare neglexit. Tertio vero sub intempestae noctis silentio apparuit utrique fremens et irata vultu igneo, ac si tota domus arderet, et ait: dormisne tyranne, membrum patris tuae Satanae, cum vipera conjuge tua, quae tibi indicare noluit verba mea? quiescisne crucis Christi inimice, diversis ciborum generibus ventris tui refecta ingluvie, et sanctos Dei fame et siti permittis perire? Jacesne in palatio pannis involutus sericis et illos desolatos sine hospitio vides et praeteris? Non sic, inique, non sic evades; nec impune feres, quod tantum iis benefacere distulisti. Sic locuta est et abscessit. Cumque matrona evigilans suspiraret et tremeret, viro suo eadem de causa suspiranti ait: domine mi, vidistine somnium, quod vidi? Vidi, inquit, et admirari et pavere non desino; quid inde faciemus? Cui mulier: utilius est, ei obtemperare, quam iram Dei sui, quem praedicat, incurrere. Quapropter ipsos hospitio receperunt et iis necessaria ministraverunt. Cum autem quadam die Maria Magdalena praedicaret, praedictus princeps dixit ei: putas posse defendere fidem, quam praedicas? Cui illa: equidem illam defendere praesto sum, utpote quotidianis miraculis et praedicatione magistri mei Petri, qui Romae praesidet, roboratam. Cui princeps cum conjuge dixit: ecce dictis tuis per omnia obtemperare parati sumus, si a Deo, quem praedicas, nobis filium impetrabis. Propter hoc, inquit Magdalena, non remanebit. Tunc beata Maria pro ipsos dominum exoravit, ut sibi filium concedere dignaretur. Cujus preces dominus exaudivit et matrona illa concepit. Tunc vir ejus coepit velle proficisci ad Petrum, ut probaret, si, ut Magdalena de Christo praedicaverat, sic veritas se haberet. Cui uxor dixit: quid est, domine, putasne sine me proficisci? Absit; te enim recedente recedam, te veniente veniam, te quiescente quiescam. Cui vir ait: non sic fiet, domina, etenim cum sis gravida et in mari sint infinita pericula, de facili periclitari posses, domi igitur quiesces et possessionibus nostris curam impendes. Econtra illa instabat, femineum nec mutans femina morem, et cum lacrymis pedibus ejus obvoluta, quod petebat, tandem obtinuit. Maria ergo humeris eorum signum crucis imposuit, ne eos antiquus hostis in

aliquo itinere impediret; navem igitur omnibus necessariis copiose onerantes caetera, quae habebant, in Mariae Magdalenae custodia relinquentes proficisci coeperunt jamque unius diei et noctis cursu consummato coepit nimium mare intumescere, ventus flare, ita ut omnes et maxime matrona gravida et debilis tam saeva inundatione fluctuum quassati gravissimis angustiis urgerentur, in tantum, quod in eam subito dolor partus irruit et inter angustias ventris et pressuras temporis filium parturiens exspiravit. Natus igitur puerulus palpitabat et mammillarum maternarum quaerens solatia lamentabiles dabat vagitus. Proh dolor! et natus est infans vivus et matricida effectus, mori eum convenit, cum non sit, qui vitae tribuat alimentum. Quid faciet Peregrinus, et cum uxorem mortuam videat et puerum vagientem querulis vocibus matris mammam appetentem? Lamentabatur plurimum et dicebat: heu miser, quid facies? filium habere desiderasti, et matrem cum filio perdidisti. Nautae acclamabant dicentes: projiciatur in mare hoc corpus, antequam insimul pereamus, quamdiu enim nobiscum fuerit, haec quassatio non cessabit. Et cum corpus apprehendissent, ut illud in mare jactarent: parcite, inquit Peregrinus, parcite, et si nec mihi nec matri parcere volueritis, misereamini saltem parvuli vagientis, sinite modicum et sustinete, si forte mulier prae dolore in exstasi posita adhuc valeat respirare. Et ecce non procul a mari quidam collis apparuit, quo viso utilius esse credidit corpus et puerulum illuc deferri, quam marinis belluis ad devorandum dari et [1]) vix a nautis prece et pretio extorsit, ut illic applicarent, cumque illic prae duritia foveam non potuisset effodere, in secretiori parte collis chlamyde supposita corpus collocavit et puerulum mammis ejus apponens cum lacrymis ait: o Maria Magdalena, ad perditionis meae cumulum [2]) Massiliae partibus applicuisti: cur infelix admonitione tua hoc iter arripui? petistine Deum, ut mulier mea hac de causa conciperet et periret? Ecce enim concepit et pariendo mortem subiit, conceptusque est natus, ut pereat, cum non sit, qui enutriat. Ecce, quod prece tua obtinui, tibi enim omnia mea commendavi Deoque tuo commendo; si potens es, memor sis animae matris, et prece tua misereatur, ne pereat natus. Tunc chlamyde sua corpus cum puero circumquaque operuit et postmodum navem conscendit. Cumque ad Petrum venisset, Petrus

1) Ed. Pr. legit: juxta nautis. Male. 2) Ed. Pr. legit: Massiliae applicuisti, Alii addunt ante meae verba et miseriae.

ei obvius fuit, qui viso signo crucis in humero suo, qui esset et unde veniret, sciscitatus est. Qui omnia sibi per ordinem narravit, cui Petrus: pax tibi fiat, bene venisti et utili consilio credidisti nec moleste feras, si mulier tua dormit, si parvulus cum ea quiescit, potens enim est dominus, cui vult, dona dare, data auferre, ablata restituere, et moerorem tuum in gaudium commutare. Petrus autem ipsum in Hierosolymam duxit et omnia loca, in quibus Christus praedicavit et miracula fecit, locum etiam, in quo passus est et in quo coelos adscendit, eidem ostendit, cumque de fide fuisset instructus diligenter a Petro, biennii spatio jam elapso navem adscendit repatriare curans. Cum igitur navigarent, domino disponente juxta collem, in quo corpus uxoris cum puero positum fuerat, pervenerunt, qui prece et pretio eos ibi ad applicandum induxit. Puerulus autem ibidem a Maria Magdalena incolumis conservatus frequenter ad littus maris procedebat et ibidem, ut puerorum moris est, cum lapillis et glareis ludere solitus erat et, cum applicuisset, vidit puerulum more solito in littore maris cum lapillis ludentem, et quid esset, admirari non desinens, de scapha exsiliit. Quem videns parvulus, cum nunquam tale quid vidisset, expavit et ad solita matris recurrens ubera occulte sub chlamyde latitabat. Peregrinus vero, ut manifestius videret, illuc accessit et puerulum pulcherrimum matris ubera sugentem invenit et accipiens puerum ait: o beata Maria Magdalena, quam felix essem, quam mihi cuncta prospera advenissent, si mulier respiraret et mecum repatriare valeret. Scio equidem, scio et procul dubio credo, quod tu, qui puerum dedisti et in hac rupe per biennium pavisti, poteris matrem suam prece tua pristinae restituere sanitati. Ad haec verba mulier respiravit et quasi a somno evigilans ait: magni meriti es, beata Maria Magdalena, et gloriosa, quae in partus mei pressuris obstetricis implevisti officium et in omnibus necessitatibus ancillae servitium explesti. Quo audito Peregrinus admirans ait: vivisne uxor mea dilecta? Cui illa: vivo equidem et nunc primo de peregrinatione, de qua et tu venisti, venio, et sicut beatus Petrus te Hierosolymam duxit et omnia loca, in quibus Christus passus est, mortuus et sepultus, et alia plura loca ostendit, sic et ego una cum beata Maria Magdalena duce et comite vobiscum fui et conspecta memoriae commendavi. Et incipiens loca omnia, in quibus Christus passus est, et miracula, quae viderat, adeo plene explicuit, ut nec in aliquo deviaret. Tunc Peregrinus recepta con-

juge et puero navim laetus conscendit et paulo post Massiliae portibus applicuerunt et ingressi invenerunt beatam Mariam Magdalenam cum suis discipulis praedicantem, et ejus pedibus cum lacrymis provoluti omnia, quae iis acciderant, narraverunt et a beato Maximino sacrum baptisma susceperunt. Tunc in civitate Massiliae omnium ydolorum templa destruentes Christi ecclesias construxerunt et beatum Lazarum in ejusdem civitatis episcopum unanimiter elegerunt. Tandem divino nutu ad Aquensem civitatem venerunt et populum illum ad fidem Christi per multa miracula adduxerunt, ubi etiam beatus Maximinus in episcopum est ordinatus. Interea beata Maria Magdalena supernae contemplationis avida asperrimum eremum petiit et in loco angelicis manibus praeparato per XXX annos incognita mansit. In quo quidem loco nec aquarum fluenta nec arborum nec herbarum erant solatia, ut ex hoc manifestaretur, quod redemtor noster ipsam non terrenis refectionibus, sed tantum coelestibus epulis disposuerat satiare. Qualibet autem die septem horis canonicis ab angelis in aethera elevabatur et coelestium agminum gloriosos concentus etiam corporalibus auribus audiebat, unde diebus singulis his suavissimis dapibus satiata et inde per eosdem angelos ad locum proprium revocata corporalibus alimentis nullatenus indigebat. Sacerdos autem quidam solitariam vitam agere desiderans ad duodecim stadia loco eidem vicinam sibi cellam locavit. Die igitur quadam dominus praedicti sacerdotis oculos aperuit et corporeis oculis evidenter adspexit, qualiter angeli ad praedictum locum, in quo beata Maria morabatur, discedebant et eam in aethera sublevabant et post horae spatium ad eundem locum cum divinis laudibus revocabant. Volens autem sacerdos tam admirabilis visionis veritatem agnoscere creatori suo precibus se commendans ad praedictum locum audaci devotione properabat, cumque ad unius jactum lapidis appropinquaret, coeperunt ejus crura resolvi et timore valido ipsius praecordia medullitus anhelare, cumque retro rediret, ambulandi usum crura cum pedibus simul praebebant, sed si verso tramite ad praedictum locum accedere conaretur, totiens eum languor corporis et hebetudo mentis modis omnibus prohibebant. Intellexit igitur vir Dei illud procul dubio coeleste esse sacramentum, ad quod accedere humanum non poterat experimentum. Invocato igitur salvatoris nomine exclamavit: adjuro te per dominum, ut, si homo es vel aliqua rationalis creatura, quae in illa spelunca habitas, mihi respondeas et tui edisseras ve-

ritatem. Cumque hoc tertio repetiisset, beata Maria Magdalena ei respondit: accede propius et omnium, quae desiderat anima tua, scire poteris veritatem. Cumque ille tremens usque ad medii spatii terminum appropinquasset, ait ad eum: meministi ex evangelio de Maria illa famosa peccatrice, quae pedes salvatoris lacrymis lavit, capillis tersit et suorum delictorum veniam promeruit? Cui sacerdos: memini et plus quam triginta annorum evolata sunt curricula, quod hoc factum etiam sancta credit et confitetur ecclesia. Ego, inquit, sum illa, quae per triginta annorum spatium omnibus hominibus ignota permansi et sicut tibi heri cernere permissum est, sic singulis diebus angelicis manibus in aethera sublevata coelestium agminum dulcissimam jubilationem septenis vicibus per singulos dies corporeis auribus audire promerui. Quia igitur mihi a domino revelatum est, quod ex hoc migratura sum saeculo, beatum Maximinum adeas et ei hoc studeas intimare, proximo die resurrectionis dominicae tempore, quo ad matutinum surgere consuevit, oratorium solus ingrediatur et me illic per angelorum ministerium inveniet consistentem. Sacerdos autem vocem ejus velut vocem angeli audiebat, neminem autem videbat. Concitus igitur beatum Maximinum adiit et ei omnia per ordinem enarravit, sanctus autem Maximinus nimio repletus gaudio salvatori gratias immensas retulit et illa die ac hora, ut sibi jussum fuerat, oratorium solus ingressus videt beatam Mariam Magdalenam, in choro adhuc stantem eorum, qui eam adduxerant, angelorum. Erat autem spatio duorum cubitorum elevata a terra, stans in medio angelorum et extensis manibus Deum exorans. Cum autem beatus Maximinus ad eam accedere trepidaret, conversa dixit ad eum: accede huc propius nec fugias filiam tuam, pater. Appropinquante autem eo, sicut in ipsius beati Maximini legitur libris, ita vultus dominae ex continua et diuturna visione angelorum radiabat, ut facilius solis radios quam faciem suam intueri quis posset. Convocato igitur universo clero et sacerdote praedicto corpus et sanguinem domini ab episcopo beata Maria Magdalena cum multa lacrymarum inundatione suscepit, deinde toto corpore ante altaris [1]) prostrato crepidinem sanctissima illa anima migravit ad dominum. Post cujus exitum tantus odor suavitatis ibidem remansit, ut per septem dies fere ab ingredientibus oratorium senti-

1) Ed. Pr. male prostrata crepidine legit.

retur. Cujus sanctissimum corpus beatus Maximinus diversis conditum aromatibus honorifice sepelivit et post mortem suam juxta se sepeliri praecepit. Hegesippus autem vel secundum quosdam libros Josephus satis cum praedicta historia concordat, ait enim in quodam suo tractatu, quod Maria Magdalena post domini adscensionem pro ardore caritatis Christi et taedio, quod habebat, nunquam hominem videre volebat, sed postquam ad Aquense territorium venit, in desertum abiit et triginta ibi annis incognita mansit, ubi, ut ait, qualibet die septem horis canonicis ab angelo in coela elevabatur. Addidit tamen, quod sacerdos, dum ad eam venisset, reperit eam in cella clausam: qui ad ejus petitionem vestem sibi porrexit, quam induens in ecclesiam secum ivit et ibi communione percepta elevatis in oratione manibus juxta altare in pace quievit. — 3. Temporibus autem Caroli Magni, scilicet anno domini DCCLXIX Gyrardus, dux Burgundiae, cum de uxore sua filium habere non posset, larga manu res suas pauperibus erogabat et multas ecclesias et monasteria construebat. Cum ergo Vizeliacense monasterium construxisset, misit ipse et abbas ipsius monasterii monachum quendam cum decenti comitatu ad Aquensem civitatem, ut inde, si posset, beatae Mariae Magdalenae reliquias transportaret. Veniens igitur praedictus monachus ad praedictam civitatem, cum ipsam funditus a paganis destructam reperisset, casu quodam invenit sepulchrum, cujus sculptura marmorea demonstrabat, quod corpus beatae Mariae Magdalenae repositum intus erat: in ipso autem sepulchro hystoria ejus miro opere sculpta erat. Nocte igitur illud effringens assumtas reliquias ad hospitium deportavit. In ipsa autem nocte beata Maria Magdalena eidem monacho apparuit dicens, ne timeret, sed coeptum opus perficeret. Rediens igitur cum ad mediam leucam a monasterio venisset, nullo modo inde reliquias movere potuerunt, donec veniente abbate cum monachis processione honorifice sunt receptae. — 4. Miles quidam, qui singulis annis ad corpus beatae Mariae Magdalenae venire consueverat, in proelio occisus est: qui dum in feretro a parentibus ploraretur, Magdalenae piis querelis opponebant, cur devotum suum mori sine confessione et poenitentia permisisset. Tunc subito, qui defunctus erat, stupentibus cunctis surrexit et sacerdotem ad se venire praecepit, cumque devote confessus fuisset et viaticum recepisset, protinus in pace quievit. — 5. Navis quaedam viris et feminis onerata naufragium pertulit, una autem femina, cum esset praegnans

et se in mari periclitari adspiceret, Magdalena, in quantum poterat, acclamabat vovens, quod, si suis meritis a naufragio evaderet et filium pareret, ipsum ejus monasterio condonaret, statimque femina quaedam specie et habitu veneranda ei apparuit, quae eam per mentum accipiens periclitantibus aliis incolumem ad ripam perduxit: illa autem postmodum filium peperit et votum suum fideliter adimplevit. — **6.** Ajunt quidam Mariam Magdalenam sponsam fuisse Johannis evangelistae, quam duxerat tunc, quando de nuptiis Christus eum vocavit: ex hoc ipsa indignata, quod scilicet sponsum sibi abstulerat, abiit et omni voluptati se dedit. Sed quia congruum non erat, ut Johannis vocatio damnationis sibi occasio fieret, dominus ad poenitentiam ipsam misericorditer convertit, et quia a summa delectatione carnali eam removit, ideo ipsam summa delectatione spirituali, quae est in Dei amore, prae caeteris implevit. Quod et de Johanne quidam fatentur, quod ideo dulcitudine suae familiaritatis eum prae caeteris decoravit, quia a praedicta delectatione eum removit. Haec autem falsa et frivola reputantur, quia frater Albertus in prooemio super evangelium Johannis ponit, quod haec sponsa, de cujus nuptiis vocatus fuit idem Johannes, in virginitate permansit et in societate beatae Mariae virginis matris Christi postmodum visa fuit et tandem fine bono quievit. — **7.** Vir quidam oculorum lumine privatus cum ad monasterium Vizeliacense causa visitandi corpus beatae Mariae Magdalenae veniret et suus ei ductor diceret, se ecclesiam jam videre, ille magna voce exclamavit: o sancta Maria Magdalena, utinam aliquando videre merear ecclesiam tuam, statimque oculi ejus sunt aperti. — **8.** Quidam dum peccata sua in quadam schedula scripsisset, eam sub palla altaris beatae Mariae Magdalenae posuit, rogans eam, ut sibi indulgentiam impetraret. Qui postmodum schedulam accipiens peccata sua de ipsa schedula omnino deleta invenit. — **9.** Quidam dum ob pecuniae exactionem compedibus teneretur, Mariam Magdalenam in sui adjutorium invocabat, et ecce quadam nocte mulier quaedam speciosa sibi apparuit, quae vincula frangens et ostium reserans sibi, ut fugeret, imperavit. Qui se absolutum videns protinus inde aufugit. — **10.** Clericus quidam de Flandria, Stephanus nomine, in tantam scelerum immanitatem ceciderat, quod omnia exercens flagitia ea, quae salutis erant, non solum non facere, sed nec audire volebat. In beatam tamen Mariam Magdalenam devotionem magnam habens ejus vigilias jejunabat et festum

colebat. Dum igitur ejus tumulum visitasset, Maria Magdalena nec ex toto dormienti nec ex toto vigilanti tamquam mulier formosa lugubres gerens oculos et duorum angelorum dextra laevaque sustentata praesidio apparuít eique dixit: cur quaeso, Stephane, indigna meis meritis facta rependis, cur labiorum meorum instantia nulla compunctione moveris? Ex quo enim devotionem in me habere coepisti, pro te dominum semper instanter exoravi: surge igitur et poeniteas, neque enim ego te deseram, donec Deo fueris reconciliatus. Ille igitur mox in se infundi tantam gratiam sensit, quod saeculo abrenuntians religionem introivit et perfectissimae vitae fuit. In cujus morte visa est Maria Magdalena juxta feretrum cum angelis adstitisse et ejus animam quasi columbam candidam cum laudibus in coelum sustulisse.

CAP. XCVII. (92.)
De sancto Apollinari.

Apollinaris dicitur a pollens et ares, quod est virtus, quasi pollens virtutibus. Vel dicitur a pollo, quod interpretatur mirabilis, et naris, per quam intelligitur discretio, quasi mirabilis discretionis vir. Vel ab a. quod est sine, et polluo et ares, virtus, quasi virtuosus sine pollutione vitiorum.

Apollinaris Petri apostoli discipulus fuit et ab eo Ravennam de Roma missus est, ubi uxore tribuni ab eo sanata ipsam cum viro et ejus familia baptizavit: quod quidem judici nuntiatur et ad eum Apollinaris primus accersitur ductusque ad templum Jovis, ut ibi immolaret, cum diceret sacerdotibus, ydolorum aurum et argentum ydolis appensum melius pauperibus dari, quam ante daemones sic appendi, protinus capitur et fustibus caesus semivivus relinquitur, sed a discipulis collectus in domo cujusdam viduae septem mensibus refovetur. Inde venit autem ad civitatem Classensem, ut quendam nobilem mutum ibidem curaret. Cum autem domum ingrederetur, puella quaedam immundum spiritum habens exclamavit dicens: recede hinc, servo Dei, nam faciam te ligatis pedibus et manibus de civitate extrahi Quam Apollinaris increpans protinus daemonem abire coegit. Cum igitur super mutum nomen domini invocasset et curatus fuisset, plus quam quingenti homines crediderunt. Pagani autem eum fustibus caesum prohibebant, ne Jesum nominaret: ille vero in

terra jacens clamabat, quoniam ipse verus est Deus. Tunc nudis pedibus super prunas eum stare fecerunt, sed cum adhuc Christum constantissime praedicaret, extra urbem eum projecerunt. Eo tempore dum Rufus patricius Ravennae filiam infirmam haberet et ad eam sanandam Apollinarem vocasset, mox ut domum ingressus est, defuncta est. Cui [1])Rufus: utinam domum meam non introisses, Dii enim magni irati sunt, et filiam meam sanare noluerunt: tu vero quid ei facere poteris? Cui Apollinaris: noli timere, tantum mihi jura, quod, si puella surrexerit, eam creatorem suum sequi nequaquam prohibebis. Quod cum fecisset, facta oratione puella surrexit et nomen Christi confitens cum matre et magna multitudine baptisma suscepit et virgo permansit. Quod audiens Caesar scripsit ad praefectum praetorii, quod Apollinarem aut sacrificare faceret aut in exsilium mitteret. Praefectus igitur eum sacrificare nolentem fustibus caedi fecit et in equuleo extensum torqueri mandavit. Ubi dum dominum constantissime praedicaret, aquam ferventem in ejus vulneribus jactari jussit et sic gravi pondere ferri vinctum in exsilium mittere voluit. Videntes autem christiani tantam impietatem, accensi animo in paganos irruerunt et plus quam ducentos viros ex ipsis occiderunt. Quod videns praefectus abscondit se et Apollinarem in artissimum carcerem trusit, deinde catenatum in navim posuit et cum tribus clericis eum sequentibus in exsilium destinavit, ubi solummodo cum duobus clericis et duobus militibus periculum tempestatis evadens ipsos milites baptizavit, deinde Ravennam rediens a paganis capitur et ad templum Apollinis ducitur, cujus simulacrum videns maledixit et subito corruit. Quod videntes pontifices ipsum Tauro judici praesentarunt, qui judex, cum filium suum caecum illuminasset, credidit et ipsum annis quatuor in suo praedio manere fecit. Post hoc cum pontifices apud Vespasianum eum accusassent, jussit Vespasianus, ut, quicunque Diis irrogaret injuriam, aut sacrificet aut urbe privetur, non enim justum est, ut Deos vindicemus, sed ipsi de inimicis suis se ulcisci poterunt, si irascuntur. Tunc Demosthenes patricius eum nolentem sacrificare cuidam centurioni jam christiano tradidit, cujus rogatu pergens in vicum leprosorum, ut ibidem propter furorem gentilium habitaret, [2])populus autem eum insecutus esset, usque ad mortem diutissime caesus est, ubi septem dies supervivens et discipulos admonens

1) Ed. Pr. et hic et ante Paulus legit. 2) Recent. legunt: a paganis insecutus est.

spiritum tradidit et ibidem a christianis honorifice sepultus est sub Vespasiano, qui coepit circa annos domini LXX. De hoc martire sic dicit Ambrosius in praefatione: Apollinaris dignissimus praesul a principe apostolorum Petro Ravennam mittitur Jesu nomen incredulis nuntiare; qui dum illic mira virtutum signa conferret in Christo credentibus suis, verberum flagellis saepe conteritur et senile jam corpus ab impiis horrendis cruciatibus laniatur. Sed ne de suis vexationibus fideles trepidarent, in virtute domini Jesu Christi signa apostolica perfecit. Post tormenta puellam resuscitat mortuam, visum conspicuum caecis reddit et muto restaurat loquelam, obsessam a daemonio liberat, contagionem mundat leprosi, dissoluta morbo pestifero sanat membra, portentum simulacri simul cum templo dejicit. O dignissimus admiratione praeconii pontifex, qui cum pontificis dignitate apostolicam promeruit accipere potestatem. O fortissimus athleta Christi, qui aetatis jam frigescente calore constanter in poenis Jesum Christum mundi praedicat redemtorem.

CAP. XCVIII. (93.)

De sancta Christina.

Christina quasi chrismate uncta, habuit enim balsamum boni odoris in conversatione et oleum devotionis in mente et benedictionem in ore.

Christina nobilissimis parentibus orta in Tyro Italiae a patre suo in quadam turri cum duodecim pedissequis collocata est, Deos argenteos et aureos secum habens: et cum pulcherrima esset et a multis in conjugium peteretur, parentes ejus nulli eam concedere volentes, ut in Deorum cultu maneret. Ipsa autem a spiritu sancto docta ydolorum sacrificia abhorrebat et incensa Diis immolanda in fenestra abscondebat. Venienti autem patri ejus pedissequae dixerunt: filia tua domina nostra Diis nostris immolare contemnit, sed christianam se esse asserit. Pater autem ei blandiens ad Deorum culturam eam provocabat, cui illa: noli me vocare filiam tuam, sed ejus, quem sacrificium laudis decet. Non enim Diis mortalibus, sed Deo coeli sacrificium offero. Cui pater: filia mea, ne uni Deo tantum sacrificium offeras, ne tibi alii irascantur. Cui illa: bene locutus es nesciens veritatem, offero enim sacrificium patri et filio et spiritui sancto. Cui pater: si tres Deos adoras,

cur etiam alios non adoras? Cui illa: tres illi una Deitas sunt. Post hoc Christina patris sui Deos confregit et aurum et argentum pauperibus erogavit. Rediens pater, ut Deos adoraret, sed ipsos non inveniens et ab ancillis, quid de illis Christina fecerit, audiens iratus eam jussit exspoliari et a duodecim viris caedi, adeo ut ipsi ministri deficerent. Tunc Christina patri dixit: sine honore et pudore et abominabilis Deo, qui me caedunt, deficiunt, pete illis a Diis tuis virtutem, si valeas. Tunc catenatam eam in carcerem mitti jussit. Audiens hoc mater vestimenta sua scidit et ad carcerem pergens filiae pedibus se prostravit dicens: filia mea Christina, lumen oculorum, miserere mei. Cui illa: quid me dicis filiam, nescis, quia nomen Dei mei habeo? Cumque nihil sibi persuadere posset, ad virum rediit et, quid sibi responderit, indicavit. Tunc pater jussit eam ante tribunal suum duci. Cui dixit: sacrifica Diis, [1]) si non autem, multis afflicteris sacrificiis et mea filia non diceris. Cui illa: magnam mihi gratiam praestitisti, quia jam me non vocas filiam dyaboli. Quod autem de dyabolo nascitur, daemon est, tu es pater ipsius Sathanae. Tunc ille jussit carnes ejus ungulis radi et membra ejus tenera disrumpi, Christina autem de carnibus suis accipiens in vultum projècit patris dicens: accipe, tyranne, et carnem a te genitam comede. Tunc pater super rotam eam posuit et ignem cum oleo accendit, sed flamma exsiliens MD. viros occidit. Pater autem ejus omnia haec magicis artibus adscribens ipsam iterum in carcerem mitti fecit et facta nocte jussit pueris suis, ut lapidem grandem ad collum ejus ligarent et in mare projicerent. Quod cum fecissent, protinus angeli eam assumunt, Christus autem ad eam descendit et eam in mari baptizavit dicens: baptizo te in Deo, patre meo, et in me Jesu Christo filio ejus et in spiritu sancto. Et commisit eam Michaeli archangelo, qui eam ad terram adduxit. Quod audiens pater frontem suam percutiens dixit: quibus maleficiis hoc facis, ut in mari maleficia tua exerceas? Cui illa: stulte et infelix, a Christo hanc accepi gratiam. Tunc in càrcerem eam misit jubens, ut in crastino debeat decollari. Ipsa autem nocte Urbanus pater suus mortuus invenitur. Huic quidam judex iniquus successit, nomine Elius, qui cunam ferream succensam cum oleo, resina et pice parari fecit et Christinam ibidem jactari cunamque a viris quatuor agitari, ut citius consumeretur.

1) Vulgo: sin autem.

Tunc Christina Deum laudavit, qui eam nuper renatam denuo volebat, ut infantulam, incunabulis jactari. Tunc judex iratus fecit radi caput ejus et nudam per civitatem usque ad Apollinem duci, ubi ydolo imperavit et [1]) corruens in pulverem est redactum. Quod autem judex expavit et spiritum tradidit. Huic successit Julianus, qui fornacem succendi fecit et Christinam intus jactari, ubi per quinque dies cum angelis cantans et deambulans illaesa permansit. Quod audiens Julianus et magicis artibus hoc adscribens duas aspides, duas viperas, duos colubros ad eam mitti fecit, sed serpentes ejus pedes lingunt, aspides nil nocentes ad ubera pendent, colubri collo se volventes sudorem lingunt, Julianus autem incantatori dixit: numquid et tu magus es? irrita bestias. Quod cum faceret, serpentes in eum impetum fecerunt et eum protinus occiderunt, tunc serpentibus imperavit Christina et ad desertum locum ire fecit et mortuum hominem suscitavit. Tunc Julianus mammillas ejus praecidi mandavit, de quibus lac pro sanguine fluxit. Deinde linguam ejus praecidi fecit, Christina vero nequaquam loquelam amittens praescissuram linguae accipiens in faciem Juliani projecit et oculum ejus item percutiens eum excaecavit. Iratus Julianus duas sagittas circa cor ejus et unam in latus ejus dimisit et illa percussa spiritum Deo tradidit circa annos domini CCLXXXVII sub Dyocletiano. Requiescit autem corpus ejus in quodam castro, quod Bulsenum vocatur, inter Urbem Veterem et Viterbum sito. [2]) Turris enim, quae juxta castrum illud erat, funditus est eversa.

CAP. XCIX. (94.)

De sancto Jacobo majore.

Jacobus iste apostolus dictus est Jacobus Zebedaei, Jacobus frater Johannis, [3]) Boanerges, id est, filius tonitrui, et Jacobus major. Dicitur enim Jacobus Zebedaei, scilicet filius, non tantum carne, sed etiam nominis interpretatione. Zebedaeus interpretatur donans sive donatus, et beatus Jacobus se ipsum Christo donavit per mortis martirium et a Deo nobis donatus est in spiritualem patronum. Dicitur Jacobus frater Johannis, quia fuit ejus frater non tantum carne, sed etiam morum similitudine. Ambo enim

1) Verba corruens — et omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. Tyrus legit. 3) Alii Boangeres legunt.

fuerunt ejusdem zeli, ejusdem studii, ejusdem voti. Ejusdem zeli ad dominum ulciscendum: cum enim Samaritani Christum non reciperent, Jacobus et Johannes dixerunt: vis, dicimus, descendat ignis de coelo et consumat illos. Ejusdem studii ad discendum: unde isti praecipue fuerunt, qui Christum de die judicii et aliis venturis interrogaverunt. Ejusdem voti ad obtinendum, quia sessionem ad dextram et sinistram Christi ambo habere voluerunt. Dicitur filius tonitrui ratione sonorae praedicationis, quia malos terrebat, pigros excitabat, omnes sua altitudine in admirationem convertebat. Unde dicit Beda de Johanne: qui tam alte intonuit, ut, si aliquantulum altius intonuisset, totus mundus eum capere non potuisset. Dicitur Jacobus major, sicut alter minor. Primo ratione vocationis, quoniam primo vocatus est a Christo. Secundo ratione familiaritatis, quoniam majorem familiaritatem videtur Christus habuisse cum illo, quam cum isto, sicut patet, quia ipsum ad secreta sua admittebat, sicut fuit ad puellae resuscitationem et ad gloriosam transfigurationem. Tertio ratione passionis, quia primus inter caeteros apostolos passus est. Sicut ergo dicitur major alio ex eo, quod vocatus est ad apostolatus gratiam, ita potest dici major ex eo, quod prius vocatus est ad aeternitatis gloriam.

1. Jacobus apostolus filius Zebedaei post adscensionem domini dum per Judaeam et Samariam praedicaret, in Hispaniam tandem ivit, ut ibi verbum Dei seminaret. Sed dum ipse se proficere nil videret et solum ibidem novem discipulos adquisivisset, duos ex illis causa praedicandi ibi reliquit et alios septem secum assumens iterum in Judaeam rediit. Magister autem Johannes Beleth dicit, quod tantum unum ibi convertit. Cum ergo in Judaea verbum Dei praedicaret, magus quidam nomine Hermogenes cum pharisaeis discipulum suum nomine Philetum ad Jacobum misit, ut ipsum Philetus coram Judaeis convinceret, quod sua praedicatio falsa esset. Sed cum apostolus coram omnibus rationabiliter eum convinceret et multa coram eo miracula fecisset, rediit Philetus ad Hermogenem doctrinam Jacobi approbans et miracula recitans ac ejus discipulum se velle fieri contestans, et, ut ipse similiter efficeretur discipulus, persuadens. Tunc Hermogenes iratus arte sua magica ita eum immobilem fecit, ut se nullatenus movere posset, dicens: videbimus, si Jacobus tuus te solvat. Quod cum Philetus Jacobo per puerum suum nuntiasset, misit ad eum sudarium suum dicens: accipiat sudarium et dicat, dominus erigit elisos, ipse solvit compeditos.

Statimque ut de sudario tactus est, solutus a vinculis magicis artibus Hermogenis insultavit et ad Jacobum properavit. Iratus Hermogenes daemones advocavit praecipiens, ut ipsum Jacobum vinctum cum Phileto adducant, ut de ipsis se vindicaret, ne discipuli ejus de caetero audeant taliter insultare. Venientes autem daemones ad Jacobum in aëre ululare coeperunt dicentes: Jacobe, apostole, miserere nobis, quia, antequam tempus nostrum adveniat, jam ardemus. Quibus Jacobus ait: [1])ad quid venistis ad me? Qui dixerunt: Hermogenes misit nos, ut te et Philetum ad ipsum duceremus, sed mox, ut ad te venimus, angelus Dei nos catenis igneis religavit et plurimum cruciavit. Quibus Jacobus: exsolvat vos angelus domini, et ad ipsum redite et eum ad me vinctum adducite, sed illaesum. Qui cum abiissent, apprehendentes Hermogenem manus ei a tergo ligaverunt et ipsum sic vinctum ad Jacobum adduxerunt dicentes: misisti nos, ubi incensi sumus et graviter cruciati. Dixeruntque daemones ad Jacobum: da nobis in eum potestatem, ut possimus tuas injurias et nostra incendia vindicare. Quibus ait Jacobus: ecce Philetus ante vos est, cur eum non tenetis? Cui illi: nos non possumus nec formicam, quae in cubiculo tuo est, manu contingere. Dixitque Jacobus ad Philetum: ut bona pro malis, secundum quod Christus nos docuit, reddamus, Hermogenes te ligavit, tu eum solve. Solutus Hermogenes confusus stetit et Jacobus ei dixit: vade, liber, quocunque volueris; non enim disciplinae nostrae est, ut invitus aliquis convertatur. Dixitque ei Hermogenes: ego novi iras daemonum, nisi mihi aliquid dederis, quod mecum habeam, occident me. Cui Jacobus baculum suum dedit, ille autem perrexit et omnes libros artis suae magicae ad apostolum cremandos attulit. Jacobus autem, ne forte odor incendii vexaret incautos, eos in mare projici jussit, projectis ergo libris ad apostolum rediit et plantas ejus tenens dixit: animarum liberator, accipe poenitentem, quem invidentem et tibi detrahentem hactenus sustinuisti. Coepit igitur in Dei timore praefectus esse, adeo ut virtutes plurimae per eum fierent. Videntes autem Judaei Hermogenem conversum zelo commoti Jacobum adierunt et cur Jesum crucifixum praedicaret, increpaverunt. Ille vero, cum iis per scripturas adventum Christi et passionem evidenter probasset, plurimi crediderunt. Abiathar vero pontifex anni illius

1) Vulgo: ut quid.

seditionem in populo excitavit et misso fune in collo apostoli ipsum ad Herodem Agrippam adduci fecit, cumque jussu ejus ad decollandum duceretur, quidam paraliticus in via jacens ad eum clamavit, ut sibi sanitatem conferret. Cui Jacobus ait: in nomine Jesu Christi, pro cujus fide ducor ad decollandum, exsurge sanus et benedic creatorem tuum. Et statim sanatus surrexit et dominum benedixit. Scriba autem, qui funem in collo suo miserat et trahebat, nomine Josias, hoc videns ad pedes ejus se projecit et veniam petens se christianum fieri postulavit. Quod videns Abiathar eum teneri fecit sibique dixit: nisi nomini Christi maledixeris, cum ipso Jacobo decollaberis. Cui Josias: maledictus tu et maledicti omnes dies tui, nomen autem domini Jesu Christi sit benedictum in saecula. Tunc Abiathar os ejus pugnis caedi jussit et missa de eo legatione ad Herodem impetravit, ut cum Jacobo decollaretur. Cum autem ambo decollari deberent, Jacobus a spiculatore lagenam aquae petiit et ibidem Josiam primus baptizavit, et statim capitis obtruncatione uterque martirium consummavit. Decollatus est autem beatus Jacobus VIII cal. April. in annuntiatione dominica et VIII cal. Augusti Compostellam translatus est et III cal. Januarii sepultus, quia sepulchri ejus fabrica fuit ab Augusto usque ad Januarium [1]) prodelata. Statuit igitur ecclesia, ut festum ejus VIII cal. Augusti in tempore scilicet magis congruo deberet universaliter celebrari. Decollato autem Jacobo, ut ait Johannes Beleth, qui hanc translationem diligenter exsequitur, discipuli ejus corpus nocte timore Judaeorum rapientes navi illud imposuerunt et sepulturam divinae prudentiae committentes navim sine regimine conscenderunt et angelo domini duce in Galiciam in regno Lupae applicuerunt. Erat enim in Hispania regina quaedam sic dicta a nomine et merito vitae. Deponentes igitur corpus de navi super quendam magnum lapidem illud deposuerunt, qui lapis mox ut cera corpori haesit et in sarcophagum corpori se mirabiliter coaptavit. Ingredientes igitur discipuli ad Lupam dixerunt, dominus Jesus Christus mittit ad te corpus discipuli sui, ut, quem noluisti suscipere vivum, suscipias defunctum. Et narrantes ei miraculum, qualiter scilicet sine regimine illuc venisset, locum ad ejus sepulturam congruum petierunt. Quod dum regina audiisset, ut dicit idem Johannes Beleth, eos in dolo ad quendam virum crudelissimum vel, secundum

1) Recentiores protelata legunt.

alios, ad regem Hispaniae destinavit, ut ejus super hoc consensum haberent, qui eos cepit et in carcerem reclusit. Cum autem ille discumberet, angelus domini carcerem aperuit et eos libere abire permisit. Quod dum ille cognovisset, velociter post eos milites, qui eos caperent, destinavit. Cum autem milites illi pontem transirent, fracto ponte omnes in flumine sunt submersi. Quod ille audiens poenitentia ductus sibi et suis metuens misit post illos rogans, ut ad se redirent et, quidcunque vellent, ad libitum impetrarent. Illi autem redierunt et populum civitatis ad fidem domini converterunt: quod Lupa audiens vehementer doluit et redeuntibus ad se discipulis et assensum regis aperientibus illa respondit: accipite boves, quos habeo in tali loco vel monte, et plaustrum jungite ac corpus domini vestri deferte et locum, sicut volueritis, aedificate. Haec autem lupina cogitatione dicebat, sciebat enim boves tauros esse indomitos et silvestres, et ideo putavit, quod non possent jungi nec applicari, vel si jungerentur, huc illucque discurrerent, et sic currum dissiparent et corpus dejicerent et ipsos necarent. Sed non est sapientia contra Deum. Illi enim dolum ejus non cogitantes montem adscendunt et draconem quendam ignem spirantem et in eos incurrentem cruce opposita per medium ventrem scindunt. Facto etiam signo crucis super tauros velut agni subito mansuescunt et eos jungentes corpus sancti Jacobi cum lapide, super quem positum fuerat, in curru posuerunt. Boves autem sine alicujus regimine corpus in medium palatium Lupae detulerunt: quod illa videns et stupens credidit et christiana effecta omnia, quae petierunt, tribuit et palatium in ecclesiam sancto Jacobo dedicans magnifice ipsam dotavit et in bonis operibus vitam finivit. — — — **2.** Vir quidam nomine Bernardus de episcopatu Mutinensi, ut ait Calixtus papa, dum captus et catenatus in profundo turris positus esset, et semper beatum Jacobum invocaret, apparuit ei sanctus Jacobus dicens: veni, sequere me in Galiciam, et confractis catenis cum disparuisset, ille vinculis ad collum suspensis ad summitatem turris conscendit et inde sine aliqua laesione unicum saltum fecit, cum tamen turris LX cubitorum altitudinem possideret. — — — **3.** Quidam, ut ait Beda, cum enorme plurimum peccatum commisisset et episcopus confitentem absolvere timuisset, hominem illum cum schedula, in qua illud peccatum scriptum erat, ad sanctum Jacobum misit. Cum ergo in festo ejusdem schedulam super altare posuisset et sanctum Jacobum, ut

illud peccatum deleret, suis meritis exoraret, schedulam postmodum aperuit et penitus deletum inveniens Deo et sancto Jacobo gratias reddidit et factum omnibus publicavit. — — — 4. Triginta viri de Lotaringia, ut ait Ubertus Bysuntinus, circa annum domini MLXX ad sanctum Jacobum properantes omnes uno excepto fidem sibi mutui officii promiserunt. Unus igitur illorum infirmatus XV diebus a sociis exspectatur, sed tandem a cunctis relinquitur et a solo illo, qui fidem non promiserat, ad pedem montis sancti Michaelis custoditur, sed advesperascente die moritur. Vivus autem propter illius loci solitudinem et defuncti praesentiam et imminentem noctis caliginem et gentis barbarae feritatem valde timuit, sed statim beatus Jacobus in specie equitis sibi apparens et eum consolans ait: trade mihi hunc mortuum et tu adscende post me super equum, sicque illa nocte ante solis ortum diaetas XV peragrantes ad montem gaudii, qui est dimidia leuca circa sanctum Jacobum, pervenerunt ibique sanctus Jacobus utrumque deposuit praecipiens, ut canonicos sancti Jacobi ad sepeliendum peregrinum mortuum convocaret et suis sociis diceret, quod propter fidem fractam eorum peregrinatio nil valeret. Qui jussa complevit et stupentibus sociis de ejus itinere ea, quae sanctus Jacobus dixerat, intimavit. — — — 5. Teutonicus [1]) quidam, ut ait Calixtus papa, cum filio suo circa annum domini MXX ad sanctum Jacobum pergens et in urbe Tolosa gratia hospitandi divertens ab hospite inebriatur et ab eo in [2]) malha argenteus scyphus absconditur. Mane igitur exeuntes quasi latrones insequens revocavit et, quod scyphum argenteum furati fuerint, iisdem objecit. Cui cum dicerent, quod punire eos faceret, si apud eos scyphum invenire posset, et cum aperta malha inventus fuisset, protinus ad judicem rapiuntur. Data ergo sententia omnia, quae habebant, hospiti traduntur et unus eorum ad suspendium judicatur. Sed cum pater pro filio et filius pro patre mori vellet, tandem filius suspenditur et pater ad sanctum Jacobum moerens progreditur. Igitur post XXXVI dies rediens et ad corpus filii divertens super eum lamentabiles voces promebat et ecce, filius suspensus consolari coepit ipsum dicens: dulcissime pater, ne fleveris, quia nunquam mihi sic bene fuit, quoniam hucusque sanctus Jacobus me sustentavit et coelesti dulcedine me refocillat. Quod pater audiens ad urbem cucurrit et venientes populi filium peregrini

1) Ed. Pr. legit: Theotunicus. 2) Ed. Pr. mala legit.

incolumem deposuerunt et hospitem suspenderunt. — — — 6. Refert Hugo de sancto Victore, quod cuidam peregrino ad sanctum Jacobum pergenti dyabolus in specie sancti Jacobi apparuit et de miseria praesentis vitae plura commemorans felicem se esse, si ob honorem sui se necaret, asseruit. Qui mox gladium arripuit et protinus se ipsum occidit. Et cum ille, in domo cujus hospitatus fuerat, suspectus haberetur et mori plurimum formidaret, continuo, qui mortuus fuerat, revixit asserens, quod dum daemon, qui mortem suaserat, ad supplicia ipsum duxisset, beatus Jacobus mox occurrit et ereptum ad thronum judicis deduxit et accusantibus daemonibus, ut vitae restitueretur, obtinuit. — — — 7. Quidam juvenis de territorio Lugdunensi, ut narrat Hugo abbas Cluniacensis, qui ad sanctum Jacobum frequenter cum devotione magna ire solebat, quadam vice, dum illuc tendere vellet, nocte illa in fornicationem lapsus est. Pergenti igitur nocte quadam dyabolus in specie sancti Jacobi apparuit dicens: nosti, qui sum? Roganti illi dixit dyabolus: ego sum Jacobus apostolus, quem singulis annis visitare consuesti. Scias, quod multum de devotione tua gaudebam, sed nuper de domo tua egrediens in fornicationem incidisti et non confessus ad me accedere praesumsisti, quasi tua peregrinatio Deo et mihi placere possit. Non sic expedit, sed quicunque ad me peregrinando venire desiderat, prius peccata sua per confessionem debet pandere et post peregrinando eadem commissa punire. Et his dictis daemon evanuit: tunc juvenis anxiatus domum suam redire et peccata sua confiteri, deinde iter reincipere disponebat. Et ecce dyabolus apparens iterum in specie apostoli hoc omnino dissuasit, asserens, quod peccatum illud nullo modo sibi remitteret, nisi penitus genitalia sibi membra secaret: beatior autem foret, si se vellet occidere et pro ejus nomine martir esse. Juvenis igitur nocte sociis dormientibus gladium accipiens genitalia sibi praescidit, deinde eodem cultro se per ventrem transfixit. Expergefacti socii hoc videntes et plurimum formidantes protinus aufugerunt, ne suspecti de homicidio haberentur. Verumtamen dum fovea ei pararetur, qui fuerat defunctus, revixit et cunctis fugientibus et stupentibus, quae sibi acciderent, enarravit dicens: cum me ad suggestionem daemonis occidissem, daemones me capientes versus Romam deducebant et ecce, post nos beatus Jacobus protinus cucurrit et daemones de fallacia plurimum increpavit, cumque ad invicem diutius disceptarent, cogente beato Jacobo ad quoddam

pratum venimus, ubi virgo beata cum multis sanctis colloquens residebat. Cui cum beatus Jacobus pro me conquestus fuisset, illa plurimum daemones increpavit et me vitae restitui praecepit. Beatus igitur Jacobus me suscipiens vitae reddidit, ut videtis. Post triduum ergo solis in illo cicatricibus remanentibus iter arripuit et juvenis sociis omnia per ordinem enarravit. — — — **8.** Francus quidam, ut ait Calixtus papa, circa annum domini MC cum uxore et filiis ad sanctum Jacobum ibat, tum volens mortalitatem, quae erat in Francia, fugere, tum sanctum Jacobum cupiens visitare. Qui cum ad urbem Pampillonem venisset, uxor ejus ibidem obiit et hospes totam illius pecuniam sibi cum jumento, quo vehebantur pueri, usurpavit. Ille autem desolatus incedens pueros quosdam in humeris portavit, quosdam ad manum trahebat. Cui vir cum asino compassione commotus occurrens sibi asinum commodavit, ut super illum pueri veherentur. Qui cum ad sanctum Jacobum pervenisset, eidem vigilanti et oranti sanctus Jacobus apparuit et, an se cognosceret, requisivit. Cui neganti ait: ego sum Jacobus apostolus, qui tibi meum asinum accommodavi et iterum accommodo revertenti, sed scito praenoscens, quod hospes tuus de solario corruens morietur et omnia, quae tibi abstulerat, rehabebis. Quae cum omnia contigissent, ille domum laetus rediit et pueris de asino depositis asinus statim disparuit. — — — **9.** Quidam mercator a quodam tyranno injuste spoliatus in custodia tenebatur, qui devote sanctum Jacobum in sui auxilium invocabat. Cui sanctus Jacobus vigilantibus custodibus apparuit et usque ad turris summitatem ipsum perduxit statimque turris adeo se inclinavit, quod ipsius summitas terrae aequalis fuit, de quo sine saltu descendens solutus recessit, quem custodes insequentes licet juxta eum pergerent, tamen ipsum videre non poterant. — — — **10.** Dum tres milites, ut ait Ubertus Bysuntinus, Lugdunensis dioecesis ad sanctum Jacobum pergerent, unus eorum a quadam muliercula rogatus sacculum ipsius amore sancti Jacobi super equum suum portabat, deinde quendam infirmum in via deficientem inveniens ipsum super equum posuit et infirmi burdonem cum sacculo mulieris accipiens equum pariter sequebatur, sed fervore solis et labore itineris fractus cum Galiciam advenisset, infirmitate gravissima laboravit, cumque a sociis de salute animae rogaretur, ille tribus diebus exstitit mutus, sed quarto die sociis ejus mortem exspectantibus graviter suspirans ait: gratias Deo et sancto Jacobo, quia ejus sum meritis

liberatus. Cum enim, quod monebatis, facere vellem, daemones ad me venerunt me tam graviter constringentes, ut nihil, quod ad salutem animae pertineret, aliquatenus loqui possem. Vos quippe audiebam, sed prorsus respondere non poteram. Nunc autem sanctus Jacobus huc intravit ferens in sinistra manu sacculum mulieris, in dextera baculum pauperis, quos in via adjuveram, ita ut burdonem pro lancea et sacculum pro scuto haberet, et daemones quasi iratus aggrediens elevato baculo terruit et in fugam convertit. Nunc ergo ecce beati Jacobi gratia me liberavit et loquelam restituit. Vocate ergo sacerdotem ad me, quia diu in hac vita esse non possum. Et conversus uni eorum dixit: amice, noli amodo domino tuo militare, quia veraciter est damnatus et mala morte in proximo moriturus: sepulto autem socio cum ille domino suo dixisset, ille pro nihilo hoc dicens et se emendare contemnens post modicum lancea in bello confossus interiit. — — — **11.** Cum cuidam viro de Vilizilaco, ut ait Calixtus papa, ad sanctum Jacobum properanti pecunia defecisset et ille mendicare erubesceret: sub quadam arbore requiescens somniabat, quod sanctus Jacobus eum pascebat. Evigilans igitur subcinericium panem ad caput reperit, de quo XV diebus vixit, quousque ad propria remeabat. Singulis enim diebus sufficienter bis de eo comedens sequenti die ipsum in sacculo integrum inveniebat. — — — **12.** Refert Calixtus papa, quod civis quidam Barcillonae urbis circa annum domini MC ad sanctum Jacobum veniens hoc solum postulasse dicitur, ne deinceps ab aliquibus hostibus caperetur. Rediens igitur per Siciliam in mari a Saracenis capitur et pluries ab iis per nundinas venditur, sed tamen semper catenae, quibus ligatus fuerat, solvebantur. Cum autem jam XIII vicibus venditus fuisset et duplicibus catenis adstrictus esset et ille beatum Jacobum invocaret, sanctus Jacobus eidem apparuit dicens: quoniam in ecclesia mea consistens postposita salute animae liberationem tamen corporis postulasti, ideo in haec pericula incidisti, sed quia dominus misericors est, misit me, ut te redimam. Statimque ruptis catenis per terras et castella Saracenorum partem quandam catenae in testimonium hujus miraculi ferens ad terram suam cunctis videntibus et stupentibus rediit. Cum eum aliquis capere volebat, visa catena territus protinus fugiebat, sed cum leones aliaeque ferae in eum per deserta gradientem vellent insurgere, mox visa catena concutiebantur terrore nimio et in fugam protinus vertebantur. — — — **13.** Anno domini CCXXXVIII

in vigilia sancti Jacobi in quodam castro, quod dicitur Pratum, inter Florentiam et Pistorium sito, juvenis quidam rustica quadam simplicitate deceptus in segetes tutoris sui ignem apposuit, eo quod hereditatem suam sibi usurpare volebat. Tentus igitur et confessus ad caudam equi trahendus incendio adjudicatus est: qui peccatum confitens et sancto Jacobo se devovens cum super terram petrosam in sola camisia tractus fuisset, nec in corpore nec camisia sensit aliquam laesionem. Tandem ad palum ligatur, ligna undecunque congeruntur, igne supposito ligna et vincula comburuntur, sed ipso semper beatum Jacobum invocante nec in camisia nec in corpore aliqua laesio reperitur. Quem dum in ignem vellent iterato mittere, a populo eripitur et Deus in apostolo magnifice collaudatur.

CAP. C. (95.)

De sancto Christophoro.

Christophorus ante baptismum dicebatur Reprobus, sed postmodum Christophorus dictus est, quasi Christum ferens, eo scilicet, quod Christum quatuor modis portavit, scilicet in humeris per traductionem, in corpore per macerationem, in mente per devotionem, in ore per confessionem sive praedicationem.

Christophorus gente Cananaeus, procerissimae staturae vultuque terribili erat et XII cubitos in longitudine possidebat. Qui, ut in quibusdam gestis suis legitur, cum staret cum quodam rege Cananaeorum, venit sibi in mente, ut majorem principem, qui in mundo esset, quaereret et ad eundem secum moraturus accederet. Venit igitur ad quendam maximum regem, de quo generalis fama habebatur, quod majorem mundus principem non haberet. Quem rex videns libenter recepit et in sua curia manere fecit, quodam autem die joculator quidam cantionem coram rege cantabat, in qua frequenter dyabolum nominabat. Rex autem cum fidem Christi haberet, quemcumque dyabolum nominari audiebat, protinus in faciem suam crucis signaculum imprimebat, quod videns Christophorus plurimum admirabatur, cur hoc rex ageret et quidnam hujusmodi signum sibi vellet. Cum autem de hac re regem interrogaret et ille hoc sibi manifestare nollet, respondit Christophorus: nisi hoc mihi dixeris, tecum ulterius non manebo. Quapropter coactus rex dixit ei: quemcumque dyabolum nominari audio, hoc signo me

munio timens, ne in me potestatem accipiat mihique noceat. Cui Christophorus: si dyabolum, ne tibi noceat, metuis, ergo ille major et potentior te esse convincitur, quem in tantum formidare probaris. Frustratus igitur sum spe mea putans, quod majorem et potentiorem mundi dominum invenissem, sed jam nunc valeas, quia ipsum dyabolum quaerere volo, ut ipsum mihi in dominum assumam et ejus servus efficiar. Discessit igitur ab illo rege et dyabolum quaerere properabat. Cum autem per quandam solitudinem pergeret, vidit magnam multitudinem militum, quorum quidam miles ferus et terribilis veniebat ad eum et, quonam pergeret, requisivit. Cui Christophorus respondit: vado quaerere dominum dyabolum, ut ipsum in dominum mihi assumam. Cui ille: ego sum ille, quem quaeris. Gavisus Christophorus se sibi in servum perpetuum obligavit et ipsum pro domino accepit. Cum ergo ambo pergerent et in quadam via communi crucem erectam invenissent, mox ut dyabolus ipsam crucem vidit, territus fugit et viam deserens per asperam solitudinem Christophorum duxit et postmodum ipsum ad viam reduxit. Quod videns Christophorus et admirans interrogavit illum, cur in tantum timens viam planam reliquerit et tantum devians per tam asperam solitudinem ierit. Quod cum ille nullatenus indicare vellet, dixit Christophorus: nisi mihi hoc indicaveris, statim a te discedam; quapropter compulsus dyabolus dixit ei: quidam homo, qui dicitur Christus, in cruce fixus fuit, cujus crucis signum cum video, plurimum pertimesco et territus fugio. Cui Christophorus: ergo ille Christus major et potentior te est, cujus signum in tantum formidas? In vacuum igitur laboravi nec adhuc majorem mundi principem inveni. Jam nunc valeas, quia te volo deserere et ipsum Christum inquirere. Cum igitur diu quaesivisset, qui sibi Christi notitiam indicaret, tandem ad quendam eremitam devenit, qui sibi Christum praedicavit et in ejus fide ipsum diligenter instruxit, dixitque eremita Christophoro: rex iste, cui servire desideras, istud requirit obsequium, quia frequenter jejunare oportebit. Cui Christophorus: aliud a me requirat obsequium, quia istam rem nequaquam agere valeo. Rursus eremita: multas quoque orationes te sibi facere oportebit. Cui Christophorus: nescio, quid sit hoc, nec hujusmodi obsequium perficere possum. Cui eremita: nosti talem fluvium, in quo multi transeuntes periclitantur et pereunt? Cui Christophorus: novi. Et ille: cum procerae staturae sis et fortis viribus, si juxta fluvium illum resideres et cunctos traduceres, regi

Christo, cui servire desideras, plurimum gratum esset et spero, quod ibidem se manifestaret. Cui Christophorus: utique istud obsequium agere valeo et me sibi in hoc serviturum promitto. Ad praedictum igitur fluvium accessit et ibidem sibi habitaculum fabricavit portansque loco baculi quandam perticam in manibus, qua se in aqua sustentabat et omnes sine cessatione transferebat. Evolutis multis diebus cum in domuncula sua quiesceret, audivit vocem cujusdam pueri se vocantis et dicentis: Christophore, veni foras et me ipsum traducas. Concitus Christophorus exsiliit, sed neminem reperit, rediensque in domunculam suam praedictam iterum vocem se acclamantis audivit. Qui rursus foras cucurrit et neminem invenit. Tertia vice ab eodem ut prius vocatus exiit et puerum quendam juxta ripam fluminis invenit, qui Christophorum, ut se traduceret, obnixe rogavit. Christophorus igitur puerum sibi in humeris elevans et baculum suum accipiens flumen transiturus intravit. Et ecce aqua fluminis paulatim intumescebat et puer instar plumbi gravissime ponderabat, quantoque magis procedebat, tanto amplius unda crescebat et puer magis ac magis Christophori humeros pondere intolerabili deprimebat, adeo ut Christophorus in angustia multa positus esset et se periclitari formidaret. Sed cum vix evasisset et fluvium transfretasset, puerum in ripa deposuit eique dixit: in magno periculo, puer, me posuisti et adeo ponderasti, quod, si totum mundum super me habuissem, vix majora pondera praesensissem. Ad quem puer respondit: ne mireris, Christophore, quia non solum super te totum mundum habuisti, sed etiam illum, qui creavit mundum, tuis humeris bajulasti. Ego enim sum rex Christus tuus, cui in hoc opere ipse deservis, et ut me verum dicere comprobes, cum pertransieris, baculum tuum juxta domunculam tuam in terra fige et mane ipsum floruisse et fructificasse videbis, statimque ab oculis ejus evanuit. Veniens igitur Christophorus cum baculum suum in terram fixisset, mane surgens invenit ipsum ad modum palmae frondes et dactylos pertulisse. Post hoc autem Samon civitatem Lyciae venit, ubi, dum eorum linguam non intelligeret, oravit dominum, ut illius linguae sibi concederet intellectum. Dum autem in prece consisteret, judices eum insanum putantes reliquerunt, assecutus Christophorus, quod petebat, vultum operiens, ad locum certaminis venit et christianos et qui torquebantur in domino, confortabat. Tunc unus ex judicibus in faciem eum percussit, cui Christophorus vultum discooperiens dixit: nisi christianus

essem, meam protinus injuriam vindicassem. Tunc Christophorus virgam suam in terra fixit et ut propter conversionem populi fronderet, dominum exoravit. Quod dum protinus factum fuisset, octo millia hominum crediderunt. Rex autem CC milites, qui eum ad se adducerent, misit, et cum eum orantem invenissent et sibi hoc intimare timerent, iterum totidem misit, qui et ipsi cum eo orante protinus oraverunt. Surgens Christophorus dixit iis: quem quaeritis? Qui ejus vultum videntes dixerunt: rex misit nos, ut te ad ipsum vinctum ducamus. Quibus Christophorus: si ego voluero, nec solutus nec ligatus a vobis duci potero. Dicunt ei: si ergo nonvis, vade liber, quocumque volueris, et nos regi dicemus, quod te nequaquam invenimus. Non ita, inquit, sed ego vobiscum vadam. Ipse autem eos ad fidem convertit et ab iis manus sibi tergo ligari fecit et se regi vinctum praesentari. Quem rex videns territus est et de sede sua protinus corruit. Deinde a servis suis levatus de nomine suo et patriae eum interrogavit. Cui Christophorus: ante baptismum Reprobus dicebar, nunc autem Christophorus vocor. Cui rex: stultum tibi nomen imposuisti, scilicet Christi crucifixi, qui nec sibi profuit nec tibi prodesse poterit. Nunc ergo, Cananaee malefice, quare non sacrificas Diis nostris? Cui Christophorus: recte vocaris Dagnus, quia tu es mors mundi, socius dyaboli, Dii autem tui sunt opera manuum hominum. Cui rex: inter feras nutritus es et tu non potes nisi opera feralia et hominibus incognita loqui. Nunc ergo si sacrificaveris, magnos honores a me consequeris, si non autem, suppliciis consumeris. Nolentem ergo sacrificare in carcerem mitti jussit ac illos milites, qui ad Christophorum missi fuerant, pro Christi nomine decollari fecit. Deinde duas formosas puellas, quarum una dicebatur Nicaea et altera Aquilina, secum in carcerem recludi fecit, promittens iis multa munera, si eum ad peccandum secum allicerent. Quod videns Christophorus protinus in orationem se dedit. Sed cum a puellis plausu manuum et amplexibus urgeretur, surrexit et ait illis: quid quaeritis et ob quam causam huc interductae estis? At illae claritate vultus ejus perterritae dixerunt: miserere nostri, sancte Dei, ut in Deum, quem praedicas, credere valeamus. Quod audiens rex eas ad se duci fecit dicens: ergo et vos seductae estis? per Deos juro, quod, nisi Diis sacrificaveritis, mala morte peribitis. Quae responderunt: si vis, ut sacrificemus, jube plateas mundari et omnes ad templum congregari. Quo facto cum illae introissent

templum, solventes cingulum suum posuerunt in colla Deorum et ad terram trahentes in pulverem confregerunt dixeruntque adstantibus: ite et vocate medicos, ut curent Deos vestros. Tunc jussu regis Aquilina suspenditur et ligato ad ejus pedes ingenti saxo membra ejus omnia dirumpuntur. Quae cum migrasset ad dominum, soror ejus Nicaea in ignem projicitur, sed inde illaesa exiens protinus decollatur. Post ergo Christophorus regi praesentatur, qui jussit eum virgis ferreis caedi et cassidem ferream et igneam in caput ejus poni, deinde scamnum ferreum fieri fecit et Christophorum ibidem ligari et ignem injecta pice succendi. Sed instar cerae scamnum confringitur et Christophorus illaesus egreditur. Deinde jussit eum ad stipitem ligari et a CCCC militibus sagittari. Sagittae autem omnes in aëre suspendebantur nec ipsum aliqua contingere potuit. Rex autem putans ipsum a militibus sagittatum cum eidem insultaret, subito una de sagittis ab aëre veniens et retro se vertens regem in oculo percussit et ipsum protinus excaecavit. Cui Christophorus: crastina die consummandus sum, tu igitur, tyranne, lutum de sanguine meo facies et oculum innunges et sanitatem recipies. Tunc jussu regis ad decollandum ducitur et ibi fusa oratione decollatur, rex autem modicum de sanguine ejus accipiens et super oculum suum ponens ait: in nomine Dei et sancti Christophori, et continuo sanus effectus est. Tunc rex credidit dans praeceptum, ut, si quis Deum et sanctum Christophorum blasphemaret, continuo gladio feriretur. Ambrosius autem in praefatione sic ait de hoc martire: Christophoro tantae virtutis cumulum et doctrinae gratiam, domine, contulisti, ut XLVIII millia hominum de gentilitatis errore ad christiani dogmatis cultum coruscantibus miraculis revocares, quique Nicaeam et Aquilinam publico lupanari longo tempore sub meretricia sorde famulantes ad castitatis habitum provocavit easdemque coronam percipere edocuit, propterea inter igneum rogum ferreo scamno constrictus nimium calorem non timuit atque per diem integrum omnium militum sagittis transfigi non potuit; caeterum una ex his carnificis oculum collisit, cui tamen beati martiris cruor mixtus cum terra lumen restituit et corporis caecitatem tollendo illuminavit et mentem, nam apud te veniam impetravit atque, ut morbos et infirmitates repellat, suppliciter obtinuit.

CAP. CI. (96.)
De septem dormientibus.

Septem dormientes in civitate Ephesi orti sunt. Decius autem imperator persequens christianos cum venisset Ephesum, jussit aedificari templa in medio civitatis, ut omnes cum eo miscerentur sacrificiis ydolorum. Cum ergo omnes christianos inquiri jussisset et vinctos aut sacrificare aut mori compelleret, tantus poenarum terror cunctis inerat, quod amicus amicum et filium pater et patrem filius abnegabat. Tunc in illa urbe inventi sunt christiani septem, Maximianus, [1]) Malchus, Marcianus, Dionysius, Johannes, Serapion et Constantinus, qui hoc videntes nimis dolebant. Et cum essent primi palatii, sacrificia ydolorum spernentes in domo sua se celabant et jejuniis et orationibus vacabant, accusati igitur ante Decium statuuntur et comprobati veraciter christiani dato iis resipiscendi spatio usque ad reditum Decii dimittuntur, at illi patrimonium suum interim inter pauperes expendentes inito consilio in montem Celion secesserunt et ibi esse secretius decreverunt. Diu ergo sic latentes unus eorum semper ministrabat et quoties intrabat urbem, figura se mendici et habitu vestiebat Cum ergo Decius in urbem rediisset et eos ad sacrificandum perquiri jussisset, Malchus minister eorum territus ad socios rediit et iis furorem imperatoris indicavit. Qui cum graviter terrerentur, Malchus allatos panes iis apposuit, ut cibo confortati fortiores ad praelium redderentur. Postquam autem coenabant sedentes et colloquentes in luctu et lacrymis, subito, sicut Deus voluit, dormiverunt. Mane facto cum quaesiti fuissent et inveniri non possent et Decius doleret, quod tales juvenes perdidisset, accusati sunt, quod hucusque in monte Celion latuissent et sua christianis pauperibus erogantes in suo proposito permanerent. Jussit ergo Decius, ut parentes eorum adessent, et comminatus est iis mortem, nisi de iis dicerent, quidquid scirent. Illi autem eos similiter accusaverunt et divitias suas pauperibus expendisse conquesti sunt. Tunc cogitans, quid de iis faceret, nutu Dei jussit os speluncae lapidibus obstrui, ut ibi morerentur fame et inopia circumclusi. Quod ministri quidem

1) Ed. Rec. legunt Marcus, Martinianus.

fecerunt et duo christiani Theodorus et Rufinus eorum martirium describentes caute inter lapides posuerunt. Mortuo igitur Decio et tota illa generatione post annos CCCLXXII anno XXX imperii Theodosii pullulavit haeresis eorum, qui negabant resurrectionem mortuorum, unde contristatus Theodosius christianissimus imperator, quia fidem tam impie agitari videbat, indutus cilicio sedens in interiori loco per singulos dies flebat. Quod videns misericors Deus consolari lugentes et confirmare spem de resurrectione voluit mortuorum et thesaurum suae pietatis aperiens ita praedictos martires suscitavit. Misit siquidem in cor cujusdam civis Ephesi, ut in illo monte aedificaret stabula pastoribus suis. Caementariis speluncam aperientibus surrexerunt sancti et se invicem salutantes putabant se tantum una nocte dormivisse et praedianam tristitiam recordantes interrogaverunt Malchum, qui iis ministraverat, quid de iis Decius decrevisset. At ille respondit, sicut dixit in sero: quaesiti fuimus, ut ydolis immolemus. Ecce quod de nobis cogitat imperator. Respondit Maximianus: et Deus scit, quod non sacrificabimus. Cumque socios confortasset, jussit Malcho, ut emturus panes ad urbem descenderet et plures quam heri afferens panes, quae jussisset imperator, rediens nuntiaret. Tollens ergo Marcus quinque solidos de spelunca exiit et videns lapides miratus est, sed aliud cogitans parum de lapidibus cogitavit. Veniens igitur timidus ad portam urbis valde miratus est videns suppositum signum crucis, unde pergens ad alteram portam, dum idem signum invenit, ultra modum miratus est videns omnes portas signo crucis apposito et mutatam civitatem, signansque se ad primam portam rediit existimans se somniare. Unde se confirmans et vultum operiens urbem ingreditur et veniens ad venditores panum audivit homines loquentes de Christo et amplius stupefactus ait: quid est, inquit, quod heri nemo Christum audebat nominare, et nunc omnes Christum confitentur? puto, quod haec non est Ephesorum civitas, quia aliter aedificata est, sed aliam civitatem nescio talem. Et cum interrogans audivisset, hanc esse Ephesum, errare veraciter se putavit et redire ad socios cogitavit, accessit tamen ad eos, qui panem vendebant, et cum argenteos protulisset, mirati venditores dicebant ad invicem, quod ille juvenis antiquum thesaurum invenisset, Malchus vero eos ad invicem loquentes videns putabat, quod vellent eum trahere ad imperatorem, et territus rogavit eos, ut se dimitterent et panes et argenteos retinerent. At illi tenentes eum

dixerunt ei: unde es tu? quia thesauros antiquorum imperatorum invenisti, indica nobis et erimus socii tecum et celabimus te, quia aliter celari non potes. Malchus vero non inveniebat, quid diceret illis, prae timore, illi vero videntes eum tacentem misso fune in collo ejus trahebant per vicos usque in medium civitatis et exiit rumor ad omnes, quod quidam juvenis thesauros invenisset. Congregatis ergo ad eum universis et eum mirantibus volebat iis satisfacere, quod nihil invenerat, et circumspiciens omnes a nemine cognosci poterat et prospiciens in populum volebat cognoscere aliquem de consanguineis suis, quos veraciter vivere putabat, et nullum inveniens stabat quasi insanus in medio populi civitatis. Quod cum audiisset sanctus Martinus episcopus et Antipater proconsul, qui nuper in urbem advenerat, mandaverunt civibus, ut eum caute adducerent et argenteos ejus. Cumque a ministris traheretur ad ecclesiam, putabat, quod duceretur ad imperatorem. Episcopus igitur et proconsul mirantes argenteos interrogaverunt eum, ubi thesaurum incognitum invenisset. At ille respondit, se nihil penitus invenisse, sed de sacculo parentum suorum eosdem denarios habuisse. Et interrogatus, cujus civitatis esset, respondit: bene scio, quod hujus civitatis sum, si tantum haec est civitas Ephesorum. Proconsul dixit: fac venire parentes tuos, ut testentur pro te. Quos cum nominasset et nullus eos cognosceret, dicebant eum se fingere, ut aliquo modo evaderet. Et ait proconsul: quomodo credimus tibi, quod hoc argentum parentum tuorum fuerit, cum scriptura ejus habeat plus quam trecentos septuaginta septem annos et sit primorum dierum Decii imperatoris et in nullo similes sint argenteis nostris? Et quomodo parentes tui ante tantum tempus fuerunt, tu vero juvenis vis decipere sapientes et senes Ephesi? Idcirco jubebo te legibus tradi, donec confitearis, quid invenisti. Tunc procidens Malchus ante eos dixit: pro Deo, domini, dicite mihi, quod vos interrogo, et ego dicam vobis, quod est in corde meo. Decius imperator, qui fuit in hac civitate, ubi nunc est? Episcopus dixit: fili, non est hodie in terra, qui Decius nominatur, imperator autem fuit ante longum tempus. Malchus autem dixit: in hoc, domine, ita stupeo et nemo credit mihi, sed sequimini me et ostendam vobis socios meos, qui sunt in monte Celio, et ipsis credite. Hoc enim scio, quod a facie Decii imperatoris nos fugimus et ego sero vidi, quod ingressus est Decius in hanc urbem, si tantum haec est civitas Ephesi. Tunc episcopus cogitans

in semet ipso dixit proconsuli, quia visio est, quam Deus vult ostendere in juvene isto. Perrexerunt ergo cum eo et civitatis plurima multitudo et ingressus est primo Malchus ad socios suos et post eum episcopus ingrediens invenit inter lapides litteras sigillatas duobus sigillis argenteis et convocato populo legit eas et audientibus et admirantibus cunctis, et videntes sanctos Dei sedentes in spelunca et facies eorum tamquam rosas florentes procidentes glorificaverunt Deum statimque episcopus et proconsul miserunt ad Theodosium imperatorem rogantes, ut cito veniret et miracula Dei nuper ostensa videret. Qui protinus surgens de humo et de sacco, in quo lugebat, glorificans Deum venit a Constantinopoli Ephesum et obviantibus ei cunctis adscenderunt simul omnes ad speluncam et mox ut sancti viderunt imperatorem, resplenduerunt et facies eorum sicut sol et ingressus imperator procidit ante eos glorificans Deum et surgens amplexatus est eos et super singulos flevit dicens: sic video vos, tamquam si viderem dominum resuscitantem Lazarum. Tunc dixit sanctus Maximianus ad eum: crede nobis, quod propter te resuscitavit nos Deus ante diem magnae resurrectionis, ut credas indubitanter, quod resurrectio mortuorum est. Vere enim resurreximus et vivimus et sicut infans est in utero matris non sentiens laesionem et vivit, sic fuimus videntes, jacentes et dormientes et non sentientes. Et his dictis videntibus cunctis inclinantes capita sua in terram obdormierunt et tradiderunt spiritus suos secundum Dei imperium. Surgens autem imperator cecidit super eos flens et deosculans eos, et cum jussisset fieri loculos aureos, in quibus mitterentur, in ipsa nocte apparuerunt imperatori dicentes, ut, sicut hactenus in terra jacuerunt et ex terra resurrexerant, ita eos dimitteret, donec dominus iterum eos resuscitaret. Jussit ergo imperator locum illum inauratis lapidibus adornari et omnes episcopos resurrectionem confidentes absolvi. Quod CCCLXXII annis dormiisse dicuntur, dubium esse potest, quia anno domini CCCCXLVIII surrexerant, Decius autem regnavit uno tantum anno et tribus mensibus, scilicet anno domini CCLII et ita non dormierunt nisi [1]CXCVI annis.

---

1) Ed. Pr. CCCVI annis legit et paulo ante: CCCXLVIII surrexerunt.

CAP. CII. (97.)
De sanctis Nazario [1] et Celso.

Nazarius dicitur quasi Nazarenus, quod interpretatur consecratus vel mundus vel separatus vel floridus aut custodiens. In homine requiruntur haec quinque, scilicet cogitatio, affectio, intentio, actio et locutio. Cogitatio autem debet esse sancta, affectio munda, intentio recta, actio justa et locutio moderata. Haec omnia fuerunt in beato Nazario, habuit enim cogitationem sanctam et inde dicitur consecratus; affectionem mundam et inde dicitur mundus; intentionem rectam et inde dicitur separatus, intentio enim est, quae separat opera, quia ex oculo simplici corpus lucidum, ex oculo nequam corpus tenebrosum creatur; actionem justam et inde dicitur floridus, quia justus florebit sicut lilium; locutionem moderatam et inde dicitur custodiens, quia custodivit vias suas et non deliquit in lingua sua. Celsus, quasi excelsus, quia se supra se extulit, dum aetatem puerilem virtute animi superavit. Horum vitam et passionem Ambrosius in libro Gervasii et Protasii reperisse dicitur, in quibusdam autem libris legitur, quod quidam philosophus Nazario devotus ejus passionem conscripsit, quam [2] Ceratius, qui sanctorum corpora sepelierat, ad caput ipsorum posuit.

Nazarius filius illustrissimi viri nomine Africani, sed Judaei, et beatae Perpetuae christianissimae et Romanorum nobilissimae et a beato Petro apostolo baptizatae, cum haberet IX annos, plurimum mirabatur videns patrem suum et matrem in observatione religionis tam dissimiliter variari et quia mater sua legem baptismi, pater vero suus legem sabbati sequeretur. Unde cui magis adhaerere deberet, plurimum dubitabat, cum uterque ad fidem suam eum trahere niteretur. Tandem nutu Dei vestigiis matris adhaesit et a beato Lino papa sacrum baptisma suscepit, quod pater intelligens coepit ipsum a sancto proposito avertere et tormentorum genera, quae christianis inferuntur, per ordinem explicare. Quod autem dicitur eum a Lino papà baptizatum, forte intelligitur non, qui tunc papa erat, sed qui futurus erat. Nazarius enim post baptismum, sicut infra patet, annis multis supervixit, qui tamen a Nerone

1) Verba. et Celso omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. legit cerarius.

martirium pertulit, qui Petrum anno ultimo sui imperii crucifixit, Linus autem post mortem Petri papa fuit. Cum autem patri nullatenus assentiret, sed potius Christum constantissime praedicaret, ad preces parentum, qui, ne occideretur, timebant, de urbe Roma exiit et VII samarios de parentum divitiis oneratos accipiens per civitates Italiae venit et omnia pauperibus erogavit. Decimo autem anno digressionis suae a Roma Placentiam et deinde Mediolanum adveniens sanctos Gervasium et Protasium ibidem in carcere detineri reperit, audito autem, quod Nazarius praedictos martires animaret, cito ad praefectum pertrahitur et in confessione Christi perdurans fustibus verberatur, et sic ex urbe illa projectus dum de loco ad locum pergeret, mater ejus, quae obierat, sibi apparuit et filium suum confortans, ut ad Gallias properaret, admonuit. Cumque ad urbem Galliae, quae Gemellus dicitur, advenisset et ibidem plurimos convertisset, quaedam matrona filium suum nomine Celsum elegantem puerum sibi obtulit, rogans, ut ipsum baptizaret et secum duceret. Quod praefectus Galliarum audiens ipsum cum puero Celso retro manibus vinctum et collo catena constrictum in carcere reclusit, ut eum in crastino tormentis afficeret. Tunc uxor sua misit ad eum asserens injustum esse judicium, ut innocentes occideret et Deos omnipotentes vindicare praesumeret. Quibus verbis praeses correctus sanctos absolvit, sed ne ibi praedicare praesumerent, admonuit et interdixit. Venit autem ad urbem Treviris et ibi Christum primus praedicans et multos ad fidem Christi convertens ibidem sibi ecclesiam aedificavit. Quod audiens Cornelius vicarius Neroni imperatori mandavit, qui C milites ad eum capiendum misit. Quem cum illi juxta oratorium, quod sibi construxerat, invenissent, ligaverunt manus ejus dicentes: magnus Nero te vocat. Quibus Nazarius: incompositus rex incompositos milites habet; quare enim venientes honeste non dixistis: Nero te vocat, et venissem. Vinctum igitur ad Neronem ducebant et puerum Celsum plorantem alapis caedentes, ut sequeretur, urgebant. Quos cum Nero vidisset, jussit eos in carcere recludi, donec ipsos suppliciis excogitatis perimeret. Interea cum Nero quadam vice ad capiendas feras misisset venatores, subito ferarum multitudo erumpens viridarium Neronis intravit, ubi multos laceravit et plerosque occidit, in tantum, ut Nero turbatus diffugeret et vulnerato pede vix ad palatium pervenit. Multis autem diebus illius vulneris dolore decumbens tandem Nazarii et Celsi meminit et putavit Deos sibi iratos fuisse, eo quod tamdiu ipsos

vivere permisit. Jussu igitur imperatoris milites Nazarium calcibus tundentes et puerum verberantes de carcere eduxerunt et coram imperatore statuerunt. Videns autem Nero faciem ejus instar solis se phantastice deludi putavit et ut magicas artes deponeret, sibi dixit ac ut Diis immolaret, praecepit. Ductus ergo Nazarius ad templum rogavit, ut omnes exirent, et sic eo orante omnia ydola sunt confracta. Quod audiens Nero jussit eum in mare praecipitari, praecipiens, ut, si forte evaderet, ipsum insequentes igni comburerent et pulverem ejus in mare projicerent. Nazarius igitur et puer Celsus navi imponuntur et in medium pelagus producti ibi praecipitantur, sed statim circa navem tempestas maxima concitatur et circa sanctos tranquillitas maxima cernitur. Cumque illi periclitari timerent et malorum, quae in sanctos commiserant, poeniterent, ecce Nazarius cum puero Celso super aquas ambulans hilari vultu iisdem apparuit ac super navem conscendens ipsis jam credentibus oratione sua mare placavit ac inde cum iis ad locum per passus DC juxta urbem Januensem pervenit. Ubi cum diutius praedicasset, Mediolanum tandem, ubi Gervasium et Protasium reliquerat, venit. Quod cum Anolinus praefectus audivisset, eum remanente Celso in domo cujusdam matronae in exsilium direxit, Nazarius vero Romam veniens et patrem suum jam senem et christianum inveniens, quomodo conversus fuerit, inquisivit. Cui dixit, apostolum Petrum sibi apparuisse et ut praecedentes ad Christum uxorem et filium sequeretur, admonuisse. Deinde a templorum pontificibus ad urbem Mediolanum, unde Romam missus fuerat, redire eum injuria multa compellitur, ubi cum puero Celso praesidi praesentatur. Qui eductus extra portam Romanam in loco, qui dicitur Tres Muri, cum puero Celso decollatus est. Quorum corpora cum christiani rapuissent et in hortis suis collocassent, in ipsa nocte sancti cuidam, nomine Ceratio, apparentes dixerunt, ut eorum corpora in domo sua propter Neronem profundius sepeliret. Quibus ille: quaeso, domini, sanate prius filiam meam paraliticam. Quae cum continuo sanata fuisset, corpora eorum tulit et, ut jusserant, sepelivit. Post longum vero tempus dominus corpora eorum beato Ambrosio revelavit, Celsum vero in loco suo relinquens, Nazarium cum sanguine recenti quasi eadem hora sepultum, miro odore fragrantem, integrum et incorruptum cum capillis et barba reperiens ipsum ad ecclesiam apostolorum transtulit et ibi honorifice sepelivit. Passi sunt autem sub Nerone, qui coepit circa annos domini

LVII. De hoc martire sic dicit Ambrosius in praefatione: martir sanctus roseo lustratus cruore Nazarius coeleste meruit conscendere regnum. Qui dum per innumera tormentorum supplicia crudelius vexaretur, tyrannicam rabiem fidei constantia superabat nec potuit persecutorum illatis cedere minis, quando pro se certante ipse actor victoriae Christus dominus dimicabat. Ducitur interea ad templum ydolis praelibare profanis, quorum portenta divino fultus praesidio mox, ut ingressus est, redegit in pulverem. Ob hoc liquidas maris in undas longius a terra projectus angelici muneris famulatu solida inter fluctus vestigia praefigebat. O felix et inclitus domini proeliator, qui mundi aggressus principem innumeram populi multitudinem vitae sociavit aeternae. O magnum ac ineffabile sacramentum, ut de illorum potius salute laetetur ecclesia, quos punivisse mundus exsultat. O beata mater natorum suorum glorificata tormentis, quos non planctu, non gemitu ad inferna deducit, sed ad coelestia aeterna migrantes perpetua laude prosequitur. O testis fragrantissime, nitore coelesti fulgide, cujus inaestimabilis odor Sabaeicis praepollet aromatibus. Quem Ambrosius reperiens perennem patronum dedit et medicum, fidei propugnatorem, sacri proelii bellatorem:

Tu dudum multo latitantem pulvere dragmam
Invenis accensa verbi virtute superna,
Ut pateant cunctis tua, Christe, munera sedis,
Angelicos cernant humanaque lumina vultus.

Haec Ambrosius.

CAP. CIII. (98.)
De sancto Felice papa.

Felix loco Liberii in papam eligitur et ordinatur: cum enim Liberius papa nollet Arianae haeresi assentire, missus est in exsilium a Constantio filio Constantini et ibi per triennium moratus est. Quapropter universus clerus Romanus loco ejus Felicem ordinaverunt ipso Liberio volente et consentiente. Qui quidem Felix concilio convocato coram XLVIII episcopis Constantium imperatorem Arianum haereticum et duos presbiteros sibi faventes condem-

navit. Quapropter Constantius indignatus Felicem de episcopatu suo dejecit et Liberium eo pacto revocavit, ut scilicet solummodo Constantino et aliis, quos Felix damnaverat, communicaret. Liberius igitur taedio affectus exsilii in haeretica pravitate subscripsit et sic in tantum persecutio excrevit, ut quam plurimi sacerdotes et clerici Liberio non prohibente intra ecclesiam sunt necati. Felix vero de episcopatu dejectus cum in praedio suo habitaret, inde eductus martirium capitis obtruncatione promeruit circa annos domini CCCXL.

CAP. CIV. (99.)

De sanctis Simplicio et Faustino.

Simplicius et Faustinus fratres cum sacrificare contemnerent, sub Dyocletiano imperatore Romae multa supplicia pertulerunt. Tandem data super eos sententia decollati sunt et in Tiberim corpora eorum projecta, soror autem eorum nomine Beatrix eorum corpora de flumine levavit et honorifice sepelivit, Lucretius autem praefectus et ejus vicarius, dum praedium ipsorum ambiret, eam teneri fecit et, ut ydolis immolaret, praecepit. Quam renuentem Lucretius nocte a servis suis praefocari praecepit, cujus corpus Lucia virgo rapiens juxta fratres suos sepelivit. Praefectus post hoc Lucretius praedium ipsum intravit, ubi facto amicis suis convivio cum martiribus insultaret, infantulus quidam lactens pannis involutus de gremio matris, quae ibi aderat, cunctis audientibus exclamavit: audi, Lucreti, occidisti et invasisti, ecce datus es in possessionem inimici. Statimque Lucretius timens ac tremens a daemone arripitur et per tres horas adeo est vexatus, ut in ipso convivio moreretur. Quod videntes, qui aderant, ad fidem conversi sunt et narrabant omnibus passionem sanctae Beatricis virginis in convivio vindicatam. Passi sunt autem circa annos domini CCLXXXVII.

CAP. CV. (100.)

De sancta Martha.

Martha hospita Christi Syro patre, Eucharia matre regali ex progenie descendit: pater ejus Syriae et maritimarum multarum orarum dux exstitit, tria autem oppida, scilicet Magdalum et Bethaniam utramque et Hierosolimitanae urbis partem Martha cum sorore jure maternae hereditatis possidebat. Nunquam autem legitur virum habuisse aut hominum contubernium subiisse. Ministrabat autem domino nobilis hospita et sororem pariter ministrare volebat, quia videbatur sibi, quod ad serviendum tanto hospiti non sufficeret etiam totus mundus. Post adscensionem domini cum facta esset dispersio discipulorum, ipsa cum fratre suo Lazaro et sorore sua Maria Magdalena necnon et beatus Maximinus, qui eas baptizaverat et cui a spiritu sancto fuerant commendatae, multique alii ablatis remis, velis et gubernaculis omnibus et alimentis ratibus ab infidelibus includuntur, qui domino duce Massiliam pervenerunt. Tandem territorium Aquense adeunt et ibidem populum ad fidem convertunt. Erat autem beata Martha valde facunda et omnibus gratiosa. Erat autem tunc temporis super Rhodanum in nemore quodam inter Arelatem et Avenionem draco quidam, medius animal, medius piscis, grossior bove, longior equo, habens dentes ut spata, acutos ut [1])cornua, binis parmis ex utraque parte munitus, qui latens in flumine omnes transeuntes perimebat et naves submergebat. Venerat autem per mare de Galatia Asiae, generatus a Leviathan, qui est serpens aquosus et ferocissimus, et ab [2]) Onacho animali, quod Galatiae regio gignit, quod in sectatores suos per spatium jugeris stercus suum velut spiculum dirigit et quidquid tetigerit, velut ignis exurit. Ad quem Martha a populis rogata accedens ipsumque in nemore quendam hominem manducantem reperiens aquam benedictam super eum jecit et crucem quandam sibi ostendit. Qui protinus victus ut ovis stans a sancta Martha proprio cingulo alligatur et illico a populo lanceis et lapidibus perimitur. Vocabatur autem draco ab incolis Tarasconus, unde in hujus memoriam [3]) locus ille adhuc vocatur Tarascona, qui antea vocabatur [4]) Nerluc, id est niger lacus, eo quod

1) Ut cornua omittunt rec. libri, qui quidem addunt binis parmis ex. 2) Alii legunt Honacho vel Bonacho; sine dubio respicitur onager, de quo multae tum temporis fabulae ferebantur. 3) Ed. Pr. lacus legit. 4) Ed. Pr. Neilue legit.

ibi erant nemora nigra et umbrosa. Ibi igitur beata Martha de licentia magistri sui Maximini et sororis suae deinceps remansit et orationibus et jejuniis indesinenter vacabat, deinde congregato ibidem magno sororum conventu et ad honorem beatae Mariae semper virginis magna aedificata basilica satis ibi asperam duxit vitam, carnem et omnem pinguedinem, ova, caseum, et vinum vitans semel tantum in die edebat, centies in die, toties in nocte genua flectebat. Quadam vice dum apud Avenionem inter urbem et fluvium Rhodani praedicaret, juvenis quidam ultra fluvium consistens ejus verba audire desiderans, cum navigio careret, nudatus natare coepit, sed subito vi fluminis rapitur et protinus suffocatur. Cujus corpus vix secunda die inventum ante pedes sanctae Marthae resuscitandum praesentatur, illa vero in modum crucis sola prostrata taliter oravit: Adonay domine Jesu Christe, qui fratrem meum Lazarum dilectum tuum olim resuscitasti, respice, mi hospes care, ad fidem circumstantium et resuscita puerum istum, et apprehensa ejus manu mox juvenis surrexit et sacrum baptisma suscepit. Refert Eusebius in libro Hystoriae ecclesiasticae quinto, quod mulier Emorroissa, postquam sanata fuit, in curia sive viridario suo statuam fecit ad imaginem Christi cum veste et fimbria, sicut ipsum viderat, et eam plurimum reverebatur, herbae vero sub illa statua crescentes, quae ante nullius erant virtutis, cum fimbriam attingerent, tantae virtutis erant, ut multi infirmi inde sanarentur. Illam autem Emorroissam, quam dominus sanavit, Ambrosius dicit fuisse Martham. Refert autem Hieronymus et habetur in Hystoria tripartita, quod Julianus apostata imaginem, quam Emorroissa fecerat, inde sustulit et suam ibidem collocavit, quae ictu fulminis confracta fuit. Obitum autem suum sibi dominus ante per annum revelavit, in quo toto anno febribus elaborans ante octavum diem sui exitus angelicos choros sororis suae in coelum animam deferentes audivit, quae mox fratrum et sororum conventu congregato ait: mei comites et dulcissimi alumni, mihi, quaeso, congratulamini, quoniam angelicos choros sororis meae animam ad sedes pollicitas ferentes ovanter cerno. O pulcherrima et mi dilecta soror vivas cum magistro tuo et hospite meo in sede beata. Statimque beata Martha exitum suum vicinum praesentiens suos admonuit, ut luminaribus accensis circa se usque ad obitum vigilarent, nocte vero media ante transitus sui diem custodibus somno gravatis ventus vehemens irruit et luminaria cuncta exstinxit, illa vero malignorum

spirituum turbam cernens orare coepit: mi pater ely, mi hospes care, congregati sunt ad devorandum me seductores mei, scripta tenentes mala, quae gessi. Ely ne elongeris a me, sed in adjutorium meum intende. Et ecce sororem ad se venientem vidit, quae manu facem tenens cereos et lampades inde accendit, dumque altera alteram proprio nomine vocaret, ecce Christus advenit dicens: veni, dilecta hospita, et ubi ego sum, illuc mecum eris. Tu me suscepisti in hospitio tuo, ego te recipiam in coelo meo et invocantes te exaudiam amore tuo. Appropinquante vero hora sui transitus foras deferri se fecit, ut coelum posset videre, jussitque se in terra super cinerem poni et signum crucis coram se teneri et in haec verba oravit: hospes mi care, hanc pauperculam tuam custodi, et sicut mecum dignatus es hospitari, sic me suscipe in hospitio tuo coelesti. Jussitque, ut passio secundum Lucam coram se legeretur, et cum diceretur: pater, in manus tuas commendo spiritum meum, illa emisit spiritum. Sequenti vero die, scilicet dominica, dum circa corpus ejus laudes exsolverent, circa horam tertiam apud Petrogoricas beato Frontoni missam celebranti et post epistolam in cathedra dormitanti dominus apparuit dicens ei: dilecte mi Fronto, si vis adimplere, quod olim hospitae nostrae pollicitus es, surge velociter et sequere me. Quo jussa complente subito ambo Tarasconam venerunt et circa corpus ejus psallentes totum officium ambo caeteris respondentibus peregerunt et corpus ejus in sepulchro suis manibus collocaverunt. Verum dum apud Petrogoricas finitis cantibus dyaconus evangelium lecturus benedictionem petens episcopum excitaret, ille vix excitatus respondit: fratres mei, cur me excitastis? Dominus Jesus Christus ad corpus Marthae hospitae suae me duxit et ipsam tradidimus sepulturae, dirigite igitur illuc velociter nuntios, qui nobis annulum nostrum, aurum et cyrothecas criseas deferant, quae, dum ad corpus sepeliendum me aptarem, sacristae commendavi et ex oblivione dimisi, quia me tam cito excitastis. Missi nuntii et hoc, ut episcopus dixerat, invenientes annulum solamque cyrothecam attulerunt, aliam vero in hujus rei testimonium sacrista retinuit. Addidit quoque beatus Fronto dicens: cum post sepulturam ab ecclesia exiremus, frater quidam illius loci literis peritus nos insecutus dominum interrogavit, quo nomine vocaretur. Cui ille nihil respondens ostendit ei codicem, quem in manu tenebat, apertum, in quo nihil aliud erat scriptum, nisi versus iste: in memoria aeterna erit justa hospita

mea, ab auditione mala non timebit in die novissimo. Cum vero codicem revolveret, cunctis foliis hoc reperit scriptum. Cum autem ad ejus sepulchrum crebra miracula fierent, Clodoveus rex Francorum christianus effectus a sancto Remigio baptizatus cum gravem renum pateretur dolorem, ad ejus tumulum veniens sanitatem integram reportavit, quapropter illum locum ditavit et trium milliariorum spatio in giro ex utraque parte Rhodani terram, villas et castra dedit locumque illum liberum fecit. Martilla vero ejus famula vitam conscripsit ipsius, quae postmodum in Sclavoniam pergens et ibi evangelium Dei praedicans post decimum annum a dormitione Marthae in pace quievit.

CAP. CVI. (101.)

De sanctis Abdon et Sennen.

Abdon et Sennen sub Decio imperatore martirium passi sunt. Cum enim Decius imperator Babyloniam cum aliis provinciis superasset, quosdam christianos ibi invenit, quos secum ad urbem Cordubam deducens diversis suppliciis consummavit, et eos duo subreguli capientes, scilicet Abdon et Sennen, sepelierunt, unde accusati et Decio praesentati Romam post eum vincti catenis ducuntur et in conspectu Decii et senatus introducti aut sacrificare et rerum suarum recipere libertatem aut morsibus bestiarum devorari jubentur. Contemnentes itaque et exspuentes in simulacra ad theatrum pertrahuntur et ad eos duo leones et ursi quatuor dimittuntur, qui cum sanctos non tangerent, sed etiam custodirent, injectis in eos gladiis occiduntur et ligatis pedibus tracti sunt et jactati ante simulacrum solis. Qui cum ibi triduo jacuissent, Quirinus subdyaconus eos collegit et in domo sua sepelivit. Passi sunt autem circa annos domini [1]) CCLIII. Tempore autem Constantini ipsi quatuor martires eorum corpora revelaverunt et a christianis translata sunt in cimiterium Pontiani, ubi dominus per eos multa praestat beneficia [2]) populo.

---

1) Ed. Pr. legit CC. 2) Ed. Pr. legit populorum.

CAP. CVII. (102.)
De sancto Germano episcopo.

Germanus dicitur a germine et ana, quod est sursum, quasi supernum germen. Tria enim reperiuntur in segete germinante, scilicet calor naturalis, humor nutrimentalis et ratio seminalis. Beatus igitur Germanus dicitur quasi semen germinans: quia in ipso fuit calor per fervorem dilectionis, humor per pinguedinem devotionis et ratio seminalis per virtutem praedicationis, per quam multos in fide et moribus generabat. Cujus vitam Constantinus presbiter ad sanctum Censurium episcopum Altisiodorensem scripsit.

Germanus nobilissimus genere in urbe Altisiodoro natus et liberalibus studiis plurimum eruditus tandem Romam ad discendum juris scientiam est profectus, ubi tantum dignitatis accepit, ut eum senatus ad Gallias transmitteret, ut apicem ducatus totius Burgundiae obtineret. Cum ergo Altisiodorensem civitatem caeteris diligentius gubernaret, arborem quandam pinum in media civitate habebat, ad cujus ramos pro admiratione venationis ferarum capita suspendebant. Sed cum sanctus Amator ejusdem civitatis episcopus de tali eum vanitate saepe redargueret, monens, ut etiam illam arborem incidi mandaret, ne aliqua mala occasio ex hoc christianis eveniret, ille nullatenus acquievit. Quadam autem vice absente Germano arborem incidit et incendio totam dedit, quod Germanus audiens christianae religionis oblitus vallatus militibus illuc advenit et mortem episcopi intentavit. Episcopus autem divina revelatione Germanum sibi successurum agnoscens furenti cessit et Augustodunum perrexit. Postmodum Altisiodorum reversus Germanum in ecclesia caute conclusit et ibidem eum tonsurans ipsum sibi successorem esse praedixit. Quod factum est. Nam paulo post episcopus feliciter obiit et Germanum plebs omnis in antistitem postulavit, qui substantia pauperibus erogata et uxore in sororem commutata corpus suum per triginta annos sic afflixit, ut nunquam panem frumenti, non vinum, non [1]) legumen, nunquam vel salem pro sapore comederit. Bis tamen in anno, scilicet in pascha et natali, vinum sumebat, sed tamen ipsum vini saporem aquis nimiis ex-

1) Alii sagimen legunt, ex quo rec. libri pessime confinxerunt sanguinem.

stinguebat. In refectione primo cinerem praelibabat, deinde panem hordeaceum sumebat, semper autem jejunans nunquam nisi in vespere comedebat. In aestate vel hyeme nullam vestem habuit praeter cilicium [1]) et unicum cucullum, quae vestis nisi forte alicui donaretur, tamdiu ferebatur, donec attritione nimia solveretur. Lectus cinere, cilicio ac sacculo ornabatur, nullum pulvinar caput ab humeris ejus levabat, sed semper gemens et reliquias sanctorum collo gerens nunquam vestimentum, raro calceamenta et raro cingulum detrahebat: super hominem siquidem fuit omne, quod gessit. Talis enim ejus exstitit vita, ut, si miraculis [2]) caruisset, incredibilis videretur. Tanta fuerunt miracula, ut, nisi merita praecessissent, phantastica putarentur. Hospitatus in quodam loco cum post coenam mensa iterum pararetur, admiratus interrogat, cui denuo praepararent. Cui quum dicerent, quod bonis illis mulieribus, quae de nocte incedunt, praepararent, illa nocte sanctus Germanus statuit vigilare, et ecce vidit multitudinem daemonum ad mensam in forma hominum et mulierum venientem, qui iis praecipiens, ne abirent, cunctos de familia excitavit inquirens, si personas illas agnoscerent. Qui cum omnes vicinos suos et vicinas suas esse dicerent, misit ad domos singulorum daemonibus praecipiens, ne abirent, et ecce omnes in suis lectulis sunt inventi. Adjurati igitur se daemones esse dixerunt, qui sic hominibus illudebant. Eo tempore beatus Lupus episcopus [3]) Trahasmae florebat, cujus urbem cum Attila rex obsideret, super portam beatus Lupus acclamans, quis esset, qui eos sic impeteret, inquisivit. Cui ille: ego sum Attila flagellum Dei. Quo contra humilis praesul Dei ait dicens et gemens: et ego Lupus, heu vastator gregis Dei et indigens flagello Dei, moxque portas reserari jussit. Illi autem divinitus excaecati per portam ad portam transierunt, neminem autem videntes aut laedentes. Beatus igitur Germanus assumto praedicto episcopo Lupo in Britannias, ubi haeretici pullulaverunt, profectus est, sed dum in mari essent et tempestas maxima oriretur, ad orationem sancti Germani protinus tranquillitas magna efficitur; honorifice igitur a populis suscipiuntur, quorum adventum daemones jam praedixerant, quos sanctus Germanus de obsessis expulerat. Verum cum haereticos convicissent, ad propria redierunt. Cum in quodam loco infirmus decumberet, contigit, ut totus ille vicus repentino incendio

1) Rec. legunt: et tunicam et cucullam. 2) Ed. Pr. claruisset.
3) Rec. legunt: Tracasinae.

conflagraret. Qui cum rogaretur, ut inde asportatus ignem evaderet, ille incendio se opponit et ultra citraque omnia consumente flamma hospitium ejus non tetigit. Dum ad Britannias iterato rediret, ut haereticos confutaret, quidam ex discipulis ejus gradu concito ejus vestigia sequebatur, qui tamen apud Cordomarum infirmitatus occubuit. Rediens inde beatus Germanus sepulchrum ejus aperiri fecit ipsumque vocans ex nomine, quid ageret, an adhuc secum militare cuperet, requisivit. Mox ille residens cuncta sibi constare suavia ac se nolle e contra ulterius revocari respondit. Tunc sancto annuente, ut requiesceret, ille deposito capite rursum in domino obdormivit. Dum in Britannia praedicaret et sibi et sociis rex Britanniae hospitium denegasset, subulcus regis regressus a pascuis receptam praebendam in palatio ad tugurium proprium referens vidit beatum Germanum cum sociis fame et frigore laborantem, quos in domo sua benigne recepit et unicum vitulum, quem habebat, hospitibus occidi praecepit. Post coenam sanctus Germanus omnia ossa vituli super pellem componi fecit et ad ejus orationem vitulus sine mora surrexit. Sequenti die Germanus regi festinus occurrit et, cur ei hospitium denegarit, potenter inquirit. Tunc rex vehementer attonitus sibi respondere non potuit et ille: egredere, inquit, et regnum meliori dimitte. Germanus igitur Dei mandato subulcum cum uxore venire fecit et universis stupentibus regem constituit et ex tunc reges de subulci genere prodeuntes dominantur genti Britonum. Cum Saxones contra Britones dimicarent et se paucos viderent, sanctos inde transeuntes vocaverunt et ab iis praedicati certatim omnes ad baptismi gratiam convolabant. Die igitur paschae ex fervore fidei projectis armis proponunt fortiter proeliari, quod illi audientes audacter contra inermes properant, sed Germanus latens cum suis omnes admonuit, ut, cum ipse alleluja clamaret, omnes sibi uno clamore respondeant. Quod cum factum esset, tantus hostes super se jam irruentes terror invasit, ut projectis armis non solum montes sed coelum etiam super se ruere putarent, cunctique diffugerunt Quadam vice dum per Augustodunum transiens ad tumulum sancti Cassiani episcopi devenisset, quomodo se haberet, inquisivit. Ille statim ex tumulo cunctis audientibus sic respondit: dulci quiete perfruor et adventum redemtoris exspecto. Et ille: quiesce per longum in Christo tempus et pro nobis attentius intercede, ut obtinere sacrae resurrectionis gaudia mereamur. Dum apud Ravennam devenisset, a regina Pla-

cida et filio suo Valentiniano honorifice susceptus est, hora vero coenae regina ei misit vas argenti amplissimum delicatioribus cibis plenum, quod ille sic suscepit, ut cibos famulis traderet et sibi pro pauperibus ipsum vas argenteum retineret. Loco vero muneris misit reginae scutellam ligneam panem hordeaceum continentem, quod illa libenter recepit et vas illud postmodum argento texit. Quadam autem vice dum praedicta regina eum ad convivium invitasset, ille benigne annuens ab hospitio suo usque ad palatium, eo quod jejuniis et orationibus esset confectus, asino deferente portatus est, sed dum comederet, asinus sancti Germani mortuus est. Quod regina audiens equum mirae mansuetudinis episcopo praesentari fecit, quem intuens ait: meus mihi asinus praesentetur, quia, qui me huc attulit, reportabit. Pergensque ad cadaver: surge, inquit, muscio revertamur hospitio, statimque subsiliens se ipsum concussit et quasi nihil mali passus esset, Germanum ad hospitium deportavit. Sed antequam de Ravenna exiret, praedixit, quod nequaquam in hoc saeculo diutius moraretur. Post modicum febre corripitur et die VII in domino moritur et corpus ejus ad Gallias, sicut a regina petierat, transportatur. Obiit circa annos domini CCCCXXX. Verum cum sanctus Germanus beato Eusebio Vercellensi episcopo promisisset, quod in sua reversione ecclesiam, quam fundaverat, sibi dedicaret, cum intellexisset sanctus Eusebius beatum Germanum exiisse de corpore, ecclesiam suam dedicaturus cereos accendi jussit, sed quanto plus accendebantur, tanto plus exstinguebantur. Quod videns Eusebius intellexit dedicationem aut alio tempore fieri oportere aut alteri episcopo reservari. Cum igitur beati Germani corpus Vercellas delatum fuisset, mox in praedictam ecclesiam inducitur et statim cerei omnes divinitus inflammantur. Tunc sanctus Eusebius promissionis beati Germani meminit et quod vivens se facturum promiserat, mortuum fecisse cognovit. Hoc ita oportet accipi, ut non intelligatur de magno Eusebio Vercellensi, quod tempore illius factum sit hoc, nam ipse sub Valente imperatore mortuus fuit et a morte ipsius usque ad mortem sancti Germani ultra annos L effluxerant. Fuit ergo alius Eusebius, sub quo istud, quod narratur, evenit.

CAP. CVIII. (103.)
De sancto Eusebio.

Eusebius ducitur ab eu, quod est bonum, et sebe, quod dicitur eloquentia vel statio. Vel Eusebius sonat bonus cultus. Ipse namque habuit bonitatem in sanctificatione sui, eloquentiam in defensione fidei, stationem in constantia martirii, bonum cultum in reverentia Dei.

Eusebius semper virgo exsistens dum adhuc catechumenus esset, ab Eusebio papa baptisma suscepit et nomen, in quo baptismo manus angelicae visae sunt, quae ipsum de sacro fonte levaverunt. Matrona quaedam ejus pulchritudine capta cum ipsius cubiculum vellet adire, custodientibus angelis pervenire non potuit, unde facto mane ad ejus pedes procidit et ab eo veniam petiit. Ordinatus presbiter tanta sanctitate emicuit, ut in missarum sollemniis inter manus ejus ministerium angelicum appareret. Post hoc cum Ariana pestis totam Italiam inficeret, imperatore Constantio eidem haeresi favente Julianus papa Eusebium in Vercellensem episcopum consecravit, quae tunc obtinebat inter alias urbes Italiae principatum. Quod haeretici audientes omnes fores ecclesiae claudi fecerunt, at Eusebius urbem ingressus ante ostium majoris ecclesiae, quae est beatae Mariae, genua flexit et omnia ostia mox sua oratione aperuit. [1])Maxentium Mediolanensem episcopum haeretica pravitate corruptum de episcopatu ejecit et pro eo virum catholicum Dyonisium ordinavit sicque Eusebius totam ecclesiam occidentis et Athanasius totam ecclesiam orientis ab Arianorum peste purgabant. Arius namque presbiter Alexandrinus fuit, qui Christum puram creaturam esse dicebat, asserens, quod erat, quando non erat, et quod propter nos factus est, ut nos per eum tamquam per instrumentum Deus crearet, et ideo magnus Constantinus celebrari fecit Nicaenum concilium, ubi error condemnatus est. Ipse autem postmodum miserabili morte interiit, quia omnia viscera et intestina per secessum emisit. Constantius autem Constantini filius ipsa haeresi corruptus fuit, quocirca Constantius imperator contra Eusebium plurimum indignatus multorum episcoporum concilium

1) Ed. Pr. Auxentium legit.

convocavit et Dyonisium accersivit multasque epistolas ad Eusebium destinavit, qui sciens malitiam in multitudine praevalere, venire contemsit et suam senectutem opposuit. Unde imperator statuit contra suam excusationem in Mediolanensi urbe, quae prope erat, concilium celebrari. Ubi cum Eusebium deesse videret, jussit Arianos fidem suam describere et Dyonisium episcopum Mediolanensem ac [1])XXXIII episcopos eidem fidei subscribere. Quod audiens Eusebius ex urbe sua profecturus Mediolanum exiit et se multa passurum praedixit. Cum igitur ad quendam fluvium venisset, ut Mediolanum pergeret, navis procul ex alia parte fluminis exsistens eo jubente ad eum venit et ipsum cum sociis sine gubernatore alio transportavit. Tunc ei praedictus Dyonisius obviavit et ad pedes ejus procidens veniam postulavit. Cum igitur Eusebius ab imperatore nec minis nec blanditiis flecti posset, coram omnibus dixit: vos dicitis filium minorem esse patre, cur ergo mihi filium meum et discipulum praetulistis? Non est enim discipulus super magistrum nec servus super dominum suum nec filius super patrem. Qua illi ratione commoti statim chirographum, quem scripserant et cui Dyonisius subscripserat, ei obtulerunt. At ille: nequaquam post filium scribam, cui auctoritate praesum, sed istum incendite novumque, cui subscribam, si vultis, conscribite. Sicque nutu Dei succensus est chirographus, cui Dyonisius et alii XXXIII episcopi subscripserant, rursumque Ariani alium chirographum conscripserunt et Eusebio et aliis eprscopis, ut subscriberent, tradiderunt, sed cum ab Eusebio animati nullatenus consentirent, coeperunt plurimum gratulari, quod chirographum, cui coacti subscripserant, penitus combustum videbant. Tunc iratus Constantius Eusebium voluntati Arianorum tradidit. Qui protinus ipsum de medio aliorum episcoporum rapientes et durius flagellantes eum per gradus palatii a summo usque ad imum et rursus ab imo usque ad summum traxerunt. Cum ergo capite [2]) concusso multum sanguinem fudisset et adhuc non assentiret, vinctis post tergum manibus per collum cum fune ipsum trahebant. Ipse autem gratias agens dicebat, se pro confessione catholicae fidei mori esse paratum. Tunc Constantius Liberium papam, Dyonisium, Paulinum et omnes alios episcopos, qui ejus exemplo fuerant animati, in exsilium mitti fecit, Eusebium vero apud Scytopolin, urbem Palaestinae, Ariani duxerunt et ipsum

---

1) Ed. Pr. et hic et infra XXIX legit. 2) Alii conquassato.

in quodam loco sic artissimo recluserunt, ut esset illo longitudine brevior, latitudine angustior, ita ut curvatus nec pedes extendere nec se in latus alterum vertere posset, capiteque depresso humeros tantum et cubitos movere valebat. Verumtamen Constantio defuncto Julianus eidem succedens et omnibus placere volens jubet exsulatos episcopos revocari et Deorum templa aperiri et pace frui, sub lege, qua quisque vellet. Et sic Eusebius inde exiens ad Athanasium venit et quanta passus fuerat, eidem exposuit. Defuncto autem Juliano et Joviniano regnante sopitis Arianis Eusebius Vercellas rediit et eum populus cum magna exsultatione suscepit. Sed iterum Valente regnante Ariani repullulant et Eusebii domum vallantes et extra domum supinum ipsum trahentes lapidibus eum obruerunt et sic ad dominum feliciter migrans in ecclesia, quam ipse construxerat, sepultus est. Fertur quoque hanc gratiam suae civitati Eusebius a Deo precibus impetrasse, ut nullus Arianus ibidem vivere posset. Vixit autem secundum chronicam ad minus LXXXVIII annis. Floruit circa annos domini CCCL.

CAP. CIX. (104.)

De sanctis Machabeis.

Machabei fuerunt septem fratres cum matre reverenda et Eleazaro sacerdote, qui pro observatione legis cum carnem porcinam nollent comedere, inaudita suppliciorum genera pertulerunt, secundum quod in II. Machab. plenius continetur. Et notandum, quod ecclesia orientalis facit festa de sanctis utriusque testamenti, occidentalis autem non facit festa de sanctis veteris testamenti eo, quod ad inferos descenderunt, praeterquam de innocentibus, ex eo quod in ipsis singulis occisus est Christus, et de Machabeis. Sunt autem quatuor rationes, quare ecclesia de istis Machabeis, licet ad inferos descenderint, sollemnizat. Prima est propter praerogativam martirii. Quia enim inaudita supplicia inter sanctos veteris testamenti passi sunt, ideo privilegiati sunt, ut eorum passio merito celebretur. Haec ratio ponitur in hystoria scholastica, secunda est propter repraesentationem mysterii. Septenarius enim numerus est numerus universitatis. Significantur ergo in istis omnes patres veteris testamenti celebritate digni, nam licet de ipsis non sol-

lemnizet ecclesia, tum quia ad lymbum descenderunt, tum quia multitudo multorum novorum subintravit, in his tamen septem impendit omnibus reverentiam, quia per septem, ut dictum est, universitas designatur. Tertia est propter exemplum patiendi, proponuntur enim in exemplum fidelibus, ut secundum horum constantiam ad zelum fidei animentur et ad patiendum pro lege evangelii, sicut illi pro lege Moysi fortius accingantur. Quarta est propter causam supplicii, nam pro defensione legis [1])suae talia supplicia passi sunt, sicut et christiani pro defensione legis evangelicae patiuntur. Has tres ultimas rationes assignat magister Joannes Beleth in summa de officiis C. V.

CAP. CX. (105.)

[2])De sancto Petro ad vincula.

Festum sancti Petri apostoli, quod ad vincula dicitur, quadruplici de causa institutum fuisse putatur, scilicet in memoriam liberationis Petri, in memoriam liberationis Alexandri, pro destruendo ritu gentilium et pro impetranda absolutione spiritualium vinculorum.

Prima ergo causa est in memoriam liberationis Petri. Nam, sicut dicitur in hystoria scholastica, Herodes Agrippa Romam adiit et ibi Cajo nepoti Tyberii Caesaris familiarissimus exstitit. Quadam autem die cum esset Herodes in curru cum Cajo, levatis in coelum manibus ait: utinam viderem mortem senis et te dominum totius orbis. Sed hoc auriga Herodis audivit et Tyberio continuo intimavit. Quapropter indignatus Tyberius Caesar Herodem reclusit in carcere. Ubi dum quadam die juxta arborem immixus esset, cujus frondibus insidebat bubo, unus de concaptivis peritus in auguriis dixit ei: noli timere, quia cito liberaberis et in tantum sublimaberis, quod amicos tuos in tui invidiam concitabis et in hac prosperitate morieris. Quam cito autem hujus generis animal super te videris, ultra quintum diem vivere non valebis. Post aliquod tempus Tyberius moritur et Cajus in imperium sublimatur, qui quidem Herodem de vinculis liberavit et magnifice sublimatum re-

---

1) Ed. Pr. omittit verba suae — legis et tum legit evangelica. 2) Alii legunt: Ad vincula sancti Petri.

gem in Judaeam misit, cumque venisset, misit manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Occiso autem Jacobo fratre Joannis gladio ab eodem ante dies azimorum, videns, quia hoc gratum esset Judaeis, in diebus azimorum Petrum apprehendit et in carcerem misit volens post pascha producere eum populo. Angelus autem noctu eidem assistens mirabiliter eum a vinculorum nexibus liberavit et ad ministerium praedicationis liberum ire jussit. Facinus autem regis dilationem non patitur ultionis, sequenti vero die custodes ad se venire fecit, ut pro fuga Petri diris eos poenis afficeret. Hoc tamen impeditus est facere, ne solutio Petri alicui noceret. Nam concitus in Caesaream descendit et ibi percussus ab angelo expiravit. Etenim, sicut refert Josephus in XIX. antiquitatum libro, cum Caesaream advenisset et ad eum totius provinciae viri unanimiter convenissent, ille fulgenti veste ex auro argentoque mirabiliter contexta indutus, incipiente die procedit ad theatrum. Ubi cum primum solis radios vestis argentea suscepit, repercusso splendore duplicatam spectantibus lucem fulgur metalli vibrantis effudit, ut intuentibus perstringeret aciem terror aspectus et pro hoc plus aliquid de eo, quam humanae naturae est, artifex arrogantia mentiretur. Illico adulantis vulgi concrepant voces dicentis: hucusque ut hominem te tenuimus, sed ex hoc jam supra humanam naturam te esse fatemur. Et dum adulatoriis demulceretur honoribus et oblatos sibi divinos honores non respueret, respiciens vidit insidentem super funiculum capiti suo angelum, id est bubonem, mortis ejus proximae nuntium respiciensque ad populum dixit: en ego Deus vester morior. Sciebat enim juxta praedicationem auguris, se infra quinque dies moriturum, et continuo percussus per quinque dies vermibus eum corrodentibus expiravit. Haec Josephus. In memoriam igitur tam mirae liberationis principis apostolorum a vinculis et tam dirae vindictae in tyrannum protinus subsecutae, ecclesia festum sancti Petri ad vincula sollemnizat, Unde et epistola in missa canitur, in qua haec liberatio facta fuisse perhibetur, et secundum hoc videtur, quod hoc festum deberet vocari Petri a vinculis. Secunda causa institutionis exstitit, quoniam Alexander papa, qui sextus post beatum Petrum rexit ecclesiam, et Hermes praefectus urbis Romae, qui per Alexandrum ad fidem conversus fuerat, a Quirino tribuno in diversis locis in custodia tenebantur, dixitque tribunus ad Hermem praefectum: miror te virum prudentem honorem dimittere praefecturae et vitam aliam somniare. Cui

Hermes dixit: et ego ante hos annos haec omnia deridebam et hanc vitam solam esse putabam. Respondit Quirinus: fac ergo probare me, quod aliam vitam noveris esse et continuo fidei tuae discipulum me habebis. Cui Hermes dixit: sanctus Alexander, quem tenes in vinculis, ipse hoc melius te docebit. Tunc Quirinus maledicens Hermen ait: ego dixi tibi, ut me probare faceres hoc, et nunc me mittis ad Alexandrum, quem pro suis sceleribus teneo vinculatum. Verumtamen super te et Alexandrum custodiam duplicabo et si ipsum tecum vel te cum ipso invenire potero, vere fidem tuis et ejus dictis vel sermonibus adhibebo. Fecit, quod dixit, et Alexandro hoc Hermes protinus indicavit. Orante igitur sancto Alexandro angelus ad eum venit et ipsum ad Hermen in carcerem duxit et inveniens eos Quirinus insimul plurimum admiratus est, et cum Hermes Quirino narraret, quomodo Alexander filium suum mortuum suscitasset, dixit Alexandro Quirinus: habeo filiam gutturosam nomine Balbinam, promitto igitur me tuam recipere fidem, si filiae meae impetrare poteris salutem. Cui Alexander: vade citius et ipsam ad carcerem meum adducito. Cui dixit Quirinus: cum hic sis, quomodo in carcere tuo potero te invenire? Ad quem Alexander: vade cito, quia, qui me huc adduxit, ille me illuc cito reducet. Pergens igitur Quirinus filiam suam ad carcerem Alexandri adduxit et ibidem ipsum inveniens ad pedes suos se prostravit. Tunc filia ejus coepit vincula sancti Alexandri devote osculari, ut sanitatem reciperet. Cui Alexander dixit: noli, filia mea, has meas osculari catenas, sed bojas sancti Petri diligenter inquire, quas devote osculans recipies sanitatem. Quirinus igitur in carcere, ubi Petrus detentus fuerat, diligenter bojas inquiri fecit, easque cum invenisset, filiae suae osculandas dedit. Illa mox, ut osculata est vincula, sanitatis est integrae beneficium assecuta. Tunc Quirinus veniam petens Alexandrum de carcere extraxit et ipse cum familia et aliis quam pluribus baptisma suscepit. Tunc sanctus Alexander hoc festum in calendas Augusti celebrandum instituit et in honorem apostoli Petri ecclesiam fabricavit, ubi vincula reposuit et ad vincula nominavit. In hac sollemnitate ad praedictam ecclesiam magnus fit concursus populi et ibidem populus vincula osculatur. Tertia causa institutionis secundum Bedam haec est. Octavianus imperator et Antonius sibi invicem affinitate conjuncti sic inter se mundi totius imperium diviserunt, ut Octavianus in occidente Italiam, Galliam et Hispaniam, Antonius vero

in oriente Asiam, Pontum et Africam possideret. Antonius autem lascivus et lubricus cum sororem Octaviani in uxorem haberet, ipsam repudiavit et Cleopatram reginam Aegypti in uxorem accepit. Ob hoc indignatus Octavianus manu armata in Asiam contra Antonium procedit et ipsum in omnibus superavit. Tunc Antonius et Cleopatra victi fugerunt ac semet ipsos prae nimio dolore occiderunt. Aegypti igitur regnum Octavianus destruxit et Romanam provinciam fecit. Inde in Alexandriam perrexit et omnibus eam divitiis spolians Romam ipsas transvexit, unde rempublicam auxit, ita quod pro uno denario daretur, quod prius pro quatuor vendebatur. Et quia civilia bella valde urbem vastaverant, ita eam renovavit, ut dixerit: inveni lateritiam, relinquo marmoream. Quia igitur in tantum rempublicam auxit, Augustus primo omnium vocatus est, unde et ab eo Augusti dicti sunt, qui sibi in imperio successerunt, sicut a Julio Caesare ejus avunculo Caesares appellantur. Unde et hunc mensem Augustum, qui prius Sextilis dicebatur, quia a Martio sextus erat, populus suo nomine intitulavit eum Augustum vocans. In memoriam itaque et honorem victoriae illius, quam prima die Augusti Octavianus habuit, omnes Romani hanc diem sollemnizabant usque ad tempus Theodosii imperatoris, qui coepit regnare anno domini CCCCXXVI. Eudoxia igitur filia praedicti Theodosii imperatoris uxor Valentiniani Hierosolimam ex voto perrexit, ubi quidam Judaeus pro magno munere duas ei catenas obtulit, quibus sub Herode Petrus apostolus vinctus fuit. Cum igitur Romam rediisset in calendis Augusti et honorem imperatoris gentilis romanos sollemnizare videret, dolens, quod damnato homini tantus honor exhiberetur, cogitansque, quod non eos de facili a tali cultura et consuetudine revocare posset, cogitando tractavit, ut observantia quidem sic staret, sed in honorem sancti Petri fieret, et illum diem universus populus ad vincula nominaret. Habita igitur collatione cum beato Pelagio papa populum blandis exhortationibus induxerunt, ut oblivioni traderetur memoria principis paganorum et celebris fieret memoria principis apostolorum. Quod dum cunctis placuisset, illa catenas, quas de Jerusalem attulerat, protulit et populo ostendit. Papa vero et illam catenam protulit, qua sub Nerone idem apostolus vinctus fuit. Hac ergo illis sociata ita miraculose una catena facta est, ac si semper una et eadem exstitisset. Unde papa et regina protinus statuerunt, ut, quod hominum indiscreta religio faciebat gentili damnato, in me-

lius mutata faceret apostolorum principi Petro. Ipsa igitur vincula papa cum regina in ecclesia sancti Petri ad vincula posuit et ipsam muneribus multis et privilegiis magnis dotavit ac praedictam diem ubique celebrem fore instituit. Haec Beda. Idem dicit Sigbertus. Quantae autem virtutis haec catena fuit, anno domini CCCCLXIV apparuit. Quendam enim comitem imperatoris Ottonis propinquum dyabolus ante omnium oculos tam crudeliter arripuit, ut se ipsum dentibus laceraret. Tunc jussu imperatoris ad Johannem papam ducitur, ut catena sancti Petri ejus collo circumdaretur, sed cum quaedam alia catena furentis collo fuisset imposita et nihil ex hac provenisset salutis, nimirum ubi nihil latebat virtutis, tandem vera Petri catena producitur et furentis collo imponitur. Tantae autem virtutis pondus dyabolus ferre non potuit, sed mox coram omnibus exclamans abscessit. Tunc Theodoricus Metensis episcopus ipsam catenam arripuit et eam se nullatenus dimissurum, nisi manus sibi praecideretur, asseruit. Cum igitur super haec inter episcopum et papam aliosque clericos gravis oriretur contentio, imperator tandem ipsum litigium sedavit et episcopo ex ipsa catena annulum a papa impetravit. Narrat Miletus in chronica et idem habetur in hystoria tripartita, quod his diebus apud Epirum draco ingens apparuit, in cujus ore Donatus episcopus virtute insignis exspuens mox eum occidit, prius tamen ante ejus faciem digitis crucem designans et eidem ostendens, quem vix VIII juga boum, ne ejus putredine aër inficeretur, ad locum incendii trahere potuerunt. Idem quoque ait ibidem et in eadem tripartita habetur, quod in Creta dyabolus in specie Moysi se posuit, qui Judaeos undecumque congregans super magnum montis praecipitium juxta mare eos duxit. Quos dum ad terram promissionis sicco pede se praeeunte ducere polliceretur, innumeros enecavit. Unde creditur, quod dyabolus indignatus, quia occasione Judaei, qui reginae catenam dederat, plausus Octaviani cessavit, de his se taliter vindicavit. Multi autem ex his, qui evaserunt, ad baptismi gratiam convolaverunt. Cum enim mons ipse declivis incumberet et illi sese evolverent, priores tam acutis rupibus lacerati quam in mari praefocati mortui sunt. Cumque reliqui idem facere vellent et de prioribus, quid iis acciderit, ignorarent, quidam piscatores inde transeuntes malum, quod acciderat, narraverunt eisdem et sic illi conversi sunt. Haec in hystoria tripartita. Quarta causa institutionis hic assignari potest. Dominus enim a vinculis Petrum miraculose ab-

solvit et eidem ligandi et absolvendi potestatem dedit, nos autem vinculis peccatorum obligati tenemur et absolvi indigemus. Ideo igitur ipsum in sollemnitate, quae dicitur ad vincula, honoramus, ut, sicut ipse a vinculis absolvi promeruit et sicut absolvendi potestatem a domino accepit, sic et ipse a peccatorum vinculis nos absolvat. Hanc ultimam institutionis causam nonnullam exstitisse, quis de facili perpendat vel perpendere potest, si videat, quod absolutionem a vinculis in apostolum factam epistola commemorat et absolvendi potestatem sibi concessam evangelista recitat. Absolutionem autem ab ipso nobis fiendam hodierna oratio postulat. Quod autem per claves, quas accepit, interdum etiam damnandos absolvat, in quodam miraculo, quod legitur in libro miraculorum beatae virginis, satis claret. Apud namque Coloniam urbem in monasterio sancti Petri erat quidam monachus levis, lubricus et lascivus. Hic dum subita morte esset praeventus, daemones ipsum accusabant et quaelibet peccatorum genera contra ipsum clamabant. Unum dicebat: ego sum cupiditas tua, qua contra Dei praecepta tam frequenter cupisti. Aliud clamabat: ego sum vana gloria, qua te apud homines jactanter exaltasti. Aliud: ego sum mendacium, in quo mentiendo peccasti. Et caetera similiter. Contra quaedam bona opera, quae fecerat, ipsum excusabant dicentia: ego sum obedientia, quam senioribus spiritualibus exhibuisti, ego sum psalmorum cantus, quem frequenter Deo concinisti. Sanctus autem Petrus, cujus erat monachus, pro ipso deprecaturus Deum adiit. Cui respondit dominus: numquid non propheta me inspirante dixit, domine, quis habitabit in tabernaculo tuo etc.? Qui ingreditur sine macula etc. Quomodo hic potest salvus esse, cum nec sine macula ingressus nec sit justitiam operatus. Rogante igitur Petro pro eo cum virgine matre hanc dominus sententiam protulit, ut ad corpus rediret et ibi poenitentiam ageret. Tunc confestim Petrus clavi, quam manu tenebat, dyabolum terruit et in fugam convertit. Animam vero ejus in manu cujusdam, qui in praedicto monasterio monachus fuerat, tradidit et ut ad corpus ipsam reduceret, praecepit. Qui ab eo pro mercede reductionis poposcit, ut singulis diebus psalmum: miserere mei dominus, diceret et sepulturam ejus saepe scobis mundaret. Ipseque de morte rediens, quae sibi contigerant, omnibus enarravit.

CAP. CXI. (106.)
De sancto Stephano papa.

Stephanus papa cum multos gentilium verbo et exemplo convertisset et multa corpora sanctorum martirum sepeliisset, a Valeriano et Gallieno anno domini CCLX summo studio perquiritur, ut eum et clericos aut sacrificare cogerent aut suppliciis diversis punirent. Dederuntque edictum, ut, quicunque eos proderet, totam eorum substantiam possideret. Quapropter decem de ejus clericis comprehensi sunt et sine audientia decollati. Sequenti die Stephanus papa comprehenditur et ad templum Martis ducitur, ut ibi aut ydolum adoraret aut capitalem sententiam subiret. Sed cum templum ingressus fuisset et Deum, ut ipsum templum destrueret, exorasset, statim magna pars templi corruit et omnis multitudo prae nimio timore aufugit, ipse vero ad cimiterium sanctae Luciae perrexit. Quod audiens Valerianus milites plures prioribus ad eum misit, qui venientes eum missam celebrantem invenerunt et stantem intrepidum ac incepta devote perficientem in sua sede decollaverunt.

CAP. CXII. (107.)
De inventione sancti Stephani protomartiris.

Inventio corporis protomartiris Stephani anno domini CCCCXVII Honorii principis anno VII facta fuisse narratur. Reperitur autem ejus inventio, translatio et conjunctio. Inventio ipsius hoc ordine facta fuit. Nam cum quidam presbiter nomine Lucianus in territorio Hierosolimitano, quem Gennadius inter illustres viros commemorat et haec scripsit, feria sexta in stratu suo quiesceret et paene vigilaret, quidam vir senex statura procerus, vultu decorus, barba prolixa, pallio candido amictus, cui gemmulae aureae et cruces inerant contextae, calceatus caligis in superficie deauratis eidem apparuit. Qui manu auream virgam tenens tetigit eum dicens: summa cum diligentia nostros patefacito tumulos, quia

indecenter despecto loco reconditi sumus, vade igitur et dic Johanni episcopo Hierosolimitano, ut nos in honorabili loco reponat, quia, cum siccitas et tribulatio mundum concusserit, nostrorum suffragiis Deus mundo propitiari decrevit. Cui Lucianus presbiter dixit: domine, quis es? Ego sum, inquit, Gamaliel, qui Paulum apostolum enutrivi et ad pedes meos legem perdocui. Qui autem mecum jacet, sanctus est Stephanus, qui a Judaeis lapidatus extra civitatem projectus est, ut a feris et avibus devoraretur. Sed hoc omnino ille prohibuit, cui idem martir illaesam fidem servavit, ego autem ipsum cum reverentia multa collegi et in meo novo tumulo sepelivi. Alius autem, qui mecum jacet, est Nicodemus, nepos meus, qui nocte Jesum adiit et a Petro et Johanne sacrum baptisma suscepit, quapropter indignati in eum principes sacerdotum eum occidissent, nisi ob nostri reverentiam destitissent. Verumtamen omnem substantiam ejus diripuerunt et a principatu deposuerunt, multisque eum afficientes verberibus semivivum reliquerunt. Hunc cum ego in domo mea duxissem, diebus aliquibus supervixit et defunctum juxta pedes beati Stephani sepeliri feci. Tertius vero, qui mecum est, est ipse Abibas filius meus, qui anno aetatis suae XX mecum baptisma suscepit et virgo permanens cum Paulo discipulo meo legem didicit. Uxor vero mea Aethea et Selemias filius meus, quia fidem Christi noluerunt recipere, nostra nequaquam digni sepultura fuere, sed eos alibi sepultos invenies et eorum tumulos vacuos et inanes. Hoc dicto sanctus Gamaliel disparuit, Lucianus vero evigilans dominum exoravit, ut, si haec visio in veritate fieret, eidem secundo ac tertio appareret. In sequenti igitur feria VI eidem sicut prius apparuit et cur ea, quae sibi dixerat, neglexerit, requisivit. Non, inquit, domine, neglexi, sed rogavi dominum, ut, si haec visio ex Deo esset, mihi tertio appareret. Dixitque ei Gamaliel: quomodo in mente tua cogitasti, si nos invenires, quomodo reliquias singulorum discernere posses, ex his, quae tibi sub similitudine offero, singulorum loculos et reliquias edocebo. Ostenditque ei tres calathos aureos et quartum argenteum, quorum unus erat plenus rosis rubentibus et alii duo rosis albis. Quartum etiam ostendit argenteum plenum croco dixitque Gamaliel: hi calathi nostri sunt loculi et nostrae reliquiae sunt hae rosae. Calathus plenus rubeis rosis est loculus sancti Stephani, qui solus ex nobis martirio meruit coronari, alii duo rosis albis pleni mei et Nicodemi sunt loculi, qui sincero corde in confessione Christi perseveravimus,

quartus vero argenteus croco plenus est Abibae filii mei, qui candore virginitatis pollebat et mundus de mundo exivit. His dictis iterum disparuit. Feria autem VI. sequentis hebdomadae eidem iratus apparuit et de dilatione et negligentia eum graviter increpavit. Continuo igitur Lucianus Hierosolimam adiit et Johanni episcopo cuncta per ordinem enarravit. Pergunt igitur cum aliis episcopis accersitis ad locum praedictum Luciano ostensum, cumque coepissent fodere, terra concutitur et suavissimus odor sentitur. Ad cujus odoris miram fragrantiam meritis sanctorum LXX homines a diversis infirmitatibus liberantur sicque in ecclesia [1]) Syon, quae est in Jerusalem, ubi sanctus Stephanus archidyaconi officio functus est, cum magno gaudio sanctorum reliquias transtulerunt et eas ibidem honorifice condiderunt. Ea autem hora pluvia magna descendit. Hujus visionis et inventionis mentionem facit Beda in chronica sua. Haec inventio sancti Stephani facta est ea die, qua ejus passio celebratur et ejus passio in hac die fuisse dicitur. Festa autem ab ecclesia mutata sunt duplici ratione. Prima est, quoniam Christus ideo natus est in terris, ut homo nasceretur in coelis. Decuit enim, ut nativitati Christi continuaretur natale sancti Stephani, qui primus pro Christo martirium sustinuit, quod est nasci in coelo, ut per hoc notaretur, unam ex alia sequi, unde etiam cantatur de ipso: heri Christus natus est in terris, ut hodie Stephanus nasceretur in coelis. Secunda ratio est, quoniam festum de inventione sollemnius agebatur, quam festum de passione et hoc tum propter reverentiam nativitatis domini, tum propter multa miracula, quae in ipsius inventione dominus ostendit. Quia ergo passio ipsius dignior est quam inventio et ob hoc sollemnior debet esse, ideo ecclesia festum de passione ad illud tempus transtulit, in quo in ampliori reverentia habeatur. Translatio autem ejus, ut ait Augustinus, hoc modo fuit. Nam Alexander senator Constantinopolitanus Jerusalem cum uxore sua adiit et protomartiri Stephano pulcherrimum oratorium construxit ac post ejus obitum juxta ejus corpus se sepeliri fecit. Evolutis ergo VII annis Juliana ejus uxor in patriam suam volens redire, utpote quae a principibus injuriam patiebatur, corpus viri voluit deferre. Quod cum ab episcopo multis precibus postulasset, episcopus duos loculos argenteos protulit dicens: non novi, quis sit ex his loculus viri tui. Et illa:

---

1) Syon vocem omittit Ed. Pr.

ego novi, et impetum faciens amplexata est corpus sancti Stephani. Sic ergo dum corpus viri putat accipere, casu corpus protomartiris accepit. Cum autem navim cum corpore conscendisset, hymni audiuntur angelici, odor effragrat, clamant daemones, saevam suscitant tempestatem dicentes: vae nobis, quia protomartir Stephanus transit diro nos verberans igne. Cum ergo nautae naufragium formidarent, Stephanus invocatur et continuo apparuit dicens: ego sum, nolite timere. Statimque tranquillitas magna subsecuta est. Tunc auditae sunt voces daemonum clamantium: impie princeps, navem accende, quia adversarius noster Stephanus est in ea. Tunc princeps daemonum V daemones, qui navem incenderent, misit, sed angelus domini in profundum eos demersit, et cum Chalcedonem venissent, daemones clamabant: servus Dei venit, qui ab iniquis lapidatus est Judaeis. Constantinopolim igitur incolumes pervenerunt et in quadam ecclesia corpus sancti Stephani cum magna reverentia condiderunt. Haec Augustinus. Conjunctio autem corporis sancti Stephani cum corpore sancti Laurentii hoc ordine facta fuit. Contigit enim Eudoxiam filiam Theodosii imperatoris a daemone graviter cruciari. Quod cum patri suo Constantinopolim constituto intimatum fuisset, jubet filiam Constantinopolim adduci, ut sacrosancti protomartiris Stephani reliquiis tangeretur. Daemon autem in ea clamabat: nisi Stephanus Romam veniat, non exibo, quoniam sic est apostoli voluntas. Quod cum imperator audivisset, a clero et populo Constantinopolitano obtinuit, ut corpus sancti Stephani Romanis daretur et ipsi beati Laurentii corpus acciperent. Tunc imperator Pelagio papae super hoc scripsit, papa vero de consilio cardinalium imperatoris petitioni consensit. Missi igitur Constantinopolim cardinales corpus sancti Stephani Romam deferunt et Graeci pro accipiendo corpore sancti Laurentii prosequuntur. Capuae igitur corpus Stephani recipitur et brachium ejus dextrum a Capuanis devotis precibus obtinetur et metropolitana ecclesia in ejus honorem fabricatur. Cum autem Romam venissent et in ecclesiam sancti Petri ad vincula corpus deferre vellent, vectores subsistunt nec ultra procedere possunt, daemon autem in puella clamabat: frustra laboratis, quia non hic, sed apud fratrem suum Laurentium sedem elegit. Illuc igitur corpus defertur et ad ejus tactum puella a daemone liberatur. At Laurentius adventui fratris sui quasi congratulans et arridens in alteram partem sepulchri secessit et medietatem illius vacuam fratri reliquit. Graeci vero dum

manus apponunt, ut Laurentium ferant, ad terram velut exanimes corruerunt, sed orantibus pro iis papa, clero et populo vix ad se ad vesperam redierunt, omnes tamen infra decem dies mortui sunt, Latini etiam, qui sibi consenserant, in frenesin versi sanari non potuerunt, quoadusque sanctorum corpora insimul tumulata fuerunt. Tunc vox in coelo audita est: o felix Roma, quae corpus Laurentii Hispani et Stephani Hierosolimitani uno claudis mausoleo, gloriosa pignora. Facta est ista conjunctio [1])X cal. Maji circa annos domini CCCCXXV. Refert Augustinus in libro XXII de civitate Dei VI mortuos ad invocationem sancti Stephani suscitatos. Videlicet quendam, qui cum mortuus sic jaceret, ut ei jam pollices ligarentur, invocato super eum nomine beati Stephani continuo suscitatus est. Item quendam puerum a plaustro contritum, quem mater ad ecclesiam sancti Stephani deferens vivum et sanum recepit. Item quandam sanctimonialem, quae, cum in extremo spiritu constituta et ad ecclesiam sancti Stephani delata fuisset et ibidem exspirasset, videntibus omnibus et stupentibus sanata surrexit. Item quandam puellam apud Hypponem, cujus [2])tunicam cum pater ad ecclesiam sancti Stephani deportasset, cam postmodum super corpus defunctae puellae projecit et illa statim surrexit. Item quendam juvenem, cujus corpus cum inunctum fuisset oleo sancti Stephani, statim surrexit. Item quendam puerum, qui cum ad ecclesiam sancti Stephani mortuus fuisset delatus, ad invocationem sancti Stephani vitae est protinus restitutus. De hoc martire sic dicit Augustinus: martirem istum Gamaliel stolatus revelavit, Saulus spoliatus [3])laudavit, Christus pannis involutus ditavit et pretioso lapide coronavit. Idem: in Stephano emicuit pulchritudo corporis, flos aetatis, eloquentia sermocinantis, sapientia sanctissimae mentis et operatio divinitatis. Idem: fortis columna Dei cum inter lapidiferas manus captatorio forcipe teneretur, [4])fidei fundibilis igniebatur, feriebatur et producebatur, constringebatur et angebatur, caedebatur et non vincebatur. Idem super illud, dura cervice etc.: hic non blanditur, sed invehitur, non palpat, sed provocat, non trepidat, sed instigat. Idem: attende Stephanum conservum tuum, homo erat sicut et tu, de massa peccati erat, sicut et tu, eo pretio redemtus, [5])quo et tu, et cum dyaconus erat, evangelium legebat, quod legis vel audis et tu, ibi invenit scriptum: diligite inimicos vestros, didicit legendo, perfecit obediendo.

---

1) Ed. Pr. omittit: X cal. Maji. Alii legunt IX cal. M. 2) Verba tunicam — juvenem omittit Ed. Pr. 3) Ed. Pr. lapidavit. 4) Ed. Pr. male fide fundabulis. 5) Haec tria verba omittit Ed. Pr.

CAP. CXIII. (108.)
De sancto Dominico.

Dominicus dicitur quasi domini custos vel a domino custoditus. Vel dicitur Dominicus, quantum ad etymologiam hujus nominis, quod est dominus. Dicitur autem custos domini tribus modis, scilicet custos [1])honoris domini quo ad Deum, custos vineae domini vel gregis domini quo ad proximum, custos voluntatis domini sive praeceptorum domini quo ad se ipsum. Secundo dicitur Dominicus quasi a domino custoditus, dominus enim custodivit ipsum quantum ad triplicem statum suum, in quorum primo fuit laicus, in secundo regularis canonicus, in tertio vir apostolicus. Nam in primo eum custodivit faciendo eum laudabiliter incipere, in secundo ferventer proficere, in tertio perfectionem apprehendere. Tertio potest dici Dominicus per etymologiam hujus nominis dominus. Dominus namque dicitur quasi donans minas [2])vel donans minus vel donans munus. Sic beatus Dominicus fuit donans, id est, condonans minas per injuriarum dimissionem, donans minus per corporis macerationem. quia corpori suo semper minus dabat, quam appetebat, donans munus per libertatis largitionem, quia non solum sua pauperibus tribuit, sed etiam se ipsum pluries vendere voluit.

Dominicus ordinis praedicatorum dux et pater inclitus ex Hispaniae partibus villa, quae dicitur [3])Callarega, Oxoviensis dyoecesis patre Felice matre vero Johanna nomine secundum carnem originem duxit. Cujus mater ante ipsius ortum vidit in somniis se catulum gestantem in utero, ardentem in ore faculam bajulantem, qui egressus ex utero totam mundi machinam incendebat. Cuidam etiam matronae, quae ipsum ex sacro fonte levaverat, videbatur, quod puer Dominicus stellam perfulgidam haberet in fronte, quae totum orbem illustrabat. Dum adhuc esset puerulus et sub nutricis custodia constitutus, deprehensus est saepe lectum dimittere et super nudam humum jacere. Missus tandem Palentiam ad studium amore sapientiae vinum per decennium non gustavit. Ubi cum fames valida esset, libros cum omni supellectili vendidit et pretium eorum pauperibus erogavit. Crescente jam ejus fama ab

---

1) Verba: honoris — custos omittit Ed. Pr. 2) Verba: vel — minas male omittit Ed. Pr. 3) Rec. legunt: Calagora vel Calaregia Oxoniensis.

episcopo Oxoviensi in sua ecclesia canonicus regularis efficitur et postmodum factus omnibus vitae speculum a canonicis supprior ordinatur. Ipse autem die ac nocte lectioni et orationi vacabat, assidue Deum exorans, ut sibi hanc gratiam infundere dignaretur, qua se totum aliquando saluti posset impendere proximorum. In libro quoque de collationibus patrum studiosissime legens magnum perfectionis cumulum apprehendit. Pergens autem cum praedicto episcopo Tolosam deprehendit hospitem suum haeretica pravitate corruptum, quem ad fidem Christi convertit et quasi quendam primitiarum manipulum futurae messis domino praesentavit. Legitur in gestis comitis Montisfortis, quod, cum beatus Dominicus quadam vice vel die adversus haereticos praedicasset, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in scriptis et cuidam haeretico schedulam illam tradidit, ut super objectis deliberare deberet. Illa autem nocte ad ignem haereticis congregatis schedulam, quam receperat, produxit in medium. Cui socii dixerunt, ut in ignem illam projiceret et si comburi contingeret, eorum fides, imo perfidia vera esset, si vero comburi non posset, veram fidem Romanae ecclesiae praedicarent. Quapropter schedula in ignem projicitur. Quae cum aliquantulum moram in ignibus fecisset, incombusta ab igne protinus prosiliit. Stupentibus cunctis unus caeteris durior ait: projiciatur iterum et sic experentia plenius reperietur et plenius experiemur veritatem. Projicitur iterum et iterum prosiliit incombusta. Iterum ille dixit: tertio projiciatur et nunc sine dubio rei exitum cognoscemus. Projicitur tertio et iterum incombusta prosiliit et illaesa. Haeretici autem in sua duritia permanentes districtissima inter se juratione firmaverunt, ne hoc aliquis publicaret. Quidam tamen miles, qui ibi aderat et nostrae fidei aliquantulum adhaerebat, istud miraculum postmodum publicavit. Factum est autem hoc apud montem Victorialem. Simile quoddam dicitur accidisse apud fanum Jovis indicta ibidem in diebus illis contra haereticos quadam disputatione sollemni. Caeteris igitur ad propria redeuntibus et episcopo Oxoviensi defuncto solus ibidem sanctus Dominicus cum paucis remansit contra haereticos constanter verbum domini annuntians. Irridebant autem eum adversarii veritatis, sputa, lutum et hujusmodi vilia projicientes in eum et a tergo pro derisu sibi paleas alligantes. Cum autem sibi interitum minarentur, imperterritus respondebat: non ego martirii dignus sum gloria, nondum merui istam mortem. Quapropter locum transiens, in quo sibi paratae

30 *

ferebantur insidiae, non solum intrepidus, verum etiam cantans et alacer procedebat. Quod illi admirantes dixerunt illi: numquid non tu mortis honore concuteris? Quid acturus eras, si comprehendissemus te? At ille: rogassem vos, ne repentinis me subito perimeretis vulneribus, sed paulatim et successive membra singula mutilantes deinde ostensis coram oculis meis detruncatis membrorum particulis, ipsos etiam oculos eruentes ad ultimum semivivum laceratumque corpus sic permittentes in suo sanguine volutari, vel prorsus ad libitum me necaretis. Cum quendam reperisset propter nimiam, quam patiebatur, inopiam haereticorum consortiis adhaesisse, decrevit se ipsum venumdare, quod ex accepto pretio de se ipso et egestatis simul occasionem praecideret et sub errore venumdatum liberaret. Quod et fecisset, nisi inopiae ejus divina misericordia aliter providisset. Alias etiam, cum quaedam mulier fratrem suum in Saracenorum captivitate detentum lamentabili sibi conquestione exponeret nullumque sibi ad ejus liberationem fateretur consilium superesse, ille intima compassione commotus se ipsum pro redemtione captivi vendendum obtulit, sed Deus, qui ipsum necessariorem ad redemtionem spiritualem multorum captivorum praeviderat, non permisit. Hospitatus in partibus Tolosae apud quasdam matronas ab haereticis per ostentationem religionis deceptas per totam quadragesimam, ut sic clavum clavo retunderet, in pane solum et aqua frigida cum adjuncto sibi socio jejunavit, nocte vero evigilans, cum necessitas cogebat, lassa membra super nudam tabulam reclinabat, sicque factum est, ut illas matronas ad agnitionem veritatis perduceret. Post hoc autem coepit de institutione ordinis cogitare, cujus officium esset, per mundum praedicando discurrere et contra haereticos fidem catholicam communire. Cum igitur in partibus Tolosanis mansisset per X annos, a transitu Oxoviensis episcopi usque ad tempus, quo Lateranense concilium debuit celebrari, cum Fulcone Tolosano episcopo Romam ad consilium generale adiit ac a summo pontifice Innocentio ordinem, qui praedicatorum diceretur et esset, confirmari sibi suisque successoribus postulavit. Qui cum aliquantulum se difficilem exhiberet, nocte quadam idem pontifex videbat in somnis, quod Lateranensis ecclesia gravem subito ruinam minaretur. Quod dum tremens adspiceret, ex adverso vir Dei Dominicus occurrebat humerisque suis suppositis totam illam casuram fabricam sustentabat. Evigilans autem et visionem intelligens petitionem viri Dei hilariter acceptavit hor-

tans, ut ad fratres suos rediens regulam aliquam approbatam sibi eligeret et sic ad ipsum rediens confirmationem ad libitum impetraret. Regressus igitur verbum summi pontificis fratribus patefecit. Erant autem fratres numero circiter XVI, qui invocato spiritu sancto regulam beati Augustini doctoris et praedicatoris eximii ipsi pariter et re et nomine praedicatores futuri unanimiter elegerunt, quasdam quidem artioris vitae consuetudines, quas sibi per formam constitutionum observandas statuerunt, insuper assumentes. Verum interea Innocentio defuncto et Honorio in summum pontificem sublimato confirmationem ordinis anno domini MCCXVI a praedicto Honorio impetravit. Dum igitur Romae in ecclesia sancti Petri pro delatione sui ordinis exoraret, gloriosos principes apostolorum Petrum et Paulum ad se venientes adspexit, quorum primus Petrus videlicet baculum, Paulus vero sibi librum tradere videbantur addebantque dicentes: vade, praedica, quia a Deo ad hoc ministerium es electus. Moxque in momento temporis videbatur ei, quod filios suos per totum mundum dispersos adspiceret incedentes binos et binos, quapropter Tolosam rediens fratres suos dispersit et quosdam quidem in Hispaniam, quosdam vero Parisios, alios tandem Bononiam destinavit, ipse vero Romam reversus est. Monachus quidam ante ordinis praedicatorum institutionem in exstasi factus vidit beatam virginem flexis genibus et junctis manibus pro humano genere filium deprecantem, qui dans saepe piae matri repulsam tandem instante ea sic ait: mater mea, quid possum vel debeo amplius iis facere? Misi patriarchas et prophetas et parum se emendaverunt. Veni ego ad eos, deinde misi apostolos et me et illos occiderunt. Misi martires et confessores et doctores nec illis acquieverunt. Sed quia non est fas, ut tibi aliquid denegem, dabo iis meos praedicatores, per quos valeant illuminari et mundari, [1])si non autem, veniam contra illos. Similem visionem alius vidit eodem tempore, quo XII abbates Cisterciensis ordinis Tolosam contra haereticos sunt transmissi. Nam cum filius matri oranti respondisset, ut supra, dixit mater: bone fili, non secundum eorum malitiam, sed secundum tuam misericordiam agere debes. Tunc filius victus precibus ait: ad votum tuum adhuc hanc cum iis misericordiam faciam, quod praedicatores meos iis mittam, qui eos moneant et informent, et si se non correxerint, amplius iis non

1) Vulgo sin.

parcam. Quidam frater minor, qui multo tempore socius sancti Francisci exstiterat, pluribus fratribus de ordine praedicatorum narravit: cum beatus Dominicus Romae pro confirmatione sui ordinis apud papam instaret, nocte orans vidit in spiritu Christum in aëre exsistentem et tres lanceas in manu tenentem et contra mundum eas vibrantem. Cui velociter mater occurrens, quidnam vellet facere, inquisivit. Et ille: ecce totus mundus tribus vitiis plenus est, scilicet superbia, concupiscentia, avaritia, et ideo his tribus lanceis ipsum volo perimere. Tunc virgo ad ejus genua procidens ait: fili carissime, miserere et tuam justitiam misericordia tempera. Cui Christus: nonne vides, quantae mihi injuriae irrogantur? Cui illa: tempera, fili, furorem et paulisper exspecta, habeo enim fidelem servum et pugilem strenuum, qui ubique discurrens mundum expugnabit et tuo dominio subjugabit. Alium quoque servum sibi in adjutorium dabo, qui secum fideliter decertabit. Cui filius: ecce placatus faciem tuam suscepi, sed vellem ego videre, quos vis ad tantum judicium destinare. Tunc illa Christo sanctum Dominicum praesentavit. Cui Christus: vere bonus et strenuus pugil iste et studiose faciet, quae dixisti. Obtulit etiam sanctum Franciscum et hunc Christus sicut et primum pariter commendavit. Sanctus autem Dominicus socium suum in visione diligenter considerans, quem ante non noverat, in crastino in ecclesia inventum ex his, quae nocte viderat, sine indice recognovit et in ejus amplexus et oscula pia ruens ait: tu es socius meus, tu pariter curres mecum, stemus simul et nullus adversarius praevalebit. Visionem quoque praedictam sibi per ordinem enarravit et extunc factum est iis cor unum et anima una in domino. Quod et in posteris mandaverunt perpetuo observari. Cum quendam novitium Apulum ad ordinem recepisset, quidam, qui praedicti novitii socii fuerant, eum adeo perverterunt, quod ad saeculum jam redire deliberans vestes suas modis omnibus expetebat. Quod beatus Dominicus audiens continuo orationi se dedit. Igitur cum dictum juvenem jam religiosis vestibus exspoliassent et jam sua camisia induissent, ille magnis vocibus clamare coepit ac dicere: en aestuo, en ardeo, en totus exuror; extrahite, extrahite hanc camisiam maledictam, quae me totum exurit. Nullo ergo modo quiescere potuit, quousque exutus camisiam religiosis vestibus denuo est indutus et ad claustrum reductus. Existente beato Dominico Bononiae cum fratres jam ad dormiendum ivissent, quidam

frater conversus a dyabolo vexari coepit. Quod cum frater Reynerius Lausanensis magister ejus audivisset, beato Dominico haec studuit indicare, sanctus autem Dominicus ad ecclesiam ante altare eum portari fecit. Qui cum vix a fratribus X fuisset deportatus, dixit beatus Dominicus: adjuro te, miser, ut dicas mihi, quare vexas creaturam Dei et quare et quomodo huc intrasti. Qui respondit: vexo eum, quia meruit, bibit enim heri in civitate sine licentia prioris non adhibito signo crucis. Unde tunc intravi in eum in specie bibionis, quin potius ipse bibit me simul cum vino. Hoc autem tunc eum bibisse verum compertum est. Inter haec factum est primum signum ad matutinas, quo audito dyabolus, qui in eo loquebatur, dixit: amodo hic plus stare non possum, ex quo capuciati surgunt. Et sic ad orationem beati Dominici exire compulsus est. Cum in partibus Tolosanis quoddam flumen transiisset, libri ejus nullum habentes conservatorium in fluvium ceciderunt, die autem tertia quidam piscator ibi hamum projiciens, cum magnum piscem se prehendisse putaret, libros ipsos extraxit penitus sic illaesos, ac si in aliquo armario fuissent cum omni diligentia custoditi. Cum ad quoddam monasterium venisset et fratres quiescerent, eos nolens inquietare, oratione fusa clausis januis monasterium cum socio introivit. Idem etiam compertum est, cum in conflictu haereticorum cum quodam converso Cisterciensi fuisset, nam cum sero ad quandam ecclesiam devenissent et clausam invenissent, oratione fusa a beato Dominico intra ecclesiam se subito invenerunt et noctem illam totam in oratione duxerunt. Post laborem itineris antequam ad hospitium devenisset, sitim ad fontem aliquem exstinguere consuevit, ne in domo hospitis plus bibendo aliquam notam incurreret. Scholaris quidam lubricus carnis patiens venit in quodam festo ad domum fratrum de Bononia, ut ibi missam audiret. Contigit autem tunc missam beatum Dominicum celebrare. Cum autem ad oblationem ventum fuisset, dictus scholaris accessit et manum ejus cum multa devotione osculatus est. Quam cum osculatus fuisset, tantam ex illa prodire sensit odoris fragrantiam, quantam in vita sua nunquam aliquando expertus est, et extunc aestus libidinis in eo mirabiliter refriguit, adeo ut, qui antea erat vanus et lubricus, efficeretur postmodum continens et castus. O quanta munditiae puritate ejus caro pollebat, cujus odor tam mirabiliter sordes mentis purgabat. Sacerdos quidam videns aliquando beatum Dominicum cum suis fratribus praedicationi tam ferventer insistere, deliberavit iis

adhaerere, dummodo novum testamentum sibi ad praedicandum necessarium habere posset. Haec eo cogitante quidam juvenis venale testamentum sub veste bajulans adfuit, quod statim sacerdos cum magno gaudio emit, sed dum adhuc aliquantulum dubitaret, fusa ad Deum prece impressaque super librum exterius cruce librum aperuit et oculos ad capitulum, quod primo se obtulit, mox conjecit et illud, quod in actibus Petro dictum est, eidem occurrit: surge, descende et vade cum iis nihil dubitans, quia ego misi illos. Statimque surgens iisdem adhaesit. Cum apud Tolosam in theologia regeret magister quidam scientia et fama praeclarus, quodam mane ante diem, cum suas praevideret lectiones, oppressus somno caput suum in cathedra paululum reclinavit visumque est sibi, quod VII stellae ei praesentarentur. Qui cum de novitate talis exennii plurimum miraretur, subito in lumine et quantitate praedictae stellae in tantum creverunt, quod totum mundum illuminaverunt. Qui evigilans, quidnam sibi vellet, plurimum mirabatur, et ecce, dum scholas intrasset et legeret, beatus Dominicus et cum eo [1]) sex fratres ejusdem habitus ad praedictum magistrum humiliter accesserunt et suum sibi propositum intimantes dixerunt, quod scholas suas cuperent frequentare. Qui recolens visionem ipsos esse septem stellas, quas viderat, non dubitavit. Romae viro Dei Dominico posito vir quidam magister Reginaldus sancti [2]) Amiani Aurelianensis decanus, qui etiam Parisiis in jure canonico [3]) rexerat annis quinque, Romam cum Aurelianensi episcopo mare transiturus advenerat. Dudum autem in proposito habebat relictis omnibus praedicationi insistere, sed quonam modo id complere posset, necdum adverterat. Cum autem a quodam cardinali, cui hujusmodi votum expresserat, de institutione praedicatorum didicisset et beato Dominico accersito eidem suum propositum revelasset, tunc ipsius ordinis deliberavit ingressum, nec mora, gravi febrium infirmitate corripitur et de ejus salute penitus desperatur. Perseverante autem in oratione beato Dominico ac beatam virginem, cui tamquam speciali patronae curam ordinis totam commiserat, exorante, ut vel saltem modico tempore eum sibi concedere dignaretur, ecce subito reginam misericordiae duabus comitatam puellis admodum speciosis Reginaldus vigilans et mortem exspectans ad se visibiliter venientem adspexit blandaque facie sibi dicentem: pete a me, quod

1) Ed. Pr. septem legit. 2) Ed. Pr. Arriani. 3) Libri rec. legerat offerunt.

vis, et dabo tibi. Deliberanti, quid peteret, una ex praedictis puellis suggessit, ne quid peteret, sed se totum reginae misericordiae committeret. Quod dum fecisset, illa manum extendens virgineam aures ejus et nares, manus ejus et pedes salutari, quam tulerat, unctione perunxit, formulas verborum proprias ad singulas unctiones subinferens ad renes ait: stringantur renes tui cingulo castitatis. Ad pedes ait: unge pedes in praeparationem evangelii pacis. Addiditque: die tertia mittam tibi ampullam restitutionis plenariae sanitatis. Tunc ei habitum ordinis ostendens: en, inquit, iste est habitus ordinis tui. Hanc autem visionem similiter beatus Dominicus in oratione positus vidit. Mane autem facto ad eum veniens sanctus Dominicus et sanum reperit et ab eodem totius visionis seriem audivit et habitum, quem virgo monstraverat, assumsit, nam antea fratres superpelliciis utebantur. Die autem tertia Dei mater adfuit et corpus Reginaldi adeo perunxit, quod non solum aestum febrium, sed etiam ardorem concupiscentiae sic exstinxit, ut, sicut ipse postmodum est confessus, nec primus in eo motus libidinis [1]) de caetero pullulavit. Hanc visionem iterato exhibitam quidam religiosus de ordine hospitalariorum praesente beato Dominico propriis oculis vidit et stupuit. Hanc visionem multis fratribus [2]) post illius obitum beatus Dominicus publicavit. Missus igitur Reginaldus Bononiam praedicationi ardenter instabat et fratrum numerus excrescebat. Post hoc autem missus Parisios non post multos dies in domino obdormivit. Juvenis quidam nepos domini Stephani cardinalis de Fossa Nova cum equo in foveam praecipitio lapsus inde mortuus est eductus, qui beato Dominico oblatus oratione fusa vitae pristinae est restitutus. In ecclesia sancti Sixti architectum quendam conductum a fratribus sub cripta quaedam ruina desuper resoluta contrivit, denique sub cumulo cadentis materiae jacentem exstinxit, sed vir Dei Dominicus corpus de caverna subductum ad se deferri jussit orationumque suarum suffragio statim vitae simul et sanitati restituit. In eadem ecclesia [3]) dum fratres circiter XL manerent et quadam vice panis valde modicum invenissent, beatus Dominicus id modicum, quod habebatur, panis in partes dividi super mensam mandavit, dumque unusquisque buccellam panis cum gaudio frangeret, ecce duo juvenes habitus et formae consimilis refectorium intraverunt, palliorum sinus, qui a collo

1) Verba de caetero omittit Ed. Pr. 2) Ed. Rec. addunt maxime.
3) Rec. addunt apud Romam.

pendebant, plenos panibus deferentes. Quibus in capite mensae servi Dei Dominici silenter oblatis ita subito discesserunt, ut nullus de caetero, vel unde venerint vel quo abierint, scire posset. Tunc sanctus Dominicus manu ad fratres circumquaque protensa: modo, inquit, fratres mei, comedite. Cumque beatus Dominicus aliquando in itinere positus esset et gravis pluviarum inundatio facta esset, ille signum crucis edidit et a se et a socio omnem pluviam ita propulsavit, ut quasi facto papilione de cruce, cum tota terra densa imbrium inundatione madesceret, nec una gutta ad spatium trium cubitorum eos contingeret. Quadam vice dum in partibus Tolosanis transiisset navigio quandam aquam, nauta ab eo denarium pro mercede transitus exigebat, cui vir Dei pro servitio sibi impenso cum coelorum regnum promitteret, addens, quod discipulus Christi esset nec aurum vel pecuniam deportaret, ille eum per cappam trahens: mihi, inquit, aut cappam aut denarium dimittes. Tunc vir Dei erectis ad coelum oculis paullulumque intra se orans, mox in terram respiciens et divino nec dubio procuratum nutu denarium jacentem videns: ecce, inquit, frater, quod postulas, tolle et me liberum in pace dimitte. Contigit aliquando viro Dei iter agente associari sibi religiosum quendam conversationis quidem sanctitate domesticum, sed loquela et lingua penitus alienum, dolens itaque, quod divinis eloquiis una cum illo mutua se collatione refovere non posset, [1]) tandem a domino, ut unus lingua loqueretur alterius verbisque sic alterutrum variatis sese per triduum, quo videlicet ituri erant, intelligerent, impetravit. Quadam vice quum quidam multis obsessus daemoniis sibi fuisset oblatus, ille stolam accipiens prius super proprium collum posuit, deinde daemoniaci collum cinxit mandans illis, ut de caetero illum hominem non vexarent. Ipsi vero in ejusdem obsessi corpore [2]) statim vexari coeperunt et clamare: permitte nos exire, quare nos cruciari hic compellis? At ille: non dimittam vos, inquit, nisi mihi fidejussorem dederitis, quod ultra nequaquam redeatis. Quos, inquiunt, fidejussores poterimus tibi dare? Et ille: sanctos martires, quorum corpora in ecclesia hac requiescunt. Et illi: non possumus, quia nostra merita contradicunt. Oportet vos, inquit, dare, alio-

---

1) Ed. Pr. plane aliter hanc periodum ita claudit: tandem ut unus lingua loqueretur alterius verbisque se refocillarent per triduum veritatis usque ad locum, quo videlicet ituri erant, impetravit. 2) Alii: fortiter torqueri legunt.

quia a cruciatu hoc nequaquam liberos vos dimittam. Tunc responderunt ad hoc, operam se daturos, et post modicum dixerunt: ecce impetravimus licet immeriti, quod sancti martires fidejusserunt pro nobis. Requirente autem eo hujus rei signum dixerunt: eatis ad capsam, in qua sunt recondita capita martirum, et eam invenietis inversam. Quaesitum est et inventum, sicut illi fuerunt protestati. Praedicante eo aliquando quaedam matronae ab haereticis depravatae ejus pedibus provolutae dixerunt: serve Dei, adjuva nos. Si vera sunt, quae hodie praedicasti, diu mentes nostras errorum spiritus excaecavit. Quibus ille: constantes estote et exspectate paulisper, ut videatis, quali domino adhaesistis. Statimque viderunt de medio sui [1])catum unum teterrimum prosilire, qui magni canis quantitatem praeferens habebat grossos oculos et flammantes, linguam longam latamque atque sanguinolentam et protractam usque ad umbilicum, caudam vero habens curtam sursumque protensam posteriorum turpitudinem, quocunque se verteret, ostendebat, de quibus foetor intolerabilis exhalabat. Cumque circa illas matronas se aliquamdiu huc illuc vertisset, tandem per cordam campanae in campanile conscendens disparuit, foeda post se vestigia relinquens. Illae ergo matronae gratias agentes ad catholicam fidem sunt conversae. Cum in partibus Tolosanis quosdam haereticos convicisset et illi essent incendio deputati, inspiciens inter eos quendam Raymundum nomine, ait ministris: istum servate, ne aliquo modo cum caeteris comburatur. Conversusque ad eum blandeque alloquens: scio, inquit, fili mi, scio, quod adhuc, licet tarde, bonus homo eris et sanctus. Dimissus itaque per annos XX in haeretica pravitate permansit, tandem conversus et frater praedicatorum effectus in eodem ordine vitam suam laudabiliter duxit et feliciter consummavit. Cum esset in Hispania, quibusdam sibi fratribus sociatis, apparuit ei per visum immanissimus draco quidam, qui fratres illos, qui secum erant, absorbere apertis faucibus nitebatur. Quod vir Dei intelligens fratres [2]) patres fortiter resistere hortabatur. Postmodum omnes illi exceptis fratre Adam et duobus conversis ab eo recesserunt, interrogatus autem quidam ex illis ab eo, an similiter vellet abire, ait: absit, pater, ut relicto capite sequar pedes, et continuo orationi se dedit. Et fere omnes post modicum sua oratione convertit. Apud sanctum Sixtum in urbe Romana cum

1) Ed. Pr. male canem — magis canis offert. 2) Ed. Pr. alios addit.

fratribus existens subito facto super eum spiritu domini ad capitulum fratribus convocatis palam omnibus nuntiavit, quatuor fratres ex ipsis in brevi, duos videlicet in corpore, duos vero in anima morituros. Post medicum duo fratres ad dominum migraverunt, duo vero de ordine recesserunt. Existente eo Bononiae erat ibi quidam magister Conradus Teutonicus, cujus ingressum ad ordinem fratres mirabiliter affectabant. Cum autem beatus Dominicus cum priore monasterii [1]) Casa Mariae de Ordine Cisterciensi in vigilia assumtionis beatae Mariae sermocinaretur, familiari quadam confidentia exigente [2]) inter alia dixit ei: fateor tibi, prior, quod tamen adhuc nulli unquam exposui, nec tu alteri, quamdiu vixero, revelabis, quod nunquam adeo in hac vita aliquid petii, quod non assequerer juxta votum. Cui quum praedictus prior diceret, quod forsitan ante eum vitam finiret, beatus Dominicus spiritu prophetico dixit, quod ipse prior diu post se viveret. [3]) Sicque factum est, ut praedixit. Tunc ille prior adjecit: pete ergo, pater, ut det tibi magistrum Conradum ad ordinem, cujus fratres introitum tantum flagitare videntur. At ipse: rem, inquit, bone frater, difficilem postulasti. Finito completorio caeteris ad quiescendum pergentibus ipse in ecclesia remansit et in oratione more solito pernoctavit. Convenientibus igitur fratribus ad primam cum cantor incepisset, jam lucis orto sidere ecce lucis novae sidus novum futurus magister Conradus subito veniens ad pedes beati Dominici se prosternens habitum ordinis instanter petiit et perseveranter accepit. Hic fuit in ordine valde religiosus et lector in ordine plurimum gratiosus. Qui tandem moriens cum jam oculos clausisset et fratres eum migrasse crederent, ille apertis oculis fratres circumspiciens ait: dominus vobiscum. Quibus respondentibus: et cum spiritu tuo, adjunxit: fidelium animae per memoriam Dei requiescunt in pace, et sic protinus ille in pace quievit. Inerat autem servo Dei Dominico firma valde mentis aequalitas, nisi cum ad compassionem et misericordiam turbaretur, et quia cor gaudens exhilarat faciem, placidam interioris hominis compositionem manifesta de foris benignitate prodebat. Tempore diurno cum fratribus suis sociisve salvo quidem honestatis tenore nemo communior, nocturnis horis vigiliis et orationibus nemo instantior, diem impartiebatur proximis, noctem Deo. De oculis suis quasi quendam fontem effecerat lacrimarum,

1) Alii: Cassamariae. 2) Rec. libri addunt materia. 3) Alii: sicut et factum fuisse constat, praedixit.

Frequenter, quando corpus domini levabatur in missa, in tantum mentis rapiebatur excessum, ac si ibidem Christum incarnatum praesentem videret. Propter quod missam multo tempore cum caeteris non audivit. Erat autem sibi in ecclesia pernoctandi consuetudo creberrima, ut vix aut vel raro certum ad quiescendum locum videretur habere, et cum lassitudine succedente somnii interpellaret necessitas, sive ante altare aut super lapidem capite reclinato paululum quiescebat. Tres singulis noctibus accipiebat manu propria de quadam catena ferrea disciplinas, unam videlicet pro se, alteram pro peccatoribus, qui versantur in mundo, tertiam vero pro his, qui in purgatorio cruciantur. Electus aliquando in [1]) Coteronensem, aliis Citaviensem episcopum, omnino renuit contestans se prius terram deserere, quam electioni alicui de se factae aliquatenus consentire. Interrogatus aliquando, cur non libentius Tolosae in Tolosanaque dyoecesi, in ejus [2]) videlicet dyoecesi, quam in Carcassonensi dyoecesi moraretur, respondit: quia in Tolosana dyoecesi multos, qui me honorant, invenio, apud Carcassonam vero omnes me e contrario impugnant. Interrogatus a quodam, in quo libro plus studuisset, respondit: in libro caritatis. Quadam vice dum vir Dei Dominicus apud Bononiam constitutus in ecclesia pernoctaret, dyabolus in specie fratris eidem apparuit, quem sanctus Dominicus fratrem existimans ei innuebat, ut cum caeteris ad quiescendum pergeret. Ille vero quasi deridendo eundem sibi nutibus respondebat. Tunc sanctus Dominicus, quisnam esset, qui suum mandatum contemneret, scire volens, candelam ad lampadem accendit et in faciem ejus respiciens, quod dyabolus esset, confestim cognovit. Quare cum eum vehementius increpasset, mox eidem dyabolus de fractione silentii insultare coepit, sanctus autem Dominicus, utpote fratrum magistro sibi loqui licere asserens, cogit ipsum, ut sibi diceret, de quo fratres in choro tentaret. Qui respondit: facio eos tarde venire et cito exire. Deinde duxit eum ad dormitorium, de quo ibidem fratres tentaret, inquirens. Qui ait: facio eos nimis dormire, tarde surgere, sicque a divino officio remanere et interdum immundas cogitationes habere. Deinde ad refectorium ipsum duxit et, de quo fratres ibidem tentaret, quaesivit. Tunc daemon per mensas saliens: plus et [3]) minus, plus et minus saepius repetendo dicebat. Quod cum sanctus Dominicus,

---

1) Ed. Pr. offert: Citaverensem ep. 2) Ed. Pr. male judicem loco videlicet legit. 3) Ed. Pr. minus plus saepius legit.

quid sibi hoc vellet, interrogaret, ait: quosdam fratres tento, ut plus comedant et sic ex nimia cibi sumtione delinquant, quosdam, ut minus sumant et sic in Dei servitio et sui ordinis observatione debiliores fiant. Inde duxit eum ad locutorium, de quo ibidem fratres tentaret, inquirens. Tunc ille crebro linguam revolvens mirabilis confusionis sonum promebat. Quem cum sanctus Dominicus, quid sibi hoc vellet, inquireret, ait: hic locus totus meus est, cum enim fratres ad loquendum conveniunt, eos tentare studeo, ut confuse loquantur, sese inutilibus verbis commisceant et [1]) unus alium non exspectet. Postremo duxit eum ad capitulum, sed cum ante ostium capituli fuisset, daemon nullatenus intrare voluit, sed ait: hunc nunquam ingrediar, quia locus maledictionis et infernus mihi est, et totum ibi amitto, quod in aliis locis lucror. Nam cum aliquem fratrem per aliquam negligentiam delinquere fecero, mox in loco hoc maledictionis de ipsa negligentia se purgat et coram omnibus se proclamat. Nam hic monentur, hic confitentur, hic accusantur, hic verberantur, hic absolvuntur, et sic totum amisisse me doleo, quod alibi me lucratum gaudebam. Et his dictis evanuit. Tandem appropinquante peregrinationis termino constitutus apud Bononiam gravi coepit corporis infirmitate languere. Sui autem corporis dissolutio sibi in visione monstrata est. Vidit enim juvenem pulcherrimum his verbis se vocantem et dicentem: veni, dilecte mi, veni ad gaudia, veni. Convocatis igitur fratribus Bononiensis conventus XII, ne eos exhaeredes et orphanos derelinqueret, testamentum condidit dicens: haec sunt, quae vobis tanquam filiis haereditariis jure possidenda relinquo, caritatem habete, humilitatem servate, paupertatem voluntariam possidete. Illud vero, qua potuit, districtione prohibuit, ne quis unquam in suo ordine possessiones induceret temporales, maledictionem Dei omnipotentis et suam terribiliter imprecans ei, qui praedicatorum ordinem terrenarum divitiarum pulvere praesumeret maculare. Fratribus vero de ejus destitutione inconsolabiliter dolentibus dulciter eos consolans ait: ne vos mea, filii, [2]) corporalis turbet discessio, nullatenus dubitantes utiliorem me vos mortuum habituros quam vivum. Proinde ad extremam horam veniens anno domini MCCXXI dormivit in domino. Cujus quidem transitus eadem die eademque hora fratri [3]) Guali priori tunc fratrum praedicatorum de Brixia postmodum ejusdem civitatis

1) Ed. Pr. unum aliud legit. 2) Ed. Pr. carnalis. 3) Recentiores offerunt Alberto.

episcopo hoc modo monstratus est. Nam cum in campanili fratrum capite ad murum inclinato levi somno dormitasset, vidit coelum apertum et duas scalas candidas ad terram submitti, quarum summitates Christus cum matre tenebat et angeli per eas jubilantes ascendebant et descendebant. In medio autem scalarum in imo sedes posita erat et super sedem velato capite frater sedens, Jesus autem et mater ejus sursum scalas trahebant, donec sedente in coelum elevato apertura coeli clausa est. Veniens igitur praedictus frater Bononiam continuo eadem die et hora patrem migrasse cognovit. Frater quidam nomine [1]Rao positus apud Tybur eadem die ac hora, qua pater migravit a corpore, missam celebraturus accesserat ad altare. Cum audiisset eum Bononiae aegrotasse et ad locum canonis veniens, in quo de vivis mentio fieri consuevit, vellet pro ejus salute orare, subito factus est in excessu mentis viditque virum Dei Dominicum corona quadam aurea laureatum totumque mirabili splendore fulgentem, duobus quidem reverendis viris comitatum, hinc inde extra Bononiam in via regia procedentem. Diem igitur notans et horam invenit tunc servum Dei Dominicum a corpore migrasse. Cum igitur corpus ejus multo tempore sub terra jacuisset et crebrescentibus in dies indesinenter miraculis non posset ulterius ejus sanctitas occultari, fidelium dignum duxit devotio corpus ejus ad altiorem locum transferre, cumque monumentum fuisset, fracto vix ferreis instrumentis caemento sublatoque lapide, patefactum, tanta ex ipso suavissimi odoris prorupit fragrantia, ut non tam sepulchrum quam cella videretur aromatum patuisse. Qui quidem odor cuncta superabat aromata nec alicujus rei naturalis odor similis videbatur nec solum ossibus aut pulveri sacri corporis inerat vel capsae, verum etiam terrae circumquaque congestae, ita ut ad longinquas regiones etiam postmodum delata odorem ipsum longo tempore retineret. Fratrum vero manibus aliquid de [2]reliquiis tangentibus sic inhaesit, ut quantumcunque lotae vel etiam confricatae fragrantiae diu testimonium praesentarent. In provincia Ungariae vir quidam nobilis cum uxore sua et filio parvulo ad reliquias beati Dominici, quae in Silon habebantur, visitandas accessit, at filius ejus infirmitatus ibidem ad extremum vitae moriendo pervenit, pater autem corpus filii coram altari beati Dominici collocans lamentari coepit et dicere: beate Dominice, laetus veni

1) Alii Rabo legunt. 2) Rec. addunt sacrosanctis et post confricatae: essent per plures dies consecratae.

ad te, en tristis redeo, cum filio veni et orbatus recedo; redde mihi, quaeso, filium meum, redde mihi laetitiam cordis mei. Et ecce circa mortis medium puer revixit et per ecclesiam ambulavit. Juvenis quidam cujusdam nobilis dominae mancipium, dum in quodam flumine piscandi gratia insisteret, in aqua lapsus et suffocatus disparuit, magno autem spatio temporis interjecto ejus corpus de profundo fluminis est eductum, domina autem ipsius pro ejus resuscitatione beatum Dominicum invocans promisit se ad suas reliquias nudis pedibus accessuram et resuscitatum mancipium libertati daturam, statimque, qui fuerat mortuus, in medium videntibus omnibus vitae redditus prosiliit votumque suum praedicta domina, sicut promiserat, adimplevit. In eadem provincia Ungariae cum quidam vir filium suum defunctum amare lugeret et beatum Dominicum pro ejus resurrectione invocaret, circa pullorum cantum, qui mortuus fuerat, oculos aperuit et patri dixit: quid est, pater, quod sic habeo faciem madefactam? Et ille: lacrimae patris tui sunt, fili, quia tu mortuus fueras et ego solus remanseram omni gaudio destitutus. Cui ille: multum flevisti, pater, sed beatus Dominicus desolationi tuae compatiens, ut tibi vivus redderer, suis meritis impetravit. Languidus quidam et per XVIII annos caecus reliquias beati Dominici visitare desiderans, tanquam tentans ire de lecto surrexit tantamque subito sibi sensit infundi virtutem, quod passu concito gradi coepit, tantoque magis in convalescentia corporis et illuminatione oculorum proficiens, quanto quotidie in itinere procedebat, donec tandem ad locum destinatum perveniens perfectam recepit utriusque beneficium sanitatis. In eadem provincia Ungariae matrona quaedam ad honorem beati Dominici missam disponens facere celebrari sacerdotem hora debita non invenit, quapropter candelas tres ad hoc paratas manutergio mundo involvit et in quodam vase reposuit, aliquantulum autem devertens et postea rediens candelas flammis patentibus ardere vidit. Currentes omnes ad tam grande spectaculum tamdiu ibidem trementes et orantes steterunt, donec sine laesione manutergii penitus exarserunt. Apud Bononiam scholaris quidam nomine Nicolaus gravi renum ac genuum dolore adeo est vexatus, quod de lecto surgere non valebat, cujus et femur laevum emarcuit in tantum, quod omnis ab eo spes curationis abscessit. Deo igitur et beato Dominico se devovens cum se filo, de quo fienda erat candela, totum mensus esset in longum, coepit etiam corpus, collum et pectus cingere. Cum tandem genu filo ambiente cinxisset,

invocato ad quamlibet mensurationem nomine Jesu et beati Dominici continuo se alleviatum sentiens exclamavit: ego sum liberatus. Exsurgens et prae gaudio lacrymans sine aliquo fulcimento venit ad ecclesiam, in qua corpus sancti Dominici quiescebat. In eadem quoque civitate multa et fere innumerabilia miracula Deus per suum servum Dominicum operatus est. In Sicilia apud Augustam cum puella quaedam, quae vitio lapidis laborabat, incidi deberet, mater ejus pro instanti periculo filiam suam Deo et beato Dominico commendavit. Sequenti igitur nocte dormienti puellae beatus Dominicus adstitit et in manu ejus lapidem, quo torquebatur, posuit et abscessit, quem puella evigilans et se liberatam inveniens matri dedit et visionem per ordinem explicavit, mater vero lapidem ad domum fratrum attulit et ipsum in memoriam tanti miraculi coram imagine beati Dominici suspendit. In Augusta civitate cum in festo translationis beati Dominici matronae quaedam, quae in ecclesia fratrum missarum sollemniis interfuere, domum redirent et quandam mulierem prae foribus domus suae filantem viderent, ipsam caritative redarguere coeperunt, cur in festo tanti patris a servili opere non cessaret, illa vero indignata respondit: vos, quae estis [1])bizotae fratrum, festum colite vestri sancti. Statimque oculis in tumorem cum pruritu conversis ex ipsis coeperunt vermes protinus scaturire, ita quod vicina quaedam XVIII vermes eduxit ex ejus oculis numeratim. Compuncta igitur ad ecclesiam fratrum venit ibique peccata sua confitens et votum emittens, quod de caetero sancto Dei Dominico nunquam detraheret et ejus festum devote ageret, protinus restituta est pristinae sanitati. Sanctimonialis quaedam nomine Maria apud Tripolin in monasterio, quod dicitur Magdalena, validissimis infirmitatibus elaborans, at in tibia graviter percussa V mensibus cruciatu miserabili urgebatur, ita ut singulis horis exitus timeretur. Quae intra se recolligens semetipsam sic oravit: mi domine, non sum ego digna orare te nec a te exaudiri, sed rogo dominum meum beatum Dominicum, ut sit mediator inter me et te et mihi impetret beneficium sanitatis. Cum ergo diu cum lacrymis exoraret, in exstasi facta vidit beatum Dominicum duobus cum fratribus aperta cortina, quae ante lectum ejus pendebat, intrantem sibique dicentem: quare tantum sanari desideras? Et illa: domine, ut Deo meo devotius servire possim. Tunc ille desub cappa unctionem mirae fragrantiae proferens tibiam ejus unxit et statim sanata fuit,

---

1) Brixotae legit Ed. Pr.

[1])Et ait: haec unctio est valde pretiosa, dulcis et difficilis. Cujus verbi cum mulier requireret rationem, dixit: haec unctio dilectionis est signum, quae videlicet pretiosa est, quia nullo pretio emi potest et quia in donis Dei nullum est melius dilectione, dulcis, quia nihil dulcius caritate, difficilis, quia cito perditur, nisi caute custoditur. Ipsa etiam nocte sorori suae in dormitorio quiescenti apparuit dicens: ego sanavi sororem tuam; quae currens ipsam sanatam invenit. Quae cum se etiam sensibili unctione inunctam sentiret, ipsam cum bombice et reverentia multa extersit. [2]) Quae cum abbatissae et confessori et sorori omnia retulisset, et unctionem in bombice praesentasset, tanta et tam nova odoris fragrantia sunt percussi, ut nulla iis possent aromata comparari, ipsam autem unctionem cum multa reverentia servaverunt. Quam gratus autem Deo exstat locus, in quo sacrosanctum corpus beati Dominici requiescit, licet ex miraculis multis claruerit, unum tamen hic posuisse sufficiat. Refert magister Alexander episcopus [3]) Vindonicensis in postillis suis super illud verbum: misericordia et veritas obviaverunt sibi etc., quod quidam scholaris degens Bononiae vanitatibus saeculi deditus visionem talem conspexit. Videbatur siquidem sibi, quod in quodam campo magno consisteret et ibidem tempestas ingens super ipsum descenderet. Qui dum fugeret a facie tempestatis, ad quandam domum pervenit, quam cum clausam invenisset et pulsans ad ostium se ibidem recipi postulasset, quae deintus erat hospita, respondit: ego sum justitia, quae hic habito, et haec domus mea est, quia autem tu justus non es, in ea habitare non vales. Ad cujus verba ille plurimum moerens abscessit et aliam domum ultra illam conspiciens ad eam venit et pulsans ad ostium se ibidem recipi postulabat, sed quae deintus erat hospita, respondit: ego sum veritas, quae hic habito, et haec domus mea est, te autem hospitio non recipiam, quia veritas eum non liberat, qui eam non amat. Indeque abscedens tertiam domum ultra illam prospicit, ad quam veniens se similiter contra impetum tempestatis recipi flagitavit. Cui, quae deintus erat domina, respondit: ego sum pax, quae hic habito, non est autem pax impiis, sed hominibus bonae voluntatis. Verum quia ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis, utile consilium tibi dabo: ultra me soror habitat, quae miseris semper auxilium praestat, ad hanc accede et ejus monita comple. Cum ergo accessisset, quae deintus erat, re-

1) Verba: Et — dixit omittit Ed. Pr. 2) Verba: Quae — servaverunt omittit Ed. Pr. 3) Ed. Pr. Vindomensis.

spondit: ego sum misericordia, quae hic habito, si igitur ab imminenti tempestate salvari desideras, vade ad domum, in qua fratres praedicatores habitant, ibique invenies stabulum poenitentiae et praesepe continentiae et pabulum doctrinae, [1]) asinum simplicitatis cum bove discretionis, Mariam illuminantem et Josephum perficientem et puerum Jesum te salvantem. Cum igitur praedictus scholaris evigilasset, ad domum fratrum venit et visionem per ordinem recitans habitum ordinis petiit et accepit.

CAP. CXIV. (109.)

De sancto Sixto[2]).

Sixtus dicitur a Sios, quod est Deus, et status, quasi [3]) divinus status, vel Sixtus a sisto, sistis, quasi fixus et firmus in fide vel passione et bona operatione.

1. Sixtus papa Atheniensis natione primo quidem philosophus, sed postea Christi discipulus et pontifex summus electus Decio et Valeriano cum duobus dyaconibus suis Felicissimo et Agapito praesentatus est. Quem cum Decius nullis posset persuasionibus inclinare, fecit eum duci ad templum Martis, ut aut sacrificaret aut in custodia [4]) Mamertini reciperetur, sed cum sacrificare renueret, in custodiam duceretur. Beatus Laurentius post eum clamans ibat et dicebat: quo progrederis sine filio, pater? quo, sacerdos sancte, sine ministro properas? Cui Sixtus: non ego te desero, fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina, post triduum me sequeris sacerdotem levita, interim ergo thesauros ecclesiae accipe et, quibus tibi videtur, divide. Quos cum ille christianis pauperibus distribuisset, Valerianus praefectus decrevit, ut Sixtus ad templum Martis sacrificaturus duceretur, quodsi renueret, ibidem capite truncaretur. Quo cum duceretur, beatus Laurentius post eum clamare coepit ac dicere: noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi. Tunc milites audientes thesauros nominare Laurentium tenuerunt, Sixtum vero cum Felicissimo et Agapito ibidem decollaverunt. — — — **2.** In hac die est festum transfigurationis domini et sanguinis Christi de novo vino,

1) Ed. Pr. verba asinum — perfic. omittit. 2) Recentiores addunt: papa. 3) Verba: divinus — sistis omittit Ed. Pr. 4) Ed. Pr. addit detineretur et verba Mam. — duceretur omittit.

si fieri potest et inveniri, in aliquibus ecclesiis conficitur vel saltem de matura uva aliquantulum in calice eliquatur. [1]) In hac die etiam racemi benedicuntur et populus inde communicat. Ratio autem hujus est ex eo, quod dominus discipulis suis dixit in die coenae: non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno patris mei. Illa vero transfiguratio et, quod dixit, novum vinum, repraesentat gloriosam innovationem, quam Christus post resurrectionem habuit, et ideo in hac die transfigurationis, qui resurrectionem repraesentat, vinum novum requiritur, et non quod in hac die, ut quidam ajunt, transfiguratio sit facta, sed in hac die ab apostolis manifestata. Transfiguratio enim facta dicitur fuisse circa principium veris, discipuli autem propter prohibitionem iis factam ipsam tamdiu celaverunt et in hac die manifestaverunt. Sic legitur in libro, quod dicitur [2]) mitrale.

CAP. CXV. (110.)

De sancto Donato.

Donatus dicitur quasi a Deo [3])natus, et hoc per regenerationem et gratiae infusionem et glorificationem, quae est triplex [4]) generatione, spiritu vel a deo. Nam cum sancti moriuntur, tunc nasci dicuntur, unde obitus sanctorum non mors, sed natale vocatur, puer enim appetit nasci, ut recipiat ampliorem locum ad manendum, uberiorem cibum ad vescendum, liberiorem aërem ad respirandum et lucem ad videndum. Et quia sancti de utero matris ecclesiae per mortem exeunt, illa quatuor secundum modum suum recipiunt, ideo nasci dicuntur. Vel dicitur Donatus quasi dono Dei datus.

1. Donatus cum Juliano imperatore eruditus et nutritus est, ita quod praedictus Julianus fuit tunc in subdyaconum ordinatus, sed cum in imperium sublimatus fuisset, patrem et matrem beati Donati occidit, Donatus vero in Aretinam civitatem aufugit et apud Hylarium monachum manens multa miracula fecit. Nam cum praefectus civitatis habens filium daemoniacum eum ad Donatum adduxisset, spiritus immundus clamare coepit ac dicere: in nomine

---

1) Verba: in — bened. omittit Ed. Pr. 2) Recentiores legunt mitra. 3) Ed. Pr. datus. 4) Sic Ed. Pr. Recent. legunt: generatio spiritualis a Deo.

domini Jesu Christi noli mihi esse molestus, ut de domo mea egrediar, o Donate, quare me exire coartas cum tormentis? Sed orante Donato fuit protinus liberatus. — — — 2. Vir quidam Eustachius nomine exactor fisci in Tuscia publicam pecuniam in custodia uxoris nomine Euphrosinae dereliquit, sed cum provincia ab hostibus urgeretur, pecuniam abscondit et dolore praeventa vitam finivit. Vir autem ejus rediens cum pecuniam invenire non posset et jam cum filiis suis ad supplicium tradi deberet, ad sanctum Donatum confugit, Donatus autem ad sepulchrum uxoris cum eo pergens oratione facta clara voce dixit: Euphrosina per spiritum sanctum te adjuro, ut dicas nobis, ubi talem pecuniam posuisti. Et facta est vox de sepulchro dicens: in ingressu domus meae, ibi eam subfodi. Et euntes eam ibi, ut dixerat, invenerunt. — — — 3. Post aliquot autem dies Satyrus episcopus in domino obdormivit et omnis clerus Donatum in episcopum elegit. Cum autem, ut refert Gregorius in dyalogis, quadam die missa celebrata populus communicaret et dyaconus communicans Christi sanguinem propinaret, subito paganorum impulsu dyaconus cecidit et calicem sanctum fregit. De quo cum ipse et omnis populus plurimum moestus esset, Donatus fragmenta colligens calicis oratione facta ipsum in pristinam formam restauravit. Una autem particula a dyabolo absconsa fuit, quae in calice praedicto defecit, quae tamen est ad testimonium miraculi hujus. Pagani autem hoc viso miraculo sunt conversi et LXXX baptisma susceperunt. — — — 4. Fons quidam adeo erat infectus, ut, quicunque de illo biberet, protinus moreretur. Dum igitur sanctus Donatus super asinum suum illuc iret, ut oratione sua aquam sanaret, draco terribilis inde erupit et pedes asini cauda involvens contra Donatum se protinus erexit. Quem Donatus flagello quodam percutiens vel, secundum quod alibi legitur, in os ejus exspuens continuo interfecit oravitque ad dominum, et omne venenum a fonte fugavit. Alium quoque fontem, dum ipse cum sociis suis valde sitiret, quadam vice oratione ibidem produxit. — — — 5. Cum filia Theodosii imperatoris a daemone vexaretur et ad sanctum Donatum adducta fuisset, dixit Donatus: exi, immunde spiritus, et noli in plasmate Dei habitare. Cui daemon: da mihi transitum, quo exeam aut quo vadam. Cui Donatus: unde huc venisti? Cui daemon: de eremo. Et sanctus: illuc revertere. Et daemon: video signum crucis in te, de quo ignis exit contra me, et prae timore ignoro, quo vadam, sed da mihi locum exeundi et exeo. Cui

Donatus: ecce habes transitum, redi ad locum tuum et universam domum concutiens exivit. — — — 6. Cum quidam mortuus efferretur, advenit quidam cum chirographo asserens deberi sibi ab ipso CC solidos, unde nullatenus ipsum sepeliri sinebat. Quod cum uxor ejus vidua beato Donato cum lacrimis indicasset, adjungens, quod homo ille pecuniam totaliter recepisset, assurgens ad loculum ivit et manu defunctum tangens ait: audi me. Qui respondit: ego sum. Et sanctus Donatus ad eum ait: surge et vide, quid agas cum homine isto, qui te sepeliri non sinit. Qui residens eum de solutione debiti coram omnibus convicit et chirographum accipiens manu scidit. Deinde dixit sancto Donato: jube me iterum, pater, dormire. Et ille: vade amodo, fili, quiescere. — — — 7. Eo tempore cum fere annis tribus non pluisset et sterilitas magna esset, infideles ad imperatorem Theodosium convenerunt petentes, ut sibi Donatum traderet, qui per artem magicam hoc fecisset. Ad imperatoris igitur instantiam Donatus egressus dominum exoravit, et pluviam copiosam dedit siccisque vestibus caeteris pluvia infusis domum rediit. — — — 8. Cum autem Gothi eo tempore Italiam devastarent et multi a fide Christi recederent, Evadracianus praefectus a sancto Donato et [1]) Hylariano de apostasia reprehensus sanctos ipsos cepit compellens eos, ut Jovi immolarent. Quod cum renuerent, Hylarianum exspoliatum tamdiu caedi fecit, quousque spiritum exhalaret, Donatum vero in carcerem reclusit et postmodum eum decollari fecit circa annum domini CCCLXXX.

CAP. CXVI. (111.)

De sancto Cyriaco [2]) et sociis ejus.

Cyriacus a Marcello papa dyaconus ordinatus comprehensus et ad Maximianum deductus jussus est cum sociis suis, ut terram foderet et ad locum, scilicet thermas, qui ibidem construebatur, suis eam humeris deportaret, ubi erat sanctus Saturninus senex, quem Cyriacus et Sisinnius ad portandum juvabant. Tandem in carcere reclusum praefectus jussit Cyriacum praesentari. Et cum eum

1) Alii: Hilarino. 2) Verba et — ejus omittunt Rec.

Aproniauus educeret, subito vox cum luce de coelo veniens dixit: venite benedicti patris mei etc. Apronianus credidit et baptizari se fecit et ad praefectum confitens Christum venit. Cui praefectus: numquid tu Christianus factus es? Qui respondit: vaeh mihi, quia perdidi dies meos. Respondit praefectus: vere modo perdes dies tuos; et misit eum decollari, Saturninus vero et Sisinnius cum sacrificare nollent, diversis suppliciis affecti tandem decollati sunt. Filia autem Dyocletiani nomine Arthemia cum a daemonio vexaretur, clamabat in ea daemon dicens: non exeam, nisi Cyriacus dyaconus veniat. Unde ad eam adductus Cyriacus cum daemoni imperaret, respondit: si vis, ut exeam, da mihi vas aliquod, in quod intrem. Responditque Cyriacus: ecce corpus meum, si potes, ingredere. Cui daemon: in vas tuum intrare non possum, quia undique est signatum et clausum, sed, si ejicis me, scito, quod in Babyloniam te venire faciam, et cum coactus exiisset, Arthemia clamavit dicens, quod Deum, quem Cyriacus praedicat, videret. Cum igitur illam Cyriacus baptizasset et ex gratia Dyocletiani et Serenae uxoris ejus in domo, quam dederant ei, securus viveret, venit nuntius a rege Persarum ad Dyocletianum rogans, ut ad se Cyriacus mitteretur, quia filia sua a daemone vexaretur. Ad preces igitur Dyocletiani Cyriacus cum [1]Largo et Smaragdo navi impositis necessariis in Babyloniam laetus ivit, cumque ad puellam pervenisset, daemon per os ejus clamavit dicens: fatigatus es, Cyriace? Cui Cyriacus respondit: non sum fatigatus, sed ubique Dei auxilio gubernatus. Ait daemon: tamen ego, ad quod volui, te perduxi. Tunc Cyriacus dixit daemoni: imperat tibi Jesus, ut exeas. Et statim exiens daemon dixit: o nomen terribile, quod me coartat exire. Et sic sanatam puellam cum patre et matre et multis aliis baptizavit et, cum multa sibi munera offerrentur, recipere noluit, sed XLV diebus ibidem in pane et aqua jejunans tandem Romam rediit. Post duos autem menses Dyocletianus défunctus est, cui Maximianus succedens iratus de sorore sua Arthemia Cyriacum comprehendit et nudum catenis ligatum ante currum suum trahi jussit. Iste Maximianus pro tanto potest dici filius Dyocletiani, quod sibi successit et filiam ejus habuit in uxorem, quae Valeriana nuncupata est. Deinde jussit Carpasio vicario, ut ipsum cum sociis sacrificare compelleret aut diversis suppliciis occideret.

---

1) Recent. pessime: largo smaragdo legunt.

Et cum ipse picem super caput ejus liquasset et in equuleo suspendisset, fecit Cyriacum cum omnibus sociis decollari. Carpasius autem cum domum sancti Cyriaci impetrasset et ad derisionem christianorum in loco, ubi Cyriacus baptizabat, se lavaret epulasque cum XIX sociis celebraret, subito omnes mortui sunt et extunc clauso balneo gentiles christianos timere et venerari coeperunt.

CAP. CXVII. (112.)

De sancto Laurentio [1]) martire.

Laurentius dicitur quasi lauream tenens, quae est corona de lauro facta, quia olim de hujusmodi ramis victores coronabantur. Haec autem arbor est victoriae ostensiva, continua viriditate amoena, odore grata et efficacia virtuosa. Beatus igitur Laurentius dicitur a lauro, quia victoriam obtinuit in sui passione, unde et confusus Decius dixit: puto, quia jam victi sumus. Viriditatem habuit in cordis munditia et puritate, unde et dixit: mea nox obscurum non habet etc. Odorem habuit per memoriae perpetuitatem, unde: dispersit, dedit pauperibus et ideo justitia ejus manet in saeculum saeculi. Beatus Maximus: quomodo non in aeternum hujusmodi manet justitia, quam et sancto complevit opere et gloriosissimo martirio consecravit. Efficaciam per virtuosam praedicationem, per quam Lucillum, Hyppolitum et Romanum [2]) convicit. Hujusmodi autem arboris efficacia est, quia calculum frangit, surditati subvenit, fulmen non metuit. Sic Laurentius frangit cor durum, spiritualem reddit auditum, protegit a fulmine [3]) sententiae reproborum.

Laurentius martir et levita genere Hispanus a beato Sixto Romam deductus est. Nam sicut dicit magister Johannes Beleth, cum idem beatus Sixtus in Hispaniam profectus esset, duos juvenes ibidem repericns, scilicet Laurentium et Vincentium ejus cognatum morum honestate compositos et in omni actione praeclaros, ipsos secum Romam abduxit, quorum alter, scilicet Laurentius, secum Romae mansit, Vincentius vero in Hispaniam rediit et ibi glorioso martirio vitam finivit. Huic autem opinioni magistri Johannis Beleth repugnat tempus martirii utriusque, nam Laurentius sub Decio,

---

1) Hoc epithetou deest in rec. libris. 2) Alii: convertit. 3) Ed. Pr. scilicet.

Vincentius autem in juvenili aetate sub Dyocletiano et Daciano passus est. Sed inter Decium et Dyocletianum fluxerunt anni circiter XL et imperatores septem medii fuerunt, ut tunc beatus Vincentius non potuerit juvenis exstitisse. Beatus autem Sixtus Laurentium suum archidyaconum ordinavit. Eodem tempore Philippus imperator et filius suus nomine Philippus fidem Christi receperant et christiani effecti ecclesiam sublimare plurimum nitebantur. Iste Philippus primus imperator fuit, qui fidem Christi recepit, quem Origenes, ut dicitur, ad fidem convertit, licet alibi legatur, quod beatus Pontius eum converterit. Regnavit autem anno M ab urbe condita, ut millesimus annus Romae Christo potius quam ydolis dedicaretur. Qui quidem annus millesimus fuit a Romanis cum ingenti ludorum et spectaculorum apparatu celebratus. Erat autem Philippo imperatori miles quidam nomine Decius in armis bellicis multum strenuus et famosus. Cum autem iisdem temporibus Gallia rebellaret, illuc imperator Decium misit, ut rebellantem Galliam Romano imperio subjugaret. Missus Decius prospere cuncta gessit et ad libitum potitus victoria Romam rediit. Audiens imperator ejus adventum, eum altius honorificare voluit et eidem a Roma usque ad Veronam obvius ivit. Sed quia malorum mentes, quo magis se honorari sentiunt, eo amplius per superbiam intumescunt, Decius in superbiam elatus imperium coepit ambire et de morte sui domini pertractare. Cum igitur imperator in stratu suo sub papilione quiesceret, Decius papilionem latenter introivit et dormientem dominum jugulavit, exercitum autem, qui cum imperatore venerat, ad se prece et pretio, muneribus et promissis attraxit et ad urbem regiam gradu concito properavit. Audiens hoc Philippus minor extimuit et totum thesaurum patris et suum, ut ait Sicardus in chronica sua, beato Sixto et sancto Laurentio commendavit, ut, si ipsum a Decio interfici contingeret, thesaurum ipsum ecclesiis et pauperibus erogarent. Nec te moveat, quod thesauri, quos beatus Laurentius dispensavit, non dicuntur thesauri imperatoris, sed ecclesiae, quia potuit esse, quod cum ipsis thesauris Philippi imperatoris aliquem etiam thesaurum ecclesiae dispensavit. Vel forte ideo dicuntur thesauri ecclesiae, quia Philippus eos reliquerat ecclesiae pauperibus dispensandos. Licet habeat dubitationem vehementem, utrum Sixtus tunc temporis fuerit, sicut infra dicetur. Postea Philippus aufugit et se a facie Decii occultavit, senatus igitur obviam Decio processit et ipsum in imperium confirmavit.

Ne vero proditorie, sed zelo ydololatriae dominum suum occidisse videretur, christianos coepit crudelissime persequi, praecipiens illos sine ulla misericordia trucidari. In hac persecutione multa millia martirum corruerunt, inter quos et Philippus junior martirio est coronatus. Post hoc Decius de thesauro domini sui inquisitionem faciens, oblatus est ei beatus Sixtus, tamquam qui Christum coleret et imperatoris thesauros haberet. Tunc Decius jussit eum in carcerem recipi, ut per illata tormenta Christum negaret et thesauros proderet. Beatus autem Laurentius ipsum sequens post eum clamabat: quo progrederis sine filio, pater? quo, sacerdos sancte, sine dyacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. Quid in me displicuit paternitati tuae? numquid degenerem me probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem. Cui beatus Sixtus dixit: non ego te desero, fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina. Nos quasi senes levioris pugnae cursum recipimus, te autem quasi juvenem manet de tyranno gloriosior triumphus: post triduum me sequeris sacerdotem levita. Deditque ei omnes thesauros praecipiens, ut ecclesiis et pauperibus erogaret. Beatus igitur Laurentius christianos die ac nocte diligenter quaesivit et unicuique, prout opus fuerat, ministravit. Venit ad domum cujusdam viduae, quae multos christianos in domo sua absconderat, quam longus dolor capitis detinebat, sanctus autem Laurentius per impositionem manus eam a dolore capitis liberavit et pauperibus pedes lavans omnibus elemosinam dedit. Eadem nocte in domo cujusdam christiani veniens quendam caecum ibidem reperit et facto signo crucis eum illuminavit. Cum autem beatus Sixtus Decio nollet consentire nec ydolis immolare, ipsum ad decollandum duci praecepit. Accurrens autem beatus Laurentius post ipsum clamavit: noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi. Tunc milites audientes thesauros Laurentium tenuerunt et Parthenio tribuno tradiderunt. Ipse autem eum Decio praesentavit, cui Decius Caesar ait: ubi sunt thesauri ecclesiae, quos apud te cognovimus esse reconditos? Qui cum sibi non responderet, tradidit eum Valeriano praefecto, ut aut thesauros prodat et ydolis sacrificet aut diversis eum interire faciat suppliciis et tormentis. Valerianus autem cuidam praefecto nomine Hyppolito in custodiam eum tradidit, quem ille cum multis aliis in carcere reclusit. Erat autem in custodia

ibi quidam gentilis nomine Lucillus, qui plorando lumen oculorum amiserat. Cui cum Laurentius lumen se restaurare promitteret, si in Christum crederet et baptisma susciperet, ille se instantius baptizari postulavit. Accipiens ergo aquam Laurentius dixit ei: omnia in confessione lavantur. Cumque ipsum de articulis fidei diligenter interrogasset et ille omnia se credere confessus fuisset, aquam super caput ejus effudit et ipsum in Christi nomine baptizavit. Quapropter multi ad eum caeci veniebant et ab eo illuminati rediebant. Hoc videns Hyppolitus dixit ei: ostende mihi thesauros. Cui Laurentius: o Hyppolite, si in dominum Jesum Christum credideris, et thesauros tibi ostendo et vitam aeternam promitto. Cui Hyppolitus: si dicta factis compenses, faciam, quod hortaris. Eadem hora Hyppolitus credidit et sacrum baptisma cum familia sua suscepit. Baptizatus autem ait: vidi animas innocentium laetas gaudere. Post hoc mandavit Valerianus ad Hyppolitum, ut Laurentium praesentaret. Cui Laurentius ait: ambulemus ambo pariter, quia mihi et tibi gloria praeparatur. Ad tribunal ergo ambo veniunt et fit iterum inquisitio de thesauro, Laurentius autem triduo inducias petiit, quas Valerianus eidem sub Hyppoliti custodia concessit. In hoc triduo Laurentius pauperes claudos et caecos collegit et eos in palatio [1]) Salustiano coram Decio praesentavit dicens: ecce isti sunt thesauri aeterni, qui nunquam minuuntur, sed crescunt, qui in singulis dispergauntur et in omnibus inveniuntur, horum enim manus thesauros in coelum deportaverunt. Valerianus praesente Decio dixit: quid variaris per multa? jam nunc sacrifica et magicam artem depone. Cui Laurentius: quis debet adorari, qui factus est, an qui fecit? Iratus Decius jussit eum scorpionibus caedi et omne genus tormentorum ante ipsum deferri. Quem cum sacrificare juberet, ut haec tormenta evaderet, respondit: infelix, has epulas semper optavi. Cui Decius: si epulae istae sunt, tibi similes pande profanos, ut tecum pariter epulentur. Cui Laurentius: jam in coelis nomina sua dederunt et ideo eorum aspectibus non es dignus. Tunc jubente Decio nudus fustibus caeditur et ardentes laminae ad latera apponuntur, dixitque Laurentius: domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mei servi tui, quia accusatus non negavi nomen sanctum tuum, interrogatus te dominum confessus sum. Dixitque ei Decius: scio, quia per artem magicam tormenta deludis,

---

1) Ed. Pr. Salustioni legit.

me autem deludere diu non valebis. Testor Deos Deasque, quia, nisi sacrificaveris, diversis suppliciis perimeris. Tunc jussit eum plumbatis diutissime caedi, Laurentius autem oravit dicens: domine Jesu Christe, accipe spiritum meum. Tunc audiente Decio vox de coelo insonuit: adhuc tibi multa certamina debentur. Tunc Decius furore repletus dixit: viri Romani, audistis daemones istum sacrilegum consolantes, qui nostros Deos non colit nec tormenta metuit nec iratos principes expavescit. Jussit ergo eum iterum scorpionibus caedi, subridens autem Laurentius gratias egit et pro adstantibus exoravit. Eadem hora miles quidam nomine Romanus credidit et beato Laurentio dixit: video ante te juvenem pulcherrimum stantem et membra tua cum linteo tergentem, adjuro te per Deum, ne me derelinquas, sed festina me baptizare. Dixitque Decius Valeriano: puto, quod jam per artem magicam victi sumus. Jussit ergo eum de cathasta solvi et in custodia Hyppoliti recludi, Romanus autem afferens urceum cum aqua ad pedes Laurentii procidit et sacrum ab eo baptisma suscepit. Quod ubi Decius comperit, Romanum fustibus caedi jussit, qui cum libere se christianum profiteretur, jussu Decii decollatus est. Eadem nocte Laurentius ad Decium adducitur. Cum autem Hyppolitus fleret et se christianum esse clamaret, dixit ad eum Laurentius: in interiori homine magis Christum absconde et, dum clamavero, audi et veni. Omnia igitur tormentorum genera afferuntur. Dixit ergo Decius Laurentio: aut Diis sacrificabis aut nox ista in te cum suppliciis expendetur. Cui Laurentius: mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Dixitque Decius: afferatur lectus ferreus, ut requiescat in eo contumax Laurentius. Ministri ergo eum exuerunt et super cratem ferream extenderunt et prunis suppositis eum cum furcis ferreis compresserunt, dixitque Laurentius Valeriano: disce, miser, quia carbones tui mihi refrigerium, tibi autem aeternum supplicium praestant, quia ipse dominus novit, quod accusatus non negavi eum, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. Dixitque hilari vultu ad Decium: ecce, miser, assasti unam partem, gira aliam et manduca. Et gratias agens dixit: gratias tibi ago, domine, quia januas tuas ingredi merui, et sic spiritum emisit. Confusus Decius cum Valeriano abiit in palatium Tyberii relicto corpore super ignem, quod Hyppolitus mane rapuit et cum Justino presbitero in agro Verano conditum aromatibus sepelivit. Christiani igitur jejunantes triduo vigilias celebrarunt, mugitus dantes et la-

crimas effundentes. Utrum autem hoc verum sit, quod Laurentius sub isto Decio imperatore martirium sit passus, a multis dubitatur, cum in chronicis Sixtus longe fuisse [1]) ante Decium legatur. Eutropius autem hoc asserit dicens: Decius persecutionem in christianos movens inter caeteros beatum levitam et martirem Laurentium necavit. In quadam autem chronica satis authentica dicitur, quod non sub Decio imperatore, qui Philippo successit, sed sub quodam Decio minore, qui Caesar, non imperator exstitit, martirium passus fuit. Nam inter Decium imperatorem et Decium minorem, sub quo Laurentius dicitur passus, plurimi imperatores et summi pontifices intermedii exstiterunt. Etenim, ut ibidem dicitur, cum Decio imperatori Gallus et Volusianus ejus filius in imperio successissent et Valerianus cum Gallieno post eosdem imperium tenuissent, dicti Valerianus et Gallienus minorem Decium Caesarem, non imperatorem fecerunt. Nam antiquitus quandoque aliqui ab imperatoribus fiebant Caesares, non tamen Augusti vel imperatores, sicut legitur in chronicis, quod Dyocletianus Maximianum Caesarem fecit, postmodum ex Caesare Augustum creavit. Tempore autem horum imperatorum, scilicet Valeriani et Gallieni, Sixtus Romanam sedem tenebat. Hic igitur Caesar Decius appellatus, non imperator effectus beatum Laurentium martirem fecit, unde nusquam in legenda beati Laurentii vocatur Decius imperator, sed Decius Caesar tantum, Decius enim imperator duobus tantum annis regnavit et beatum Fabianum papam martirem fecit. Fabiano successit Cornelius, qui sub Volusiano et Gallo passus est. Cornelio successit Lucius, Lucio Stephanus: hic sub Valeriano et Gallieno, qui annis XV imperaverunt, passus est. Stephano successit Sixtus. Haec in chronica illa leguntur. Omnes autem chronicae, tam Eusebii quam Bedae et Ysidori in hoc concordant, quod Sixtus papa non fuit tempore Decii imperatoris, sed Gallieni Legitur tamen in alia quadam chronica, quod praedictus Gallienus fuit binomius, dictus est enim Gallienus et Decius et sub illo passi sunt Sixtus et Laurentius circa annum domini ducentesimum quinquagesimum septimum. Godofridus quoque in libro suo, qui dicitur [2]) Pantheon, idem asserit, quod scilicet Gallienus vocatus est alio nomine Decius et quod sub eo passi sunt Sixtus et Laurentius. Et si haec vera sunt, tunc positio Johannis Beleth vera posset esse — — — **2**. Refert Gregorius in libro dyalogorum,

---

1) Sic Ed. Pr., alii post legunt. 2) Ed. Pr. male panctio legit.

quod [1]) Sabina quaedam sanctimonialis fuit, quae carnis quidem continentiam habuit, sed linguae procacitatem non declinavit. Haec dum in ecclesia sancti Laurentii fuisset sepulta, ante altare martiris a daemonibus secata pars illaesa permanet, altera concrematur, ita ut mane visibiliter adustio appareret. — — — 3. Gregorius quoque Turonensis ait, quod dum quidam sacerdos quandam ecclesiam sancti Laurentii repararet et trabs quaedam nimium brevis esset, rogavit beatum Laurentium, ut, qui pauperes foverat, suae inopiae subveniret. Quae subito sic excrevit, ut pars non modica abundaret, quam partem sacerdos minutatim incidit et multas inde infirmitates sanabat. Idem testatur beatus Fortunatus. Factum est autem hoc apud Prioras castrum Italiae [2]). — — — 4. Quidam insuper presbiter nomine Sanctulus, ut refert Gregorius in dyalogo, sancti Laurentii ecclesiam a Longobardis incensam reparare volens artifices multos conduxit. Quadam autem die dum, quod iis apponeret, non haberet, praemissa oratione in clibano respexit et ibidem candidissimum panem invenit, sed cum vix ad unius prandii esum tribus personis sufficere videretur, Laurentius artifices suos nolens deficere sic praedictum panem multiplicari fecit, quod in alimentum decem dierum operariis cunctis suffecit. — — — 5. In ecclesia sancti Laurentii apud Mediolanum, ut refert Vincentius in chronica, calix quidam crystallinus mirae pulchritudinis habebatur. Qui cum in quadam sollemnitate ad altare a dyacono portaretur, elapsus e manibus in terram cecidit et statim comminutus fuit. At dyaconus moerens fragmenta collegit et super altare ponens beatum Laurentium exoravit et fractum calicem integrum et solidatum recepit. — — — 6. Legitur quoque in libro de miraculis beatae virginis, quod quidam judex Stephanus nomine Romae erat, qui munera libenter accipiens multorum judicia pervertebat. Hic tres domos ecclesiae sancti Laurentii et unum hortum sanctae Agnetis violenter abstulit et ablata injuste possedit. Accidit autem, ut moreretur et ante Dei judicium duceretur. Ad quem Laurentius cum nimia indignatione accessit et tribus vicibus brachium ejus diutissime strinxit et dolore nimio cruciavit. Sancta vero Agnes cum caeteris virginibus eum videre noluit, sed faciem suam avertit. Tunc judex super eum sententiam ferens dixit: quoniam aliena subtraxit et munera accipiens veritatem vendidit, in loco Judae

1) Rec. add. in. 2) Rec. add.: Quod quidam, dum dolore dentium premeretur, de illo ligno tangitur et protinus dolor fugatur.

proditoris tradatur. Sanctus autem Projectus, quem idem Stephanus in vita sua valde dilexerat, ad beatum Laurentium et ad beatam Agnetem accedens pro eo veniam precabatur. Illis vero et beata virgine pro eo orantibus concessum est, ut ejus anima ad corpus rediret et ibidem [1]) triginta diebus poenitentiam ageret. Accepit insuper a beata virgine in mandatis, ut psalmum Beati immaculati in via singulis diebus vitae suae diceret, cumque ad corpus rediisset, brachium ejus ita erat [2]) nigrum et adustum, ac si hoc in corpore passus esset. Quod signum in eo exstitit, quoad vixit. Mala igitur ablata restituens et poenitentiam agens die XXX migravit ad dominum. — — — 7. Legitur in vita imperatoris Heinrici, quod dum ipse et Konegondis uxor ejus virgines insimul permanerent, dyabolo instigante de quodam milite uxorem suspectam habens super candentes vomeres XV pedum nudis pedibus incedere fecit, qua adscendente dixit: sicut me ab Heinrico et omnibus intactam novisti, ita adjuva me, Christe. Heinricus vero verecundia ductus eam in maxillam percussit, cui vox dixit: virgo Maria te virginem liberavit. Totam igitur candentem massam illaesa percurrit. Cum ergo Caesar obiisset, multitudo maxima daemonum ante cellam cujusdam eremitae transibat, qui aperta fenestra interrogavit ultimum, quinam essent. Et ille: legio daemonum sumus, qui ad mortem Caesaris properamus, si forte aliquid proprium in eo reperire possimus. Adjuratus autem, ut ad se redeat, rediens dixit: nihil profecimus, quia dum falsa uxoris suspicio et alia mala et etiam bona in statera fuissent posita, adustus ille Laurentius ollam auream immensi ponderis attulit et, dum superasse videbamur, illa jactata pars alia staterae scilicet plurimum ponderavit: tunc ego iratus unam partem aureae ollae praerupi. Ollam calicem vocabat, quem dictus Caesar ecclesiae [3]) Aystetensi in honore sancti Laurentii fieri fecerat, quem in speciali devotione habuerat: cui propter magnitudinem duae aures inerant. Repertumque est et imperatorem tunc obiisse et unam aurem calicis fractam fuisse. [4]) Refert Gregorius in registro, quod dum praedecessor suus quendam ad corpus sancti Laurentii cuperet meliorare et, ubinam corpus esset, nesciret, subito corpus ejus ignoranter aperitur omnesque, qui aderant, tam monachi quam mansionarii, qui corpus

1) Ed. Pr. hic XXXIII legit, infra vero tantum XXX. 2) Alii: lividum. 3) Ed. Pr. legit Einstenensi. 4) Verba: Refert — sunt omittit Ed. Pr.

ejus viderant, infra X dies mortui sunt. — — — 8. Notandum, quod passio beati Laurentii inter caeteras sanctorum martirum passiones excellentissima esse videtur, scilicet in quatuor, sicut ex dictis sancti Maximi episcopi et beati Augustini colligitur. Primo in passionis acerbitate, secundo in effectu sive utilitate, tertio in constantia sive fortitudine, quarto in mirabili pugna et modo victoriae. Primo igitur excellentissima fuit in poenae acerbitate, de cujus poenae acerbitate sic dicit beatus Maximus episcopus, vel secundum quosdam libros Ambrosius: non enim, fratres, beatus Laurentius brevi vel simplici passione [1]) patitur, nam qui gladio percutitur, semel moritur, qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur, hic autem longa et multiplici poena cruciatur, ut mors ei non desit ad supplicium et desit ad finem. Legimus beatos pueros in poenarum suarum deambulasse flammis et igneos globos pedibus conculcasse, unde et beatus Laurentius non minore gloria praeferendus est, siquidem illi in poenarum flammis ambulabant, hic in ipso supplicii sui igne discubuit, illi vestigiis pedum conculcaverunt incendia, iste laterum suorum diffusione restrinxit, isti stantes in poena elevatis manibus orabant ad dominum, iste prostratus in sua poena toto corpore dominum deprecabatur. Et notandum, quod beatus Laurentius post beatum Stephanum inter caeteros martires primatum tenere dicitur, non quia majorem poenam sustinuerit, quam caeteri martires, cum multi tantam poenam et aliqui etiam majorem sustinuisse legantur, sed hoc dicitur propter [2]) sex causas insimul occurrentes. Primo propter passionis locum, quia Romae, quae est caput mundi et ubi est sedes apostolica, passus est. Secundo propter praedicationis officium, quia officium praedicationis diligenter implevit. Tertio propter laudabilem distributionem thesaurorum, quos omnes pauperibus sapienter distribuit. Has tres rationes ponit magister Guilielmus Altisiodorensis. Quarto propter authenticatum et approbatum ejus martirium, quia, etsi de aliquibus majora tormenta legantur, tamen hoc authenticum non habetur et aliquando in dubium vertitur, hujus autem passio in ecclesia valde est sollemnis et approbata, unde et multi sancti in suis sermonibus ejus passionem approbant et confirmant. Quinto propter dignitatis gradum, quia fuit archidyaconus sedis apostolicae, post quem, ut ajunt, in Romana sede archidyaconus non

1) Ed. Pr. male potitur legit. 2) Ed. Pr. male legit septem.

surrexit. Sexto propter saevitiam tormentorum, quia gravissima supplicia pertulit, utpote qui super cratem ferream assatus fuit. Unde et de eo dicit beatus Augustinus: laceratos artus et multa verberum sectione concisos subjecto praecepit igne torreri, ut per cratem ferream, quae jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum fieret cruciatus vehementior et poena productior. Secundo fuit excellentissima in effectu sive utilitate. Ipsa enim poenae acerbitas secundum Augustinum et Maximum fecit eum glorificatione sublimem, opinione et fama celebrem, devotione laudabilem et imitatione insignem. Primo igitur glorificatione sublimem, unde Augustinus dicit: saeviisti persecutor in martirem, consevisti et auxisti palmam, dum aggeras poenam. Iterum Maximus vel secundum quosdam Ambrosius: quamvis in favillam membra solvantur, fidei tamen fortitudo non solvitur, corporis detrimentum sustinet, sed lucrum salutis acquirit. Item Augustinus: vere beatum corpus, quod non a fide Christi tormentum immutavit, sed ad requiem sancta religio coronavit. Secundo opinione et fama celebrem. Maximus vel secundum quosdam libros Ambrosius: beatum martirem Laurentium grano sinapis possumus comparare, quia diversis attritus passionibus per totum orbem gratia sui meruit fragrare mysterii, qui antea constitutus in corpore humilis, ignotus et vilis, posteaquam vexatus, laceratus, exustus fuit, universis per totum mundum ecclesiis odorem suae nobilitatis infudit. Idem: sanctum est ac Deo placitum, ut natale sancti Laurentii praecipua devotione veneremur, cujus radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi coruscat ecclesia. Idem: tanta enim gloria martir praeclarus exstitit in passione sua, quod mundum illuminaverit universum. Tertio devotione laudabilem. Quare autem sit laudandus et cum devotione suscipiendus, ostendit Augustinus tribus rationibus sic dicens: beatum virum Laurentium tota debemus devotione suscipere, primo quia pretiosum sanguinem propter Deum tradidit, deinde quia ei praerogativam apud Deum nostrum non minimam contulit ostendens, qualis debet esse christiana fides, de cujus consortio existere martires meruerunt, tertio quia idem tantae et tam sanctae conversationis fuit, ut coronam martirii tempore pacis inveniret. Quarto fecit eum imitatione insignem. Unde Augustinus: haec totius causa passionis, propter quam morti addictus est vir sanctus, ut sui similes caeteros esse hortaretur. In tribus autem se nobis

imitabilem exhibet. Primo in adversorum forti perpessione. Unde Augustinus: ad erudiendum Dei populum nullorum est utilior forma quam martirum. Eloquentia facilis ad exhortandum fit ratio, efficax ad suadendum. Validiora tamen sunt exempla quam verba et plus est opere docere quam voce. In quo excellentissimo genere doctrinae beatus martir Laurentius quam gloriosa polleat dignitate, etiam persecutores ipsius sentire potuerunt, quo illa mirabilis fortitudo animi non solum non cederet, sed etiam alios exemplo suae tolerantiae roboraret. Secundo in fidei magnitudine et fervore. Maximus vel Ambrosius: dum in fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei Gehennae incendia superare et amore Christi diem judicii non timere. Tertio in ardenti devotione. Idem vel Ambrosius: illuminavit mundum plane Laurentius in eo lumine, quo ipse succensus est, et flammis, quas ipse pertulit, omnium christianorum corda calefecit. Deque his tribus etiam sic dicit Maximus vel Ambrosius secundum quosdam libros: beati Laurentii exemplo provocamur ad martirium, accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem. Tertio fuit excellentissima in constantia seu fortitudine. De cujus constantia et fortitudine sic dicit beatus Augustinus: beatus Laurentius mansit in Christo usque ad tyrannicam interrogationem, usque ad acerrimam comminationem, usque ad peremtionem. In qua longa morte quia bene manducaverat et bene biberat, tamquam illa esca saginatus et illo calice ebrius factus tormenta non sensit, non cessit, sed in regnum successit. Adeo autem fuit constans et firmus, quod non solum tormentis non succubuit, sed etiam ex ipsis tormentis, ut habetur ex dictis beati Maximi, factus est perfectior in timore, ferventior in amore et jucundior in ardore. De primo sic dicit: extenditur super flammarum ignitos globos et saepius versatur in latera, sed [1]) quanto plus poenarum patitur, tanto patientius Christum dominum pertimescit. Quantum ad secundum sic ait Maximus vel secundum quosdam libros Ambrosius: granum sinapis cum teritur, accenditur, Laurentius cum patitur, inflammatur. Idem: novo admirationis genere alius illum torquet et alii saevientes tormenta perficiunt, sed devotiorem Laurentium salvatori supplicia atrociora fecerunt. Quantum ad tertium sic dicit: cor ejus tanta fide in Christi magnanimitate coaluit, ut despectis proprii corporis cruciatibus insanissimo

---

1) Ed. Pr. tantum — quantum patientius, reliqui libri tanto — quanto amplius offerunt.

tortori suo et triumphanter ejus ignibus laetus illuderet. Quarto fuit excellentissima in mirabili pugna et modo victoriae. Beatus namque Laurentius, sicut ex verbis beati Maximi et Augustini colligitur, quinque ignes exteriores quodammodo habuit, quos tamen superavit fortiter et exstinxit. Primus fuit ignis Gehennae, secundus ignis materialis flammae, tertius carnalis concupiscentiae, quartus ardentis avaritiae, quintus furentis insaniae. De exstinctione primi ignis, scilicet Gehennae, sic dicit Maximus: numquid cedere poterat momentaneae corporis ultioni, cujus fides aeternum Gehennae exstinguebat ardorem? Item: transiit per ignem momentaneum atque terrenum, sed flammam Gehennae perpetuo exurentis evasit. De exstinctione secundi ignis, scilicet materialis flammae, sic ait Maximus vel Ambrosius secundum quosdam libros: corporali laborat incendio, sed divinus ardor materialem restrinxit ardorem. Item: quamvis rex improbus ligna subjiceret, incendia majora supponeret, tamen beatus Laurentius has flammas fidei calore non sensit. Item Augustinus: superari caritas Christi flamma non potuit et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit. De exstinctione tertii ignis, scilicet carnalis concupiscentiae, sic dicit Maximus: ecce beatus Laurentius transiit per ignem, quo non adustus inhorruit, sed illuminatus effulsit: arsit, ne arderet, et ne ureretur, ustus est. De exstinctione quarti ignis, scilicet avaritiae: qualiter evanuit avaritia illorum, qui thesauros cupiebant, et frustrata est, sic dicit Augustinus: armatur gemina face homo cupidus pecuniae et veritatis inimicus avaritia, ut rapiat aurum, impietate, ut auferat Christum: nihil obtines, nihil proficis, humana crudelitas, subtrahitur inventis tuis materia mortalis et Laurentio in coelum abeunte tu deficis flammis tuis. De exstinctione quinti ignis, scilicet furentis insaniae, qualiter videlicet insania persequentium frustrata est et annihilata, sic dicit Maximus: superatis flammarum ministris [1])omnimodae inundantis insaniae restrinxit incendium. Ad hoc usque dyabolica profecit intentio, ut vir fidelis ad dominum suum gloriosus adscendat et crudelitas persequentium cum suis ignibus perfusa torpeat. Quod enim persequentium insania ignis fuerit, ostendit, cum ait: furor gentilis accensus craticulam praeparat ignitam, ut indignationis suae flammas ignibus vindicaret. Nec mirum, si hos quinque ignes exteriores superavit, quoniam ex verbis praedicti Maximi habentur tria refrigeria, quae intus habuit, et tres ignes in [2])corde portavit, per

1) Alii: omne mundanae, forte rectius. 2) Ed. Pr. corpore.

quos omnem ignem exteriorem et refrigerio mitigavit et majori ardoris incendio superavit. Primum namque refrigerium fuit desiderium regni coelestis, secundum meditatio divinae legis, tertium puritas conscientiae. Per hoc triplex refrigerium omnem ignem exteriorem exstingui fecit et frigidum reddidit. De primo refrigerio, quod est desiderium coelestis patriae, dicit Maximus vel Ambrosius secundum quosdam libros: neque enim beatus Laurentius ignium sentire tormenta poterat, qui in sensibus refrigerium paradisi possidebat. Item: jacet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime; nihil detrimenti patitur in terris, cujus animus demoratur in coelis. De secundo refrigerio, quod est meditatio legis divinae, sic dicit Maximus vel Ambrosius: dum Christi cogitat praecepta, frigidum est illi omne, quod patitur. De tertio refrigerio, quod est puritas conscientiae, sic dicit: ardet profecto totis visceribus fortissimus martir et uritur, sed regnum Dei pertractans refrigerio conscientiae victor exsultat. Habuit nihilominus, ut idem Maximus ostendit, tres ignes interiores, per quos omnes ignes exteriores majori incendio superavit. Primus fuit fidei magnitudo, secundus ardens dilectio, tertius vera Dei cognitio, quae ipsum irradiavit tamquam ignis. De primo igne sic dicit idem vel Ambrosius: in quantum in illo fidei ardor fervet, in tantum supplicii flamma frigescit. Item esse salvatoris ignem fervorem fidei legimus in evangelio: ignem veni mittere in terras. Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus flammarum non sensit incendium. De secundo igne sic ait idem vel Ambrosius: ardebat extrinsecus martir Laurentius tyranni saevientis incendiis, sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. De tertio igne sic dicit: fortissimum martirem saevissima persecutoris flamma superare non potuit, quia longe ardentius veritatis radiis mens ejus accensa fervebat. Item: odio perfidiae et amore veritatis accensus appositam sibi extrinsecus flammam aut non sensit aut vicit. Habet autem inter caeteros martires Laurentius tria privilegia quantum ad officium. Primum est in vigilia, solus enim inter martires vigiliam habet. Sed vigiliae sanctorum propter multas deordinationes hodie in jejunia mutata sunt, mos enim fuit olim (ut refert Johannes Beleth), ut in festivitatibus sanctorum homines cum uxoribus et filiabus in ecclesiam venirent et ibi cum luminaribus pernoctarent, sed quia multa adulteria in his vigiliis fiebant, statutum fuit, ut vigiliae in jejunia converterentur, nomen tamen antiquum est retentum, quia non je-

junia, sed vigiliae adhuc appellantur. Secundum est in octava; ipse namque solus cum Stephano habet octavam inter martires, sicut [1]) Martinus inter confessores. Tertium est in regressionibus antiphonarum, quod solus ipse et Paulus habet, sed Paulus propter excellentiam praedicationis, ipse propter excellentiam passionis.

CAP. CXVIII. (113.)

De sancto Hyppolito [2]) et sociis ejus.

Hyppolitus dicitur ab hyper, quod est super, et litos, quod est lapis, quasi super lapidem, id est Christum, fundatus: vel ab in et polis, quod est civitas: vel Hyppolitus quasi valde politus. Fuit enim super lapidem Christum bene fundatus per constantiam et firmitatem, fuit in civitate superna per desiderium et aviditatem, bene politus per tormentorum acerbitatem.

1. Hyppolitus postquam corpus beati Laurentii sepelivit, venit in domum suam et dans pacem suis servis et ancillis omnes sacramento altaris, quod Justinus presbiter obtulerat, communicavit et apposita mensa priusquam cibum sumeret, venientes milites eum rapuerunt et ad Caesarem duxerunt. Quem videns Decius Caesar subridens dixit ei: numquid et tu magus effectus es, qui corpus Laurentii abstulisti? Cui Hyppolitus: hoc feci non quasi magus, sed quasi christianus. Tunc Decius furore repletus praecepit, ut habitu, quo ut christianus utebatur, exspoliaretur et os ejus lapidibus tunderetur. Cui Hyppolitus: non me exspoliasti, sed magis vestiisti. Cui Decius: quomodo insipiens effectus es, ut nuditatem tuam non erubescas! Nunc ergo sacrifica et vives, ne cum Laurentio tuo pereas. Cui Hyppolitus: exemplum fieri merear beati Laurentii, quem tu ore polluto ausus es nominare. Tunc Decius fecit eum fustibus caedi et pectinibus ferreis laniari, ille autem se christianum esse voce clara confitebatur, et cum tormenta hujusmodi derideret, veste militari, qua antea utebatur, eum vestiri fecit hortans, ut amicitiam et pristinam militiam retineret. Cui Hyppolitus cum diceret, se Christo militare, Decius ira repletus Vale-

---

1) Ed. Pr. martires legit. 2) Verba: et sociis ejus omittunt libri rec.

riano praefecto eum tradidit, ut omnes facultates ejus acciperet et diris tormentis eum interficeret. Invento quoque, quod ejus familia christiana esset, adducti sunt ante conspectum ejus. Qui cum ad sacrificia cogerentur, Concordia nutrix Hyppoliti pro omnibus respondit: nos cum domino nostro volumus mori potius pudice, quam impudice vivere. Cui Valerianus: genus servorum nonnisi cum suppliciis emendatur. Tunc praesente Hyppolito et gaudente jussit eam tamdiu plumbatis caedi, quousque emisit spiritum, dixitque Hyppolitus: gratias tibi ago, domine, quia nutricem meam ante conspectum sanctorum tuorum praemisisti. Deinde extra portam Tyburtinam Valerianus Hyppolitum cum familia sua duci fecit, Hyppolitus autem omnes confortans dixit: fratres nolite metuere, quia ego et vos unum Deum habemus. Jussitque Valerianus, ut in conspectu Hyppoliti omnibus capita amputarentur, Hyppoliti vero pedes ad colla indomitorum equorum fecit ligari et per [1])carduos et tribulos trahi tamdiu, donec spiritum exhalaret, circa annos domini CCLVI. Eorum corpora Justinus presbiter rapuit et juxta corpus sancti Laurentii sepelivit, corpus vero sanctae Concordiae inveniri non potuit, quia fuerat in cloacam projectum. Miles autem quidam nomine Porphirius credens beatam Concordiam aurum et gemmas in vestimentis habere, ad quendam cloacarium nomine Yreneum, qui erat occulte christianus, accessit et dixit: secretum custodi et extrahe Concordiam, quia spero, quod aurum aut gemmas in vestibus suis habuit. Cui ille: ostende mihi locum et secretum habeo et, quidquid invenero, nuntiabo. Cum ergo extractum fuisset et nihil invenissent, miles ille protinus fugit et Yreneus vocato quodam christiano nomine [2])Habundo corpus ad sanctum Justinum detulit, quod ille devote suscipiens juxta corpus sancti Hyppoliti et aliorum sepelivit. Quod Valerianus audiens Yreneum et Abundum tenuit et ambos in cloacam vivos misit, quorum corpora Justinus rapuit et cum aliis sepelivit. Post hoc Decius cum Valeriano in currum adscendit aureum et pergunt ad amphitheatrum, ut crucient christianos. Arreptus igitur Decius a daemone clamabat: o Hyppolite, catenis asperis vinctum me tenes. Valerianus similiter clamabat: o Laurenti, igneis catenis me ligatum trahis, et eadem hora Valerianus exspiravit, Decius autem domum reversus triduo a daemone vexatus clamabat: adjuro te, Laurenti, modicum cessa a tormentis,

1) Ed. Pr. male cardones legit. 2) Alii Habnadino legunt.

et sic miserabiliter mortuus est. Quod uxor ejus Triphonia crudelis videns dimissis omnibus ad sanctum Justinum cum filia sua Cyrilla accessit et ab eo cum multis aliis se baptizari fecit. Alia vero die cum oraret Triphonia, emisit spiritum: cujus corpus Justinus presbiter juxta corpus sancti Hyppoliti sepelivit. Audientes XLVII milites, quod regina et ejus filia christianae effectae essent, venerunt cum uxoribus suis ad Justinum presbiterum, ut baptisma susciperent, quos omnes Dionysius, qui sancto Sixto successerat, baptizavit, Claudius autem imperator Cyrillam, cum sacrificare nollet, jugulari fecit et caeteros milites decollari, quorum corpora in agro Verano cum caeteris sepeliuntur. Et advertendum, quod expresse habetur hic, quod illi Decio, qui Laurentium et Hyppolitum martirisavit, successit Claudius. Claudius autem non successit Decio imperatori, imo Decio successit secundum chronicas Volusianus, Volusiano Gallienus, Gallieno Claudius. Oportet ergo dicere (ut videtur), quod ante Gallienus fuerit binomius et quod dictus sit Gallienus et Decius, sicut dicit Vincentius in chronica sua et Godofridus in libro suo, aut quod Gallienus in sui adjutorium quendam nomine Decium fecerit Caesarem, non tamen imperatorem, sicut dicit Richardus in chronica sua. De hoc martire sic dicit Ambrosius in praefatione: beatus martir Hyppolitus Christum verum ducem considerans miles ejus esse maluit, quam dux militum comprobari beatumque Laurentium suae custodiae mancipatum non persecutus est, sed subsecutus. Qui cum thesauros ecclesiae discuteret, invenit thesaurum, [1]) quem non tyrannus eriperet, sed quem pietas possideret, invenit thesaurum, unde verae divitiae peterentur, sprevit [2]) furorem tyranni, ut cum regis perpetui gratia conprobaretur, membris dividi non refugit, ne nexibus divelleretur aeternis. — — — 2. Bubulcus quidam nomine Petrus cum in festo Mariae Magdalenae plaustrum junxisset et boves sequens ipsos maledictis urgeret, protinus boves et aratrum a fulmine assumuntur et ipse Petrus, qui hoc imprecatus fuerat, supplicio atrociori torquebatur, nam ignis eum arripuit adeo, quod carnibus et nervis tibiae et cruris consumtis ossa paterent et ipsa tandem tibia a sua compage penitus solveretur. Tunc ille ad quandam ecclesiam beatae virginis accedens tibiam ipsam in quodam foramine ipsius ecclesiae abscondit et beatam

1) Verba quem — thesaurum omittit Ed. Pr. 2) Alii favorem.

virginem lacrymis et precibus pro sua liberatione rogavit et ecce nocte quadam beata virgo cum beato Hyppolito, ut Petrum pristinae sanitati restitueret, impetravit statimque sanctus Hyppolitus tibiam de foramine accipiens loco suo quasi surculum arbori in momento inseruit. In qua insitione tantos dolores sensit, ut suis clamoribus totam familiam excitaret, quia surgentes et lumen accendentes Petrum duo crura et duas tibias habere conspiciunt, sed se deludi putantes ipsum iterum atque iterum contrectabant et membra vera ipsum habere conspiciebant. Qui vix eum excitantes, unde sibi hoc acciderit, sciscitantur, sed ille eos ludere existimans tandem victus rem vidit et exstupuit, sed tamen coxa nova mollior quam vetusta ad sustinentiam corporis non poterat exaequari. Unde ad publicationem miraculi per annum claudicavit et tunc iterum beata virgo ei apparens sancto Hyppolito dixit, ut, quidquid curationi deesset, supplere deberet. Evigilans igitur et se plene sanatum inveniens reclusorium introivit, cui dyabolus in specie nudae mulieris frequentissime apparebat et nudam ei se ingerens, quanto ille fortius resistebat, tanto illa ei impudentius incumbebat. Cum ergo illa eum plurimum vexaret, tandem ille stolam sacerdotalem accipiens collum ejus cinxit et mox dyabolo abscedente cadaver putridum ibi remansit tantusque foetor inde exhalavit, ut nullus, qui hoc vidit, ambigeret, quin corpus alicujus mulieris mortuae fuisset, quod dyabolus assumsit.

CAP. CXIX. (114.)

De assumtione beatae Mariae virginis.

1. Assumtio beatae virginis Mariae qualiter facta sit, ex quodam libello apocrypho, qui Johanni evangelistae adscribitur, edocetur. Apostolis namque ob praedicationis gratiam diversas mundi subeuntibus regiones virgo beata in domo juxta montem Syon posita dicitur remansisse omniaque loca filii sui, scilicet locum baptismi, jejunii, orationis, passionis, sepulturae, resurrectionis et adscensionis, quoad vixit, devotione sedula visitavit et, secundum quod ait Epyphanius, XXIV annis adscensionem filii sui supervixit. Refert ergo, quod beata virgo, et quando Christum concepit, erat

annorum XIV et in XV ipsum peperit et vixit cum eo annis XXXIII et post mortem Christi supervixit XXIV annis et secundum hoc, quando obiit, erat annorum LXXII. Probabiliter tamen videtur, quod alibi legitur, ut XII annis filio supervixerit et sic sexagenaria sit assumta, cum apostoli totidem annis praedicaverint in Judaea et circa partes illas, sicut ecclesiastica tradit hystoria. Die igitur quadam dum in filii desiderium cor virginis vehementer accenditur, aestuans animus commovetur et in exteriorem lacrimarum abundantiam excitatur, cumque ad tempus subtracti filii aequanimiter non ferret subtracta solatia, ecce angelus cum multo lumine eidem adstitit et reverenter utpote sui matrem domini salutavit. Ave, inquit, benedicta Maria suscipiens benedictionem illius, qui mandavit salutem Jacob. Ecce autem ramum palmae de paradiso ad te dominam attuli, quem ante feretrum portare jubeas, cum die tertia de corpore assumeris, nam tuus filius te matrem reverendam exspectat. Cui Maria respondit: si inveni gratiam in oculis tuis, obsecro, ut nomen tuum mihi revelare digneris, sed hoc peto instantius, ut filii et fratres mei apostoli ad me pariter congregentur, ut eos, antequam moriar, corporalibus oculis videam et ab iis sepeliri valeam et ipsis praesentibus spiritum Deo reddam. Hoc iterum peto et obsecro, ut anima mea de corpore exiens nullum spiritum teterrimum videat nullaque mihi Sathanae potestas occurrat. Cui angelus: cur scire desideras, domina, nomen meum, quod admirabile est et magnum? Ecce autem omnes ad te [1]) venient hodie et congregabuntur apostoli, qui nobiles tibi exhibebunt exsequias funeris, et in eorum conspectu spiritum exhalabis. Nam qui olim prophetam de Judaea in Babylonem in crine attulit subito, ipse procul dubio ad te apostolos adducere poterit in momento. Malignum autem spiritum videre cur metuis, cum caput ejus omnino contriveris et spoliaveris ipsum suae imperio potestatis? Fiat tamen voluntas tua, ut ipsos non videas. His dictis angelus cum multo lumine coelos adscendit, palma autem illa nimia claritate splendebat et erat quidem virgae viriditate consimilis, sed folia ipsius ut stella matutina fulgebant. Factum est autem, dum Johannes in Epheso praedicaret: coelum repente intonuit et nubes candida ipsum sustulit ac raptum ante Mariae januas collocavit percutiensque ostium interius introivit ac reverenter virgo virginem

1) Verbum venient atque copulam et omittunt Rec.

salutavit. Quem felix Maria conspiciens vehementer obstupuit et prae gaudio lacrimas continere nequivit dixitque: fili Johannes, memor esto verborum magistri tui, quibus me tibi matrem et te mihi in filium commendavit. Ecce a domino evocata debitum humanae conditionis exsolvo ac corpus meum tibi cura sollicita commendo. Audivi enim, Judaeos iniisse consilium dicentes: exspectemus, viri fratres, quoadusque illa, quae Jesum portavit, subeat mortem, et corpus ejus continuo rapiemus ac injectum ignibus comburemus. Tu igitur hanc palmam deferri facies ante feretram, cum corpus meum duxeritis ad sepulchrum. Dixitque Johannes: o utinam hic essent omnes apostoli fratres mei, ut decenter tibi parare possemus exsequias et exsolvere laudes dignas. Haec illo dicente omnes apostoli de locis, in quibus praedicabant, a nubibus rapiuntur et ante Mariae ostium collocantur, qui videntes se ibidem insimul congregatos mirabantur dicentes: quaenam causa est, propter quam nos hic dominus insimul congregavit? Johannes igitur ad eos exiit et dominam de corpore recessuram praedixit et addidit dicens: videte, fratres, ne, cum obierit, aliquis eam defleat, ne hoc videns populus conturbetur et dicat: ecce isti quomodo timent mortem, qui tamen aliis praedicant resurrectionem. Dionysius Pauli apostoli discipulus in libro de divinis nominibus hoc idem asserit, apostolos scilicet in dormitione virginis convenisse et se similiter interfuisse ac unumquemque in laudem Christi et virginis sermonem fecisse. Ait enim sic loquens ad [1]) Hierotheum: nos, ut nosti et ipse, et multi sanctorum nostrorum fratrum cum convenissemus ad visionem corporis vitae principis et quod Deum suscepit, aderat autem et frater Dei Jacobus et Petrus et summa et perfectissima theologorum summitas [2]) Paulus. Postea visum est, ut [3]) universi Hierarchae laudarent, sicut unusquisque erat [4]) sufficiens, infinitae virtutis bonitatem thearticae infirmitatis. Haec Dionysius. Cum autem beata Maria omnes apostolos congregatos vidisset, dominum benedixit et in medio eorum ardentibus lampadibus et lucernis consedit. Circa vero horam noctis tertiam Jesus advenit cum angelorum ordinibus, patriarcharum coetibus, martirum agminibus, confessorum acie virginumque choris et ante thronum virginis acies ordinantur et dulcia cantica frequentantur.

---

1) Ed. Pr. Timotheum. 2) Paulus omittitur in Ed. Pr. 3) Rec. universae hierarchiae legunt et ante ut particulam inserunt post visionem. 4) Ed. Pr. suscipiens, Rec. tum theatricae praeferunt.

Quales autem exsequiae ibidem celebratae sint, ex praedicto libello, qui Johanni adscribitur, edocetur. Nam ipse prior Jesus inchoavit et dixit: veni, electa mea, et ponam te in thronum meum, quia concupivi speciem tuam. Et illa: paratum cor meum, domine, paratum cor meum. Tunc omnes, qui cum Jesu venerant, dulciter intonant dicentes: haec est, quae nescivit torum in delictis, habebit fructum in refectione animarum sanctarum. Ipsa autem die semetipsa cecinit dicens: beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Tunc cantor omnibus intonavit dicens excellentius: veni de Libano, sponsa, veni de Libano, coronaberis. Et illa: ecce venio, quia in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus, quia exsultavit spiritus meus in te Deo salutari meo. Sicque Mariae anima de corpore egreditur et in ulnas filii advolavit fuitque tam a dolore carnis extranea, quam a corruptione exstiterat aliena, dixitque apostolis dominus: corpus virginis matris in vallem Josaphat deferte et in monumento novo, quod ibidem invenietis, illud recondite et me ibidem triduo, donec ad vos redeam, exspectate. Statimque eam circumdederunt flores rosarum rosei, scilicet coetus martirum, et lilia convallium, agmina scilicet angelorum, confessorum et virginum. Post eam apostoli clamitant dicentes: virgo prudentissima, quo progrederis? Esto nostri memor, o domina. Tunc ad concentum adscendentium coetus, qui remanserant, admirati concite obviam processerunt videntesque regem suum feminae animam in ulnis propriis bajulantem illamque super illum innixam obstupefacti clamare coeperunt dicentes: quae est ista, quae adscendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum? Quibus concomitantes dixerunt: ista est speciosa inter filias Jerusalem, sicut vidistis eam plenam caritate et dilectione. Sicque in coelum gaudens suscipitur et a dextris filii in throno gloriae collocatur, apostoli autem viderunt ejus animam tanti esse candoris, ut nulla mortalium lingua posset effari. Tres autem virgines, quae ibidem erant, cum corpus ejus lavandi gratia exspoliassent, tanta statim corpus claritate resplenduit, ut tangi quidem ad lavandum posset, videri autem non posset: tamdiu autem lux illa ibidem resplenduit, donec corpus a virginibus lotum fuit. Apostoli autem corpus ejus reverenter ceperunt et super feretrum posuerunt dixitque Johannes Petro: hanc palmam ante feretrum, Petre, portabis, quia dominus nobis te praetulit et suarum ovium

pastorem et principem ordinavit. Cui Petrus: hanc potius portare te convenit, quae virgo a domino es electus, et dignum est, ut palmam virginis virgo ferat. Tu super pectus domini recumbere meruisti et exinde sapientiae et gratiae plus caeteris fluenta portasti, et justum videtur, ut, qui a filio recepisti plus muneris, impendas virgini plus honoris. Tu igitur portare debes hanc palmam luminis ad exsequias sanctitatis, qui potatus es poculo lucis de fonte perpetuae claritatis, ego autem portabo cum feretro sanctum corporis, caeteri autem fratres nostri circumdantes feretrum referant laudes Deo. Paulus autem dixit ei: et ego, qui minimus vestrum omnium sum, portabo tecum. Elevantes itaque Petrus et Paulus feretrum, Petrus incepit cantare ac dicere: exiit Israel de Aegypto alleluja. Caeteri autem apostoli cantus dulciter prosequuntur, dominus autem feretrum et apostolos nube praetexit ita, quod ipsi non videbantur, sed tantum eorum vox audiebatur. Affuerunt et angeli cum apostolis concinentes et terram totam sonitu mirae suavitatis replentes. Excitati omnes ad tam dulcem sonum et melodiam de civitate velocius exeunt et, quidnam hoc sit, diligenter sciscitantur. Tunc exstitit, qui diceret: Mariam illam discipuli Jesu efferunt mortuam, circa illam hanc, quam auditis, concinunt melodiam. Tunc ad arma concurrunt et se mutuo hortabantur dicentes: venite, omnes discipulos occidamus ac corpus illud, quod seductorem illum portavit, ignibus comburamus. Princeps autem sacerdotum hoc videns obstupuit et ira repletus ait: ecce tabernaculum illius, qui nos et genus nostrum conturbavit, qualem gloriam nunc accipit. Et hoc dicens manus ad lectum misit volens illud evertere et ad terram deducere. Tunc manus ejus subito ambae aruerunt et lectulo adhaeserunt, ita ut ad lectulum manibus penderet et nimio cruciatu vexatus lamentabiliter ejularet, reliquus autem populus ab angelis, qui erant in nubibus, caecitate percussus est. Princeps autem sacerdotum clamabat dicens: sancte Petre, in hac tribulatione me non despicias, sed pro me, obsecro, ad dominum preces fundas, memor enim debes esse, qualiter aliquando tibi adstiti et qualiter te accusante ancilla ostiaria excusavi. Cui Petrus: in obsequiis dominae nostrae impediti sumus et curationi tuae intendere non valemus, verumtamen si in dominum nostrum Jesum Christum et in hanc, quae ipsum genuit et portavit, credideris, spero, quod continuo sanitatis beneficio potieris. Qui respondit: credo, dominum Jesum verum esse filium Dei et hanc sacratissimam matrem ejus, statim-

que a feretro manus ejus solutae sunt, sed tamen in brachiis adhuc ariditas remansit et dolor vehemens non recesserat, dixitque ei Petrus: osculare feretrum et dic, credo in Deum Jesum Christum, quem ista in utero portavit et post partum virgo permansit. Quod cum fecisset, continuo pristinae est redditus sanitati dixitque ei Petrus: accipe hanc palmam de manu fratris nostri Johannis et ponas eam super populum excaecatum, et quicunque credere voluerit, recipiet visum, qui autem credere noluerit, videre non poterit in aeternum. Mariam autem portantes apostoli in monumento posuerunt et juxta illud, ut dominus jusserat, consederunt, tertia autem die veniens Jesus cum multitudine angelorum ipsos salutavit dicens: pax vobis, qui responderunt: gloria tibi Deus, qui facis mirabilia magna solus. Et dixit apostolis dominus: quid gratiae et honoris vobis videtur, ut meae nunc conferam genetrici? Et illi: justum videtur, domine, servis tuis, ut, sicut tu devicta morte regnas in saecula, sic tuae resuscites matris corpus, Jesu, et a dextris tuis colloces in aeternum. Quo annuente Michael archangelus continuo affuit et Mariae animam coram domino praesentavit. Tunc salvator locutus est dicens: surge proxima mea, columba mea, tabernaculum gloriae, vasculum vitae, templum coeleste, ut, sicut per coitum labem non sensisti criminis, sic in sepulchro solutionem corporis minime patiaris. Statimque anima ad Mariae accessit corpusculum et de tumulo prodiit gloriosum sicque ad aethereum assumitur thalamum comitante secum multitudine angelorum. Thomas autem cum abesset et rediens credere recusaret, subito zonam, qua corpus ejus praecinctum fuerat, ab aëre recepit illaesam, ut vel sic intelligeret, quod totaliter fuisset assumta. Hoc autem, quod praedictum est, totum illud apocryphum [1]) est, de quo Hieronymus in epistola sive sermone ad Paulum et Eustochium sic ait: ille sane libellus vere apocryphus est censendus, nisi quo ad aliqua fide digna, quae videntur a sanctis approbata, quae sunt novem, scilicet quod promissa sit et exhibita virgini omnimoda consolatio, apostolorum omnium congregatio, sine dolore consummatio, sepulturae in valle Josaphat praeparatio, exsequialis devotio Christi et totius curiae coelestis obviatio, Judaeorum persecutio, miraculorum in omni causa condecente coruscatio, in anima simul et corpore assumtio. Porro alia multa sunt ibi posita potius ad simulationem, quam ad

1) Recentiores legunt: videtur esse.

veritatem, ut, quod Thomas non affuerit et veniens dubitaverit, et his similia, quae per se patent, quod sunt relinquenda potius quam asserenda. Vestimenta autem ipsius ad consolationem fidelium dicuntur in tumulo remansisse, unde et de quadam parte ipsarum vestium tale miraculum contigisse narratur. Cum dux Normannorum urbem Carnotensium obsedisset, episcopus illius urbis tunicam beatae Mariae, quae ibidem servabatur, more vexilli hastae imposuit et subsequente populo securus ad hostes exivit statimque omnis hostilis exercitus amentia et caecitate percussus est stabatque totus corde tremulus et totus animo stupefactus. Quod illi de civitate videntes divino judicio superaddunt et atrociter hostes caedunt, quod beatae Mariae plurimum displicuisse probatur ex eo, quod protinus tunica illa disparuit et visum continuo hostis recepit. In revelationibus sanctae Elizabeth legitur, quod, dum ipsa Elizabeth quadam vice in spiritu capta esset, vidit in loco valde remoto quoddam sepulchrum multo lumine circumfusum et quasi speciem mulieris in eo, et circumstabat multitudo angelorum et post pusillum de sepulchro erepta est et in sublime cum illa adstantium multitudine elevata, et ecce in ejus occursum vir quidam de coelis admirabilis et gloriosus advenit, portans in dextra crucis vexillum, et cum eo infinita millia angelorum, sicque eam alacriter suscipientes cum magno concentu eam in coelos deduxerunt. Post modicum vero temporis Elizabeth angelum, cum quo saepe loquebatur, de praedicta visione interrogabat, qui respondens ait: ostensum est tibi in hac visione, quomodo tam in carne quam in spiritu domina nostra in coelum assumta est. Dicit autem in iisdem revelationibus sibi revelatum esse, quod post XL dies sui transitus in corpore sit assumta. Nam beata Maria secum colloquens ait: post ascensionem domini et tot diebus, quot sunt a die ascensionis usque ad diem meae assumtionis, supervixi, omnes autem apostoli dormitioni meae interfuerunt et corpus meum reverenter sepulturae dederunt, sed XL. die postmodum resurrexi. Cum autem Elizabeth eam interrogasset, utrum hoc manifestare vel celare deberet, dixit: nec carnalibus et incredulis revelanda, nec devotis et fidelibus abscondenda. Notandum est ergo, quod gloriosa virgo Maria assumta et exaltata est integraliter, honorabiliter, laetanter et excellenter. Assumta est enim integre in anima et corpore, sicut pie credit ecclesia. Quod quidem multi sanctorum non solum asserunt, sed etiam hoc probare multis rationibus moliuntur. Bernardi

enim ratio est, quoniam sanctorum corpus Deus pretiose sublimavit, ut puta Petri et Jacobi tam gloriose venerabilia reddidit et honore tam mirifico sublimavit, ut et ipsis deputetur locus eorum venerationi congruus et ad ipsa mundus properet universus. Si igitur Mariae corpus super terram esse dicatur et tamen nec devota frequentetur visitatione fidelium, sed etiam nec eidem locus deputetur honoris, nimirum videbitur Christus honorem materni corporis contemsisse, cum tamen super terram aliorum sanctorum corpora sic honoret. Hieronymus etiam dicit, quod XVIII cal. Septembres Maria ad coelos adscendit, quod vero dicit de Mariae corporali assumtione, ecclesia potius eligit pie dubitare, quam aliquid temere definire. In sequentibus credendum esse sic probat. Si non desunt, qui dicunt, in his, qui cum Christo resurrexerunt, perpetuam resurrectionem jam esse completam et nonnulli credant custodem virginis Johannem etiam glorificata carne gaudere cum Christo, cur id non magis est credendum de matre salvatoris? Qui enim dixit: honora patrem et matrem, et, non veni solvere legem, sed adimplere, profecto matrem suam super omnes honoravit, nec nos de beata Maria modo factum ambigimus. Augustinus autem non solum hoc affirmat, sed etiam tribus rationibus hoc probat. Et prima quidem est carnis Christi et virginis unitas. Ait enim sic: putredo namque et vermis humanae est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Jesus alienus sit, Mariae natura excipitur, quam Jesus de ea assumsisse probatur. Secunda ratio est corporis ejus dignitas, unde ait: thronum Dei, thalamum domini, tabernaculum Christi dignum est ibi esse, ubi ipse est, tam pretiosum thesaurum dignius est coelo servari, quam terra. Tertia est virginalis carnis perfecta integritas. Ait enim sic: laetare, Maria, laetitia inenarrabili corpore et anima in Christo proprio filio cum proprio filio per proprium filium, nec sequi debet corruptionis aerumna, quam nulla secuta est tantum filium pariendo integritatis corruptio, ut sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia, sit integre vivens, quae omnium integram perfectamque genuit vitam, sit cum illo, quem in suo gessit utero, sit apud illum illa, quae genuit, fovit et aluit illum, Maria Dei genitrix, Dei ministrix et servitrix. De qua, quia aliter sentire non audeo, aliud dicere non praesumo. Ad hoc facit, quod ille egregius versificator ait: scandit ad aethera virgo puerpera, virgula jesse non sine corpore sed sine tempore tendit adesse. Secundo laetanter. De hoc dicit Gerardus episcopus et

martir, in suis homeliis scilicet: hodie virginem beatam coeli susceperunt laetanter, angeli gaudendo, archangeli jubilando, throni exaltando, dominationes psallendo, principatus harmonisando, potestates citharisando, cherubin et seraphin hymnizando atque ad supernum majestatis divinae tribunal ducendo. Tertio honorabiliter, quia ipse Jesus et totus militiae coelestis exercitus eidem obviam venit. Unde Hieronymus: quis illud cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie regina mundi processit, quanto devotionis affectu, tanta in ejus occursum coelestium legionum prodierit multitudo, quantis ad thronum canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam divinis amplexibus a filio sit suscepta et super omnem creaturam exaltata. Idem: hodierna die credendum est, militiam coelorum festive genitrici Dei obviam advenisse eamque ingenti lumine circumfulsisse et usque ad Dei thronum cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse, coelestem quoque Jerusalem militiam tunc ineffabili laetitia exsultasse et [1]) jucundam tam ineffabili caritate et omni gratulatione jubilasse. Quoniam festivitas haec, quae nobis hodie revolvitur annua, illis omnibus facta est continua, creditur quoque, quod ipse salvator per se totus festivus occurrerit et cum gaudio eam secum in throno collocaverit. Alias quoque non implesset, quod in lege ipse mandavit: honora patrem tuum et matrem tuam. Haec Hieronymus. Quarto excellenter. Hieronymus: haec est dies, in qua usque ad throni celsitudinem intemerata mater et virgo processit atque in regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Qualiter autem in coelesti gloria sublimata et honorificata sit, ostendit beatus [2]) Gerardus in suis homeliis dicens: solus dominus Jesus Christus potest hanc magnificare, quemadmodum fecit, ut ab ipsa majestate laudem continue accipiat et honorem, angelicis stipata choris, archangelicis vallata turmis, thronorum hinc inde possessa jubilationibus, dominationum circumcincta tripudiis, principatuum circumsepta obsequiis, potestatum amplexata plausibus, virtutum girata honoribus, cherubin circumstantiata hymnificationibus, seraphin undique possessa ineffabilibus cantationibus. Ipsa quoque ineffabilissima trinitas perenni tripudio sibi applaudit atque sua gratia in ea tota redundante omnes eidem attendere facit. Apostolorum splendidissimus ordo ineffabili laude eam extollit, martirum multitudo omnimode suppli-

---

1) Ed. Pr. jucunda. Non male. 2) Alii: Geraldus et antea Girardus.

cat tantae dominae, confessorum exercitus innumerabilis continuum sibi personat cantum, virginum candidissima concio jugem choream ad suam celebrat gloriam, invite etiam infernus sibi ululat et procacissimi daemones conclamant. — 2. Quidam clericus virgini Mariae devotus contra dolorem V vulnerum Christi eam quotidie per haec verba quasi consolari studebat dicens: gaude, Dei genitrix, virgo immaculata, gaude, quae ab angelo gaudium suscepisti, gaude, quae genuisti aeterni luminis claritatem, gaude, mater, gaude, sancta Dei genitrix virgo, tu sola mater innupta, te laudat omnis creatura et factura, genitrix lucis, sis pro nobis, quaesumus, perpetua interventrix. Hic cum nimio languore correptus ad extrema venisset, pavore perturbari coepit. Cui virgo apparens dixit: cur, fili, tanto timore trepidas, qui totiens mihi gaudium nuntiasti, gaude etiam tu et, ut aeternaliter gaudeas, veni mecum. — 3. Miles quidam potens valde et dives dum omnia bona sua indiscreta liberalitate dispergeret, ad tantam devenit inopiam, ut, qui consueverat magna tribuere, jam inciperet minimis indigere. Habebat autem quandam uxorem pudicissimam et beatae Mariae valde devotam; appropinquante autem quadam sollemnitate, in qua praedictus miles multa donaria consueverat elargiri, cum jam, quod tribueret, non haberet, nimia confusione et verecundia ductus, quousque praedicta transiisset sollemnitas, desertum locum moeroris amicum expetiit, ut fortunae suae incommoda plangeret et verecundiam evitaret. Et ecce subito quidam equus valde terribilis terribiliorem habens sessorem ad eum accessit, cujus sessor eum alloquitur et causam tantae tristitiae sciscitatur. Cui cum omnia, quae sibi contigerant, per ordinem enarrasset, ille ait: si mihi in modico obtemperare volueris, magis quam antea gloria et divitiis abundabis. Spondet ille principi tenebrarum se, quidquid jusserit, libenter facturum, dummodo ipse sibi impleat, quae promittit. Et ille: ecce pergens in domum tuam tali loco requiras et ibidem tot auri et argenti pondera, tot lapides pretiosos invenies, mihi autem hoc facias, ut tali die huc uxorem tuam ad me adducas. Sub tali promissione miles ad domum revertitur et in loco, de quo sibi dixerat, quaerens omnia reperit, quae praedixit. Quae inveniens mox emit palatia, largitur dona, redimit fundos, comparat servos, appropinquante vero die statuta uxorem suam vocavit et dixit: equum conscendite, quia aliquo longius mecum pergere vos oportet. At illa tremens ac pavens et viri imperio contradicere non

martir, in suis homeliis scilicet: hodie virginem beatam coeli susceperunt laetanter, angeli gaudendo, archangeli jubilando, throni exaltando, dominationes psallendo, principatus harmonisando, potestates citharisando, cherubin et seraphin hymnizando atque ad supernum majestatis divinae tribunal ducendo. Tertio honorabiliter, quia ipse Jesus et totus militiae coelestis exercitus eidem obviam venit. Unde Hieronymus: quis illud cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie regina mundi processit, quanto devotionis affectu, tanto in ejus occursum coelestium legionum prodierit multitudo, quantis ad thronum canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam divinis amplexibus a filio sit suscepta et super omnem creaturam exaltata. Idem: hodierna die credendum est, militiam coelorum festive genitrici Dei obviam advenisse eamque ingenti lumine circumfulsisse et usque ad Dei thronum cum laudibus et canticis spiritualibus perduxisse, coelestem quoque Jerusalem militiam tunc ineffabili laetitia exsultasse et [1]) jucundam tam ineffabili caritate et omni gratulatione jubilasse. Quoniam festivitas haec, quae nobis hodie revolvitur annua, illis omnibus facta est continua, creditur quoque, quod ipse salvator per se totus festivus occurrerit et cum gaudio eam secum in throno collocaverit. Alias quoque non implesset, quod in lege ipse mandavit: honora patrem tuum et matrem tuam. Haec Hieronymus. Quarto excellenter. Hieronymus: haec est dies, in qua usque ad throni celsitudinem intemerata mater et virgo processit atque in regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Qualiter autem in coelesti gloria sublimata et honorificata sit, ostendit beatus [2]) Gerardus in suis homeliis dicens: solus dominus Jesus Christus potest hanc magnificare, quemadmodum fecit, ut ab ipsa majestate laudem continue accipiat et honorem, angelicis stipata choris, archangelicis vallata turmis, thronorum hinc inde possessa jubilationibus, dominationum circumcincta tripudiis, principatuum circumsepta obsequiis, potestatum amplexata plausibus, virtutum girata honoribus, cherubin circumstantiata hymnificationibus, seraphin undique possessa ineffabilibus cantationibus. Ipsa quoque ineffabilissima trinitas perenni tripudio sibi applaudit atque sua gratia in ea tota redundante omnes eidem attendere facit. Apostolorum splendidissimus ordo ineffabili laude eam extollit, martirum multitudo omnimode suppli-

---

1) Ed. Pr. jucunda. Non male. 2) Alii: Geraldus et antea Girardus.

cat tantae dominae, confessorum exercitus innumerabilis continuum sibi personat cantum, virginum candidissima concio jugem choream ad suam celebrat gloriam, invite etiam infernus sibi ululat et procacissimi daemones conclamant. — **2.** Quidam clericus virgini Mariae devotus contra dolorem V vulnerum Christi eam quotidie per haec verba quasi consolari studebat dicens: gaude, Dei genitrix, virgo immaculata, gaude, quae ab angelo gaudium suscepisti, gaude, quae genuisti aeterni luminis claritatem, gaude, mater, gaude, sancta Dei genitrix virgo, tu sola mater innupta, te laudat omnis creatura et factura, genitrix lucis, sis pro nobis, quaesumus, perpetua interventrix. Hic cum nimio languore correptus ad extrema venisset, pavore perturbari coepit. Cui virgo apparens dixit: cur, fili, tanto timore trepidas, qui totiens mihi gaudium nuntiasti, gaude etiam tu et, ut aeternaliter gaudeas, veni mecum. — **3.** Miles quidam potens valde et dives dum omnia bona sua indiscreta liberalitate dispergeret, ad tantam devenit inopiam, ut, qui consueverat magna tribuere, jam inciperet minimis indigere. Habebat autem quandam uxorem pudicissimam et beatae Mariae valde devotam; appropinquante autem quadam sollemnitate, in qua praedictus miles multa donaria consueverat elargiri, cum jam, quod tribueret, non haberet, nimia confusione et verecundia ductus, quousque praedicta transiisset sollemnitas, desertum locum moeroris amicum expetiit, ut fortunae suae incommoda plangeret et verecundiam evitaret. Et ecce subito quidam equus valde terribilis terribiliorem habens sessorem ad eum accessit, cujus sessor eum alloquitur et causam tantae tristitiae sciscitatur. Cui cum omnia, quae sibi contigerant, per ordinem enarrasset, ille ait: si mihi in modico obtemperare volueris, magis quam antea gloria et divitiis abundabis. Spondet ille principi tenebrarum se, quidquid jusserit, libenter facturum, dummodo ipse sibi impleat, quae promittit. Et ille: ecce pergens in domum tuam tali loco requiras et ibidem tot auri et argenti pondera, tot lapides pretiosos invenies, mihi autem hoc facias, ut tali die huc uxorem tuam ad me adducas. Sub tali promissione miles ad domum revertitur et in loco, de quo sibi dixerat, quaerens omnia reperit, quae praedixit. Quae inveniens mox emit palatia, largitur dona, redimit fundos, comparat servos, appropinquante vero die statuta uxorem suam vocavit et dixit: equum conscendite, quia aliquo longius mecum pergere vos oportet. At illa tremens ac pavens et viri imperio contradicere non

praesumens beatae Mariae devote se commendavit et post virum abire coepit. Cum autem longius processissent et in via quandam ecclesiam invenissent, illa de equo descendens ecclesiam intravit viro exterius exspectante. Dum vero beatae Mariae se devote commendaret, illa subito obdormivit et virgo gloriosa praedictae matronae in habitu et qualitate per omnia similis de altari processit et foras exiens equum conscendit, matrona illa in ecclesia dormiente et remanente, vir autem suam uxorem esse arbitrans profectus est. Cum autem ad locum statutum venissent, ecce princeps tenebrarum cum impetu nimio veniebat et ad locum festinabat, et cum appropinquasset, statim ille infremuit et tremens ac pavens accedere non praesumsit dixitque militi: infidelissime hominum, cur me taliter illusisti et pro tantis beneficiis mihi talia contulisti? Ego enim tibi dixeram, ut ad me tuam adduceres conjugem, et tu adduxisti domini genitricem: volebam uxorem tuam et tu adduxisti mihi Mariam. Nam cum uxor tua mihi multas inferat injurias, de ea volebam expetere ultionem, et tu ad me istam adduxisti, ut me torqueat et ad infernum mittat. Audiens hoc vir vehementer stupebat et prae timore et admiratione nimia loqui non poterat, beata autem Maria dixit: qua temeritate, nequam spiritus, devotae meae nocere praesumsisti? Non hoc tibi impune cedet et nunc te hac plector sententia, ut in infernum descendas et alicui cum devotione me invocanti nocere de caetero non praesumas. Ille autem cum multo ejulatu recessit et vir de equo exiliens se ad ejus pedes prostravit, quem virgo increpans ad suam uxorem, quae adhuc in ecclesia dormivit, jubet redire et omnes divitias daemonis abjicere. Rediens igitur cum adhuc uxorem suam dormientem inveniret, eam excitavit et sibi, quae acciderant, narravit. Cum autem domum rediissent et omnes daemonis divitias abjecissent, et in laude virginis devotissime permanserunt et multas postmodum divitias ipsa largiente virgine receperunt. — 4. Ad judicium Dei quidam in visione rapitur, qui peccatorum sarcina gravabatur, et ecce Sathan adfuit et dixit: nihil in hujus anima habetis proprii, sed mei potius exstat dominii, habeo enim inde publicum instrumentum. Cui dixit dominus: ubi est tuum instrumentum? Et ille: instrumentum habeo, quod ore proprio ipse dictasti et perpetuo duraturum sanxisti. Dixisti enim: quacunque hora comederitis, morte moriemini. Cum igitur iste sit de progenie illorum, qui cibum vetitum comederunt, jure instrumenti publici mecum in judicio debet mori. Dixit autem

dominus: permittitur tibi, o homo, pro te loqui. Ille autem obmutuit. Dixit iterum daemon: mea est iterum praescriptione, quia eam jam XXX annis possedi et mihi tamquam servus proprius obedivit. Et adhuc ille obmutuit. Daemon iterum dixit: mea est etiam, quia, etsi aliqua bona fecerit, ejus tamen mala incomparabiliter vincunt bona. Dominus autem nolens contra eum cito proferre sententiam, eidem terminum concessit octo dierum, ut octavo die coram se compareret et de his omnibus rationem redderet. Cum igitur a facie domini timens ac moerens abiret, quidam ei obviavit et causam tantae tristitiae requisivit. Cui quum ille omnia per ordinem retulisset, ait ille: ne timeas nec formides, quia de primo viriliter te juvabo. Cum autem ab eo interrogaretur, quo nomine vocaretur, ait: veritas est nomen meum. Invenit quoque secundum, qui promisit eum juvare efficaciter de secundo; interrogatus, quo nomine vocaretur, respondit: justitia vocor. Die autem octavo ante judicium venit et daemon ei primum objecit. Ad quem respondens veritas ait: duplicem mortem esse novimus, corporis scilicet et gehennae, illud ergo instrumentum, quod pro te, daemon, allegas, non loquitur de morte gehennae, sed corporis. Quod quidem ex hoc manifestum est, quia cum omnes in illa sententia includantur, scilicet quod corpore moriantur, non tamen omnes gehennae ignibus moriuntur. Quantum enim ad mortem corporis, est semper duraturum, quantum vero ad mortem animae, est per Christi sanguinem revocatum. Tunc daemon videns, quia in primo succubuit, secundum sibi objicere coepit, sed justitia adfuit et pro eo taliter respondit: licet eum multis annis servum possederis, tamen ratio semper contradixit, semper enim ratio murmurabat, quod tam crudeli domino serviebat. Ad tertium objectum neminem habuit adjutorem dixitque dominus: afferatur statera et bona et mala omnia ponderentur. Veritas autem et justitia peccatori dixerunt: ad matrem misericordiae, quae juxta dominum sedet, tota mente recurre et eam in tui adjutorium invocare stude. Quod cum fecisset, beata Maria in ejus adjutorium venit, et super stateram ex illa parte, ubi erant pauca bona, manum apposuit, dyabolus autem ex alia parte trahere conabatur, sed mater misericordiae praevaluit et peccatorem liberavit. Ille igitur ad se rediens in melius vitam mutavit. — 5. In civitate Bituricensi circa annos domini [1]DXXVII, cum christiani in die paschae communicarent, cum pueris christianorum quidam puer

1) Alii DXVII legunt.

Judaeorum ad altare accedens corpus domini cum iisdem percepit. Reversus domum, cum a patre, unde venisset, interrogaretur, respondit se cum pueris christianis, cum quibus ad scholas ibat, ad ecclesiam ivisse et cum iis communicasse. Tunc pater ejus furore repletus puerum apprehendit et continuo in fornacem ardentem, qui ibidem erat, projecit. Statim autem Dei genitrix in specie imaginis, quam puer super altare viderat, eidem adfuit et eum illaesum ab igne servavit. Mater vero pueri multos christianorum et Judaeorum suis clamoribus congregavit, qui videntes puerum in fornace nil laesionis habentem ipsum inde extraxerunt et, quomodo potuisset evadere, interrogaverunt. Qui respondit: quoniam illa reverenda domina, quae super altare stabat, mihi auxilium praebuit et omne a me incendium propulsavit. Tunc christiani intelligentes esse imaginem beatae Mariae patrem pueri acceperunt et ipsum in fornacem projecerunt, qui continuo combustus et penitus consumtus est. — **6.** Quidam monachi ante diem juxta fluvium stabant et ibidem se fabulis et otiosis sermonibus exsolvebant, et ecce audiunt remiges per flumen impetu nimio navigantes, quibus monachi dixerunt: qui estis vos? Et illi: daemones sumus, qui animam Ebroini praepositi domus regis Francorum, qui a monasterio sancti Galli apostatavit, in infernum deferimus. Quod audientes monachi vehementissime timuerunt et fortiter exclamaverunt: sancta Maria, ora pro nobis. Quibus daemones dixerunt: bene Mariam invocastis, vos enim discerpere et submergere volebamus, quia vos dissolute et extra horam confabulantes invenimus. Tunc monachi redeunt ad coenobium et daemones properant ad infernum. — **7.** Erat quidam monachus valde lubricus, sed in beatam Mariam valde devotus. Quadam nocte ad scelus adsuetum pergens et coram altari transiens beatam virginem salutavit et sic de ecclesia exiens, dum quendam fluvium vellet transire, in aquam decidens exspiravit. Cujus animam cum daemones rapuissent, adfuerunt angeli, ut eam liberarent. Quibus daemones dixerunt: [1]) ad quid huc advenistis? nihil in hac anima habetis. Statimque beata Maria adfuit et, cur ejus animam rapere praesumserant, increpavit. Illi autem dixerunt, quia eum finiisse vitam in malis operibus invenerunt. At illa: falsa sunt, quae profertis, scio enim, quod aliquo pergens me primum salutabat et rediens similiter faciebat. Quodsi dicitis vobis vim

1) Vulgo ut quid.

fieri, ponamus in judicio summi regis. Cum de hoc coram domino disceptarent, placuit ei, ut anima ad corpus rediret et de suis actibus poeniteret. Interea fratres videntes matutinas differri, sacristam quaerunt et usque ad flumen pergentes submersum in aqua reperiunt, cumque extracto corpore secum, quid factum fuerat, mirarentur, ille repente ad vitam rediit et rem gestam referens vitam in bonis operibus consumavit. — **8.** Quaedam mulier a daemone sibi visibiliter in forma hominis apparente multas molestias sustinebat multaque remedia, nunc aquae benedictae aspersionem, nunc hoc, nunc illud adhibebat, sed nec sic ille cessabat. Quidam autem vir sanctus sibi consuluit, ut, cum ad eam accederet, illa elevatis manibus: sancta Maria, adjuva me, protinus exclamaret. Quod cum illa fecisset, dyabolus quasi lapide percussus territus stetit et postmodum dixit: malus dyabolus intret in buccam illius, qui te istud docuit, et statim evanuit nec ad eam postmodum accessit.

De modo assumtionis beatae Mariae.

Modus sacratissimae assumtionis Mariae traditur in quodam sermone ex diversis dictis sanctorum compilato, qui in pluribus ecclesiis sollemniter legitur, ubi sic habetur: quae in sanctorum patrum narrationibus in toto orbe de veneranda migratione Dei genitricis invenire potui, ad ipsius laudem commemorare curavi. Sanctus Cosmas cognomento Vestitor ea, quae ab eorum posteris, qui interfuerunt, se didicisse certa relatione commemorat, omittendum non est. Ait enim: quoniam Christus ad se vitae genitricem disposuit adducere, per angelum consuetum ei praenuntiat exhibitionem dormitionis, ne mors inopinate veniens turbationem ipsi afferret. Obsecraverat illa facie ad faciem, cum adhuc in terra conversaretur filius, ne videret quemquam spirituum malignorum. Praemittit igitur angelum ad eam cum hujusmodi verbis: tempus est te assumendi ad me matrem meam. Sicut enim terram gaudio replevisti, ita fac coelestia gratulari; patris mei mansiones jucundas redde, sanctorum meorum [1]) spiritus consolare; ne turberis deserens corrumpendum cum suis vanis concupiscentiis mundum, adeptura coeleste palatium, nec, o mater, terreat te carnis sequestratio, quae ad vitam vocaris perpetuam, ad gaudium indeficiens, ad pacis requiem, ad conversationem securam, ad refectionem interminabilem, ad lucem inaccessibilem, ad diem non vesperascentem, ad glo-

1) Ed. Pr. postea offert.

riam inenarrabilem, ad me ipsum tuum filium universitatis factorem. Ego enim sum vita aeterna, dilectio incomparabilis, habitatio ineffabilis, lumen nesciens tenebras, inaestimabilis bonitas. Da sine trepidatione terrae, quod suum est. Non te quisquam de manu mea rapiet, quoniam in manu mea sunt omnes fines terrae, depone mihi corpus tuum, quia in utero tuo posui divinitatem meam. Non gloriabitur super te mors, quia vitam genuisti, non obfuscabit te caliginis umbra, quia lumen peperisti, non concisionis contritio te attinget, quia meum vas fieri meruisti. Veni jam ad eum, qui ex te natus est, receptura materni uteri pignora, educationis mercedem, lactis et escae vicissitudinem, habita cum unigenito, festina adhaerere filio. Novi enim, quod alterius affectu filii non angustieris. Qui te virginem matrem exhibui, totius mundi exhibeo te murum, archam salvandorum, pontem fluctuantium, baculum imbecillium, scalam ad coelos adscendentium, propitiatricem peccantium. Adducam autem apostolos ad te, quorum, ac si meis, sepeliaris manibus. Decet namque, ut spiritualis meae lucis filii, quibus sanctum tradidi spiritum, tuum corpus sepeliant et ipsi in tuo admirabili funere meam personam impleant. Post horum narrationem dat angelus virgini bravium palmae missum ex paradisi propagine ad certitudinem adversus corruptionem mortis victoriae et vestimenta funebria ac coelum, ex quo venerat, repetit. Beata Maria convocans amicos et cognatos dixit: notum vobis facio, me a temporali vita fore hodie transituram, oportet ergo vigilare, quia unoquoque transeunte divina virtus angelorum et maligni spiritus ad morientis lectum veniunt. His dictis omnes flere coeperunt ac dicere: tu times faciem spirituum, quae auctoris omnium mater effici meruisti, quae praedonem inferni genuisti, quae super cherubin et seraphin praeparatum solium habere meruisti? Quid igitur nos faciemus aut qualiter fugiemus? Aderat multitudo mulierum flentium et dicentium, ne se orphanas derelinqueret. Beata autem virgo eas consolans ait: si vos corruptibilium natorum matres non toleratis ab iis modicum separari, quomodo ego mater et virgo desiderare non debeo ad meum pergere filium Dei patris unigenitum? Si quaelibet vestrum aliquo orbabitur filio, consolabitur superstite vel nascituro, ego autem, quae unicum possideo et incorrupta maneo, quomodo ad eum non properem anxia, qui omnium est vita. Dum autem haec agerentur, beatus Johannes adveniens, quomodo se res habeat, percontatur. Cui cum virgo suam coelestem mi-

grationem annuntiasset, ille in terra prostratus cum lacrimis clamabat: quid sumus nos, domine, quoniam super nos tantas tribulationes inducis? [1]) ad quid potius de corpore me non eduxisti, ut magis [2]) sepultus fuissem a domini mei matre, quam ejus funeri interessem? Quem virgo flentem in thalamum introducens palmam et vestimenta ostendit et post hoc sibi in lecto ad sepulturam strato requievit. Et ecce validissimus tonitrui sonus auditur, turbo quasi nubes candida generatur et apostoli ante januam domus virginis instar imbrium collocantur. Qui cum de hoc plurimum mirarentur, Johannes ad eos progrediens revelat, quae beatae virgini per angelum nuntiata erant. Qui cum omnes flerent, Johannes eos consolatus est. Detersis igitur lacrymis introierunt et beatam virginem reverenter salutantes eam adoraverunt. Et illa: avete, filii unigeniti mei. Et dum modum adventus eorum ab iis audivisset, illa iis omnia manifestat. Cui apostoli: in te, celeberrima virgo, quasi ipsum dominum et magistrum nostrum adspicientes consolabamur, hoc solum refrigerium habemus, quod te mediatricem apud Deum nos habere speramus. Quae cum Paulum nominatim salutasset, ille ait: ave [3]) imperatrix mei solaminis, licet enim in carne Christum non viderim, cum tamen te in carne video, ac si ipsum videam, consolor. Usque ad hunc diem Deum te genuisse gentibus praedicabam, amodo te ad ipsum translatam esse docebo. Post hoc ea, quae angelus attulit ei, virgo ostendit et de lucernis usque ad obitum non exstinguendis admonuit. Aderant CXX virgines in ejus obsequium occupatae, deinde vestimenta funebria induens et omnibus valedicens corpus ad exitum in lecto componit, Petro ad caput posito, Johanne ad pedes locato, caeteris apostolis lectum ambientibus et Dei genitricem laudantibus. Petrus igitur inchoans dixit: gaude coelestium thalamorum sponsa trifidum et ardui luminis candelabrum, per quam est aeterna claritas manifestata. Hoc autem, scilicet apostolos ad dormitionem sacratissimae virginis convenisse, testatur beatus Germanus Constantinopolitanus archiepiscopus dicens: licet inevitabilem mortem, o Dei genitrix, humanae naturae susceperis, non tamen dormitabit neque dormiet, qui nos custodit, oculus tuus. Non enim sine testimonio transmigratio tua nec mendax dormitio, coelum enarrat gloriam eorum, qui super te cecinerunt, terra de illis exhibet veritatem, nubes vociferantur

---

1) Vulgo ut quid. 2) Ed. Pr. visitarer. 3) Male Ed. Pr. interpretatio legit.

honorem, qui ex iis tibi administratus est, angeli factum in te obsequium praedicant, quo videlicet apostoli ad te in Jerusalem convenerunt. Magnus quoque Dionysius Areopagita hoc idem testatur dicens: nos, ut nosti et ipse, et multi ex fratribus nostris ad visionem corporis, quod dominum suscepit, convenimus, praesto autem erat Jacobus frater Dei et Petrus eximia et maxima theologorum summitas. Deinde placuit, quod post visionem et universi summi sacerdotes hymnizarent, prout unusquisque esset immensae virtutis, bonitatis vivificae et infirmitatis. Subsecutus autem sanctus Cosmas suam narrationem ait: post hoc tonitruum magnum totam domum concussit et spiritus fragrans domum tanta suavitate replevit, ut cunctos, qui aderant, exceptis apostolis et tribus virginibus lucernas gestantibus, ingens sopor opprimeret. Dominus enim cum multitudine angelorum descendens animam matris suae assumsit. Tanta autem ejus anima claritate resplenduit, ut nullus apostolorum in eam respicere posset, dixitque dominus Petro: corpus matris meae cum omni reverentia sepelite et tribus diebus illud cum diligentia custodite, ego quippe tunc veniam et illud ad incorruptionem transferam et simili mecum claritate induam, ut id, quod acceptum est, et id, quod accepit, pariter conveniant et concordent. Refert quoque et idem sanctus Cosmas terribile et mirabile mysterium, quod non indiget naturali discussione nec curiosa investigatione, cum omnia, quae de Dei genitrice dicuntur, sint supernaturalia et admiranda et tremenda potius quam investiganda. Egressa, ut ait, de corpore ejus anima haec verba protulit corpus: gratias tibi ago, domine, quae tua digna sum gloria, memento mei, quoniam tuum sum figmentum et tuum servavi depositum. Expergefacti igitur, ut ait, caeteri videntes corpus virginis exanime, contristari plurimum ac gemere coeperunt. Tollentes igitur apostoli corpus ad monumentum ferebant incipiente Petro psalmum: in exitu Israel de Aegypto. Chori quoque angelorum virginem laudant ita, quod Jerusalem ad tantam gloriam est concussa. Tunc summi sacerdotes cum gladiis et fustibus multitudinem mittunt, unus autem impetum faciens ad grabatum accessit, cupiens ad terram trahere corpus genitricis Dei Mariae. Qui quia indigne tangere nititur, ejus tactu manibus merito privatur, utraque namque manus a cubitis evulsa absciditur illisque ad grabatum pendentibus dolore horribili cruciatur. Implorat autem veniam et promittit emendam. Cui Petrus: nullatenus veniam consequi poteris, nisi corpus perpetuae virginis os-

caleris et Christum ex ea propagatum Dei filium esse confitearis. Quod cum fecisset, manus, unde avulsae fuerant, cubitis sunt adjunctae accipiensque Petrus unum dactylum ex palma dedit illi dicens: vade, ingredere civitatem et pone super infirmos et omnes, qui crediderint, recipient sanitatem. Pervenientes igitur apostoli ad praedium Gethsemane, invenerunt ibi sepulchrum simile Christi sepulchro vivifico, ubi corpus cum multa reverentia posuerunt, illud sublimissimum Dei vas tangere non audentes, sed hinc inde apprehensa sindone deponentes. Quo munito dum apostoli et discipuli domini juxta mandatum domini circa sepulchrum starent, tertio die nubes splendidissima sepulchrum circumdedit, voces angelicae resonant, ineffabilis odor sentitur, fit omnibus stupor immensus, dum dominum illuc cernerent descendisse et corpus virginis cum gloria tam immensa transferre. Osculantes igitur apostoli sepulchrum in domum evangelistae et theologi sancti Johannis reversi sunt, tantae virginis custodem laudantes. Unus autem ex apostolis sollemniis defuit, qui tanta mirabilia audiens et admirans sepulchrum sibi aperiri instantius postulabat, ut horum omnium cognosceret veritatem. Quod cum apostoli renuerent, sufficere sibi tantorum testimonia asserentes, ne forte, si hoc infideles intelligerent, corpus furto sublatum esse praedicarent, ille contristatus dicebat: cur me similem vobis communis nostri thesauri portione fraudatis? Tandem sepulchrum aperientes corpus minime invenerunt, sed tantum vestimenta et sindonem repererunt. In [1]) Euthimiata quoque hystoria, libro III. cap. XL., sanctus Germanus Constantinopolitanus archiepiscopus se reperisse dicit, quod et magnus Damascenus similiter attestatur, quod sanctae memoriae pulcherrima Augusta, cum apud Constantinopolim multas ecclesias erexisset, inter caeteras apud Balthernas admirabilem ecclesiam tempore Martiniani imperatoris ad honorem sacrae virginis aedificavit, et convocans Iuvenalem archiepiscopum Hierosolymitanum et alios Palaestinae episcopos, qui tunc in urbe regia morabantur propter synodum, quae facta est Chalcedoniae, dixit iis: audivimus corpus sanctissimae virginis in praedio Gethsemane tumulatum, volumus igitur ad custodiam hujus urbis corpus illud cum debita reverentia huc transferre. Cui quum Juvenalis respondisset, corpus illud, sicut ex antiquis hystoriis compererat, in gloriam esse translatum et sola vestimenta in monumento cum sin-

1) Alii: Euthumata.

done remansisse, ipsa vestimenta dictus Juvenalis Constantinopolim misit et in dicta ecclesia honorifice collocantur. Nec me quisquam proprio hoc arbitretur sensu finxisse, sed ea posui, quae per doctrinam et studium lectionis eorum didici, qui verissima traditione a prioribus acceperunt. Hucusque sunt verba, quae in praedicto sermone habentur. Verum Johannes Damascenus, qui et ipse Graecus exstitit, plura miranda de hac sacratissima virginis assumtione prosecutus est. Ait enim in sermonibus suis: hodie sacratissima virgo coelesti [1]) thalamo invehitur, hodie sacra et animata archa, quae intra se suum tulit artificem, in templo non manu facto reponitur, hodie sacratissima columba innocens et simplex evolans ex archa, id est ex corpore, quod Deum suscepit, pedibus suis requiem adinvenit, hodie immaculata virgo terrenarum passionum nescia, imo coelestibus intellectibus erudita non [2]) in terram abiit, sed vere coelum animatum appellata in coelestibus tabernaculis habitat. Licet enim naturaliter sacerrima beataque anima tua a glorioso tuo corpore separetur et sepulturae corpus tradatur, verumtamen non manet in morte nec dissolvitur in corruptione. Cujus enim parientis virginitas inviolata permansit, hujus et migrantis corpus irresolutum per omnia perseverat et ad meliorem sanctioremque vitam transducitur, non morte dissolutum, sed etiam in aeterna saecula permansurum. Sicut enim sol iste splendidus ac lucifluus [3]) sublunari corpore latens ad brevem horam videtur quodammodo deficere, tamen ipse suo non privabitur lumine habens in se perennem fontem luminis, sic et tu, fons veri luminis, inconsumtus vitae thesaurus, licet quodam brevi intervallo temporis corporaliter morti sis addicta, tamen copiose nobis infundis indeficientis luminis claritatem. Hinc sacra tua obdormitio non est mors appellanda, sed transmigratio sive recessus seu magis proprie adventus. Discedens enim a corpore advenis coelo, tibi obviant angeli et archangeli, ascensum tuum horrent spiritus immundi, non ivisti virgo beata in coelum, ut Helyas, neque ut Paulus usque ad tertium coelum adscendisti, sed usque ad regalem thronum filii tui attigisti. Mors aliorum sanctorum benedicitur eo, quod ipsos beatos exhibet, in te autem hoc locum non habet, mors enim tua nec beatitudo tua, nec transmigratio tua, nec profectio tua, sed nec recessus largitur tibi beatitudinis securitatem, omnium enim

1) Ed. Pr. male templo legit. 2) Ed. Pr. loco verborum: in erram abiit offert: interminavit. 3) Ed. Pr. male: sublimari.

bonorum, quae humanam mentem excedunt, tu principium, medium et finis. Tua securitas et vera profectio et sine semine conceptio, divina inhabitatio. Unde vere dixisti, non a morte, sed ab ipsa conceptione ab omnibus generationibus te beatificari. Hinc te mors non beavit, sed tu mortem clarificasti, solvens ejus moestitiam mortemque convertens in gaudium. Si enim Deus dixit: ne forte [1]) protoplastus extendat manum suam et arripiat de ligno et vivat in aeternum, quomodo, qui ipsam vitam portavit, vitam sine principio, vitam sine fine, non vivet in saeculum sempiternum? Olim Deus parentes humani generis in morte peccati dormientes, inobedientiae praecipitio jam sepultos, peccati crapula jam [2]) foetentes exules de paradiso expulit, nunc autem hanc, quae toto humano generi vitam attulit, Dei ac patris obedientiam exhibuit, totius passionis immissionem excussit, quomodo paradisus non suscipiet, coelum gaudens januas non patefaciet? Eva serpenti aurem exhibuit, pestiferum virus hausit, voluptatibus allicitur, partus dolori subjicitur et cum Adam condemnatur. Hanc autem vere beatam, quae aurem inclinavit Deo, quam spiritus sanctus replevit, quae paternam misericordiam in utero bajulavit, quae sine viri contactu concepit, sine dolore peperit, quomodo mors absorbet, quomodo corruptio audet aliquid in corpus, quod ipsam vitam portavit? Addit quoque idem Damascenus in iisdem sermonibus dicens: verum apostolos, qui ubique terrarum dispersi hominum piscationi vacabant, sagina verbi homines de profundis tenebris ad coelestem mensam curiae vel sollemnes patris nuptias educentes, divinum praeceptum, quasi sagina quaedam vel nubes, e finibus terrae Jerusalem contulit, ultra quasdam aquas congregans et colligens. Tunc quidem Adam et Eva primi parentes exclamaverunt: veni ad nos, o sacrum et salutiferum cellarium, tu nostrum implesti gaudium. Econtra sanctorum caterva, quae corporaliter aderat, dicebat: mane nobiscum, consolatio nostra, nec derelinquas nos orphanos, quam habemus laborum solatium, sudorum refrigerium, tibi viventi convivere, tibi morienti commori gloriosum. Nobis enim haec vita quomodo vita tua destitutis praesentia. Haec et his similia, ut arbitror, apostoli cum reliquis plenitudine ecclesiae [3]) crebris singultibus querelas interrumpentibus proponebant. Illa ad filium conversa ait: tu dilectis filiis, quos fratres appellare pla-

1) Vulgo male: protoplaustus. 2) vulgo male: ferentes. 3) Male Ed. Pr. plenis.

cuit, de meo discessu dolentibus fias consolator et impositioni manuum mearum appone benedictionem super benedictionem eorum. Deinde extendens manus fidelium collegium benedixit et addidit: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum, suscipe animam meam tibi dilectam, quam inculpatam servasti, tibi et non terrae commendo corpus meum, custodi illud integrum, quod tibi inhabitare complacuit. Transfer me ad te, ut, ubi tu es, viscerum meorum partus, sim et ego tibi cohabitans. Illinc itaque talia sunt audita: surge, veni itaque, dilecta mea, o pulchra in mulieribus, pulchra es amica mea et macula non est in te. Haec beatissima virgo audiens commendat in manus filii spiritum suum, profusis autem apostoli lacrymis figunt oscula tabernaculo domini, benedictione ac sanctitate ex contactu sacri corporis adimpleti. Tunc morbi et daemones fugantur, aër et coelum sanctificatur, spiritus ascensione, terra corporis depositione, aqua vero [1]) corporis *ablutione*. Abluitur enim sacrum corpus aqua mundissima, non ab ipsa mundatum, sed ab ipso sanctificata. Deinde sacrum corpus munda sindone involutum lecto supponitur, lampades coruscant, unguenta redolent, hymni angelici resonant. Apostolis autem aliisque sanctis, qui aderant, divinas odas modulantibus archa domini e monte Syon sacris apostolorum cervicibus imposita ad sacratissimam villam Gethsemane adducitur, angelis antecedentibus subsequentibusque, aliisque sacrum corpus velantibus, tota ecclesiae [2]) multitudine concomitante. Affuerunt et quidam Judaeorum fermento veteris [3]) malitiae obstinati. Referunt etiam, cum jam e monte Syon descenderent, sacrum corpus Dei genitricis ferentes, *hebraeum* quendam organum dyaboli temerario actum impetu dyabolique impulsu cursu ad sacrum corpus accessisse, ad quod angeli trepidabant accedere, ac utraque manu furibunde lectum arripiens ad terram traxisse. Fertur tamen manus illa tamquam lignum arida decidisse eratque videre tamquam truncum inutilem, donec fides mentem alteravit suique sceleris poenituit ingementem. Hi autem, qui portabant feretrum, stetere, donec miser imponens manum sanctissimo corpori ad tactum ejus in statum pristinum revocatur. Inde igitur aditur Gethsemane, ubi oscula, complexus, hymni sacri, lacrymae, sudoris guttae fluentes, et sic sacrum corpus venerabili in sepulchro ponitur, sed non est derelicta anima tua in inferno, nec corpus

---

1) Ed. Pr. post vero inserit natura. 2) Alii: plenitudine. 3) Alii: consuetudine.

tuum vidit corruptionem. Decebat autem Dei sacrarium, fontem indefossum, agrum inaratum, vineam non irrigatam, olivam fructiferam terrae gremio non teneri. Decuit matrem a filio sublimari, ut ad ipsum adscendat, sicut ad ipsam descenderat, ut, quae in partu servavit virginitatem, post mortem corpus non videat corruptionem, et quae creatorem portavit in sinu, in divinis tabernaculis commoretur, et quam pater desponsavit in sponsam, in coelestibus thalamis conservetur et a matre, quae sunt filii, possideantur. Haec Damascenus. Sanctus quoque Augustinus in quodam sermone ejus sacratissimam assumtionem multipliciter ostendit dicens: de sanctissimo corpore perpetuae virginis ejusque sacrae animae assumtione loqui suscipientes hoc primum dicimus, quod in scripturis, postquam eam dominus in cruce discipulo commendavit, nihil de ea reperitur, praeterquam quod Lucas commemorat in actibus dicens: hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu. Quid ergo de morte, quid de ejus assumtione dicendum est? Unde scriptura nil commemorat, nisi quaerendum ratione, quid consentiat veritati. Fiat ergo ipsa veritas auctoritas, sine qua nec valet auctoritas. Memores igitur conditionis humanae mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus, sed si dicimus eam resolutam in communem putredinem, vermem ac cinerem, deliberandum est, si tantae conveniat sanctitati, tantae aulae Dei praerogativae. Scimus enim dictum primo parenti: quia pulvis es, et in pulverem ibis. Hanc conditionem caro Christi evasit, quae corruptionem non sustinuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de virgine sumta natura. Mulieri quoque dominus dixit: multiplicabo aerumnas tuas, in dolore paries. Aerumnam Maria sustinuit, cujus animam gladius pertransivit, sed sine dolore genuit, Maria ergo, etsi communicat aerumnis Evae, non tamen communicat parturiendo cum dolore. Excipitur ergo a quibusdam generalibus, quam tanta attollit dignitatis praerogativa. Si ergo dicitur mortem subiisse, nec tamen vinculis ejus retineri, numquid impium erit, si voluit Deus [1])integrum matris virginitatis servare pudorem? Cur non velit incorruptam a putredinis servare foetore? Numquid non pertinet ad benignitatem domini matris servare honorem, quae legem solvere non venerat, sed adimplere. Qui enim in vita prae caeteris illam gratia sui conceptus

1) Ed. Pr. legit: integram matrem virginitatis etc.

cuit, de meo discessu dolentibus fias consolator et impositioni manuum mearum appone benedictionem super benedictionem eorum. Deinde extendens manus fidelium collegium benedixit et addidit: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum, suscipe animam meam tibi dilectam, quam inculpatam servasti, tibi et non terrae commendo corpus meum, custodi illud integrum, quod tibi inhabitare complacuit. Transfer me ad te, ut, ubi tu es, viscerum meorum partus, sim et ego tibi cohabitans. Illinc itaque talia sunt audita: surge, veni itaque, dilecta mea, o pulchra in mulieribus, pulchra es amica mea et macula non est in te. Haec beatissima virgo audiens commendat in manus filii spiritum suum, profusis autem apostoli lacrymis figunt oscula tabernaculo domini, benedictione ac sanctitate ex contactu sacri corporis adimpleti. Tunc morbi et daemones fugantur, aër et coelum sanctificatur, spiritus ascensione, terra corporis depositione, aqua vero [1]) corporis ablutione. Abluitur enim sacrum corpus aqua mundissima, non ab ipsa mundatum, sed ab ipso sanctificata. Deinde sacrum corpus munda sindone involutum lecto supponitur, lampades coruscant, unguenta redolent, hymni angelici resonant. Apostolis autem aliisque sanctis, qui aderant, divinas odas modulantibus archa domini e monte Syon sacris apostolorum cervicibus imposita ad sacratissimam villam Gethsemane adducitur, angelis antecedentibus subsequentibusque, aliisque sacrum corpus velantibus, tota ecclesiae [2])multitudine concomitante. Affuerunt et quidam Judaeorum fermento veteris [3]) malitiae obstinati. Referunt etiam, cum jam e monte Syon descenderent, sacrum corpus Dei genitricis ferentes, hebraeum quendam organum dyaboli temerario actum impetu dyabolique impulsu cursu ad sacrum corpus accessisse, ad quod angeli trepidabant accedere, ac utraque manu furibunde lectum arripiens ad terram traxisse. Fertur tamen manus illa tamquam lignum arida decidisse eratque videre tamquam truncum inutilem, donec fides mentem alteravit suique sceleris poenituit ingementem. Hi autem, qui portabant feretrum, stetere, donec miser imponens manum sanctissimo corpori ad tactum ejus in statum pristinum revocatur. Inde igitur aditur Gethsemane, ubi oscula, complexus, hymni sacri, lacrymae, sudoris guttae fluentes, et sic sacrum corpus venerabili in sepulchro ponitur, sed non est derelicta anima tua in inferno, nec corpus

1) Ed. Pr. post vero inserit natura. 2) Alii: plenitudine. 3) Alii: consuetudine.

tuum vidit corruptionem. Decebat autem Dei sacrarium, fontem indefossum, agrum inaratum, vineam non irrigatam, olivam fructiferam terrae gremio non teneri. Decuit matrem a filio sublimari, ut ad ipsum adscendat, sicut ad ipsam descenderat, ut, quae in partu servavit virginitatem, post mortem corpus non videat corruptionem, et quae creatorem portavit in sinu, in divinis tabernaculis commoretur, et quam pater desponsavit in sponsam, in coelestibus thalamis conservetur et a matre, quae sunt filii, possideantur. Haec Damascenus. Sanctus quoque Augustinus in quodam sermone ejus sacratissimam assumtionem multipliciter ostendit dicens: de sanctissimo corpore perpetuae virginis ejusque sacrae animae assumtione loqui suscipientes hoc primum dicimus, quod in scripturis, postquam eam dominus in cruce discipulo commendavit, nihil de ea reperitur, praeterquam quod Lucas commemorat in actibus dicens: hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu. Quid ergo de morte, quid de ejus assumtione dicendum est? Unde scriptura nil commemorat, nisi quaerendum ratione, quid consentiat veritati. Fiat ergo ipsa veritas auctoritas, sine qua nec valet auctoritas. Memores igitur conditionis humanae mortem illam subiisse temporalem dicere non metuimus, sed si dicimus eam resolutam in communem putredinem, vermem ac cinerem, deliberandum est, si tantae conveniat sanctitati, tantae aulae Dei praerogativae. Scimus enim dictum primo parenti: quia pulvis es, et in pulverem ibis. Hanc conditionem caro Christi evasit, quae corruptionem non sustinuit. Excipitur ergo ab illa generali sententia de virgine sumta natura. Mulieri quoque dominus dixit: multiplicabo aerumnas tuas, in dolore paries. Aerumnam Maria sustinuit, cujus animam gladius pertransivit, sed sine dolore genuit, Maria ergo, etsi communicat aerumnis Evae, non tamen communicat parturiendo cum dolore. Excipitur ergo a quibusdam generalibus, quam tanta attollit dignitatis praerogativa. Si ergo dicitur mortem subiisse, nec tamen vinculis ejus retineri, numquid impium erit, si voluit Deus [1])integrum matris virginitatis servare pudorem? Cur non velit incorruptam a putredinis servare foetore? Numquid non pertinet ad benignitatem domini matris servare honorem, quae legem solvere non venerat, sed adimplere. Qui enim in vita prae caeteris illam gratia sui conceptus

1) Ed. Pr. legit: integram matrem virginitatis etc.

honoravit, pium est credere, eam in morte singulari salutatione et speciali gratia honorasse. Putredo et vermis humanae est opprobrium conditionis. Ab hoc opprobrio cum Jesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Jesus de ea assumsisse probatur. Caro enim Jesu caro est Mariae, quam supra astra transvexit honorans omnem humanam naturam et multo magis maternam. Si natura matris est filius, conveniens est, ut sit et filii mater, non quantum ad unitatem personae, sed quantum ad unitatem corporalis naturae. Si enim unitatem facere potest gratia sine proprietate specialis naturae, quanto magis, ubi gratiae unitas et corporalis specialis nativitas. Unitas gratiae est ut discipulorum in Christo, de quibus dicit: ut sint unum, sicut et nos, et postea: pater, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum. Si igitur secum habere vult eos, qui hic sua fide [1]) juncti unum cum eo esse judicantur, quid existimandum est de matre, ubi digna sit haberi, nisi in praesentia filii? Quantum igitur intelligo, quantum credo, Mariae anima excellentiori quadam praerogativa a filio honoratur, possidens in Christo corpus suum, quod genuit glorificatum? Et quare non suum, per quod genuit? Si non obviaverit, nec dum perspecta auctoritas, vere credo: et per quod genuit, quia tanta sanctificatio dignior est coelo quam terra. Thronum Dei, thalamum sponsi, domum domini atque Christi tabernaculum dignum est ibi esse, ubi ipse est; tam pretiosum thesaurum dignius est coelum quam terram servare. Tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis ulla resolutio sequitur, illud sanctissimum corpus in escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Quam existimationem procul pellit incomparabilis gratiae munus, quod me dicere multarum scripturarum consideratio invitat. Suis aliquando ministris veritas ait: ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si haec est generalis sententia omnium per fidem et operationem Christo ministrantium, quanto magis quodammodo specialiter Mariae, quae absque dubio omni opere ministratrix exstitit, quae hunc in utero gessit partuque profusum aluit et fovit et in praesepio reclinavit et fugiens in Aegyptum abscondit et omnem infantiam ejus prosecuta usque ad crucem ab ejus non recessit sectatu. Non potuit autem ejus divinitatis non esse credula, quae se noverat hunc non virili semine, sed divino spiramine concepisse.

---

1) Alii: uniti.

Unde de filii potestate tamquam de Dei virtute non nutabunda deficiente vino dixit: vinum non habent, sciens eum hoc potuisse, quod eum mox contigit miraculo complevisse. Ecce igitur Maria fide et opere Christi ministratrix! Si ibi non fuerit, ubi Christus ministros suos vult esse, ubi ergo erit? et si ibi fuerit, numquid aequali gratia? et si aequali gratia, ubi aequa Dei censura, quae reddit unicuique secundum merita? Si merito prae omnibus Mariae viventi tanta est gratia donata, et gratia mortuae erit minuenda? Absit. Si enim omnium sanctorum mors est pretiosa, Mariae sane est pretiosissima. Confitendum igitur censeo, Mariam ad aeternitatis gaudium assumtam benignitate Christi et honorabilius susceptam caeteris, quam gratia honoravit prae caeteris, atque ad communem humanitatem non esse abductam post mortem putredinis, videlicet vermis et pulveris, quae suum et omnium genuit salvatorem. Si elegit divina voluntas inter ignium flammas puerorum vestimenta servare illaesa, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena? Jonam servare in ventre ceti incorruptum voluit sola misericordia, Mariam incorruptam non servabit gratia? Servatus est Daniel in desperatissima fame leonum, non servanda est Maria tantis donata etiam meritis dignitatum? Haec ergo cuncta, quae diximus, quia naturam non servasse cognoscimus, in integritate quoque Mariae plus gratiam quam naturam potuisse non dubitamus. Christus ergo laetari facit Mariam anima et corpore in se proprio filio, nec ullam sequi corruptionis aerumnam, quam nulla secuta est tantum pariendo filium integritatis corruptio, ut sit semper incorrupta, quam tanta perfudit gratia, sit integraliter vivens, quae omnium integram genuit vitam. Si ergo dixi, ut debui, approba, Christe, tu et tui, si vero non, ut debui, ignosce, obsecro, tu et tui.

CAP. CXX. (115.)

De sancto Bernardo.

Bernardus dicitur a ber, quod est puteus vel fons et nardus, quae, ut dicit Glossa super cantica, herba est humilis et calidae naturae et odorifera. Fuit enim calidus in ferventi amore, humilis

in conversatione, fons in doctrinae emanatione, puteus in scientiae profunditate et odoriferus in famae suavitate. Ejus vitam Wilhelmus abbas sancti Theodorici, socius beati Bernardi et [1])Hernaldus abbas Bonae Vallis scripsit.

Bernardus in Burgundia castro Fontanis ex nobilibus valde et religiosis parentibus ortus est. Cujus pater [2])Coelestinus miles saeculo strenuus, nec minus Deo religiosus, mater vero Aaleth nuncupata est. Haec septem filios genuit, sex mares et feminam unam, mares autem omnes monachos futuros, feminam autem sanctimonialem [3])promiserat. Mox autem, ut filium partu ediderat, manibus propriis ipsum Deo offerebat, alienis uberibus ipsos nutriri refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens iis naturam. Cum autem crevissent, quamdiu sub manu ejus erant, eremo magis quam curiae nutriebat, cibis grossioribus et communibus pascens eos quasi continuo ad eremum transmittendos. Cum igitur tertium filium, scilicet Bernardum, adhuc gestaret in utero, vidit somnium praesagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, totum in dorso subrufum et latrantem in utero se habere. Quod cum cuidam viro Dei exposuisset, ille prophetica voce respondit: optimi catelli mater eris, qui domus Dei custos futurus magnos contra inimicos dabit latratus. Erit enim praedicator egregius et multos medicinalis linguae gratia curaturus. Cum autem Bernardus adhuc puerulus esset et gravi dolore capitis aegrotaret, venientem ad se mulierculam, ut dolorem suis carminibus mitigaret, cum indignatione nimia exclamans repulit et abjecit. Pueruli autem bono zelo misericordia Dei non defuit, sed tunc continuo surgens liberatum se esse cognovit. In sacratissima dominicae nativitatis nocte cum puer Bernardus matutinale officium in ecclesia exspectaret, et qua hora noctis Christus natus fuisset, scire cuperet, apparuit ei puerulus Jesus, quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris. Unde, quamdiu vixit, hanc fuisse horam nativitatis dominicae semper putavit. Ab illa ergo hora in his, quae ad illud pertinent sacramentum, et sensus ei profundior et sermo copiosior datus est, unde et postmodum in laudem genitricis et geniti inter ipsa suorum tractatuum initia insigne opusculum edidit, in quo illam lectionem evangelicam: missus est angelus Gabriel, explanavit. Videns antiquus hostis propositum pueri tam

1) Alii legunt: Bernardus abbas Bonalis. 2) Alii Decelinus.
3) Hoc verbum omittit Ed. Pr.

salubre, ejus castitatis proposito incidit multosque sibi laqueos tentationis opposuit. Cum enim aliquando in quandam feminam oculos defixos aliquamdiu tenuisset, continuo de se ipso erubescens in semet ipsum severissimus ultor insurgit ac in stagnum gelidarum aquarum insiliens tamdiu ibidem permansit, donec paene exsanguis effectus per gratiam Dei a calore carnalis concupiscentiae totus refriguit. Circa idem tempus instinctu daemonis puella quaedam in lectum dormientis se nuda injecit, quam ille sentiens cum omni pace et silentio partem ei lectuli, quam occupaverat, cessit et in latus alterum se convertens dormivit, misera vero illa aliquamdiu sustinens et exspectans, deinde palpans et stimulans, novissime, cum immobilis ipse persisteret, illa licet impudentissima esset, erubuit et horrore ingenti atque admiratione perfusa surgens aufugit. Cum iterum in domo cujusdam matronae hospitaretur, illa adolescentem aspectu decorum considerans, vehementer in concupiscentiam ejus exarsit, cum autem seorsim lectum sibi sterni fecisset, ipsa impudenter et silenter de nocte surgens ad eum accessit. Quam ille sentiens protinus exclamavit: latrones, latrones. Ad quam vocem mulier fugit, familia surgit, lucerna accenditur, latro quaeritur, sed minime invenitur, ad lectulos singuli redeunt, quiescunt caeteri, sed non illa misera requiescit, nam denuo exsurgit, Bernardi lectulum petit, sed ille: latrones, latrones, denuo exclamavit. Latro iterum quaeritur, sed nequaquam ab eo, qui solus noverat, publicatur, usque tertio improba mulier sic repulsa vix tandem metu vel desperatione victa cessavit. Cum autem sequenti die iter ageret, arguentes eum socii, quod totiens latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille ait: veraciter hac nocte insidias sum perpessus latronis, quia hospita mihi nitebatur auferre thesaurum irrecuperabilem castitatis. Perpendens igitur non esse tutum cohabitare serpenti, fugam meditari coepit et ordinem Cisterciensium extunc ingredi deliberavit. Quod cum fratres ejus cognoscerent et cum ab hoc proposito modis omnibus prohiberent, tantam ei gratiam dominus contulit, ut non solum ipse a conversione non prohiberetur, sed omnes fratres suos et multos alios ad religionem domino lucraretur. Gerardus tamen frater ejus miles strenuus haec fratris verba vana putabat et ejus omnino monita repellebat; tunc Bernardus fide jam igneus et fraterno caritatis zelo mirum in modum exasperatus: scio, inquit, frater mi, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui. Digitumque lateri ejus apponens: veniet, inquit, dies et cito veniet,

quando lancea latus hoc perforabit et ad cor tuum consilio, quod abjicis, viam dabit. Post paucos dies Gerardus ab inimicis capitur et in loco, cui frater digitum imposuerat, infixam lanceam gestans trahitur et in custodia vinculatur. Ad quem Bernardus veniens, cum sibi loqui non permitteretur, ad eum exclamavit: scio, frater Gerarde, quia in proximo ituri sumus et monasterium intraturi. Eadem nocte compedes de ejus pedibus ceciderunt et ostio per se aperto laetus aufugit indicavitque fratri, se mutasse propositum et fieri velle monachum. Anno ab incarnatione domini MCXII a constitutione domus Cisterciensium XV servus Dei Bernardus annos nactus circiter XXII cum sociis amplius quam XXX ordinem Cisterciensium ingressus est. Cum autem [1])Bernardus cum fratribus suis domum paternam egrederetur, Guido primogenitus videns Nivardum fratrem suum minimum puerum ludentem in platea cum pueris: eya, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostrae. Cui non pueriliter puer respondit: vos ergo coelum habebitis et mihi solum terram relinquitis? Non ex aequo divisio facta est haec. Modico igitur tempore cum patre remansit, sed fratres postmodum secutus est. Ingressus igitur ordinem servus Dei Bernardus ita totus in spiritum absorptus est et Deo totaliter occupatus, ut jam nullis sensibus corporis uteretur. Jam quippe annum in cella novitiorum exegerat et adhuc, an domus haberet testudinem, ignorabat. Multo tempore ecclesiam intrans et exiens in capite, ubi [2])tres erant, unam tantum putabat esse fenestram. Abbas autem Cisterciensium fratres ad aedificandum domum Claraevallensem misit et iis Bernardum in abbatia praefecit, qui multo ibidem tempore in nimia paupertate degebat et pulmenta saepius ex foliis fagi conficiebat. Vigilabat autem servus Dei ultra possibilitatem humanam, nullum enim tempus se magis perdere conqueri solebat, quam quo dormivit, idoneam satis reputans comparationem somni et mortis, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam, si quem forte durius stertentem audierit, seu minus composite viderit jacentem, patienter ferre vix potuit et carnaliter seu seculariter eum dormire [3])causabatur. Ad comedendum vix aliqua voluptate trahebatur appetitus, sed solo timore defectus sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum.

1) Ed. Pr. Gerardus et deinde male: ingrederetur. 2) Ed. Pr. turris offert. 3) Ed. Pr. male: curabatur.

Post cibum, quantum comederit, semper cogitare solitus erat, si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendit, impune abire non patiebatur. Sic gulae illecebras edomuerat, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Nam et oleum sibi per errorem aliquando propositum bibit et penitus ignoravit nec prius id est cognitum, donec quidam ejus labia miraretur inuncta. Sanguinem crudum insuper per errorem sibi oblatum pro butyro multis diebus noscitur comedisse, solum autem aquam sibi sapere dicebat eo, quod, dum sumeret, fauces et guttur ejus refrigeraret. Quidquid in scripturis didicerat, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitebatur accepisse et nullos se aliquando magistros habuisse, nisi quercus et fagos, inter amicos dicere solebat. Denique confessus est, aliquando meditanti vel oranti sacram omnem velut suppositam vel expositam sibi apparuisse scripturam. Quodam tempore, sicut ipse in canticis refert, cum inter loquendum ex his, quae suggerebat spiritus, etsi [1])non fideli nimis, tamen fidenti animo reservaret, ut haberet, quid diceret, denuo tractaturus, ecce vox ad eum venit dicens: donec istud tenueris, aliud non accipies. In vestibus ei semper paupertas placuit, sordes nunquam, nimirum animi fore judices ajebat aut negligentis aut inaniter apud se gloriantis aut foris humanam gloriam affectantis. Proverbium illud in ore ejus frequenter, semper in corde erat: qui hoc facit, quod nemo, mirantur omnes. Unde et cilicium pluribus annis portavit, quamdiu occultum esse potuit, sed ubi hoc cognitum esse sensit, continuo illud abjiciens ad communia se convertit. Nunquam sic risit, ut non potius ad ridendum quam ad reprimendum vim sibi facere oporteret et risui suo magis stimulum adhibere quam frenum. Cum autem patientiae genus solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis laesionem, hanc ipse his exemplis se habere probavit. Cum enim cuidam episcopo amicabiliter admonens quandam scripsisset epistolam, ille vehementer exacerbatus amarissimam scripsit ei epistolam in principio ita dicens: salutem et non spiritum blasphemiae, tamquam ex spiritu blasphemiae illa scripsisset. Ad quod ille: ego spiritum blasphemiae me habere non credo nec maledixisse cuiquam aut maledicere me velle scio, praesertim principi populi mei. Quidam abbas pro uno coenobio construendo sexcentas marcas eidem misit argenti, sed tota pecunia, dum deferretur, a prae-

1) Alii: non infideli, minus tamen fideli legunt.

quando lancea latus hoc perforabit et ad cor tuum consilio, quod abjicis, viam dabit. Post paucos dies Gerardus ab inimicis capitur et in loco, cui frater digitum imposuerat, infixam lanceam gestans trahitur et in custodia vinculatur. Ad quem Bernardus veniens, cum sibi loqui non permitteretur, ad eum exclamavit: scio, frater Gerarde, quia in proximo ituri sumus et monasterium intraturi. Eadem nocte compedes de ejus pedibus ceciderunt et ostio per se aperto laetus aufugit indicavitque fratri, se mutasse propositum et fieri velle monachum. Anno ab incarnatione domini MCXII a constitutione domus Cisterciensium XV servus Dei Bernardus annos nactus circiter XXII cum sociis amplius quam XXX ordinem Cisterciensium ingressus est. Cum autem [1])Bernardus cum fratribus suis domum paternam egrederetur, Guido primogenitus videns Nivardum fratrem suum minimum puerum ludentem in platea cum pueris: eya, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostrae. Cui non pueriliter puer respondit: vos ergo coelum habebitis et mihi solum terram relinquitis? Non ex aequo divisio facta est haec. Modico igitur tempore cum patre remansit, sed fratres postmodum secutus est. Ingressus igitur ordinem servus Dei Bernardus ita totus in spiritum absorptus est et Deo totaliter occupatus, ut jam nullis sensibus corporis uteretur. Jam quippe annum in cella novitiorum exegerat et adhuc, an domus haberet testudinem, ignorabat. Multo tempore ecclesiam intrans et exiens in capite, ubi [2]) tres erant, unam tantum putabat esse fenestram. Abbas autem Cisterciensium fratres ad aedificandum domum Claraevallensem misit et iis Bernardum in abbatia praefecit, qui multo ibidem tempore in nimia paupertate degebat et pulmenta saepius ex foliis fagi conficiebat. Vigilabat autem servus Dei ultra possibilitatem humanam, nullum enim tempus se magis perdere conqueri solebat, quam quo dormivit, idoneam satis reputans comparationem somni et mortis, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam, si quem forte durius stertentem audierit, seu minus composite viderit jacentem, patienter ferre vix potuit et carnaliter seu saeculariter eum dormire [3])causabatur. Ad comedendum vix aliqua voluptate trahebatur appetitus, sed solo timore defectus sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum.

1) Ed. Pr. Gerardus et deinde male: ingrederetur. 2) Ed. Pr. turris offert. 3) Ed. Pr. male: curabatur.

Post cibum, quantum comederit, semper cogitare solitus erat, si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendit, impune abire non patiebatur. Sic gulae illecebras edomuerat, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Nam et oleum sibi per errorem aliquando propositum bibit et penitus ignoravit nec prius id est cognitum, donec quidam ejus labia miraretur inuncta. Sanguinem crudum insuper per errorem sibi oblatum pro butyro multis diebus noscitur comedisse, solum autem aquam sibi sapere dicebat eo, quod, dum sumeret, fauces et guttur ejus refrigeraret. Quidquid in scripturis didicerat, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitebatur accepisse et nullos se aliquando magistros habuisse, nisi quercus et fagos, inter amicos dicere solebat. Denique confessus est, aliquando meditanti vel oranti sacram omnem velut suppositam vel expositam sibi apparuisse scripturam. Quodam tempore, sicut ipse in canticis refert, cum inter loquendum ex his, quae suggerebat spiritus, etsi [1])non fideli nimis, tamen fidenti animo reservaret, ut haberet, quid diceret, denuo tractaturus, ecce vox ad eum venit dicens: donec istud tenueris, aliud non accipies. In vestibus ei semper paupertas placuit, sordes nunquam, nimirum animi fore judices ajebat aut negligentis aut inaniter apud se gloriantis aut foris humanam gloriam affectantis. Proverbium illud in ore ejus frequenter, semper in corde erat: qui hoc facit, quod nemo, mirantur omnes. Unde et cilicium pluribus annis portavit, quamdiu occultum esse potuit, sed ubi hoc cognitum esse sensit, continuo illud abjiciens ad communia se convertit. Nunquam sic risit, ut non potius ad ridendum quam ad reprimendum vim sibi facere oporteret et risui suo magis stimulum adhibere quam frenum. Cum autem patientiae genus solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis laesionem, hanc ipse his exemplis se habere probavit. Cum enim cuidam episcopo amicabiliter admonens quandam scripsisset epistolam, ille vehementer exacerbatus amarissimam scripsit ei epistolam in principio ita dicens: salutem et non spiritum blasphemiae, tamquam ex spiritu blasphemiae illa scripsisset. Ad quod ille: ego spiritum blasphemiae me habere non credo nec maledixisse cuiquam aut maledicere me velle scio, praesertim principi populi mei. Quidam abbas pro uno coenobio construendo sexcentas marcas eidem misit argenti, sed tota pecunia, dum deferretur, a prae-

1) Alii: non infideli, minus tamen fideli legunt.

quando lancea latus hoc perforabit et ad cor tuum consilio, quod abjicis, viam dabit. Post paucos dies Gerardus ab inimicis capitur et in loco, cui frater digitum imposuerat, infixam lanceam gestans trahitur et in custodia vinculatur. Ad quem Bernardus veniens, cum sibi loqui non permitteretur, ad eum exclamavit: scio, frater Gerarde, quia in proximo ituri sumus et monasterium intraturi. Eadem nocte compedes de ejus pedibus ceciderunt et ostio per se aperto laetus aufugit indicavitque fratri, se mutasse propositum et fieri velle monachum. Anno ab incarnatione domini MCXII a constitutione domus Cisterciensium XV servus Dei Bernardus annos nactus circiter XXII cum sociis amplius quam XXX ordinem Cisterciensium ingressus est. Cum autem [1]) Bernardus cum fratribus suis domum paternam egrederetur, Guido primogenitus videns Nivardum fratrem suum minimum puerum ludentem in platea cum pueris: eya, inquit, frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostrae. Cui non pueriliter puer respondit: vos ergo coelum habebitis et mihi solum terram relinquitis? Non ex aequo divisio facta est haec. Modico igitur tempore cum patre remansit, sed fratres postmodum secutus est. Ingressus igitur ordinem servus Dei Bernardus ita totus in spiritum absorptus est et Deo totaliter occupatus, ut jam nullis sensibus corporis uteretur. Jam quippe annum in cella novitiorum exegerat et adhuc, an domus haberet testudinem, ignorabat. Multo tempore ecclesiam intrans et exiens in capite, ubi [2]) tres erant, unam tantum putabat esse fenestram. Abbas autem Cisterciensium fratres ad aedificandum domum Claraevallensem misit et iis Bernardum in abbatia praefecit, qui multo ibidem tempore in nimia paupertate degebat et pulmenta saepius ex foliis fagi conficiebat Vigilabat autem servus Dei ultra possibilitatem humanam, nullum enim tempus se magis perdere conqueri solebat, quam quo dormivit, idoneam satis reputans comparationem somni et mortis, ut sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Unde etiam, si quem forte durius stertentem audierit, seu minus composite viderit jacentem, patienter ferre vix potuit et carnaliter seu seculariter eum dormire [3]) causabatur. Ad comedendum vix aliqua voluptate trahebatur appetitus, sed solo timore defectus sic accedebat ad sumendum cibum, quasi ad tormentum.

---

1) Ed. Pr. Gerardus et deinde male: ingrederetur. 2) Ed. Pr. turris offert. 3) Ed. Pr. male: curabatur.

Post cibum, quantum comederit, semper cogitare solitus erat, si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehendit, impune abire non patiebatur. Sic gulae illecebras edomuerat, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdiderit. Nam et oleum sibi per errorem aliquando propositum bibit et penitus ignoravit nec prius id est cognitum, donec quidam ejus labia miraretur inuncta. Sanguinem crudum insuper per errorem sibi oblatum pro butyro multis diebus noscitur comedisse, solum autem aquam sibi sapere dicebat eo, quod, dum sumeret, fauces et guttur ejus refrigeraret. Quidquid in scripturis didicerat, maxime in silvis et in agris meditando et orando se confitebatur accepisse et nullos se aliquando magistros habuisse, nisi quercus et fagos, inter amicos dicere solebat. Denique confessus est, aliquando meditanti vel oranti sacram omnem velut suppositam vel expositam sibi apparuisse scripturam. Quodam tempore, sicut ipse in canticis refert, cum inter loquendum ex his, quae suggerebat spiritus, etsi [1])non fideli nimis, tamen fidenti animo reservaret, ut haberet, quid diceret, denuo tractaturus, ecce vox ad eum venit dicens: donec istud tenueris, aliud non accipies. In vestibus ei semper paupertas placuit, sordes nunquam, nimirum animi fore judices ajebat aut negligentis aut inaniter apud se gloriantis aut foris humanam gloriam affectantis. Proverbium illud in ore ejus frequenter, semper in corde erat: qui hoc facit, quod nemo, mirantur omnes. Unde et cilicium pluribus annis portavit, quamdiu occultum esse potuit, sed ubi hoc cognitum esse sensit, continuo illud abjiciens ad communia se convertit. Nunquam sic risit, ut non potius ad ridendum quam ad reprimendum vim sibi facere oporteret et risui suo magis stimulum adhibere quam frenum. Cum autem patientiae genus solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum injurias, ad damna rerum, ad corporis laesionem, hanc ipse his exemplis se habere probavit. Cum enim cuidam episcopo amicabiliter admonens quandam scripsisset epistolam, ille vehementer exacerbatus amarissimam scripsit ei epistolam in principio ita dicens: salutem et non spiritum blasphemiae, tamquam ex spiritu blasphemiae illa scripsisset. Ad quod ille: ego spiritum blasphemiae me habere non credo nec maledixisse cuiquam aut maledicere me velle scio, praesertim principi populi mei. Quidam abbas pro uno coenobio construendo sexcentas marcas eidem misit argenti, sed tota pecunia, dum deferretur, a prae-

1) Alii: non infideli, minus tamen fideli legunt.

donibus sublata est. Quo audito nihil aliud dixit nisi: benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere, sed et illis, inquit, qui tulerunt, levius est ferendum, tum quia hoc humana cupiditas sustulit, tum quia magna pecunia magnam iis [1]) tentationem ingessit. Quidam insuper canonicus regularis ad eum venit et ut in monachum reciperetur, instanter rogavit. Cui quum ille non acquiesceret, sed ad suam ecclesiam redire persuaderet; [2]) ad quid ergo, ait ille, in libris tuis perfectionem tantopere commendasti, si eam non exhibes cupienti? Utinam illos tuos tenerem libros, ut eos penitus lacerarem! Cui ille: in nullo eorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum; morum correctionem, non locorum mutationem in libris omnibus commendavi. Ille vero insanus in eum impetum faciens tam graviter maxillam ejus percussit, ut succederet rubor ictui et tumor rubori. Jam, qui aderant, in sacrilegum insurgebant, sed praevenit eos servus Dei clamans et adjurans per nomen Christi, ut nullatenus tangeretur nec sibi quidquid injuriae inferretur. Novitiis autem intrare volentibus dicere consueverat: si ad ea, quae intus sunt, festinatis, hic foris dimittite corpora, quae de saeculo attulistis, soli spiritus ingrediantur, caro autem non prodest quidquam. Pater ejus, qui solus domi remanserat, ad monasterium ivit et ibidem post aliquod tempus in senectute bona decessit. Soror autem ejus saeculo nupta cum in divitiis et deliciis saeculi periclitaretur, quadam vice fratres suos ad monasterium visitatura accessit, cumque venisset cum comitatu et apparatu superbo, ille eam tanquam rete dyaboli ad animas capiendas abhorruit nec ad videndam eam exire aliquatenus acquievit. Videns illa, quod nullus fratrum suorum occurreret, sed ab uno eorum, qui tunc portarius erat, stercus involutum diceretur, tota in lacrymis resoluta est. Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est: quia enim peccatricem me sentio, idcirco consilium et colloquium bonorum requiro, et si despicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei animam meam, veniat et praecipiat, et quidquid praeceperit, adimplebo. Hanc ergo promissionem tenens exiit ad eam cum fratribus, et quia eam a viro separare non poterat, primo omnem ei mundi gloriam interdixit et formam matris imitandam eidem indicens illam dimisit. Illa vero rediens ita repente mutata est, ut in medio saeculi vitam duceret eremiticam et ab omni saeculo prorsus se faceret alienam. Tandem precibus

1) Alii: tentationis occasionem. 2) Alii: ut quid.

multis virum suum vicit et ab [1])episcopo absoluta monasterium intravit. Infirmatus aliquando vir Dei, cum extremum jam spiritum trahere videretur, in excessu mentis suae ante tribunal Dei visus est praesentari; affuit autem et Sathan ex adverso improbis eum accusationibus pulsans. Ubi vero ille omnia fuerat prosecutus et viro Dei pro sua fuit parte dicendum nihil territus aut turbatus ait: fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis obtinere regnum coelorum. Caeterum duplici jure illud obtinens dominus meus, hereditate scilicet patris et merito passionis, altero ipse contentus alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vindicans non confundor. Confusus in hoc verbo inimicus, conventus ille solutus et vir Dei in se reversus est. Tanta autem abstinentia, labore et vigiliis corpus suum attrivit, quod et gravissima et fere continua aegritudine languens conventum vix sequi posset. Quadam vice dum gravissime infirmaretur, fratribus pro eo instanter orantibus aliquantulum convaluisse se sensit, congregatis autem fratribus dixit: quid tenetis miserum hominem? fortiores estis et invaluistis, parcite, quaeso, parcite et sinite me abire. A multis autem civitatibus vir Dei in episcopum electus, praecipue a civitate Januensi et civitate Mediolanensi, petentibus se nec annuens nec improbe renuens dicebat, se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum. Fratres autem ex consilio viri Dei sibi providerant et summi pontificis auctoritate muniti erant, ne quis gaudium suum ab iis tollere posset. Quodam tempore cum fratres Cartusienses visitasset et ipsi ab eo in omnibus plurimum aedificati fuissent, unum fuit, quod praedicti loci priorem aliquantulum movit, scilicet quod sella, cui equitando insidebat, minus neglecta erat et parum praeferens paupertatem. Quod quum dictus prior uni ex fratribus et ille viro Dei retulisset, non minus ipse miratus, qualis esset sella, quaerebat, nam a Claravalle usque ad Cartusiam venerat et tamen, qualis esset sella, penitus ignorabat. Juxta lacum Lausannensem totius diei itinere pergens penitus eum non vidit aut se videre non vidit. Cum enim sero facto de eodem lacu socii loquerentur, interrogavit eos, ubinam lacus ille esset. Quod illi audientes plurimum admirati sunt. Vincebat sane in eo sublimitatem nominis humilitas cordis nec tam poterat universus eum erigere mundus, quam se ipse dejicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, infimus ipse se reputans, et quem sibi omnes, ipse se

1) Alii: ipso loco vocis episcopo legunt.

nemini praeferebat. Denique, sicut saepius fatebatur, inter summos quoque honores et favores populorum alterum sibi mutuatus hominem videbatur seque potius reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus, ubi vero simpliciores fratres erant, et amica semper humilitate frui ibi se invenisse gaudebat et in propriam rediisse personam. Semper autem inveniebatur aut orans aut legens aut scribens aut meditans aut fratres verbo aedificans. Quadam vice cum populo praedicaret et omnes verba ejus attente ac devote susciperent, ejus animo quaedam talis irrepsit tentatio: vere nunc optime praedicas et ab hominibus libenter audiris et sapiens ab omnibus reputaris. At vir Dei tali tentatione pulsari se sentiens parumper substitit et an procederet vel finem faceret, cogitare coepit statimque divino confortatus auxilio tentatori silenter respondit: nec per te incepi nec per te dimittam, sicque securus praedicationem usque ad finem prosecutus est. Monachus quidam, qui in saeculo ribaldus fuerat atque lusor, maligno stimulatus spiritu ad saeculum redire voluit. Cum autem beatus Bernardus eum retinere non posset, interrogavit eum, unde victurus esset. Qui respondit: ad taxillos ludere scio et inde vivere potero. Et ille: si tibi capitale commisero, vis singulis annis ad me redire et mecum lucrum dividere? Quod ille audiens gavisus est et se libenter sic acturum promisit. Viginti igitur solidos ei dari praecepit et ille cum illis abiit. Hoc autem faciebat vir sanctus, ut eum iterum revocare posset, sicut et postmodum factum est. Ille igitur abiens totum perdidit et ad portam confusus rediit. Quo audito vir Dei ad eum laetus exiit extenditque gremium, ut simul dividerent lucrum. Cui ille: nihil, pater, lucratus sum, sed etiam capitali nostro nudatus sum, si vultis, pro nostro capitali recipite me. Cui Bernardus benigne respondit: si ita, inquit, est, melius est, ut hoc recipiam, quam simul utrumque perdam. Quadam vice dum beatus Bernardus jumento insidens aliquo pergeret, cuidam rustico materia sic se offerente de cordis instabilitate in oratione est conquestus. Quod ille audiens mox eum despexit et in orationibus suis cor firmum et stabile habere se dixit. Volens autem Bernardus eum convincere et a sua temeritate coercere dixit: sequestrare paulisper a nobis et tota, qua poteris, intentione orationem dominicam inchoato, quam si absque aliqua cordis intentione et vagatione finire poteris, jumentum, cui insideo, tuum procul dubio mox habebis. Tu autem mihi in fide tua spondeas, quod, si aliud ibidem cogi-

taveris, hoc mihi aliquatenus non celabis. Laetatus ille et tamquam jumentum jam lucratum se reputans audacter secedit et se ipsum recolligens orationem dominicam dicere inchoavit. Vix orationis explevit dimidium et ecce importuna cogitatio de sella cordi suo se ingerit, utrum eam habere debeat cum jumento. Quod ille advertens concitus ad Bernardum rediit et quid in ipsa oratione sollicite cogitaverit, indicavit et de se postea temere non praesumsit. Frater Robertus ejus monachus et secundum saeculum propinquus in adolescentia sua quorundam persuasione deceptus Cluniacum se contulerat. Venerabilis autem pater postquam aliquamdiu dissimulavit, eundem statuit per epistolam revocare. Quam cum sub divo dictaret et alius monachus eam ex ore suo conscriberet, subito inopinatus imber erupit et hic, qui scribebat, chartam complicare voluit. Cui Bernardus: opus Dei est, scribere me formides. Scripsit ergo epistolam in medio imbre sine imbre. Cum enim undique plueret, ibidem tamen molestiam imbris virtus expulit caritatis. Cum quoddam monasterium, quod vir Dei construxerat, occupasset muscarum incredibilis multitudo, ita ut omnibus gravem molestiam generarent, ille dixit: ego excommunico eas. Mane autem omnes pariter mortuas invenerunt. Cum a summo pontifice Mediolanum missus fuisset, ut ipsos cum ecclesia reconciliaret et jam Papiam rediisset, quidam uxorem suam daemoniacam ad eum adduxit moxque per os miserae mulieris dyabolus in contumelias ejus prorupit dicens: non me de [1]) anicula mea hic porrulos edens et brassicas devorans pellet. At vir Dei ipsam ad ecclesiam beati Syri remisit, beatus autem Syrus hospiti suo deferre voluit nec eidem aliquid curationis impendit sicque iterum ad beatum Bernardum adducta est. Tunc dyabolus per os ejus garrire coepit ac dicere: non me expellet Syrulus nec ejiciet [2])Bernardinus. Ad haec servus Dei respondit: nec Syrus nec Bernardus te ejiciet, sed dominus Jesus Christus. Mox ut ille orationem effudit, spiritus nequam dixit: quam libenter egrederer ab hac anicula, graviter molestatus in ea! Quam libenter egrederer! Sed non possum, quia nonvult magnus dominus. Cui sanctus: et quis est magnus dominus? Cui ille: Jesus Nazarenus. Ad quem vir Dei: vidistine unquam eum? Quo respondente: etiam, ait: ubi eum vidisti? Et ille: in gloria. Et sanctus: et tu in gloria fuisti? Quo respondente: utique, ait: quomodo inde exiisti?

1) Rec. agnicula offerunt. 2) Ed. Pr. Bernardus offert.

Et ille: cum Lucifero multi cecidimus. Haec autem omnia voce lugubri per os vetulae omnibus audientibus loquebatur, dixitque ei vir Dei: numquid in illam gloriam redire velles? At ille miro modo cachinnans ait: modo tarde est. Tunc orante viro Dei daemon de muliere exiit, sed cum vir Dei inde recessisset, dyabolus iterum ipsam invasit, vir autem ejus post eum accurrens, quod acciderat, indicavit. Ille autem collo ejus alligari chartulam continentem haec verba praecepit: in nomine domini nostri Jesu Christi praecipio tibi, daemon, ne hanc mulierem amodo contingere praesumas. Quod cum factum fuisset, ad eam postea non est ausus accedere. Apud Aquitaniam quaedam mulier miserabilis erat, quae a quodam daemone petulante et incubo vexabatur. Sex enim annis abusus est ea et incredibili vexavit libidine. Adveniente autem illuc viro Dei daemon mulieri, ne ad eum accederet, vehementer minatur, quia nil ei prodesse posset, et recedente eo ipse, qui fuit ejus amator, crudelissimus fieret persecutor. At illa secure ad virum Dei accessit et quae pateretur, cum multo gemitu enarravit. Cui ille: tolle hunc meum baculum et in tuo lectulo pone et si quid agere potest, agat. Quod cum fecisset et in lectulo suo recumberet, adest ille continuo, sed nec ad consuetum opus nec ad ipsum cubile praesumit accedere, sed acerrime minatur, quod illo recedente se de ea atrociter vindicabit. Quod cum illa Bernardo retulisset, ille populum convocavit et omnes candelas in manu accensas habere praecepit daemonemque cum universo, qui aderat, coetu excommunicavit ac ne ad illam vel aliam deinceps accessum haberet, interdixit sicque illa a tali illusione penitus liberata est. Cum in eadem provincia vir sanctus legatione fungeretur, ut ducem Aquitaniae ecclesiae reconciliaret et ille modis omnibus reconciliari renueret, vir Dei ad altare celebraturus accessit, ipso duce tamquam excommunicato prae foribus exspectante. Cum autem pax domini dixit, corpus dominicum super patenam ponit et secum tollit atque ignea facie et flammeis oculis foras egreditur et verbis terribilibus comitem aggreditur. Rogavimus te, inquit, et sprevisti nos. Ecce ad te processit virginis filius, qui est dominus ecclesiae, quam tu persequeris. Adest judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur. Adest judex tuus, in cujus manibus illa anima tua deveniet. Numquid et ipsum sicut servos ejus contemnes? Resiste ei, si vales. Statimque dux totus irriguit et membris omnibus dissolutis ad pedes ejus protinus prosiluit. Quem vir sanctus calce

pulsans surgere jubet et Dei audire sententiam. Ille autem tremebundus surrexit et quidquid vir sanctus praecipiebat, protinus adimplevit. Cum regnum Germaniae pro quadam magna sedanda discordia servus Dei intrasset, archiepiscopus [1]) Moguntinensis venerabilem quendam clericum obviam ei misit. Cui dum clericus se sibi obviam a suo domino missum fuisse diceret, vir Dei respondit: alius dominus misit te. Miratus ille se nonnisi a suo domino archiepiscopo missum fuisse affirmabat. Econtra servus Christi dicebat: falleris, fili, falleris; major dominus est, qui misit te, Christus. Quod clericus intelligens ait: putas, quod monachus velim fieri? Absit hoc a me! non cogitavi nec adscendit super cor meum. Quid plura? In eodem itinere saeculo valefecit et a viro Dei habitum suscepit. Cum quendam militem valde nobilem ad ordinem recepisset et virum Dei quodam tempore sequeretur, gravissima coepit tentatione pulsari. Cum autem eum quidam de fratribus tam tristem videret, causam tantae tristitiae requisivit. Cui ille respondit: scio, inquit, scio, quod nunquam amplius laetus ero. Quod verbum cum dictus frater ad servum Dei retulisset, ille pro eo attentius oravit statimque ille frater, qui tam graviter tentatus et tam tristis erat, tantum caeteris apparuit jucundior et hilarior, quantum prius caeteris tristior. Cum autem ei dictus frater verbum moestitiae, quod locutus fuerat, amicabiliter improperaret, ille respondit et dixit: [2]) etsi tunc dixi, numquam amplius laetus ero, sed nunc dico, nunquam amplius tristis ero. Cum sanctus Malachius episcopus Hyberniae, cujus vitam plenam virtutibus ipse descripsit, ad Christum feliciter in monasterio suo migrasset et vir Dei pro eo hostiam salutarem offerret, gloriam ejus Deo revelante cognovit et eodem inspirante post communionem formam orationis mutavit laeta voce sic dicens: Deus, qui beatum Malachium sanctorum tuorum meritis coaequasti, tribue, quaesumus, ut, qui pretiosae mortis ejus festa agimus, vitae quoque imitemur exempla. Cui dum cantor innueret, quod erraret, ait: non erro, sed novi, quod dico. Deinde accedens sacra ejus vestigia osculatur. Cum instante quadragesima a multis fuisset tironibus visitatus, rogavit eos, ut in illis saltem sacris diebus a suis vanitatibus et lasciviis abstinerent. Quibus nullo modo acquiescentibus jussit iis propinari vinum dicens: bibite poculum animarum. Quo hausto subito mutati recedunt et qui

---

1) Ed. Pr. pro v. Moguntinensis legit quidam. 2) Verba: etsi — dixi omittit Ed. Pr.

modicum tempus denegaverant, totum tempus vitae suae Deo dederunt. Tandem beatus Bernardus morti feliciter appropinquans ait fratribus suis: tria vobis observanda relinquo, quae in stadio praesentis vitae, quo cucurri, memini me pro viribus observasse. Nemini scandalum facere volui et, si aliquando incidit, celavi ut potui. Minus semper sensui meo, quam alterius credidi, laesus de laedente nunquam vindictam expetii, ecce caritatem, humilitatem et patientiam vobis relinquo. Denique postquam multa miracula perpetrasset et CLX monasteria construxisset multosque libros et tractatus compilasset, consummatis vitae suae diebus circiter LXIII annis anno domini [1]) MCLIII inter filiorum manus obdormivit in domino. Post obitum suum multis gloriam suam manifestavit. Cuidam enim abbati in quodam monasterio apparuit et, ut sequeretur, admonuit. Qui abbas cum sequeretur, dixit ei vir Dei: ecce ad montem Libani venimus et tu hic manebis, ego autem illuc adscendam. [2]) Interrogatus ab eo, ad quid vellet adscendere: discere, inquit, volo. Miratus ille: quid, inquit vis discere, pater, [3]) cui nullum hodie in scientia credimus esse secundum? Et ille: nulla hic scientia, nulla veri cognitio, sursum scientiae plenitudo, sursum vera notitia veritatis. Et in hoc verbo disparuit. Ille autem diem notavit et tunc virum Dei Bernardum de corpore migrasse invenit. Multa autem alia et paene innumerabilia miracula per servum suum Deus operatus est.

CAP. CXXI. (116.)

De sancto Timotheo.

Timotheus quasi timorem tenens, vel a timore et theos, quod est Deus, quasi timor Dei. Causatur autem ille timor in quolibet viro sancto, sicut ait Gregorius, considerando, ubi fuit, ubi erit, ubi est et ubi non est. Ubi fuit, quoniam in peccato, ubi erit, in judicio, ubi est, in miseria, ubi non est, in gloria.

Timotheus sub Nerone a praefecto urbis Romae dum graviter torqueretur et calce viva ejus plagae adspergerentur et ipse in his

1) Ed. Pr. MCXLIII legit. 2) Verba: Interrogatus — volo omittit Ed. Pr. 3) Ed. Pr. quoniam.

gratias ageret, duo angeli sibi adstiterunt dicentes: erige caput in coelis et vide. Adspiciensque vidit coelos apertos et Jesum coronam gemmatam tenentem et dicentem sibi: hanc de manu mea accipies. Quod quidam vir nomine Apollinaris videns se baptizari fecit. Quapropter praeses jussit ambos in confessione domini perseverantes decollari circa annos domini LVII.

CAP. CXXII. (117.)

De sancto Simphoriano.

Simphorianus dicitur a simphonia. Fuit enim tamquam vas musicum, emittens harmoniam virtutum, in quo tamquam in vase musico tria fuerunt. Nam ut dicis Averrois: sonativum debet esse durum ad resistendum, [1]) lene ad continuandum, latum ad implendum, sic et Simphorianus tamquam vas musicum fuit, durus sibi per austeritatem, lenis aliis per mansuetudinem, latus omnibus per caritatis amplitudinem.

Simphorianus in Augustodunensi urbe ortus dum adhuc adolescens esset, tanta morum gravitate pollebat, quod seniorum vitam anticipare videretur. Cum igitur pagani festum Veneris celebrarent et statuam ante Heraclium praefectum deferrent, Simphorianus affuit et nolens eam adorare diu caeditur et carceri mancipatur, et cum eductus de carcere ad sacrificium cogeretur et multa ei donaria promitterentur, dixit: Deus noster, ut novit remunerare merita, ita novit punire peccata; vitam, quam Christo soluturi sumus ex debito, solvamus ex voto. Sera poenitudo est sub judicis timuisse conspectu. Munera [2]) vestra fucata mellis permixta dulcedine male credulis mentibus venena parturiunt. Cupiditas vestra omnia habendo nil possidet, quia dyabolicis artibus obligata miseri lucri detinetur [3]) compedibus et gaudia vestra in similitudine vitri, cum coeperunt splendere, franguntur. Tunc judex ira repletus data sententia praecepit, ut Simphorianus occideretur. Qui cum ad locum duceretur, mater ejus de muro exclamans ait: nate, nate, memento aeternae vitae; sursum respice et regnantem in coelo intuere, tibi

---

1) Ed. Pr. levis offert. 2) Hic et paulo post Ed. Pr. legit: nostra.
3) Ed. Pr. impedinibus.

vita non tollitur, sed in melius commutatur. Mox igitur decollatus est et a christianis corpus ejus sublatum honorifice est sepultum. Ad cujus sepulchrum tanta fiebant miracula, ut etiam a paganis in honore maximo haberetur. Refert Gregorius Turonensis, quod de loco, ubi sanguis ejus effusus est, quidam christianus tres lapillos sanguine respersos sustulit et in capsa argentea tabulis ligneis circumsepta locavit. Quam cum in quodam castro locasset et totum castrum incendium consumsisset, de medio ignis praedicta capsa sana et integra est educta. Passus est circa annos domini [1]) CCLXX.

CAP. CXXIII. (118.)

De sancto Bartholomeo.

Bartholomeus interpretatur filius suspendentis aquas vel filius se suspendentis. Dicitur enim a bar, quod est filius, et tholos, quod est summitas, et moys, quod est aqua. Inde bartholomeus, id est filius suspendentis aquas, id est Dei, qui mentes doctorum sursum elevat, ut aquas doctrinarum inferius fundant. Et est nomen Syrum, non Hebraeum. Per primum enim notatur triplex suspendium, quod ipse habuit. Fuit enim suspensus, id est elevatus ab amore mundi, vel suspensus, id est intentus amore coelesti, vel suspensus, id est totaliter innixus gratiae et auxilio Dei, ut non a suis meritis, sed a Dei adjutorio tota vita sua dependeat. Per secundum vero profunditas suae sapientiae. De cujus sapientiae profunditate dicit Dionysius in mystica theologia: divinus Bartholomeus dicit et multam theologiam esse et minimam et evangelium latum et magnum et rursus concisum. Et vult Bartholomeus ostendere secundum intentionem Dionysii, quod una consideratione possunt omnia affirmari de Deo, alia consideratione magis proprie negari.

1. Bartholomeus apostolus veniens ad Indiam, quae est in fine orbis, templum, in quo erat ydolum nomine [2]) Ascaroth, intravit et quasi peregrinus ibidem manere [3]) coepit. In hoc ydolo quidam daemon habitabat, qui se languentes curare dicebat, sed non sanando subveniebat, sed a laesione cessando. Sed cum templum languen-

---

1) Alii CCLXXI offerunt. 2) Alii: Astaroth. 3) Alii: recepit.

tibus plenum esset et [1])quotidianis sacrificationibus pro infirmis etiam ex longinquis regionibus adductis nullum ab ydolo responsum habere possent, ad aliam civitatem perrexerunt, ubi aliud ydolum nomine Berith colebatur, et interrogantibus, cur sibi Ascaroth responsum non daret, respondit Berith: Deus noster catenis igneis est constrictus nec respirare nec loqui audet ex illa hora, qua apostolus Dei Bartholomeus ingressus est. Dicunt illi: et quis est iste Bartholomeus? Et daemon: amicus est Dei omnipotentis et ideo venit in istam provinciam, ut omnes Deos Indiae evacuet. Et illi: dic nobis signa ejus, ut eum invenire possimus. Quibus daemon ait: capilli ejus crispi et nigri, caro candida, oculi grandes, nares aéquales et directae, barba prolixa habens paucos canos, statura aequalis, collobio albo clavato purpura vestitur, induitur pallio albo, quod per singulos angulos gemmas habet purpureas. Viginti sex anni sunt, ex quo vestes et sandalia ejus nec veterascunt nec sordidantur, centies flexis genibus per diem orat et centies per noctem, angeli cum eo ambulant, qui nunquam eum fatigari nec esurire permittunt. Semper eodem vultu et animo laetus et hilaris perseverat, omnia praevidet, omnia novit, omnium gentium linguas novit et intelligit, et quod vobiscum loquor, ipse jam novit et quando quaeritis eum, si vult, ostendet se vobis, si autem non vult, eum non poteritis invenire. Rogo autem vos, ut, cum eum inveneritis, rogetis eum, ne huc veniat, ne angeli sui hoc mihi faciant, quod meo socio jam fecerunt. Cum igitur per duos dies sollicite quaerentes eum minime invenissent, quadam die quidam daemoniacus exclamavit dicens: apostole Dei Bartholomee, incendunt me orationes tuae. Cui apostolus: obmutesce et exi foras ab eo. Et statim est liberatus. Quod audiens rex regionis illius Polemius, cum haberet filiam lunaticam, misit ad apostolum rogans, ut ad se veniret et filiam suam sanaret. Ad quem cum apostolus venisset et eam catenis ligatam videret, quia accedentes morsibus lacerabat, jussit eam solvi, et cum ministri ad eam accedere non auderent, dixit: ego daemonium, quod in ea erat, jam ligatum teneo, et vos timetis? Et soluta statim liberata est. Tunc rex camelos auro et argento et lapidibus pretiosis oneravit et apostolum inquiri faciens nullatenus invenire potuit. Mane autem sequenti apparens apostolus cum solo rege in cubiculo dixit ei: [2])ad quid me cum auro et argento et lapidibus pretiosis tota die

1) Ed. Pr. verba quotidianis — adductis omittit. 2) Vulgo: ut quid.

quaesivisti? Ista munera sunt necessaria his, qui terrena requirunt, ego nihil terrenum, nihil carnale desidero. Tunc sanctus Bartholomeus coepit eum multa de modo redemtionis nostrae docere, ostendens inter caetera Christum vicisse dyabolum per mirabilem congruentiam, potentiam, justitiam et sapientiam, Congruum enim fuit, ut, qui filium virginis, id est Adam factum de terra, dum adhuc esset virgo, vicerat, a filio virginis vinceretur. Potenter quoque ipsum vicit, cum de sua dominatione potenter ejecit, quam dyabolus pro dejectione primi hominis usurpavit. Et sicut alicujus victor tyranni comites suos mittit, ut ejus titulos ubique erigant et tyrannos dejiciant, sic Christus victor nuntios ubique mittit, ut dyaboli cultum evacuent et Christi statuant. Juste vero, quia justum est, ut, qui comedente homine vincens hominem detinebat, a [1])jejunante homine victus hominem amplius non teneret. Sapienter autem, dum ars dyaboli deluditur arte Christi. Ars dyaboli fuit, ut, sicut accipiter rapit avem, ita in desertum raperet Christum, ut, si ibi jejunans non famesceret, absque dubio Deus esset, si autem esuriret, ipsum ut primum hominem per cibum devinceret. Sed cognosci Deus non potuit, quia esurivit, nec vinci, quia ejus tentationi non cessit. Cum ergo eidem sacramenta fidei praedicasset, dixit regi, quod, si baptizari vellet, Deum suum catenis ligatum ostenderet. Sequenti igitur die juxta regis palatium dum pontifices ydolo sacrificarent, coepit clamare daemon ac dicere: cessate, miseri, sacrificare mihi, ne pejora me patiamini, qui catenis igneis ab angelo Jesu Christi, quem Judaei crucifixerunt, religatus sum, putantes eum a morte detineri. Ille autem ipsam mortem, quae regina nostra est, captivavit et ipsum nostrum principem autorem mortis vinculis igneis vinxit. Statimque omnes miserunt funes, ut simulacrum everterent, sed non potuerunt. Apostolus autem daemoni praecepit, ut inde exiens ydolum comminueret. Qui statim exiens omnia ydola templi per se ipsum confregit. Deinde fusa oratione ab apostolo omnes infirmi curati sunt, apostolus autem templum Dei dedicavit et daemonem in deserto abire praecepit. Tunc angelus domini ibidem apparuit et templum circumvolans in quatuor angulos signum crucis digito suo scripsit dicens: haec dicit dominus, sicut vos omnes ab infirmitate vestra mundavi, ita et templum hoc ab omni sorde mundabitur et habitatore ejus, quem

---

1) Ed. Pr. jejunato homine vinctus perperam legit.

apostolus in desertum locum ire praecepit. Prius tamen eum vobis ostendam, quem videntes ne timeatis, sed quale signum in lapidibus his sculpsi, tale in vestris frontibus imprimatis. Tunc ostendit iis Aethiopem nigriorem fuligine, facie acuta, barba prolixa, crinibus usque ad pedes protensis, oculis igneis ut ferrum ignitum scintillas emittentibus, flammas sulphureas ex ore et oculis spirantem, catenis igneis vinctum retro manibus, et dixit ei angelus: quoniam visionem apostoli audivisti et de templo exiens omnia ydola confregisti, solvam te, ut vadas in talem locum, ubi nullus homo moratur, et sis ibidem usque ad diem judicii. Ille autem solutus cum magno strepitu et ululatu disparuit, angelus autem domini in coelum cunctis videntibus evolavit. Tunc rex cum uxore et filiis omnique populo baptizatus est et relicto regno apostoli discipulus est effectus. Tunc omnes templorum pontifices congregati ad [1])Astragem regem fratrem ejus convenerunt et de Deorum suorum amissione et templi subversione et regis per artem magicam deceptione contra apostolum sunt conquesti. Astrages igitur rex indignatus mille viros armatos ad capiendum apostolum destinavit. Qui cum adductus fuisset coram eo, dixit ei rex: tune es ille, qui evertisti fratrem meum? Cui apostolus: ego illum non everti, sed converti. Cui rex: sicut tu fecisti fratrem meum Deum suum relinquere et tuo credere, sic et ego te faciam Deum tuum relinquere et meo Deo sacrificare. Cui apostolus: ego Deum, quem colebat frater tuus, ligavi et ligatum ostendi, et ut simulacrum frangeret, coegi; si sic poteris facere Deo meo, poteris me ad simulacrum provocare, [2])si non autem, ego Deos tuos comminuam et tu crede Deo meo. Haec illo dicente nuntiatur regi, quod Deus suus Baldach cecidisset et comminutus fuisset. Quod rex audiens purpuram scidit, qua indutus erat, et apostolum fustibus caedi jussit et caesum vivum excoriari mandavit, christiani autem corpus ejus tulerunt et honorifice sepelierunt. Rex autem Astrages et templorum pontifices a daemonibus arrepti mortui sunt, rex autem Polemius in episcopum ordinatur et XX annis officium episcopatus laudabiliter implens plenus virtutibus in pace quievit. De genere suae passionis diversa opinio est, nam beatus Dorotheus dicit, quod crucifixus est. Ait enim sic: Bartholomeus Indis praedicavit, qui et evangelium secundum Matthaeum in propria eorum lingua iis

---

1) Rec. Astingem legunt. 2) Vulgo: sin autem.

tradidit. Dormivit in Albana civitate magnae Armeniae crucifixus deorsum caput habens. Beatus autem Theodorus dicit, quod fuit excoriatus. In multis autem libris legitur, quod tantum fuit decollatus. Haec autem contrarietas taliter solvi potest, ut dicatur, quod primo crucifixus fuit, deinde antequam moreretur, de cruce fuit depositus et ob majorem cruciatum fuit excoriatus, postremo capite truncatus. — — — **2.** Anno domini CCCXXXI Saraceni [1]) Siciliam invadentes Liparitanam insulam, ubi corpus sancti Bartholomei quiescebat, vastaverunt ac ejus sepulchrum confringentes ossa ejus disperserunt. Nam ad hanc insulam corpus ejus taliter de India advenisse perhibetur. Cum enim pagani propter signorum frequentiam viderent corpus ejus plurimum venerari, indignati loculo plumbeo impositum in mare praecipitaverunt, quod divino nutu ad insulam praedictam devenit. Cum igitur Saraceni ejus ossa dispersissent, illis recedentibus apparuit apostolus cuidam monacho dicens: surge et collige ossa mea, quae dispersa sunt. Cui ille: qua ratione ossa tua colligere aut aliquem tibi honorem exhibere debemus, cum nos deleri permiseris nec auxilium nobis impenderis? Cui ille: per multum temporis meis meritis dominus populo huic pepercit, sed eorum peccatis nimis invalescentibus et usque ad coelum clamantibus jam pro iis non potui veniam obtinere. Sed cum monachus diceret, quomodo inter tot aliorum ossa sua quandoque invenire posset, ait: nocte ad ea colligenda ibis et ea, quae ut ignem splendentia videris, protinus haec levabis. Qui omnia, ut dixerat, inveniens apostoli ossa levavit et super quandam navem conscendens Beneventum, quae estmetropolis Apuliae, ea transtulit. Nunc autem dicitur, quod sint Romae, licet Beneventani se adhuc corpus illud habere affirment. — — — **3.** Cum quaedam mulier vas plenum oleo attulisset, ut in lampadem beati Bartholomei poneretur, quantumcunque vas super lampadem inclinarent, nil ex eo exire valebat, cum tamen digitos in vas mitterent et oleum liquidum omnino palparent, tunc quidam exclamavit: puto, quod apostolo acceptum non est, ut hoc oleum in suam lampadem infundatur. Quapropter in aliam lampadem infuderunt et protinus oleum emanavit. — — — **4.** Cum imperator Fridericus Beneventum destrueret et omnes ecclesias, quae ibidem erant, dirui mandasset, civitatem totam ad alium locum transferre intendens, vir quidam

---

1) Ed. Pr. male: Ciliciam.

quosdam viros [1]) albatos et fulgentes invenit, qui ad invicem loqui et aliqua inter se tractare videbantur. Qui cum vehementer admirans, quinam essent, interrogasset, unus eorum respondit: iste est Bartholomeus apostolus cum ceteris sanctis, quorum in urbe ecclesiae habebantur; qui insimul convenerunt, ut inter se inquirerent et tractarent, quali poena esset ille plectendus, qui eos de habitaculis suis ejecit. Et jam inter eos inviolabili sententia est firmatum, ut ille sine mora ad judicium Dei accedat, de his omnibus in judicio Dei responsurus. Post modicum vero tempus dictus imperator miserabiliter vitam finivit. — **5.** Legitur in quodam libro de miraculis sanctorum, quod quidam magister festum sancti Bartholomei omni anno sollemniter celebrabat, cui praedicanti dyabolus in specie cujusdam puellae admodum speciosae apparuit, quam injectis in eam oculis ad prandium invitavit. Qui dum in mensa consisterent, illa in amorem suum eum multum allicere nitebatur. Beatus Bartholomeus in specie peregrini prae foribus affuit et ut amore sancti Bartholomei introduceretur, obnixius flagitavit. Qua dissuadente panis ei mittitur, sed ille hunc accipere recusavit. Rogavit tum magistrum per nuntium, ut sibi diceret, quid magis in homine proprium esse putaret? Cui quum ille diceret: risibile, puella respondit: immo peccatum, cum quo homo concipitur, nascitur atque vivit. Cui Bartholomeus respondit, quod ille bene intulit. Sed mulier profundius indagavit. Secundo dictus peregrinus magistro misit, ut sibi diceret, quis locus unius pedis esset, ubi Deus in terra majora miracula ostendisset? Cui cum ille diceret: locus crucis, in quo Deus mirabilia operatus est, illa ait: imo caput hominis, in quo quasi minor mundus existit. Utrorumque sententiam apostolus approbavit. Tertio inquisivit, quanta distantia esset a summo coeli usque ad profundum inferni? Cui cum magister se nescire diceret, illa ait: modo video, quod praecipitor; sed ego hoc novi, quia de altero ad alterum decidi, et oportet, quod hoc tibi ostendam. Tunc dyabolus cum magno ejulatu se in abyssum praecipitavit, et dum quaererent peregrinum, minime invenerunt. Simile fere legitur de beato Andrea. — **6.** Beatus autem Ambrosius in praefatione, quam facit de illo apostolo, ejus legendam abbrevians ita dicit: [2]) discipulis, Christe, tuis unica divinitate praedicantibus trinitatem tuam mundo, mirabiliter dignatus es ostendere majestatem.

1) Ed. Pr. albbates perperam legit. 2) Ed. Pr. male discipulus Christi tui legit.

Inter quos beatissimum Bartholomeum magna virtutum praerogativa colendum benigna tui [1]) prospectio ad populum direxit longinquum, [2]) quem, licet penitus humana conversatione remotum, tibi tamen praedicationis augmento meruit consignare [3]) vicinum. O quantis praeconiis apostolum mirabilem celebrandum! cui dum ad seminandum fidem proximorum corda non sufficerent populorum, [4]) alatis quasi vestigiis extremos terrarum fines penetravit Indorum. Cum languescentium innumera caterva templum ingressus daemoniacum effecit illico, ut nullum [5]) daemon praeberet responsum. O quam mira virtutum ipsius insignia, dum humana voce verbosantem contra se adversarium solo jussu laceratis ditissime viris reddidit mutum! Reginam dyabolica contagione lunaticam liberavit puellam solutisque nexibus patri repraesentavit sanissimam. O quam sublime sanctitatis ejus miraculum, dum antiquum humani generis inimicum suum fecit in nihilum redire simulacrum! Quam digne exercitui numerandus coelesti, cujus ut miraculis fidem commodaret certissimam, angelus apparuit superna delapsus ab aula. Is igitur catenatum daemonem cunctis ostendens deformem salutiferam saxo dominicam impresserat crucem. Rex reginaque simul baptizantur cum gente urbiumque XII accolae te Deum patrem corpore sequuntur et mente. Ad extremum vero templorum delatu pontificum neophiti Polemii frater tyrannus beatum Apostolum omnimode in fide constantem caesum atque excoriatum acerrimam fecit suscipere mortem. Qui tamen mortis viriliter perferendo discrimen gloriosi certaminis ad coeleste gaudium reportavit triumphum. Beatus autem Theodorus abbas et doctor praecipuus de hoc apostolo inter caetera sic ait: apostolus Dei Bartholomeus primum in [6]) Lycaonia praedicavit, postmodum in India, [7]) ad ultimum in Albana urbe scilicet majoris Armeniae, ubi primo excoriatus, tandem capite plexus, ibidem sepultus est. Qui dum ad praedicandum mitteretur a domino, ut opinor, audivit: vade, discipulus meus ad praedicandum, exi ad pugnandum, capax esto periculorum; ego paternum opus consummavi, primus testis factus, vas, quod necessarium est, imple, imitare magistrum tuum, aemulare dominum tuum, sanguinem sanguinibus pone, carnibus carnem trado, quae pro te passus sustinui, patere. Arma sint tibi benignitas in sudoribus, mansuetudo inter maleficos,

1) Ed. Pr. male proposito praefert. 2) Ed. Pr. male quod offert. 3) Ed. Pr. male vitium legit. 4) Alii: ablatis. 5) Alii addunt cultoribus. 6) Ed. Pr. Lichaonia. 7) Ed. Pr. ad ultimum Mabano urbe offert.

patientia in his, quae [1])pereunt. Non [2])refutavit apostolus, sed ut famulus fidelis dominico acquiescens praecepto, pergit gaudens tanquam lux mundi, ut tenebrosos illuminaret, tamquam sal terrae, ut gentes insipidas saliret, tamquam agricola, ut spiritualis cultura perficeretur. Petrus quoque apostolus docet nationes, sed Bartholomeus consequenter paria investigat, Petrus operatur prodigia magna, sed Bartholomeus facit miracula valida, Petrus capite deorsum crucifigitur, Bartholomeus, postquam vivus excoriatus est, capite plectitur. Ad quot valet Petrus capessenda misteria, ad tot Bartholomeus sufficit penetranda, aequaliter fecundat ecclesiam, aequa lance habuit [3])et caetera divina carismata. Hic ex divino duodenario numero medius ex utraque parte sonum divinae sermocinationis dat, sicut in cithara harmoniam. Omnes apostoli universitatem sibi dispertientes pastores regis regum constituti sunt. Huic autem est sors et portio Armeniae locus, quae est ab [4])Ejulath usque ad Gabaoth distributa. Igitur vide eum linguae aratro rationabilia rura sulcantem, fidei verbum in profundo cordis recondentem, paradisos et vineas domini plantantem, singulis passionum remedia medicinaliter inserentem, spinas [5])inutiles evellentem, silvas impietatis secare, sepes dogmaticas circumponere. Sed quales mercedes creatori obtulerunt! Utique pro honore inhonorantiam, pro benedictione maledictionem, pro muneribus poenas, pro requiescibili vita amarissimam mortem. Nam postquam intolerabilia tormenta subiit, ab iis decoriatus in morem follis fuit, nec, postquam migravit ab hoc mundo, neglexit occisores, sed invitabat miraculis perditos et prodigiis admittebat adversos. Sed bestialem mentem nil erat, quod compesceret, nil quod a malo retraheret. Quid de caetero faciunt? Insaniunt contra illud sacrum corpus, respuunt aegroti medentem, orbati [6])manuducentem, caeci ductorem, naufragi gubernatorem, mortui vivificatorem. Et hoc quomodo? Projiciunt namque in pelagus corpus sanctum. Mota est igitur cum impetu de regionibus Armeniae archa cum IV aliorum martirum archis, quae, similiter dum operarentur, cum ea fuerant in mare projectae et per tantum spatium maris quatuor his praecedentibus et tanquam ministris obsequium quodammodo apostolo facientibus venerunt in partes Siciliae in insulam, quae Liparis nuncupatur,

1) Ed. Pr.: quae perenni legit. 2) Alii: resultavit. 3) Ed. Pr. sequentia ita offert: etc. divina carismata beatus ex divino duodenarii numero ex utraque parte etc. 4) Alii: Euilath. 5) Ed. Pr. non intelligibilis. 6) Ed. Pr male: manducantem — doctorem.

sicut episcopo Hostiensi, qui tunc praesens erat, revelatum fuit. Venit ad pauperculum thesaurus ditissimus, venit ad ignobilem pretiosissima margarita, venit ad moestam splendidissimum luminare. Aliis igitur quatuor ad diversas terras euntibus sanctum apostolum in dicta insula reliquerunt. Etenim praedictos IV martires apostolus relinquens, retrorsum unum, scilicet Papinum, in civitatem Siciliae [1]) Milas, alium vero [2]) Lucianum nomine Messinam transmisit, reliquos vero duos in Calabritidem terram direxit, Gregorium quidem in civitatem Columnam, Achatium autem in civitatem, quae Chale vocatur, qui usque hodie suffragiis suis splendent. Susceptus est igitur cum multis hymnis, laudibus et candelis et templum sibi magnifice fabricatur. Mons autem Vulcanus insulae contiguus cum habitatoribus esset nocivus eo, quod ignem emittebat, quasi per stadia septem se invisibiliter elongavit circa mare suspensus, ita ut usque hodie appareat videntibus quasi figuratio fugientis *ignis*. Nunc igitur ave o beate beatorum, ter beate Bartholomee, qui es divinae lucis splendor, sanctae ecclesiae piscator, rationabilium piscium [3]) perite capturae, dulcis fructus vividae palmitis, vulnerator dyaboli mundum suo latrocinio vulnerantis. Gaudeas sol orbis terrae cuncta illuminans, os Dei lingua ignita sapientiam promens, fons jugiter sanitatem emanans, qui mare meabilibus gressibus sanctificasti, [4]) qui terram purpuream tuo cruore fecisti, qui ad caelos commeasti, ubi in medio [5]) divinae aciei refulges, in splendore immarcescibilis gloriae splendes, in exsultatione jucunditatis insatiabilis gaudes. Haec Theodorus.

CAP. CXXIV. (119.)

De sancto Augustino.

Augustinus hoc nomen sortitus est vel propter excellentiam dignitatis vel propter fervorem dilectionis vel propter etymologiam nominis. Propter excellentiam, quoniam, sicut Augustus praecellebat omnes reges, sic et iste excellit omnes doctores, secundum quod dicit Remigius. Unde alii doctores comparantur stellis, Da-

1) Alii: Milos vel Miles. 2) Alii: Lucianum legunt. 3) Ed. Pr. male: periturae. 4) Verba: qui — commeasti omittit Ed. Pr. 5) Ed. Pr. divini atrii.

niel. XII: qui ad justitiam erudiant multos quasi stellae etc. Hic autem comparatur soli, sicut patet in epistola, quae de eo cantatur. Quoniam sicut sol refulgens sic ipse refulsit in templo Dei. Secundo propter fervorem dilectionis, quoniam sicut mensis Augustus valde fervet aestu caloris, sic et ipse valde incaluit igne divini amoris. Unde ipse in libro confessionum de se dicit: sagittaveras tu cor meum caritate tua etc. Iterum ibidem: aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, nescio ad quam dulcedinem; quae si perficiatur in me, nescio, quod erit, [1]) si vita aeterna non erit. Tertio propter etymologiam nominis. Dicitur enim Augustinus ab augeo et astin, quod est civitas, et ana, quod est sursum. Inde Augustinus quasi augens supernam civitatem, unde de eo cantatur: qui praevaluit amplificare civitatem etc. De qua civitate ipse dicit in libro XI. de civ. Dei: inest civitati Dei et origo et informatio et beatitudo, quoniam, si quaeratur, unde sit, Deus eam condidit, si, unde sapiens, a Deo illuminatur, si, unde felix, Deo fruitur, subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhaerens jucundatur: videt et amat, in aeternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet, vel, ut dicitur in Glossario, Augustinus dicitur magnificus, felix, praeclarus. Fuit enim magnificus in vita, praeclarus in doctrina, felix in gloria. Ejus vitam compilavit Possidonius Calamensis episcopus, ut dicit Cassiodorus in libro de viris illustribus.

1. Augustinus doctor egregius in provincia Africana civitate Carthaginiensi ortus ex honestis valde parentibus, scilicet patre Patricio, matre [2]) Moniacha genitus, in liberalibus artibus sufficienter edoctus fuit, adeo ut summus philosophus et rhetor luculentissimus haberetur. Nam libros Aristotelis et omnes libros liberalium artium, quoscunque legere potuit, per se didicit et intellexit, sicut in libro confessionum testatur dicens: omnes libros, quos liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per me ipsum legi et intellexi, quoscunque legere potui. Item in eodem: quicquid est de arte loquendi et disserendi, quicquid de dimensionibus figurarum et de musicis et de numeris, sine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi. Scis, tu domine Deus meus, quia celeritas intelligendi et discendi acumen donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi, verum quia scientia sine caritate non aedificat, sed inflat. In errorem Manichaeorum, qui Christum phantasticum fuisse

1) Ed. Pr.: quod vita ista non. 2) Recent. Monica legunt.

affirmant et carnis resurrectionem negant, incidit et in eo per annos IX, dum adhuc adolescens esset, permansit. Ad has etiam nugas adductus est, ut arborem fici plorare diceret, cum ab ea folium vel ficus tolleretur. Cum igitur esset annorum XIX et quondam librum cujusdam [1]) philosophi, in quo vanitas mundi contemnenda et philosophia appetenda dicebatur, perlegeret, ex hoc quidem liber plurimum placuit, sed quia nomen Jesu Christi, quod a matre imbiberat, ibi non erat, dolere coepit, mater vero ejus plurimum flebat et ipsum ad [2]) veritatem fidei reducere satagebat. Quadam igitur vice, ut legitur in libro III confessionum, vidit se stare in quadam linea lignea licet tristem et quidam ei juvenis adstitit et causam tantae tristitiae requisivit. Quae cum diceret: perditionem mei filii deploro, ille respondit: esto secura, quia ubi tu, ibi ille. Et ecce continuo filium suum juxta se stare vidit. Hoc cum Augustino retulisset, ille ait: falleris, mater, falleris nec sic tibi dictum est, sed ubi ego, ibi tu. Econtra illa dicebat: non, fili; mihi dictum est: ubi ille, ibi tu, sed non: ubi tu, ibi ille. Rogabat igitur sedula mater quasi importuna quendam episcopum, sicut in eodem libro confessionum Augustinus testatur, ut pro filio suo intercedere dignaretur. Qui tanta quodammodo importunitate devictus prophetica voce respondit: vade secura, quia impossibile est, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Cum autem apud Carthaginem multis annis rhetoricam docuisset, occulte matre nesciente Romam venit et ibidem multos discipulos congregavit. Cum autem mater usque ad portam eum secuta fuisset, ut aut eum retraheret aut secum iret, ipse eam decipiens nocte latenter recessit. Quod illa mane considerans aures Dei clamoribus implebat. Quolibet autem die, mane et vespere, ad ecclesiam ibat et pro filio orabat. His temporibus Athenienses a Symmacho praefecto Romanorum petierunt, sibi doctorem in rhetorica destinari. Praesulabatur tunc ibi vir Dei Ambrosius et ad preces Mediolanum illuc mittitur Augustinus. Mater autem ejus quiescere non valens cum multa difficultate ad eum venit et ipsum jam nec vere Manichaeum nec vere catholicum reperit. Coepit autem Augustinus beato Ambrosio adhaerere et ejus praedicationes frequenter audire. Erat autem valde in praedicatione suspensus, ne quid contra ipsam Manichaeorum haeresin vel pro ipsa diceretur. Quadam enim vice contra illum errorem Ambrosius diutius disputavit et ipsum apertis ratio-

1) Alii addunt: scilicet Ciceronis. 2) Alii: unitatem.

nibus et auctoritatibus confutavit, ita ut error ille a corde Augustini penitus pelleretur. Quid autem post hoc sibi contigerit, ipse in libro confessionum narrat dicens: cum te primum cognovi, reverberasti infirmitatem adspectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore et inveni me longe esse a te, in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso. Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. Cum autem, sicut ibidem refert, via Christi sibi placeret, sed per istas angustias adhuc ire pigeret, immisit dominus in mentem ejus, ut ad Simplicianum, in quo lucebat lux, divina scilicet gratia, pergeret, ut sibi [1])aestus suos secum conferenti proferret, quis esset aptus modus vivendi ad ambulandum in via Dei, in qua alius sic, alius sic ibat. Displicebat enim ei, quidquid agebat in saeculo, prae dulcedine Dei et decore domus ejus, quam dilexit. Simplicianus autem coepit eum hortari, [2])ipse quoque se ipsum hortari et dicere: quot pueri et puellae intra ecclesiam domini Deo serviunt, et tu non poteris, quod iste et iste, an vero iste et iste in se ipsis possunt et non in Deo suo? Quid in te stas et non stas? Projice te in eum et excipiet te et salvabit te. Inter horum colloquia memoria [3])Victorini in medium venit. Unde exhilaratus Simplicianus narrat, qualiter ibidem adhuc gentilis ob sui sapientiam Romae, quod maximum tunc erat, statuam in foro meruisset et qualiter se saepius christianum dicebat. Cui quum Simplicianus diceret: non credo, nisi te in ecclesia videro, ille jocando dicebat: numquid parietes faciunt hominem christianum? Tandem dum ad ecclesiam venisset et ei tamquam verecundo occulte liber, ubi erat symbolum fidei, ad legendum et pronuntiandum, ut tunc moris erat, datus fuisset, ille in altum adscendit et alta voce pronuntiavit mirante Roma, gaudente ecclesia, omnes autem subito perstrepuerunt: Victorinus, Victorinus, cito sonuerunt et cito siluerunt. Tunc etiam ab Africa quidam amicus Augustini nomine Pontianus supervenit et vitam et miracula illius magni Antonii, qui nuper in Aegypto sub Constantino imperatore defunctus fuerat, recitavit. Horum exemplis Augustinus vehementer exarsit ita, quod socium suum Alipium tam vultu quam mente turbatus invasit et fortiter exclamavit: quid patimur, quid audimus? Surgunt indocti et coelum rapiunt et nos cum doctrinis nostris in infernum demergimur, an quia prae-

1) Alii: actus legunt. 2) Verba: ipse — hortari omittit Ed. Pr.
3) Ed. Pr. victorum offert.

cesserunt, pudet sequi et non pudet nec saltem sequi? Et accurrens in quendam hortum sub quadam ficu se projecit, ut in eodem libro confessionum commemorat, et amarissime flens lamentabiles voces dabat: quamdiu, quamdiu cras et cras, sine modo, sine paululum. Modo non habebat modum et sine paululum prodibat in longinquum. De hac sui tarditate plurimum conquerebatur, sicut postmodum in eodem libro scripsit: heu mihi, quoniam excelsus es in excelsis et quoniam profundus in profundis et nusquam recedis et vix redimus ad te. Age, domine, et fac et excita et revoca nos. Accede et rape et fragra et dulcesce. Impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amavi, intus eras et ego foras et ibi te quaerebam et in ista formosa, quae fecisti, deformis irruebam. Mecum eras et tecum non eram, vocasti et clamasti et rupisti surditatem meam, coruscasti, splenduisti et fugasti caecitatem meam, fragrasti et duxisti spiritum et anhelo tibi gustavi et esurio et sitio te, tetigisti me et exarsi in pacem tuam. Cum autem amarissime fleret, audivit vocem dicentem sibi: tolle lege, tolle lege. Aperuitque statim codicem apostolicum et conjectis oculis ad primum capitulum legit: induimini dominum Jesum Christum et statim omnes ab eo dubietatis tenebrae diffugerunt. Interim autem tam vehementissimo dentium dolore torqueri coepit, ut fere, sicut ipse ait, ad credendam opinionem Cornelii philosophi duceretur, qui summum bonum animae in sapientia, summum vero bonum corporis in nullum sentiendo dolorem posuerat. Tam vehemens autem ille dolor fuit, quod etiam loquelam amisit, quocirca, ut in libro confessionum refert, in tabulis cereis scripsit, ut omnes pro eo orarent, ut dolorem illum dominus mitigaret. Ipse igitur cum aliis genua flexit et subito sanum se sensit. Insinuavit ergo per litteras sancto viro Ambrosio suum votum, ut moneret, quid sibi de libris sanctis legendum esset, quo aptior fieret fidei christianae. At ipse jussit Ysaiam prophetam eo, quod evangelii et vocationis gentium praenuntiator aptior videatur. Cujus principium cum Augustinus non intelligeret, totum aliud tale esse arbitrans distulit, ut illud relegeret, cum in scriptis sanctis magis exercitatus esset. Adveniente vero paschali tempore Augustinus, cum esset annorum XXX, cum filio suo Adeodato puero valde ingenioso, quem Augustinus in sua adolescentia, dum adhuc gentilis et philosophus esset, genuerat, necnon et cum Alipio amico suo meritis matris

et praedicatione Ambrosii sacrum baptisma suscepit. Tunc, sicut fertur, Ambrosius: te Deum laudamus, inquit, et Augustinus: te dominum confitemur, respondit et sic tunc ipsi duo hunc hymnum alternatim composuerunt et usque in finem decantaverunt, sicut etiam testatur Honorius in libro suo, qui dicitur speculum ecclesiae. In aliquibus autem libris antiquis titulus talis praeponitur: canticum ab Ambrosio et Augustino compilatum. Protinus autem in fide catholica mirabiliter confirmatur, spem omnem, quam habebat in saeculo, dereliquit et scholis, quas regebat, abrenuntiavit. Quanta autem dulcedine divini amoris extunc frueretur, ipse in hoc libro confessionum aperit dicens: sagittaveras tu cor meum caritate tua et gestabam verba tua transfixa in visceribus et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis meae urebant et assumebant gravem torporem et adscendenti a convalle plorationis et cantanti canticum graduum dederas sagittas acutas et carbones vastatores nec satiabar in illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis ecclesiae vocibus commotus acriter, voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas tua in cor meum et currebant lacrymae et bene mihi erat cum iis. Tunc enim in ecclesia Mediolanensi haec cantica instituta sunt. Et clamabam clamore alto cordis mei: o in pace, o in id ipsum, o qui dixit: dormiam et requiescam et somnum capiam. Tu es enim in id ipsum, qui non mutaris, et in te requies obliviscens laborum omnium; legebam totum psalmum illum et ardebam, qui fueram latrator amarus et caecus adversus litteras de melle coeli mellitas et de lumine tuo luminosas et super scripturas hujusmodi tabescebam, Christe Jesu adjutor meus, quam suave mihi subito est factum carere suavitatibus nugarum mearum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas, ejiciebas et intrabas pro iis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini, omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Post hoc assumtis Nebrodio et Euodio et matre ad Africam remeabat, sed cum essent apud Hostiam Tyberinam, pia mater ejus defuncta est. Post cujus mortem reversus est Augustinus ad agros proprios, ubi cum his, qui sibi adhaerebant, jejuniis et orationibus Deo vacabat, libros scribebat et indoctos docebat. Fama autem

ejus ubique diffundebatur et in omnibus libris suis et actibus admirabilis habebatur. Refugiebat autem ad aliquam civitatem accedere, quae episcopo careret, ne ipsum in praedicto officio impediri contingeret. Eodem tempore apud Hypponem erat quidam vir magnarum opum, qui Augustino misit, quod, si ad eum accederet et verbum ex ore suo audiret, saeculo renuntiare posset. Quod Augustinus ubi comperit, illuc concitus ivit, audiens autem Valerius Hypponensis episcopus famam ejus, ipsum plurimum renitentem in ecclesia sua presbiterum ordinavit, nonnullis quidem lacrymas suas superbe interpretantibus et tamquam eum consolantibus et dicentibus, quia et locus presbiterii, licet ipse majori dignus esset, appropinquaret tamen episcopatui. Qui statim monasterium clericorum instituit et coepit vivere secundum regulam a sanctis apostolis constitutam, de cujus monasterio fere X episcopi sunt electi. Et quia praedictus episcopus erat graecus et minus in latina lingua et litteris doctus, Augustino potestatem tribuit, ut contra morem orientalis ecclesiae coram se in ecclesia praedicaret. Unde cum multi episcopi derogarent, ille de hoc non curabat, dummodo per eum fieret, quod per se fieri non valebat. Eo tempore Fortunatum presbiterum Manichaeum et alios haereticos praecipue [1]) rebaptisatores Donatistas et Manichaeos convicit, abstulit et confutavit. Coepit autem Valerius formidare, ne sibi Augustinus tolleretur et ab alia civitate in episcopum peteretur. Nam sibi aliquando ablatus fuisset, nisi eum ad locum secretum transire curasset, ita ut inveniri minime potuisset. Impetravit igitur ab archiepiscopo Carthaginiensi, ut ipse cederet et Augustinum Hypponensi ecclesiae in episcopum promoveret. Sed cum hoc Augustinus omnimode recusaret, compulsus tamen et coactus succubuit et episcopatus curam suscepit. Quod in se fieri non debuisse, ut suo vivente episcopo ordinaretur, postea et dixit et scripsit propter concilii universalem prohibitionem, quam postmodum ordinatus didicit, nec quod sibi factum esse doluit, [2]) aliis fieri voluit. Unde etiam sategit, ut in conciliis episcoporum constitueretur, ut omnia statuta patrum ordinandis deberent ab ordinatoribus intimari. Ipse autem de se dixisse postmodum legitur: in nulla re mihi dominum sentio sic iratum, sicut in hoc, quod, quum non essem dignus, poni ad remum, posuit me ad amplustre in apice regiminis ecclesiae. Vestimenta ejus et calceamenta et ornamenta alia nec nitida nimium nec

1) Ed. Pr. rebaptizandos praefert. 2) Haec omittit Ed. Pr.

abjecta plurimum, sed ex moderato et competenti habitu erant. Ipse enim de se dixisse legitur: fateor, de pretiosa veste erubesco et ideo, cum datur mihi, vendo eam, ut, quia vestis non potest esse communis, pretium sit commune. Mensa frugali et parca semper usus est et inter olera et legumina propter infirmos et hospites plerumque carnes habebat, in ipsa autem mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem diligebat et contra pestem detractionis in ea sic scriptum habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Nam et aliquando, cum quidam sibi familiarissimi coepiscopi ad detractionem linguam laxassent, adeo dure eos redarguit, ut diceret, quod, nisi desisterent, aut versus ipsos deleret aut mensa recederet. Quadam vice cum quosdam suos familiare ad prandium invitasset, unus illorum curiosior caeteris coquinam ingressus est, cumque omnia frigida reperisset, reversus ad Augustinum interrogavit, quid ciborum ipse pransurus paterfamilias praeparasset? Cui Augustinus nequaquam talium 'epularum curiosus respondit: et ego vobiscum nescio. Tria a beato Ambrosio se didicisse ait: primum est, quod uxorem cuiquam nunquam peteret, secundum, quod militare volentem ad hoc non commendaret, tertium, quod ad convivia invitatus non iret. Causa prima est, ne illi inter se non conveniant et sibi maledicant; causa secunda est, ne militantes calumniam exerceant et in eum alii culpam refundant; causa tertia est, ne forte temperantiae modum perdat. Tantae autem puritatis et humilitatis fuit, ut ipsa etiam minima peccata, quae apud nos nulla vel minima reputantur, in libro confessionum de his confiteatur et de his coram Deo humiliter se accuset. Nam ibidem accusat se de eo, quod, cum puer esset, ludebat ad pilam, dum ad scholam ire deberet. Item de eo, quod nolebat legere vel addiscere, nisi a parentibus vel magistro urgeretur. Item de eo, quod fabulas poetarum, sicut fabulam Aeneae, cum adhuc esset puer, libenter legebat et Didonem mortuam propter amorem plorabat. Item de hoc, quod de cellario parentum vel mensa aliquid furabatur, ut pueris ludentibus daret. Item de eo, quod in ludo puerorum fraudulentas victorias exercebat. Item de eo, quod pirum de quadam arbore vicina vineae suae, cum adhuc esset annorum XVI, furatus fuit. In eodem quoque libro de confessionibus accusat se de ipsa modica delectatione, quam aliquando in comedendo sentiebat, di-

cens: sic me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiae molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiae; ipse enim transitus voluptas est et non est alius, quo transeatur, quam quo transire cogit necessitas, et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas et plerumque praeire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo. Ebrietas longe est a me, misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo, misereberis, ut longe fiat a me. Et quis est, domine, qui non aliquando rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis ille est, magnus profecto est; magnificet nomen tuum. Ego non sum, quia homo peccator sum. Habebat etiam se suspectum de olfactu dicens: de illecebra odorum non satago nimis, cum absunt, nec requiro, cum adsunt, [1])non respuo, paratus iis etiam semper carere: ita mihi videor et forsitan fallor. Nemo enim securus esse debet in ista vita, quae tota tentatio nominatur. Verum qui fieri potuit ex deteriori melior, non fiat ex meliori deterior. Iterum de auditu confitetur dicens: voluptates aurium tenacius me implicaverant et subjugaverant, sed resolvisti et liberasti me. Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quae canitur, moveat, poenaliter me peccare confiteor et tunc mallem non audire cantantem. Accusat etiam se de visu, sicut de eo, quod aliquando nimis libenter vidit canem currentem, et de eo, [2])quod per agrum casu transiens venationem libenter prospexit, et de eo, quod domi existens araneas muscas suis retibus capientes nimis attente conspexit. Ideo autem de his coram domino confitetur, ut ibidem dicit, quia aliquando haec a bonis meditationibus avertunt et orationes interrumpunt. Accusat etiam se de appetitu laudis et motu inanis gloriae dicens: qui laudari ab hominibus vult vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Laudatur homo propter aliquod donum, quod dedisti ei, et tamen plus gaudet se laudari, quam donum. Tentamur his tentationibus quotidie sine cessatione, quotidiana fornax est humana lingua. Verumtamen [3])nollem, ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget,

---

1) Ed. Pr. haec male ita jungit: cum absunt, non respuo paratus. Iis etiam semper carere mihi illa videor etc. 2) Ed. Pr. omittit verba: quod — de eo. 3) Ed. Pr. haec ita legit: nollem, ut vel ageret mihi gaudium cujuslibet boni nomen suffragio oris alieni.

fateor, non solum, sed vituperatio minuit. Contristor autem aliquando laudibus meis, cum ea laudantur in me, in quibus mihi ipse displiceo, vel etiam bona minora vel levia pluris existimantur, quam existimanda sunt. Haereticos vir iste sanctus validissime confutabat, ita ut ipsi inter se publice praedicarent, peccatum non esse, interficere Augustinum, quem tamquam lupum occidendum dicebant, et occisoribus omnia sua peccata a Deo dimittenda asserebant. Multas ab iis insidias pertulit, ita ut sibi aliquo pergenti in via insidias ponerent, sed Dei providentia itineris errore seducuntur, ut invenire eum non possent. Compauperum semper memor erat, iisque ex his, quae habere poterat, liberaliter exhibebat, nam et de vasis dominicis propter pauperes et captivos aliquando jubebat frangi et conflari et indigentibus dispensari. Domum vel agrum sive villam nunquam emere voluit. Multas etiam hereditates sibi dimissas respuit eo, quod mortuorum filiis vel propinquis potius ipsa deberi dicebat. In his quoque, quae in ecclesia possidebat, intentus amore vel implicatus non erat, sed die ac nocte de scripturis et de rebus divinis cogitabat. Fabricarum quoque novarum nunquam studium habuit, dejurans in iis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia corporali, ut libere vacare posset continuae meditationi et assiduae lectioni. Non tamen illa aedificare volentes prohibebat, nisi forte immoderate fieri conspexisset. Laudabat quoque [1]) plurimum illos, quibus moriendi desiderium inerat, et super hoc trium episcoporum exempla saepius recitabat. Ambrosius enim, cum in extremis esset et rogaretur, ut prolongationem vitae sibi precibus obtineret, respondit: non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere, nec mori timeo, quoniam bonum habemus dominum. Quod responsum Augustinus mirabiliter extollebat. Addebat quoque de alio episcopo, cui cum diceretur, eum ecclesiae multum necessarium fore et ideo adhuc eum dominus liberaret, ait: si nunquam, bene, [2]) si aliquando, [3]) quare non modo. De alio quoque episcopo ajebat Cyprianum referre, quod, cum infirmitate gravi laboraret, adhuc sibi sanitatem restitui exorabat. Cui juvenis speciosus apparens cum indignatione infremuit et ait: pati timetis, exire nonvultis, quid faciam vobis? Feminarum nullam unquam nec etiam germanam sororem aut fratris

1) Ed. Pr. pessime populum exhibet. 2) Ed. Pr. sed praefert. 3) Fortasse legendum quaere, etsi omnes, quos novi, libri in vulgata lectione consentiunt.

sui filias, quae Deo pariter serviebant, secum habitare permisit. Dicebat enim, quod, etsi de sorore et nepotibus nulla mali posset oriri suspicio, tamen quia tales personae sine aliis sibi necessariis esse non possent et ad eas etiam alii adventarent, ex illis possent infirmiores aut humanis tentationibus commoveri aut certe malis hominum suspicionibus infamari. Nunquam cum muliere solus loqui volebat, nisi secretum aliquod interesset. Consanguineis sic bene fecit, non ut divitias haberent, sed ut aut non aut minus egerent. Raro pro aliquo aut litteris aut verbis intercedere volebat, recolens quendam philosophum contemplatione famae amicis non multa praestitisse, et saepe dicebat: plerumque potestas, quae [1])petitur, premit. Cum autem id faciebat, sic stylum temperabat, ut onerosus non esset, sed mereretur urbanitate dictaminis exaudiri. Volebat potius inter ignotos, quam inter amicos causas audire, dicens, quia inter illos poterat libere iniquum cognoscere, et unum ex his amicum esset facturus, pro quo scilicet justitia mediante sententiam daret, ex amicis vero esset unum perditurus, scilicet contra quem proferret sententiam. A multis ecclesiis invitabatur et ibi verbum domini praedicabat et multos ab errore convertebat. Aliquando a proposito digressionem facere consueverat in praedicatione et tunc dicebat, Deum hoc ad profectum salutis alicujus ordinasse, sicut in quodam [2])Manichaeorum negotiatore patuit, qui in praedicatione quadam Augustini, ubi ipse digressionem faciens contra hunc errorem praedicaverat, conversus fuit. Eo tempore, dum Gothi Romam cepissent, ydololatrae et infideles christianis plurimum insultabant, propter quod Augustinus librum de civitate Dei composuit, in quo justos in hac vita debere premi, impios autem florere ostendit, ubi de duplici civitate, scilicet Jerusalem et Babylone et earum regibus agit, quia rex Jerusalem Christus, rex Babylonis dyabolus. Quas duas civitates, ut ibidem dicit, duo amores sibi fabricant, quia civitatem dyaboli construxit amor sui crescens usque ad contemtum Dei, civitatem Dei amor Dei crescens usque ad contemtum sui. In diebus autem ejus, anno scilicet domini CCCCXL. Wandali totam Africae provinciam occupaverunt vastantes omnia nec parcentes sexui, ordini vel aetati. Post hoc autem ad Hypponensium civitatem pervenerunt et ipsam manu valida obsederunt. Sub hac tribulatione Augustinus prae caeteris suae senectutis amarissimam et lugubrem duxit vitam fueruntque

1) Alii legunt: patitur. 2) Hanc vocem tantum Ed. Pr. offert.

sibi lacrymae ejus panes die ac nocte, cum alios videret occisos, alios effugatos, ecclesias sacerdotibus viduatas, civitates cum accolis dissipatas. Inter tot tamen mala cujusdam sapientis sententia se consolabatur dicentis: non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna vel lapides et moriuntur mortales. Convocatis autem fratribus dixit iis: ecce rogavi dominum, ut aut nos ab his periculis eruat aut patientiam tribuat aut me de hac vita suscipiat, ne tot calamitates videre compellar. Et ecce tertium, quod petivit, obtinuit, et tertio obsidionis mense febribus laborans lecto decubuit. Intelligens autem dissolutionem sui corporis imminere, VII psalmos poenitentiales sibi scribi fecit, ipsosque in loco contra parietem positos lecto decubans legebat et ubertim ac jugiter lacrymas fundebat, et ut Deo vacaret liberius et ejus intentio a nullo impediri posset, ante X dies sui exitus nullum ad se ingredi praecepit, nisi vel cum [1]) medicus ingrederetur vel cum sibi refectio portaretur. Quidam autem aeger ad eum venit et ut sibi manum imponeret et ab infirmitate curaret, ipsum instanter rogavit. Cui Augustinus respondit: quid est hoc, fili, quod loqueris? Putas, quod, si tale quid facere possem, mihi hoc ipsum non conferrem? Ille autem instabat asserens sibi in visione praeceptum esse, ut ad eum accederet et sanitatem reciperet. Videns autem fidem ejus pro ipso oravit et sanitatem recepit. Energumenos multos curavit et plura alia miracula fecit. In libro XXII. de civ. Dei duo miracula de se tamquam de quodam alio refert dicens: Hypponensem quandam virginem scio, quae cum se oleo perunxisset, [2]) cui pro illa orans presbyter lacrymas suas instillaverat, mox a daemone fuisse sanatam. In eodem etiam libro sic ait: scio etiam episcopum semel pro adolescente, quem non vidit, orasse illumque illico daemonio caruisse. Nullum autem dubium videtur, quin de se ipso loquatur, sed humilitatis causa se ipsum noluit nominare. In eodem quoque libro de civ. Dei sic ait, quod, cum quidam infirmus incidi deberet et de ejus morte ob incisionem plurimum timeretur, et infirmus multis lacrymis Deum exoraret, cum eo et pro eo Augustinus oravit et sine incisione aliqua integram sanitatem recepit. Denique [3]) dissolutione corporis appropinquante hoc memoriale docuit, nullum videlicet hominem quantumcunque excellentis meriti sine confessione et eucharistia debere transire. Ad extremam autem horam veniens membris omnibus sui corporis incolumis integro ad-

1) Ed. Pr. medico. 2) Vulgo: cum. 3) Ed. Pr. utitur nominativis absolutis.

spectu atque auditu anno aetatis suae LXXVII, episcopatus vero XL coram positis fratribus et orantibus migravit ad dominum. Testamentum nullum fecit, quia, unde faceret, pauper Christi non habuit. Floruit circa annos domini CCCC. Itaque Augustinus sapientiae lumen perfulgidum, propugnaculum veritatis et fidei munimentum omnes ecclesiae doctores tam ingenio quam scientia vicit incomparabiliter, florens tam exemplis virtutum quam affluentia doctrinarum. Unde et beatus Remigius Hieronymum et quosdam alios doctores commemorans sic concludit: hos omnes Augustinus ingenio et scientia sua vicit, nam licet Hieronymus VI millia volumina Origenis se legisse fateatur, iste tamen tanta scripsit, ut non solum diebus ac noctibus scribere libros ejus quis non possit, sed nec legere quidem occurrat. Volusianus autem, cui Augustinus epistolam scripsit, sic de eo dicit: legi Dei deest, quidquid Augustino contigerit ignorare. Hieronymus quoque in quadam epistola scribens Augustino ait: duobus libellis tuis eruditissimis et omni eloquentiae splendore fulgentibus respondere non potui, certe quidquid dici potuit et assumi ingenio et de scripturarum hauriri fontibus, a te positum atque disertum est, sed quaeso reverentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium. Hieronymus etiam in libro de XII doctoribus sic de eo scribit: Augustinus episcopus volans per montium cacumina quasi aquila et ea, quae sunt in montium radicibus, non considerans multa coelorum spatia terrarumque situs et aquarum circulum claro sermone pronuntiat. Denique in quanta eum reverentia et dilectione Hieronymus habuit, patet in epistolis, quas eidem misit, in quarum una sic dicit: Domino sancto ac beatissimo papae Hieronymus. Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo, quo decet, honore veneratus sum et habitantem in te dilexi dominum salvatorem, sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus et plena complemus, ut absque nominis tui mentione ne unam horam quidem praeterire patiamur. Idem in alia epistola ad eundem: absit autem, ut quidquam de libris beatitudinis tuae attingere audeam, sufficit enim mea probare et aliena non carpere. Gregorius quoque in epistola ad Innocentium Africae praefectum de ejus libris sic ait: quod expositionem sancti Job vobis transmitti voluistis, vestro studio congaudemus, sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini compatriotae vestri opuscula legite et ad comparationem illius similaginis nostrum furfurem non quaeretis. Idem quoque in registro sic ait: legitur,

quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consensit dicens: quae cum sorore mea sunt, sorores meae non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. In praefatione quoque Ambrosiana sic legitur: magnificentiam tuam in mortificatione Augustini adoramus, tua in omnibus operante virtute, ut nullis promissis blandimentorum fallacium vir tuo ignitus spiritu vinceretur, quia eum ita omni genere pietatis imbueras, ut ipse tibi ara et sacrificium et sacerdos esset et templum. Beatus igitur Prosper in tertio libro de vita contemplativa sic de eo dicit: sanctus Augustinus episcopus acer ingenio, suavis eloquio, saecularis literaturae peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in quaestionibus solvendis acutus, in convincendis haereticis circumspectus, in expositione fidei nostrae catholicus, in [1]) explanandis scripturis canonicis cautus. Bernardus quoque sic de eo scribit: Augustinus hic est validissimus malleus haereticorum. Post hoc autem, cum barbara gens terram illam occupasset et sancta loca profanaret, fideles corpus Augustini ceperunt et ipsum in Sardiniam transtulerunt. Transactis autem ab ejus obitu annis CCLXXX circa annos domini DCCXVIII Liprandus devotus Longobardorum rex audiens Sardiniam a Saracenis depopulatam sollemnes illuc nuntios misit, ut doctoris sancti reliquias Papiam deferrent, qui magno pretio dato corpus sancti Augustini tulerunt et ipsum usque Januam deportaverunt. Quod devotus rex audiens usque ad praedictam civitatem cum magno gaudio eidem obviavit et reverenter excepit. Cum autem mane vellent corpus deducere, nullo modo de loco moveri potuit, donec rex votum emisit, quod, si se inde duci permitteret, ibidem in suo nomine ecclesiam fabricaret. Cum autem votum fecisset, statim sine difficultate inde deductum est, rex autem, quod voverat, implevit et ibidem in honorem sancti Augustini ecclesiam construxit. Idem miraculum [2]) die sequenti in quadam villa episcopatus Terdonensis, quae dicitur Cassellae, contigit et eodem modo ibidem in honore sancti Augustini ecclesiam fabricavit. Insuper villam ipsam cum omnibus suis appendentiis concessit servientibus ecclesiae Augustini perpetuo possidendam. Quia vero rex viderat sancto complacere, ut in suo nomine ecclesia fieret, ubicunque mansisset, et timens, ne in alio loco, quam

1) Exemplandis offert Ed. Pr. 2) Ed. Pr. de seq. praefert.

ubi desiderabat, locum sibi eligeret, in omni loco, ubi de nocte cum corpore hospitabatur, in honorem ipsius ecclesiam construebat, sicque cum magno gaudio Papiam deducitur et in ecclesia sancti Petri, quae coelum aureum dicitur, honorifice collocatur. — — — 2. Molendinarius quidam in beatum Augustinum specialem devotionem habens cum quandam infirmitatem, quae dicitur phlegma salsum, in tibia pateretur, beatum Augustinum devote in sui adjutorium invocabat. Cui per visum sanctus Augustinus apparuit et tibiam manu [1]) palpans integrae restituit sanitati. Qui excitatus se liberatum invenit et Deo et beato Augustino gratias reddidit. — — — 3. Quidam puer cum vitio lapidis premeretur et de consilio medicorum incidi deberet, mater pueri mortis sibi timens periculum beatum Augustinum devote in sui filii subsidium invocavit statimque fusa oratione puer lapidem cum urina emisit et plenam sanitatem recepit. — — — 4. In monasterio, quod Elemosina dicitur, monachus quidam in vigilia sancti Augustini raptus in spiritu vidit nubem splendidam coelitus delapsam et super nubem Augustinum sedentem pontificalibus insignitum, cujus oculi quasi duo solis radii totam illam ecclesiam illuminabant et odor inde nimius exhalabat. Sanctus quoque Bernardus dum quadam vice in matutinis exsistens aliquantulum obdormivisset et de quodam tractatu Augustini lectiones legerentur, vidit quendam pulchérrimum juvenem ibi stantem, de cujus ore tantus inundantium aquarum impetus exibat, quod totam illam ecclesiam videretur replere. Qui Augustinum esse non dubitavit, qui fonte doctrinae totam ecclesiam irrigavit. — — — 5. Quidam sanctum Augustinum valde diligens monacho custodi corporis sancti Augustini pecuniam magnam dedit, ut sibi sancti Augustini digitum unum daret, sed ille accepta pecunia digitum cujusdam mortui sericis involutum sibi tribuit, simulans esse digitum Augustini. Quem illo reverenter accipiens semper devotissime [2]) adorabat et ori oculisque apponens crebro pectori adstringebat. Cujus fidem Deus intuens digito illo projecto unum digitum sancti Augustini tam mirabiliter quam misericorditer sibi dedit. Qui cum [3]) repatriasset et multa ibi miracula fierent, fama usque Papiam delata est. Sed cum praedictus monachus assereret, quod cujusdam mortui digitus ille esset, sepulchrum aperuerunt et unum deesse de ejus digitis invenerunt. Unde abbas re cognita

1) Alii: venerabatur. 2) Ed. Pr. pulsans. 3) Ed. Pr. reposuisset.

monachum ab officio deposuit et dire afflixit. — — — 6. Apud Burgundiam in monasterio, quod dicitur Fontanetum, erat quidam monachus, Hugo nomine, sancto Augustino valde devotus, qui in ejus scriptis miro desiderio pascebatur, quem etiam crebra supplicatione rogaverat, ut ipsum ex hac luce migrare non sineret, nisi in die suae sacratissimae sollemnitatis. Ipse igitur XV. die ante festum ejusdem sic coepit duris febribus aestuare, ut in vigilia ipsius super humum tamquam moriens poneretur. Et ecce plures decori ac fulgentes viri amicti albis ecclesiam dicti monasterii processionaliter intraverunt, quos sequebatur quidam reverendus pontificalibus insignitus. Quidam autem monachus in ecclesia consistens hoc videns obstupuit et, quinam essent vel quo pergerent, inquisivit. Cui unus eorum dixit, quod sanctus Augustinus esset cum suis canonicis, qui ad devotum suum morientem pergeret, ut ejus animam ad regnum gloriae deportaret. Post hoc illa reverenda processio ad infirmarium ingreditur; ubi cum aliquamdiu mansisset, sancta illa anima a carne soluta est, quam dulcis amicus et ab hostium insidiis securam reddidit et ad coeli gaudia introduxit. — — — 7. Legitur quoque, quod, dum Augustinus in carne viveret et quaedam relegeret, ante se transire vidit daemonem librum humeris bajulantem. Qui ab eo protinus adjuratur, ut, quae ibi scripta lateant, sibi pandat. Qui pèccata hominum ibidem esse asserit scripta, quae undecumque collegit et in eo reposuit. Moxque ei praecepit, ut, si aliquid suorum peccatorum ibi scriptum retineret, sibi legendum continuo manifestet. Ostenso autem loco nihil Augustinus ibi scriptum reperit, nisi quod quadam vice completorium ex oblivione dimisit, praecipiensque dyabolo, ut suum praestolaretur adventum, ecclesiam est ingressus et completorium devote dixit et solitas orationes complens peregit reversusque dixit ei, ut praedictum locum sibi ostenderet iterum relegendum. Qui dum crebro revolveret et tandem locum vacuum reperisset, iratus dixit: turpiter me decepisti, poenitet me, quod librum meum tibi ostendi, quia peccatum tuum orationum tuarum virtute delevisti. Et his dictis confusus evanuit. — — — 8. Cum quaedam mulier a quibusdam malitiosis injuriam pateretur, illa ad beatum Augustinum accessit, ut super hoc ejus consilium imploraret. Quae cum ipsum studentem invenisset et eum reverenter salutasset, ille nec ad eam respexit nec quidquam sibi respondit. Cogitans illa, ne forte ob nimiam sanctitatem in faciem mulieris nollet intendere, pro-

pius accessit et negotium diligenter exposuit. Sed ille nec se ad eam convertit nec responsum aliquod sibi dedit ideoque illa cum tristitia magna recessit. Altera autem die, cum Augustinus missam celebraret et dicta mulier interesset, post elevationem corporis rapta in spiritu vidit se positam ante tribunal sanctissimae trinitatis, ubi vidit Augustinum facie inclinata de trinitatis gloria attentissime et sublimissime disputantem, factaque est vox ad eam dicens: cum ad Augustinum ivisti, ille sic de trinitatis gloria attentissime disputabat et ideo, quod ibi fueris, penitus non advertit, sed ad eum secure redeas, quia et eum clementem invenies et consilium salubre reperies. Quod cum fecisset, Augustinus benigne eam audivit et consilium salubre donavit. — — — **9.** Fertur quoque, quod, dum quidam vir sanctus in spiritu raptus sanctos in gloria conspexisset et beatum Augustinum minime vidisset, quendam de sanctis, ubinam Augustinus esset, percunctatus est. Qui respondit: Augustinus residet in excelsis, ubi disputat de gloria excellentissimae trinitatis. — — — **10.** Cum quidam Papienses a marchione Malaspinae in carcere detinerentur, ab iis omnis potus penitus est interdictus, ut posset ab iis magna pecunia extorqueri. Unde plerique jam spiritum exhalabant, quidam vero urinam bibebant, at quidam juvenis inter eos, qui in beatum Augustinum magnam devotionem habebat, ipsum in sui adjutorium invocavit. Tunc circa noctis medium sanctus Augustinus praedicto adolescenti apparuit et quasi manum ejus dextram apprehendens usque ad flumen Graveloni ipsum deduxit ibique cum folio vitis in aqua madefacto sic ejus linguam refrigeravit, ut, qui urinam bibere cupierat, de potu nectaris non curaret. — — — **11.** Praepositus cujusdam ecclesiae in beatum Augustinum magnam devotionem habens, cum per tres annos gravem infirmitatem incurrisset, ita ut de lecto surgere non valeret, adveniente sollemnitate sancti Augustini, cum jam in vigilia ad vesperas pulsaretur, ad rogandum sanctum Augustinum tota devotione se contulit. Cui in albis Augustinus apparens eidem ter citato proprio nomine dixit: ecce assum totiens a te rogatus, surge cito et celebra mihi oficium vespertinum. Qui sanus surgens cunctis stupentibus ecclesiam intravit et officium devote peregit. — — — **12.** Cum cuidam pastori saevum ulcus inter scapulas ortum esset, adeo morbus invaluit, ut jam totis esset viribus destitutus. Qui dum ad sanctum Augustinum preces emitteret, eidem Augustinus in visu apparuit et super locum infirmum

manum apponens perfecte eum sanavit. Idem quoque vir procedente tempore oculorum lumine est privatus. Qui cum sanctum Augustinum sedulo invocaret, quodam die circa meridiem eidem apparuit et oculos manibus suis tergens pristinam sibi sanitatem restituit. — — — **13**. Circa annum domini DCCCCXII viri quidam graviter infirmi numero plus quam XL de Germania et Gallia Romam ibant ad limina apostolorum visitanda. Quorum quidam scamnis in terra curvi se vehentes, alii cum baculis se sustentantes, alii privati oculis post alios se trahentes, alii contractas manus et pedes habentes pergebant. Qui montes transeuntes ad locum, qui dicitur Carbonaria, pervenerunt. Cum autem paene ad locum, qui Cana dicitur, advenissent, qui tribus millibus a Papia distat, sanctus Augustinus pontificalibus indutus, de quadam ecclesia in honore sanctorum Cosmae et Damiani constructa exiens, eisdem apparuit eosque salutans, quo tenderent, requisivit. Qui cum ei, quo tenderent, respondissent, adjecit: ite Papiam et de coenobio sancti Petri, quod dicitur Coelum Aureum, interrogate et ibi misericordiam habebitis, quam optatis. Qui cum eum de nomine suo interrogassent, ait: ego sum Augustinus quondam Hypponensis civitatis episcopus Statimque ab oculis eorum evanuit, illi autem Papiam pergentes, cum ad dictum monasterium pervenissent [1]) et ibi corpus sancti Augustini requiescere didicissent, coeperunt omnes voces levare ac unanimiter conclamare: sancte Augustine, adjuva nos. Ad quorum clamores cives et monachi excitati ad tam grande spectaculum confluebant, et ecce ex nervorum distentione sanguis multus coepit effluere, ita ut ab introitu coenobii usque ad tumbam sancti Augustini tota terra sanguine videretur respersa. Cum autem ad sepulchrum sancti Augustini venissent, omnes sanitati sunt integrae restituti, ac si nulla in eorum corporibus laesio exstitisset. Coepit extunc fama sancti Augustini crebrescere et multitudo languentium ad ejus tumulum adventare, qui omnes sanitatis beneficia reportantes suae salutis pignora relinquebant, factumque est, ut tanta praedictorum pignorum fuerit multitudo, ut inde totum oratorium sancti Augustini et porticus plena essent, ita ut eundi et redeundi impedimentum non modicum generarent. Quapropter monachi necessitate compulsi ea inde removeri fecerunt. — — — **14**. Notandum, quod, cum tria sint, quae a mundanis hominibus appetuntur, scilicet

1) Ed. Pr. verba et — didicissent omittit.

divitiae, deliciae et honores, vir iste sanctus tantae perfectionis exstitit, quod ipse divitias contemsit, honores respuit, voluptates abhorruit. Quod enim divitias contemneret, ipse testatur in libro soliloquiorum, ubi ratio eum interrogat dicens: divitias nullas cupis? Et respondet Augustinus: hoc quidem nec nunc primum; nam cum XXX annos agam, XIV fere anni sunt, ex quo ista cupere destiti nec aliud in his praeter necessarium victum cogitavi, prorsus unus Ciceronis liber mihi facile persuasit, nullo modo esse appetendas divitias. Quod autem honores respuerit, in eodem libro testatur, ubi ratio eum interrogat dicens: quid honores? Et respondet Augustinus: fateor, eos modo ac paene his diebus cupere destiti. Voluptates quoque et divitias contemsit et quantum ad concubitum et quantum ad gustum. Quantum ad primum interrogat eum ratio dicens in eodem libro: quid uxor? Nonne te delectat pulchra, pudica, morigerata, dives, praesertim si certus sis, nihil ex ea te molestiae esse passurum? Et respondet Augustinus: quantumlibet velis eam depingere atque cumulare bonis omnibus, nil mihi tam fugiendum quam concubitum esse decrevi. Cui ratio: non ego quaero, quid decreveris, sed utrum ad hoc alliceris? Et respondet Augustinus: prorsus nihil in hujusmodi quaero, nihil desidero, etiam cum onere, horrore et aspernatione talia recordor. Quantum ad secundum interrogat eum ratio dicens: quid de cibis? Et respondet Augustinus: sive de cibo et potu sive de balneis caeteraque corporis voluptate nihil interroges; tantum ab ea peto, quantum in valetudinis spem conferri potest.

CAP. CXXV. (120.)

De decollatione sancti Johannis baptistae.

1. Decollatio sancti Johannis baptistae quatuor de causis instituta fuisse videtur, sicut in libro de mitrali officio invenitur. Primo propter ejus decollationem, secundo propter capitis ipsius cremationem et collectionem, tertio propter capitis ipsius inventionem, quarto propter digiti ipsius translationem [1]) et ecclesiae dedicationem. Et secundum

1) Haec tria verba sequentia omittit Ed. Pr.

hoc festum istud a quibusdam diversimode nominatur, scilicet decollatio, collectio, inventio ac dedicatio. Primo igitur celebratur hoc festum propter ipsius decollationem, quae quidem hoc modo facta est. Nam, ut habetur in hystoria scholastica, Herodes Antipas filius magni Herodis Romam proficiscens et per fratrem suum Philippum transitum faciens, cum Herodiade uxore Philippi et secundum Josephum sorore Herodis Agrippae secreto pepegit, quod in reditu suo uxorem repudiaret et ipsam in conjugem duceret. Quod uxorem suam scilicet filiam Arethae regis Damascenorum minime latuit et ideo non exspectato viri reditu ad patriam quantocius festinavit. Rediens autem Herodes Herodiadem Philippo [1]) abstulit et Aretham regem et Herodem Agrippam et Philippum in sui inimicitiam incitavit, Johannes autem eum de hoc arguebat, quoniam secundum legem, quam receperat, fratris sui uxorem ipso vivente sibi minime habere licebat. Videns Herodes, quod Johannes tam dure eum super hoc redargueret, et quia ob praedicationem et baptismum secundum Josephum magnum populum congregaret, ipsum in carcere vinculavit, uxori placere cupiens et populi subsequentis Johannem dispendium pertimescens. Ipsum ante occidere voluit, sed populum timuit. Desiderantes autem Herodias et Herodes pariter occasionem aliquam invenire, ut Johannem occidere possent, videntur inter se secreto condixisse, ut Herodes natalis sui diem coram primis [2]) Galilaeae suisque principibus celebraret et puellae saltanti filiae Herodiadis, quidquid petierit, se sibi daturum juramento firmaret, et ipsa caput Johannis petente illud sibi propter juramentum factum tribuere oporteret, sed de juramento facto se contristari simularet. Quod enim hanc versutiam et simulationem habuerit, videtur innui in hystoria scholastica, ubi sic dicitur: credibile est, quod Herodes cum uxore de nece Johannis sub tali occasione facienda prius secreto tractaverit. Item Hieronymus in Glossa: ideo forte juravit, ut occasionem inveniret occidendi; nam si illa patris aut matris interitum postulasset, Herodes non utique consensisset. Ordinato igitur convivio puella adest, coram omnibus saltat, placet cunctis, se sibi, quidquid petierit, daturum jurat rex, a matre praemonita caput Johannis expostulat, sed versipellis Herodes propter jusjurandum se contristatum simulavit, eo quod, ut dicit Rabanus, jurasset, quod eum facere oporteret. Sed tristitiam prae-

---

1) Ed. Pr. verba: abstulit — sui omittit. 2) Ed. Pr. Gallicae male offert.

ferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente; excusat scelus juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Igitur spiculator mittitur, caput Johannis praesciditur, puellae datur et a puella matri adulterae praesentatur. Augustinus occasione hujus jurationis narrat in sermone quodam, quem fecit in decollatione sancti Johannis baptistae, tale exemplum. Fuit quidam homo innocens et fidelis, a quo audivi, quod narro. Cum enim quidam sibi negasset, quod ei accommodaverat, vel quod sibi debebatur, commotus ille provocavit eum ad jusjurandum. Ille igitur juravit, iste perdidit. Videbat ergo in ipsa nocte, se ad judicem raptum fuisse et ab eo interrogatum fuisse his verbis: quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille: negavit mihi rem meam. Et judex: melius erat, ut rem tuam perderes, quam ut animam ipsius falsa juratione perimeres. Prostratus igitur tam graviter caedi jussus est, ut in dorso evigilantis plagarum vestigia apparerent. Sed indultum est ei, postquam emendatus est. Haec Augustinus. In hac autem die Johannes decollatus non est, sed circa dies azimorum anno praecedente passionem Christi. Oportuit ergo, ut propter dominica sacramenta minor cederet majori. Hic exclamat Johannes Chrysostomus dicens: Johannes schola virtutum, magisterium vitae, sanctitatis forma, norma justitiae, virginitatis speculum, pudicitiae titulus, castitatis exemplum, poenitentiae via, peccatorum venia, fidei disciplina. Johannes major homine, par angelis, legis summa, evangelii [1]) sanctio, apostolorum vox, silentium prophetarum, lucerna mundi, praecursor judicis, totius medius trinitatis. Et hic tantus datur incestuosae, traditur adulterae, addicitur saltatrici. Herodes autem impunitus non abiit, sed exsilio damnatus fuit. Nam, sicut habetur in hystoria scholastica, alter Herodes seu Agrippa cum esset vir strenuus, sed pauper, prae nimia paupertate desperans quandam turrim intravit, ut ibidem se fame afficiens moreretur. Quod cum Herodias soror sua audivisset, viro suo, scilicet [2]) Herodi Antipae tetrarchae supplicavit, ut eum inde educeret et sibi necessaria ministraret. Quod cum fecisset et ambo invicem epularentur, Herodes tetrarcha vino incaluit et Herodi Agrippae beneficia, quae sibi contulerat, improperare coepit et hoc ille vehementer doluit et Romam proficiscens in tantum a Cajo

1) Ed. Pr. sanctitas. 2) Alii pessime leg.: scilicet antipetrarchae.

Caesare in gratiam est receptus, ut ei duas tetrarchias, scilicet Lisaniae et Abilinae, tribueret et regem in Judaeam imposito dyademate destinaret. Videns Herodias, quod frater ejus haberet nomen regis, viro suo molestis precibus insistebat, ut Romam pergeret et sibi regium nomen compararet. Ille vero, cum multis divitiis abundaret, acquiescere nolebat, magis diligens otium, quam honorem laboriosum. Tandem devictus uxoris precibus Romam cum ipsa perrexit. Quod Agrippa intelligens Caesari litteras destinavit, quod Herodes cum rege Parthorum amicitias firmaverit et Romano imperio voluerit rebellare, et in argumentum hujus rei significavit ei, quod in civitatibus suis habebat arma, quae sufficerent LXX millibus armatorum. Lecta autem epistola Cajus quasi aliunde accipiens Herodem de statu suo interrogavit et inter caetera, utrum tanta copia armatorum esset in urbibus, quantum ipse audierat, requisivit. Quod ille minime negavit. Tunc Cajus verum esse credens, quod Herodes Agrippa scripsit, ipsum in exsilium relegavit, uxori autem ejus, quia erat soror Herodis Agrippae, quem maxime diligebat, potestatem tribuit, ut in terram suam rediret. Ipsa autem virum suum voluit comitari dicens, quod illum, cui communicaverat in prosperis, non derelinqueret in adversis. Lugdunum igitur deportati fuerunt et ibi vitam miserabiliter finierunt. Haec in hystoria scholastica. Secundo propter ossium ipsius concremationem et collectionem, quae ipso die secundum quosdam fuerunt concremata et a fidelibus ex parte collecta. Unde quasi secundum martirium patitur, quoniam ipse in suis ossibus concrematur, et ideo ecclesia tamquam secundum ejus martirium hoc festum celebrat. Sicut enim legitur in libro XII. hystoriae scholasticae vel ecclesiasticae, cum discipuli Johannis corpus ejus apud Sebasten urbem Palaestinae inter Elisaeum et Abdiam sepelivissent et ad ejus tumulum multa miracula fierent, jubente Juliano apostata gentiles ejus ossa sparserunt, et cum miracula non cessarent, post collecta et igne concremata in pulverem redegerunt et per agros ventilaverunt, sicut dicitur in hystoria scholastica et ecclesiastica. Beda vero dicit, quod ipsa ossa collecta latius sparserunt et sic secundum martirium quodammodo passus videtur. Hoc quidam repraesentant nescientes, dum in ejus nativitate ossa undecunque collecta concremant. Dum autem ad concremandum colligerentur, ut habetur in hystoria scholastica et Beda testatur, quidam monachi a Hierosolimis venientes latenter colligentibus se miscuerunt et magnam

eorum partem tulerunt. Ipsa quoque ossa ad Philippum Hierosolimitarum episcopum detulerunt, qui ea postmodum [1]) Anastasio Alexandrino episcopo misit. Postmodum vero Theophilus ejusdem urbis episcopus ea in templo Serapis a sordibus purgato reposuit et in honorem sancti Johannis basilicam consecravit. Haec Beda et hystoria scholastica. Nunc autem apud Januam devote coluntur, sicut Alexander tertius et Innocentius quartus rei veritate cognita suis privilegiis approbaverunt. Sicut autem Herodes, qui ejus caput amputari fecit, suorum scelerum poenam pertulit, sic et Julianum apostatam, qui ejus ossa comburi jussit, ultio divina percussit. De cujus persecutione habetur in hystoria sancti Juliani, quae est post conversionem sancti Pauli. De hujus autem Juliani apostatae origine, imperio, crudelitate et morte in hystoria tripartita plenius edocetur. Constantius namque frater magni Constantini ex eodem patre duos habuit filios, scilicet Gallum et Julianum. Mortuo autem Constantino Constantius ejus filius Gallum Caesarem fecit, quem tamen postmodum interfecit. At Julianus metuens monachus effectus est coepitque magos consulere, si posset adhuc in imperium pervenire. Post hoc Constantius Julianum Caesarem fecit et ad Gallias misit, ubi victorias multas exercuit. Corona autem laurea inter duas columnas dependens rupto funiculo super caput ejus inde transeuntis decidit eumque aptissime coronavit cunctis clamantibus, quia imperii signum esset. Cumque a militibus appellaretur Augustus et corona, cum qua coronaretur, ibidem deesset, unus torquem, quem habebat, in collo Juliani capiti imposuit et sic ab iis imperator est effectus. Tunc figmentum christianitatis, quod habebat, abjecit et templa ydolorum aperiens et iis sacrificans se paganorum pontificem nominabat et signum crucis ubique destruebat. Quadam vice ros super ejus vestimenta caeterorumque, qui cum eo erant, cecidit et gutta quaelibet se in crucis signaculum transformavit. Volens autem complacere omnibus mortuo Constantio voluit, ut unusquisque, cui vellet ritui, deserviret, ac de curia sua eunuchos, tonsores et coquos fugavit. Eunuchos quidem, quia uxor ejus obierat, post quam aliam non duxerat, coquos, quia cibis simplicioribus uteretur, tonsores autem, quia unus, inquit, sufficit multis. Multos libros dictavit, in quibus omnes ante se principes laceravit. Ut ergo coquos atque tonsores

---

1) Ed. Pr. Athanasio legit.

expelleret, opus philosophi, non imperatoris egit, ut autem detraheret atque laudaret, neque philosophi neque imperatoris fuit. Dum aliquando Julianus ydolis sacrificaret, in visceribus pecudis immolatae signaculum crucis corona circumdatum eidem ostensum est. Quod ministri videntes timuerunt, interpretantes crucis futuram unitatem, victoriam et interminabilitatem. Quos Julianus confortans ait, hoc esse signum christiani dogmatis coercendi nec ultra circulum dilatandi. Dum Constantinopolim Fortunae Julianus sacrificaret, Maris episcopus Chalcedoniae, qui prae senectute lumen amiserat, ad eum accedens ipsum impium et apostatam appellavit. Cui Julianus ait: neque Galilaeus tuus potuit te curare. Et ille: de hoc gratias ago Deo meo, quia ideo lumine me privavit, ne te videam pietate nudatum. Julianus autem nil aliud respondens abscessit. Apud Antiochiam vasa sancta et pallia colligens et in terra projiciens, super ea sedit et ignominiam addidit moxque in locis illis adeo est percussus, ut inde vermes scaturirent et carnes corroderent; a qua passione, quousque vixit, liberari non potuit. Julianus quoque praefectus, dum ad praeceptum imperatoris ecclesiarum vasa abstulisset, super ea mingens ait: ecce, in quibus vasis Mariae filio ministratur. Cui repente os versum est in anum et egestionis organum est factum. Dum apostata Julianus Fortunae templum intraret et ministri templi aqua, ut mundarentur, ingredientes adspergerent, Valentinianus aspersionis guttam vidit in chlamyde et indignatus pugno percussit ministrum dicens, se maculatum potius quam purgatum. Quod videns imperator jussit eum in custodiam redigi et ad eremum destinari. Erat enim christianus, qui pro mercede meruit postmodum ad imperium sublimari. In odium quoque christianorum Julianus templum Judaeorum jussit reparari, ipsis Judaeis sumtus largissime subministrans, sed dum maximam caementi copiam subministrassent, subito ventus maximus veniens totam dispersit; deinde terrae motus maximus est effectus; postmodum ignis a fundamento egrediens plurimos concremavit. Alia vero die signum crucis in coelo apparuit et Judaeorum vestes nigro calore crucis signaculo sunt impletae. Cum ad Persas vadens Ctesiphontem venisset et regem obsideret, rex suae patriae partem obtulit, si ab eo discederet. Ille autem nullatenus acquievit. Putabat enim secundum Pythagorae Platonisque sententiam ex mutatione corporum Alexandri animam possidere aut potius esse in alio corpore alius Alexander. Sed jaculum repente

discurrens ejus lateri est infixum, quo vulnere terminum vitae suscepit. Qui vero intulit, hactenus ignoratur, sed alii quendam invisibilium hoc intulisse ferunt, alii unum pastorem Ismaelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo sive angelus fuerit, palam est, quia divinis jussionibus ministravit. Calixtus autem ejus familiaris dicit, eum a daemone fuisse percussum. Haec in hystoria tripartita. Tertio propter ipsius capitis inventionem. Nam hac die, ut ajunt, caput ejus repertum est. Sicut dicitur in libro XI. hystoriae ecclesiasticae, Johannes in castello Arabiae dicto Macheronta fuit vinctus et capite truncatus, Herodias autem caput Johannis Hierusalem fecit deferri et juxta Herodis habitaculum caute sepeliri, timens, ne propheta resurgeret, si cum corpore caput sepultum fuisset. Tempore vero Marciani principis, ut habetur in hystoria scholastica, qui coepit anno domini CCCLIII Johannes caput suum duobus monachis, qui Hierosolimam venerant, revelavit, qui ad palatium, quod Herodis fuerat, properantes caput ejus invenerunt saccis cilicinis involutum vestibus, aestimo, quibus in deserto fuerat obvolutus. Qui dum cum praedicto capite ad propria remearent, quidam Emissenae civitatis figulus paupertatem fugiens comitem se iisdem exhibuit. Hic dum peram sibi creditam cum sacro capite portaret, admonitus nocte a sancto Johanne ipsos fugiens Emissenam urbem cum ipso capite est ingressus ibique, quamdiu vixit, in quodam specu sanctum caput venerans prosperitatem non modicam assecutus est. Moriens autem illud sorori suae sub fide revelavit et secundum eundem modum sibi invicem successores. Post multum vero temporis sancto Marcello monacho in eodem specu degenti beatus Johannes caput suum hoc modo revelavit. Videbatur enim sibi dormienti, quod multae turbae psallentes incederent ac dicerent: ecce, sanctus Johannes baptista venit. Deinde vidit beatum Johannem, quem unus a dextris, alius a sinistris ducebat, omnesque ad eum accedentes ab eo benedicebantur. Ad quem cum Marcellus accessisset et ejus pedibus se prostravisset, elevans eum et per mentum apprehendens dedit ei osculum pacis. Tunc Marcellus interrogavit eum dicens: domine mi, unde ad nos venisti? Et ille: de Sebaste veni. Cum igitur excitatus fuisset et de hac visione plurimum miraretur, quadam alia nocte, cum dormiret, quidam ad eum veniens ipsum excitavit, et ecce dum excitatus fuisset, vidit stellam fulgentem in ostio cellulae residere. Quam surgens dum palpare vellet, subito in

aliam partem se transtulit, ille autem coepit abire post stellam, quousque stella stetit in loco, ubi erat caput Johannis baptistae, ubi fodiens reperit urnam et in ea sanctum thesaurum. Quidam autem cum non crederet, manum ad hydriam misit, sed statim manus exaruit et hydriae adhaesit. Orantibus autem sociis manum extraxit, sed invalida remansit. Apparuit autem eidem Johannes dicens: cum caput meum in ecclesia deponetur, hydriam continges et sanitatem recipies. Quod et fecit et sanitatem integram recepit. Haec autem cum Marcellus Juliano ejusdem urbis episcopo indicasset, ab iis est elevatum et in urbem delatum. Ex quo tempore coepit in eadem urbe decollatio sancti Johannis celebrari, ipsa die, ut arbitramur, sicut dicitur in hystoria scholastica, qua caput est inventum sive elevatum. Quod postmodum Constantinopolim est translatum. Nam sicut dicitur in hystoria tripartita, cum Valens imperator jussisset, sacrum caput in vehiculo poni et Constantinopolim transferri, cum circa Chalcedoniam venisset, vehiculum nullatenús trahi poterat, quantumcunque boves stimulis urgerentur, ideoque ipsum ibidem deponere sunt coacti. Sed cum postea Theodosius ipsum inde auferre vellet et quandam matronam virginem custodiae capitis deputatam reperisset, ibidem rogavit eam, ut sibi auferre dimitteret sacrum caput. Illa autem consensit credens, quod sicut tempore Valentis, ita etiam et nunc non permitteret se auferri. Tunc devotus imperator purpura caput amplectens Constantinopolim transtulit et ibi pulcherrimam ecclesiam aedificavit. Haec in hystoria tripartita. Et inde Gallias apud Pictaviam regnante Pipino postmodum est translatum, ubi ejus meritis multi mortui sunt resuscitati. Et sicut punitus est Herodes, qui Johannem decollavit, et Julianus apostata, qui ejus ossa combussit, sic et Herodias punita est, quae puellae, ut caput peteret, suggessit, et ipsa puella, quae hoc petiit. Quidam enim dicunt, quod Herodias in exsilium damnata non est nec ibi defuncta, sed cum caput Johannis in manibus teneret et eidem gaudens plurimum insultaret, divino nutu caput ipsum in ejus faciem insufflavit et illa protinus exspiravit. Hoc quidem vulgariter dicitur, sed quia superius dictum est, quod in exsilio cum Herode miserabiliter consumpta fuerit, sancti tradunt in chronicis et sic tenendum videtur. Filia vero ejus, cum super glaciem deambularet, sub ea glacies resolvitur et ipsa in aquis continuo praefocatur. In chronica vero quadam dicitur, quod terra ipsam vivam deglutivit. Quod potest intelligi,

sicut de Aegyptiis in mari rubro praefocatis dicitur: devoravit eos terra. Quarto propter digiti ipsius translationem et ecclesiae dedicationem. Digitus enim suus, quo dominum ostendit, ut fertur, comburi non poterat. Unde ipse digitus a praedictis monachis est repertus, quem postmodum, ut habetur in hystoria scholastica, sancta Thecla intra Alpes detulit et in ecclesia sancti [1])Maximi collocavit. Hoc etiam testatur Johannes Beleth dicens, quod praedicta sancta Thecla ipsum digitum, qui comburi non potuit, de ultra partibus marinis in Normanniam attulit et ibi in honore sancti Johannis ecclesiam fabricavit, quam ecclesiam, ut ibidem dicit, quidam hac die dedicatam fuisse asserunt. Unde a domino papa statutum fuit, ut haec dies per totum mundum celebris haberetur. — — — **2.** Apud [2])Mariennam urbem Galliae matrona quaedam Johanni baptistae valde devota Deum instantius exorabat, ut sibi de reliquiis Johannis aliquando donaretur aliquid. Cum autem orando nihil proficere se videret, sumta de Deo fiducia juramento se adstrinxit, quod hactenus non comederet, donec, quod petebat, acciperet. Cum autem diebus aliquibus jejunasset, pollicem super altare miri candoris vidit et Dei donum laeta suscepit, tres autem episcopi illuc accurrentes, cum quilibet de illo pollice partem vellet accipere, tres sanguinis guttas stillare videntes in linteo supposito stupuerunt et singuli singulas se meruisse laetati sunt. — — — **3.** Theodolina regina Lombardorum Medoenae juxta Mediolanum nobilem ecclesiam in honore sancti Johannis baptistae construxit et ditavit. Procedente tempore, ut testatur Paulus in hystoria Longobardorum, Constantinus, qui et Constans imperator, volens Italiam a Lombardis eripere, a quodam sancto viro, qui spiritum prophetiae habuit, de exitu belli quaesivit. Qui nocte orationi vacans mane respondit: Johanni ecclesiam regina construxit et ipse pro Lombardis continue intercedit et ideo superari non possunt, veniet tamen tempus, quo locus ille despicietur, et tunc superabuntur. Quod tempore Caroli fuit impletum. — — — **4.** Vir quidam magnae virtutis, ut ait Gregorius in dyalogo, nomine [3])Sanctulus, cum quendam dyaconum a Longobardis captum in sua custodia tali conditione recepisset, ut, si fugeret, ipse pro eo capitalem sententiam subiret, coegit praedictus Sanctulus ipsum dyaconum,

1) Ed. Pr. Martini nomen offert. 2) Alii: Mauriennem vel Mariennam legunt, Ed. Pr. Mamerenam offert. 3) Ed. Pr. Scantulus legit.

ut fugeret et se liberaret. Quapropter Sanctulus ad decollandum adducitur et ad hoc fortissimus spiculator eligitur, de quo dubium non erat, quin uno ictu caput ejus absclnderet, extensoque collo, cum carnifex forti annisu brachium cum ense in altum levasset, ille protinus ait: sancte Johannes, suscipe illum, statimque brachium percussoris irriguit et erecto in coelo gladio inflexibile remansit praestitoque juramento, quod de caetero nullum christianum feriret, vir Dei pro eo oravit et brachium statim deposuit.

CAP. CXXVI. (121.)

De sanctis Felice et Adaucto.

Felix presbiter et frater suus, similiter nomine Felix et presbiter, Dyocletiano et Maximiano oblati sunt. Quorum senior cum ad templum Serapis, ut ibidem sacrificaret, adductus esset, insufflavit in faciem statuae et protinus cecidit. Ductus similiter ad statuam Mercurii pariter insufflavit et protinus statua cecidit. Ductus tertio ad simulacrum Dianae similiter fecit. Tortus igitur in equuleo ductus est quarto ad arborem sacrilegam, ut ibidem immolaret, qui flexis genibus oravit et in arborem sufflans eam a radice subvertit et simulacrum cum ara et templo arbore corruente contrivit. Quod cum praefectus audivisset, eum ibidem decollari praecepit et corpus ejus lupis et canibus dereliquit. Tunc quidam in medium repente prosiliens christianum se libere professus est. Ambo igitur se invicem osculantes ibidem insimul decollati sunt, christiani vero ejus nomen ignorantes eum Adauctum vocaverunt, eo quod sancto Felici auctus sit ad coronam martirii. Quos cum christiani in fovea, quam arbor effecerat, sepelivissent, pagani eos effodere volentes protinus a dyabolo sunt arrepti. Passi sunt circa annos domini CCLXXXVII.

CAP. CXXVII. (122.)
De sanctis Saviniano et Savina.

Savinianus et Savina fuerunt filii Savini viri nobilissimi, sed pagani, qui de prima uxore Savinianum genuit, de secunda Savinam filiam generavit et ex nomine suo ambos vocavit. Legens autem Savinianus versum illum: adsperges me, domine etc., quid hoc esset, quaerebat, sed intelligere non valebat. Unde intrans in cubiculum in cinere et cilicio prostratus jacebat dicens, se malle mori, quam non intelligere sensum verbi. Cui apparens angelus dixit: noli te usque ad mortem affligere, quoniam invenisti gratiam apud Deum, et cum baptizatus fueris, nive candidior eris et tunc intelliges, quod nunc quaeris. Recedente angelo laetus efficitur et ydola de caetero venerari contemnens a patre plurimum objurgatur. Cum ergo pater saepius sibi diceret: melius est, ut, quia Deos non adoras, tu solus moriaris, quam nos omnes in morte tua insimul involvamur, latenter aufugit et ad urbem Trecasinam devenit. Cumque super fluvium Secanae venisset et ut ibi ex eo baptizaretur, dominum exorasset, ibidem baptizatus est dixitque ei dominus: nunc invenisti, quod tamdiu quaerendo laborasti, statimque in terra baculum fixit et facta oratione baculus ille coram multis adstantibus frondes et flores produxit, ita quod [1]) MCVIII viri domino crediderunt. Imperator autem Aurelianus hoc audiens milites ad eum capiendum plures direxit, qui eum orantem invenientes ad ipsum accedere timuerunt, imperator autem plures prioribus misit, qui venientes cum eo orante pariter oraverunt surgentesque dixerunt: imperator desiderat te videre. Qui cum venisset et nollet sacrificare, manus ejus et pedes fecit ligari et vectibus ferreis caedi. Cui Savinianus: adauge tormenta, si potes. Tunc jussit eum in media civitate ligari super scamnum et suppositis lignis, oleo et igne incendio concremari. Rex autem intuens vidit eum in media flamma stantem pariter et orantem. Stupefactus in suam faciem cecidit et surgens ei dixit: fera mala, non tibi sufficiunt animae, quas decepisti, nisi et nos per magicam artem decipere moliaris? Cui Savinianus: adhuc multae animae

---

1) Alii: MCVII.

et tu ipse per me sunt domino crediturae. Cum autem imperator ex hoc nomen Dei blasphemasset, in crastinum jussit eum ad stipitem ligari et sagittari, sagittae autem a dextris et a sinistris in aëre suspendebantur nec aliqua eum laesit. Altera die imperator ad eum veniens dixit ei: et ubi est Deus tuus? veniat nunc et de sagittis istis te liberet. Statimque una de illis sagittis exiliens regem in oculo percussit et penitus excaecavit. Unde iratus jussit eum in carcere recipi et in crastino decollari. Savinianus autem orans, ut ad locum, ubi baptizatus fuerat, transferretur, confractis catenis et apertis ostiis per medios milites transiens illuc venit, quod audiens imperator jussit eum illuc insequi et capite truncari. Videns autem Savinianus milites insequentes super aquam velut supra petram ambulavit, quousque ad locum sui baptismi pervenit. Cum igitur milites [1]) transvadassent et eum percutere formidarent, dicit illis: securi me percutite et de sanguine meo ad imperatorem deferte, ut lumen recipiat et Dei virtutem agnoscat. Percussus igitur caput suum levavit et passibus XLIX illud portavit. At imperator, cum de ejus sanguine oculum tetigisset, continuo sanatus est dicens: vere bonus et magnus est Deus christianorum. Quod audiens [2]) quaedam, quae annis XL lumen amiserat, ad locum portari se fecit et facta oratione protinus lumen accepit. Passus est autem circa annos domini CCLXXIX cal. Februarii. Sed hoc ideo inseritur, ut hystoriae sororis suae, cujus festum praecipue hic recolitur, haec quoque hystoria conjungatur. Cum ejus soror igitur Savina fratrem suum quotidie fleret et pro eo ydolis supplicaret, tandem sibi dormienti apparuit angelus dicens: Savina, noli flere, sed quaecumque habes, derelinque et invenies fratrem tuum in honore maximo constitutum. Quae evigilans collactaneae suae dixit: amica mea, aliquidne sensisti? Et illa: etiam, domina; nam vidi hominem tecum loquentem, sed nescio quidem quid dicentem. Non me, inquit, accusabis? Et illa: absit, domina; quaecunque vis, facias, tantum non te occidas. Sicque in crastino ambae recesserunt. Cum ergo pater diu fecisset eam inquiri et non invenisset, elevatis ad coelum manibus ait: si tu es Deus potens in coelo, ydola mea comminue, quae natos meos salvare non potuerunt. Tunc dominus intonans omnia comminuit et confregit, quod multi videntes crediderunt. Verum beata Savina Ro-

1) Alii: transnedassent, transuadessent. 2) Alii: quidam—qui.

mam veniens ab Eusebio papa baptizatur et duos caecos duosque contractos sanans V annis ibi permansit. Cui dormienti apparens angelus dixit: Savina, quid est, quod facis, ut tuas divitias deserens nunc igitur in deliciis hic epuleris? surge et vade in Trecas civitatem, ut fratrem tuum ibidem invenias. Dixit ergo famulae suae: non oportet nos hic amplius habitare. Et illa: domina, quo vis ire? Ecce omnes valde te diligunt, et tu peregre mori capis? Et illa: Deus nobis providebit. Et accipiens panem hordeaceum in urbem Ravennam devenit veniensque ad domum cujusdam divitis, cujus filia quasi mortua plangebatur, se ibidem a famula hospitio recipi postulabat. Quae ait: domina mea, quomodo hic hospitari vales, cum filia dominae meae moriatur et omnes se graviter affligant? Non propter me, inquit, morietur. Intrans igitur domum manum puellae apprehendit et sanam ipsam erexit, et cum vellent eam retinere, nullatenus acquievit. Cum ergo juxta Trecas ad milliare venisset, dixit famulae suae, ut paulum repausarent. Et ecce vir quidam nobilis Licerius de civitate veniens dixit ei: unde estis? Cui Savina: hinc sum de ista civitate. Et ille: cur mentiris, cum loquela indicat te esse peregrinam? Et illa: domine, vere peregrina sum et fratrem meum Savinianum diu perditum requiro. Cui ait: vir ille, quem quaeris, ante paululum pro Christo decollatus est et in tali loco sepultus. Tunc se prosternens in oratione ait: domine, qui me semper in castitate servasti, non permittas me amplius duris itineribus fatigari aut corpus meum de loco isto ulterius moveri, commendo tibi famulam meam, quae propter me tanta sustinuit fratremque meum, quem hic videre non potui, fac, ut in regno tuo videre merear. Finita autem oratione migravit ad dominum. Quod videns ejus famula coepit flere, quia ad sepeliendum necessaria non habebat. Praedictus autem vir praeconem per civitatem misit, ut homines ad sepeliendum mulierem peregrinam venirent. Qui venientes honorifice eam sepelierunt. Hac quoque die fit festum sanctae Sabinae, quae fuit uxor Valentini militis, quae, cum nollet sacrificare, sub Adriano imperatore decollata est.

CAP. CXXVIII. (123.)
De sancto Lupo.

Lupus apud Aurelianum ex genere regali ortus, dum cunctis virtutibus eniteret, Senonensis archiepiscopus est electus. Qui cum omnia fere pauperibus erogaret et quadam die plurimos ad convivium invitasset, cum vinum ad medium non haberet, sic respondit ministro: credo, quod Deus, qui volatilia pascit, nostram perficiet caritatem, et statim nuntius affuit, qui centum vini modios adesse prae foribus nuntiavit. Cum omnes de curia sibi vehementer detraherent, quia virginem Dei famulam et filiam praedecessoris sui nimis immoderate amaret, coram detrahentibus ipsam virginem apprehendens osculatus est eam dicens: nihil nocent hominum verba aliena, quem propria non maculat conscientia. Quia enim ipsam Deum amare ardenter cognoverat, eam mente purissima diligebat. Cum rex Francorum Lotharius Burgundiam intrans senescallum suum contra Senones direxisset et civitatem obsideret, sanctus Lupus ecclesiam sancti Stephani ingressus campanam pulsare coepit, quam hostes audientes tantus terror invasit, ut, nisi fugerent, mortem se evadere non putarent. Tandem obtento regno Burgundiae cum rex alium senescallum Senonum misisset et beatus Lupus ei cum muneribus non occurrisset, indignatus nimis eum apud regem infamavit, ut rex beatum Lupum in exsilium destinaret, qui ibi doctrina ac miraculis valde emicuit. Interea Senonici quendam episcopum, qui locum sancti Lupi invaserat, occidentes, ut sanctus Lupus de exsilio rediret, a rege impetraverunt. Quem rex videns exsilio [1])tabefactum ita divinitus est mutatus, ut coram illo prostratus veniam peteret, multisque auctum muneribus suae restituit civitati. Qui dum per Parisios remearet, ei multa incarceratorum turba apertis ostiis solutisque vinculis obviavit. Quadam die dominica, dum missam celebraret, lapsa est coelitus gemma in ejus sancto calice, quam rex inter suas reliquias collocavit. Rex Clotarius audiens, quod campana sancti Stephani in sono miram haberet dulcedinem, misit, ut Parisios deferretur, ut ab ipso saepius audiretur. Sed cum hoc sancto Lupo displicuisset, mox ut de urbe

1) Ed. Pr. legit: exsilio talem sanctum ita etc.

Senonica delata est, soni sui dulcedinem perdidit. Quod rex audiens statim restitui eam jussit statimque sono reddito insonuit septimo ab urbe milliario. Itaque sanctus Lupus obviam perrexit et quod dolens perdiderat, cum honore recepit. Nocte quadam cum oraret, instinctu dyaboli vehementer sitiens jussit sibi aquam frigidam deportari. Dolos autem intelligens inimici pulvinar suum super vas posuit et ibi dyabolum inclusit, qui tota nocte vociferando ululare coepit. Facto autem mane, qui clam tentare venerat, in die confusus abscessit. Quadam autem vice, dum more solito civitatis ecclesias circumiisset, rediens domum audit clericos suos rixantes, eo quod cum mulieribus fornicari vellent. Qui ecclesiam intrans pro iis oravit et mox ab iis omnis stimulus tentationis abscessit venientesque ante illum veniam postulaverunt. Tandem multis clarus virtutibus in pace quievit. Claruit circa annos domini DCX. [1]) tempore Eraclii.

CAP. CXXIX. (124.)

De sancto Mamertino.

Mamertinus paganus prius, cum ydola quadam vice coleret, unum oculum perdidit et unius manus ariditatem incurrit. Qui dum se Deos offendisse putaret et ad templum ad adorandum ydola pergeret, obviavit ei vir quidam religiosus nomine Savinus, qui eum, unde sibi tanta acciderit infirmitas, requisivit. Qui ait: Deos meos offendi et ideo eos orare vado, ut, quae mihi irati abstulerunt, reddant propitii. Qui ait: erras, frater, erras, si daemones Deos putes, sed vade ad sanctum Germanum Altissiodorensem episcopum, et si ejus consilio acquieveris, continuo sanus eris. Qui statim iter arripiens venit ad sepulchrum sancti Amatoris episcopi et plurimorum episcoporum sanctorum, secessitque propter pluviam nocte illa ad quandam cellulam super tumbam sancti Concordiani collocatam. Cum autem obdormivisset, apparuit ei visio quaedam mirabilis, quod quidam scilicet vir venit ad ostium cellae ejus vocavitque sanctum Concordianum, ut veniret ad festum. Quod sanctus

1) Ultima duo vocabula omittit Ed. Pr.

Peregrinus et sanctus Amator cum aliis episcopis faciebant. Cui ille de tumulo respondit: non possum modo venire, quia hospitem quendam me custodire oportet, ne a serpentibus, qui hic habitant, occidatur. Abiens ille, quae audierat, nuntiavit reversusque ait: sancte Concordiane, surge, veni et adduc tecum Vivianum subdyaconum et Junianum acolitum, ut officium suum faciant, Alexander autem hospitem tuum custodiet. Visumque est igitur Mamertino, quod sanctus Concordianus apprehensa manu duceret eum secum, cumque ad eos venisset, dixit iis sanctus Amator: quis est iste, qui tecum ingressus est? Qui ait: hospes meus est. Et ille: expelle eum, quia pollutus est et nobiscum non potest esse. Qui cum expelleretur, prostratus coram iis sancti Amatoris gratiam impetravit, qui jussit ei, ut ad sanctum Germanum pergere festinaret. Evigilans igitur ad sanctum Germanum venit et coram eo prostratus veniam postulabat. Qui cum ea, quae sibi contigerant, enarraret, perrexerunt ambo ad tumbam beati Concordiani et remoto lapide viderunt plures serpentes, qui decem pedum longitudinem excedebant, cumque omnes diffugerent, beatus Germanus iis imperavit, ut ad talem locum pergant, ubi de caetero nemini praesumant nocere. Sicque Mamertinus baptizatus est et sanatus factusque est monachus monasterii sancti Germani, ubi post sanctum [1]) Allodium abbas fuit. Hujus tempore in ejus monasterio sanctus Marinus exstitit, cujus obedientiam sanctus Mamertinus probare volens vilius officium monasterii ei commisit, pastorem scilicet eum faciens bubalorum. Cum igitur in silva quadam boves et vaccas libenter custodiret, tanta sanctitate pollebat, quod etiam aves silvestres ad se venientes manu propria nutriebat. Nam et aprum, qui ad cellam ejus confugerat, a canibus eripuit et abire fecit. Latrones quidam cum eum exspoliassent et vestem ejus secum ferentes abirent, solum ei palliolum dimiserunt, qui statim post eos clamavit dicens: revertimini, domini mei, ecce denarium colligatum in medio pallio inveni, qui vobis forsitan necessarius erit. Qui protinus revertentes palliolum cum denario abstulerunt et nudum penitus dimiserunt, sed cum festinanter ad suas latebras properarent, tota nocte euntes in ipso crepusculo ad ejus cellulam sunt reperti. Quos ille salutans in cella sua benigne recepit pedesque eorum lavans necessaria, quae potuit, ministravit. Qui stupefacti

---

1) Ed. Pr. Ollodium legit.

de eo, quod fecerant, doluerunt et unusquisque eorum ad fidem conversus est. Quadam vice, cum quidam juniores monachi secum manentes ursae cuidam, quae ovibus insidiabatur, laqueos tetendissent, illa in laqueos nocte irruens capta tenebatur. Quod sanctus Mamertinus praesciens de lecto surrexit et eam inveniens dixit illi: quid facis, o misera? fuge cito, ne capiaris, eamque dissolvens dimisit. Verum cum mortuus fuisset et corpus ejus Altissiodorum deportaretur, et cum fuissent in quadam villa, nullo modo illud inde movere potuerunt, quoadusque quidam incarceratus subito fractis vinculis liber exsiliens venit ad corpus et cum aliis usque ad urbem portavit, ubi in ecclesia sancti Germani honorifice est sepultus.

CAP. CXXX. (125.)
De sancto Aegidio.

Aegidius dicitur ab e, quod est sine, et geos terra et dyan clarum sive divinum. Ipse namque fuit sine terra per terrenorum despectionem, clarus per scientiae illustrationem, divinus per amorem, qui assimilat amantem amato.

Aegidius Athenis ex regia stirpe progenitus et sacris litteris ab infantia eruditus, dum quadam die ad ecclesiam pergeret, cuidam aegro in platea jacenti et elemosinam petenti tunicam suam tribuit, qua indutus sanitatem integram mox recepit. Post hoc, parentibus suis in domino quiescentibus, patrimonii sui Christum fecit heredem. Quadam vice dum ab ecclesia rediret, quidam vir a serpente percussus eidem obvius exstitit, sed oratione fusa Aegidius protinus virus fugavit. Quendam daemoniacum in ecclesia cum caeteris exsistentem et fideles clamoribus suis turbantem Aegidius daemone fugato sanavit. Verum humani favoris formidans periculum clam littus maris petiit et nautas quosdam in mari periclitantes conspexit et facta oratione tempestatem omnem sedavit. Applicantibus autem nautis, audito, quod Romam tenderet, gratias ejus meritis egerunt et, quod eum secum gratis veherent, promiserunt. Cum igitur Arelatem venisset et biennio cum sancto Caesario ejusdem civitatis episcopo mansisset et ibidem quendam

triennio febricitantem curasset, eremum capiens clam discessit et cum [1]) Veredonio eremita sanctitate conspicuo diu mansit, ubi sterilitatem terrae suis meritis fugavit. Sed dum ubique miraculis corusearet, humanae laudis timens periculum relicto eo interiorem eremum penetravit, ubi quoddam antrum et quendam fonticulum reperiens quandam nihilominus cervam praeparatam ibidem habuit in nutricem, quae certis horis lactis alimoniam sibi praebebat. Sed cum ibidem regis pueri venarentur, praedictam videntes cervam caeteris feris contemtis hanc cum canibus insequuntur; a quibus dum vehementer urgeretur, ad pedes sui confugit alumni. Ille vero admirans, cur praeter solitum sic mugiret, exiens et venatores audiens dominum exoravit, ut, quam sibi tribuerat nutricem, servaret. Canum autem nullus infra lapidis jactum sibi appropinquare ausus est, sed cum nimio ululatu ad venatores revertebantur. Nocte igitur superveniente domum redeunt et insequenti die illuc revertentes casso labore domum iterum redierunt. Quod dum rex audiisset, rem ut erat suspicatus, cum episcopo et multitudine venatorum illuc properavit, sed cum canes ut prius non accedere praesumerent, sed omnes ululando redirent, locum veprium densitate inaccessibilem in girum circumdederunt, unus autem incaute sagittam dirigens, ut inde cervam expelleret, viro Dei pro cerva oranti grave vulnus inflixit, sed milites semitam ferro aperientes ad ipsius devenerunt speluncam et videntes senem habitu monachali vestitum, canitie autem et aetate venerabilem, cervam quoque ad ejus genua provolutam, solus episcopus et rex cum pedites adierunt, caeteris retro stare jussis, et interrogaverunt eum, quis esset vel unde venisset aut cur tam densam eremi vastitatem petiisset seu quis eum vulnerare tam graviter praesumsisset. Quibus cum ad singula respondisset et illi ab eo humiliter veniam postulassent, medicos sanando vulneri spoponderunt et multa donaria obtulerunt, sed ipse nec medicinam adhibere voluit et munera contemnens ad ipsa etiam non respexit, quin potius sciens virtutem in infirmitate perfici, dominum exoravit, ne, quamdiu viveret, sanitati pristinae redderetur. Sed cum rex eum frequenter visitaret et pabulum salutis ab eo reciperet, immensas divitias obtulit, sed eas ille recipere recusavit, admonens, ut inde monasterium construeret, ubi monastici ordinis disciplina vigeret. Quod cum rex [2]) fecisset,

---

1) Ed. Pr.: Veredemo. 2) Ed. Pr. male: venisset legit.

victus Aegidius lacrymis et precibus regis, postquam plurimum renuisset, illius monasterii curam suscepit. Hujus famam rex Carolus ut audivit, ejus impetrato adventu reverenter eum suscepit. Inter caetera salutis colloquia rex eum rogavit, ut pro eo dignaretur orare, quia quoddam facinus enorme commiserat, quod nulli unquam nec ipsi sancto confiteri auderet. Sequenti igitur dominica, dum Aegidius celebrans pro rege oraret, angelus domini eidem apparens schedulam super altare posuit, in qua scriptum erat per ordinem et regis peccatum et Aegidii precibus jam esse dimissum, sed tamen poenitens et confitens ab illo deinceps abstineret. Adjunctum erat in fine, ut, quisquis sanctum Aegidium pro quocunque commisso invocaret, si tamen ab illo desisteret, ejus meritis sibi remissum non dubitaret. Oblata igitur regi schedula peccato suo rex agnito veniam humiliter postulavit, Aegidius autem cum honore rediens apud Nemausensem urbem filium principis, qui tunc obierat, suscitavit. Post aliquantulum vero temporis praenuntians monasterium suum non longe ab hostibus evertendum Romam adiit et privilegium ecclesiae duoque ostia cyparissina, in quibus sculptae erant imagines apostolorum, a papa impetrans dimittensque ea in Tyberim divino regimini commendavit et ad monasterium rediens cuidam contracto apud Tyberonem gressum restituit. Cumque ad monasterium rediisset, praedicta ostia in portu invenit et gratias agens Deo, quod inter tot maris pericula illaesa servasset, ea in [1])liminibus ecclesiae suae ad decus ecclesiae et monimentum pacti Romanae sedis erexit. Tandem dominus diem sui obitus imminere sibi per spiritum revelavit, quod ille fratribus indicans et pro se orare suadens in domino feliciter obdormivit, ubi choros angelorum ejus animam in coelum ferentium plurimi se audivisse testati sunt. Claruit circa annum domini DCC.

---

1) Ed. Pr. male: luminibus.

CAP. CXXXI. (126.)
De nativitate beatae Mariae virginis.

1. Nativitas gloriosae virginis Mariae ex tribu Juda et regia stirpe David duxit originem. Matthaeus autem et Lucas non generationem Mariae, sed Joseph describunt, qui tamen a conceptione Christi penitus alienus fuit, quia consuetudo scripturae dicitur fuisse, ut non mulierum, sed virorum generationis series texeretur. Verissime tamen virgo beata ex progenie David descendit; quod praecipue patet ex hoc, quoniam, ut saepe scriptura testatur, Christus de semine David duxit originem. Cum igitur Christus de sola virgine natus sit, manifestum est, et ipsam virginem ex David natam esse et hoc ex catena Nathan. David enim inter caeteros habuit duos filios Nathan et Salomonem. Ex catena igitur Nathan filii David, ut testatur Johannes Damascenus, Levi genuit Melchi et [1])Panthar, Panthar genuit Barpanthar et Barpanthar genuit Joachim, Joachim virginem Mariam. Ex catena autem Salomonis Nathan habuit uxorem, ex qua genuit Jacob, defuncto autem Nathan Melchi ex tribu Nathan, qui filius quidem Levi, frater autem Pantharis, nupsit uxori Nathan, matri autem Jacob, et genuit ex ea Heli. Facti autem sunt fratres uterini Jacob et Heli, Jacob quidem ex tribu Salomonis, Heli ex tribu Nathan. Defunctus est autem Heli ex tribu Nathan sine liberis et accepit Jacob frater ejus, qui est ex tribu Salomonis, uxorem ejus et suscitavit semen fratris sui et genuit Joseph. Joseph igitur natura est filius Jacob ex descensione Salomonis, secundum legem autem Heli, qui ex Nathan. Nam filius, qui nascebatur, secundum naturam quidem erat generantis, secundum autem legem defuncti. Haec Damascenus. Sicut autem in ecclesiastica hystoria dicitur et Beda in sua chronica testatur, cum omnes generationes Hebraeorum et alienigenarum in [2])archivis templi secretioribus servarentur, Herodes omnes jussit incendi, existimans se nobilem posse videri, si deficientibus probamentis progenies sua ad Israel pertinere crederetur. Fuerunt tamen quidam dicti dominici, sic dicti ob propinquitatem Christi, qui etiam Nazaraei fuerunt, qui ordinem generationis Christi partim, ut a proavis didicerant, partim, ut a quibusdam

1) Ed. Pr. Panthera, alii Panther. 2) Recent. praeferunt: arcis.

libris habuerunt, quos domi habebant, quantum poterant, perdocebant. Joachim autem accepit uxorem nomine Annam, quae habuit sororem nomine Hismeriam. Haec autem Hismeria genuit Elizabeth et Eliud, Elizabeth Johannem baptistam. De Eliud natus est [1]) Eminen, de Eminen natus est sanctus Servatius, cujus corpus est in oppido Trajecti super Mosam in episcopatu Leodiensi. Anna autem tres viros habuisse dicitur, scilicet Joachim, Cleopham et Salome. De primo autem viro, scilicet Joachim, unam filiam, scilicet Mariam, matrem domini genuit, quam Joseph nuptui dedit, quae Christum dominum genuit et peperit. Mortuo Joachim accepit Cleopham, fratrem Joseph, et genuit ex eo aliam filiam, quam similiter Mariam vocavit, et Alpheo postmodum in conjugem sociavit. Haec autem Maria ex Alpheo viro suo quatuor filios genuit, scilicet Jacobum minorem, Joseph justum, qui et Barsabas, Simonem et Judam. Mortuo secundo viro Annae tertium accepit, scilicet Salome, ex quo aliam filiam genuit, quam rursus Mariam vocavit et Zebedaeo in conjugem tradidit. Haec autem Maria ex Zebedaeo viro suo duos filios genuit, scilicet Jacobum majorem et Johannem evangelistam. Unde et de hoc exstant versus:

> Anna solet dici tres concepisse Marias,
> Quas genuere viri Joachim, Cleophas Salomeque.
> Has duxere viri Joseph, Alpheus, Zebedaeus.
> Prima parit Christum, Jacobum secunda minorem,
> Et Joseph justum peperit cum Symone Judam,
> Tertia majorem Jacobum volucremque Johannem.

Sed mirum videtur, quomodo beata Maria potuit esse cognata Elizabeth, ut superius dictum est. Constat enim Elizabeth uxorem fuisse Zachariae, qui erat de tribu Levi, et secundum legem quilibet de sua tribu et familia ducere debebat uxorem, et ipsam de filiabus Aaron Lucas fuisse testatur. Anna autem fuit secundum Hieronymum de Bethlehem, quae erat de tribu Juda, sed sciendum, quod et ipse Aaron et Jojada summus sacerdos ambo de tribu Juda duxerunt uxores, unde tribus sacerdotalis et regalis cognatione semper ad invicem probantur fuisse conjunctae. Potuit autem, ut dicit Beda, hujusmodi conjunctio recentiori tempore fieri datis nuptui feminis de tribu in tribum, ut manifesto beatam Mariam, quae de tribu regia descendit, cum tribu sacerdotali cognationem generis habuisse constaret. Et ita beata Maria de utraque

---

1) Alii: Aminen.

tribu erat. Voluit enim dominus, ut hae tribus privilegiatae propter misterium ad invicem miscerentur, quia de iis dominus nasciturus erat, qui vere rex et sacerdos pro nobis se ipsum offerret et fideles suos in malitia hujus vitae pugnantes regeret et post victoriam coronaret. Quod etiam ex nomine Christi, id est inuncti, innuitur, quia soli sacerdotes et reges et prophetae in lege veteri inungebantur, unde et nos a Christo christiani dicimur et genus electum et [1]) regale sacerdotium appellamur. Sed et quod dicebatur, quod mulieres tamen suae tribus hominibus jungerentur, dictum fuisse constat, ne distributio sortium confunderetur. Quia vero levitica tribus sortem inter caeteros non habebat, mulieres de illa tribu nubere poterant, cui volebant. Hystoriam autem nativitatis virginis beatus Hieronymus, ut in prologo refert, adolescentulus in quodam libello legit, sed post multum temporis, ut se ibidem legisse recoluit, primo rogatus transscripsit. Joachim namque ex Galilaea et civitate Nazareth sanctam Annam ex Bethlehem duxit uxorem, ambo autem justi erant et ambo sine reprehensione in omnibus mandatis domini incedebant omnemque suam substantiam trifarie dividebant, unam partem templo et templi servitoribus impendebant, aliam peregrinis et pauperibus erogabant, tertiam sibi et familiae suae usibus reservabant. Et ita per annos XX prolem ex conjugio non habentes voverunt domino, quod, si iis sobolem concederet, eam servitio domini manciparent. Cujus rei gratia cum singulis annis in tribus festis praecipuis Jerusalem frequentarent, in festo encaeniorum Joachim cum contribulibus suis Hierusalem adscendit, et cum caeteris ad altare accedens oblationem suam offerre voluit. Quem videns sacerdos cum indignatione nimia repulit, et cur ad altare Dei accedere praesumeret, increpavit asserens non esse conveniens, maledicto legis obnoxium oblationem domino legis offerre, nec inter foecundos infoecundum, et qui populum Dei non auxit, adstare. Joachim igitur sic confusum se videns prae pudore domum redire noluit, ne similiter a contribulibus suis, qui hoc audierant, tantum opprobrium sustineret. Secedens igitur ad pastores suos, cum ibi aliquamdiu fuisset, quadam die ei soli angelus cum magna claritate apparuit et de ejus visione turbatum, ne timeret, admonuit, dicens: ego sum angelus domini missus ad te, ut annuntiem tibi preces tuas exauditas esse et elemosinas tuas in conspectu domini ad-

1) Adject. regale omittit Ed. Pr.

scendisse; vidi enim pudorem tuum et audivi sterilitatis opprobrium non recte tibi objectum. Peccati quippe, non naturae ultor est Deus et ideo, cum alicujus uterum claudit, ad hoc facit, ut mirabilius denuo aperiat, et non libidinis esse, quod nascitur, sed divini fore muneris cognoscatur. Prima gentis vestrae mater Sara nonne usque ad nonagesimum annum sterilitatis opprobrium pertulit et tamen Ysaac, cui repromissa erat omnium gentium benedictio, generavit? Rachel etiam nonne diu sterilis fuit et tamen Josephum genuit, qui totius Aegypti dominium habuit? Quis fortior Samsone vel sanctior Samuele? Et tamen hi ambo matres steriles habuere. Rationi igitur et exemplis crede, dilatos diu conceptus et steriles partus mirabiliores esse solere. Proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam et vocabis nomen ejus Mariam. Haec, ut vovistis, erit ab infantia domino consecrata et adhuc ex utero matris suae spiritu sancto plena, nec forinsecus inter populares, sed in templo domini semper morabitur, ne quid sinistrum de ea aliquis suspicetur. Et sicut ipsa ex sterili matre nascetur, ita et mirabiliter ex ea altissimi filius generabitur, cujus nomen erit Jesus, et per eum omnibus gentibus erit salus. Et tibi hoc signum: cum perveneris Hierosolimis ad auream portam, Annam uxorem tuam obviam habebis, quae de tua tardatione modo sollicita tunc in conspectu tuo gaudebit. His dictis angelus ab eo recessit, Anna autem, cum amare fleret et, quonam vir suus ivisset, ignoraret, idem angelus eidem apparuit et sibi eadem, quae viro annuntiaverat, patefecit addens, ut pro signo Hierusalem ad auream portam pergeret et ibidem viro suo redeunti obviaret. Igitur juxta angeli praeceptum ambo sibi invicem obviantes de mutua visione laetati et de prole promissa securi adorato domino domum redierunt divinum promissum hilariter exspectantes. Anna igitur concepit et filiam peperit et nomen ejus Mariam vocavit. Completo igitur per triennium [1]) ablactationis tempore ad templum domini virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa templum juxta XV graduum psalmos XV adscensionis gradus, nam quia templum in monte erat constitutum, altare holocausti, quod forinsecus erat, adiri nisi per gradus non poterat. In horum itaque novissimo virgo constituta cunctos sine alicujus adjutorio ita conscendit, ac si jam aetatis perfectae esset. Perfecta igitur oblatione filiam cum aliis virginibus in templo dimittentes ad propria redierunt, virgo autem quotidie in

1) Ed. Pr. oblationis legit.

omni sanctitate proficiens et ab angelis quotidie visitabatur et visione divina quotidie fruebatur. Ait Hieronymus in quadam epistola ad Chromatium et Heliodorum, quod beata virgo hanc regulam sibi statuerat, ut a mane usque ad tertiam orationibus insisteret, a tertia usque ad nonam textrino operi vacaret, a nona ab orationibus non recedebat, quousque angelus apparens sibi escam daret. Quarto autem decimo aetatis suae anno pontifex publice denuntiavit, ut virgines, quae in templo instruebantur et aetatis tempus implessent, domum reverterentur, ut viris legitime jungerentur. Cujus mandato cum caeterae paruissent, sola beata Maria virgo hoc se facere non posse respondit, tum quia parentes sui eam domini servitio mancipassent, tum quia virginitatem suam domino ipsa vovisset. Tunc anxiatus est pontifex eo, quod neque contra scripturam, quae dicit: vovete et reddite, votum infringendum putaret nec morem genti insuetum introducere auderet. Ad imminentem festivitatem Judaeorum senioribus convocatis omnium haec una fuit sententia, ut in re tam dubia consilium domini quaereretur. Cum autem orationi insisterent et pontifex ad consulendum dominum accessisset, mox de loco oratorii cunctis audientibus vox insonuit dicens, ut, quicunque de domo David nuptiis habiles non conjugati essent, singuli virgas singulas ad altare deferrent et cujuscunque virgula germinasset et in cacumine ejus secundum Ysaiae vaticinium spiritus sanctus in columbae specie consedisset, ipse procul dubio esset, cui virgo desponsari deberet. Erat inter caeteros Joseph de domo David, cui cum incongruum videretur, si vir tam provectae aetatis tam teneram virginem duceret in uxorem, caeteris virgas suas afferentibus solus ipse virgam suam subtraxit. Unde cum nil divinae voci consonum appareret, pontifex iterato dominum consulendum putavit, qui respondit, quod solus ille virgam suam non attulit, cui virgo desponsari deberet. Proditus itaque Joseph cum virgam suam attulisset, et ipsa illico florem geminasset et in ejus cacumine columba de coelo adveniens consedisset, liquido omnibus patuit, ipsi virginem desponsatam fore. Desponsata igitur virgine Joseph ipse quidem in suam civitatem Bethlehem recedit domum suam dispositurus et nuptiis necessaria provisurus, virgo autem Maria cum VII virginibus coaevis et collactaneis suis, quas ob ostensionem miraculi a sacerdote acceperat, ad domum parentum in Nazareth reversa est, in diebus autem illis angelus Gabriel ei oranti apparuit et de ea nasciturum Dei filium nuntiavit Dies au-

tem nativitatis virginis aliquanto tempore fideles latuit. Contigit igitur, sicut refert Johannes Beleth, quod quidam vir sanctus sedulae contemplationi insistens, singulis annis VI Idus Septembres in oratione positus jocundissimam angelorum societatem sollemnizantem audiret, cumque devotissime sibi revelari peteret, cur quolibet anno illo tantum die et non alio hoc audiret, divinum recepit responsum, quod virgo gloriosa Maria tali die fuerit mundo nata, et ideo hoc manifestaret filiis sanctae ecclesiae, ut concordes fierent in hac celebritate coelesti curiae. Cum autem hoc summo pontifici et aliis intimasset et illi orationibus et jejuniis, scripturis et antiquitatum testimoniis veritatem comperissent, hunc diem in honore nativitatis virginis celebrandum universaliter statuerunt. Octava autem nativitatis beatae Mariae [1]) olim non celebrabatur, sed dominus Innocentius IV. natione Januensis ipsam instituit celebrandam. Cujus haec causa fuit. Gregorio enim nono per mortem sublato de medio Romani omnes cardinales in quodam conclavi incluserunt, ut citius ecclesiae provideretur. Sed cum per plures dies concordare non potuissent et ipsi a Romanis multas molestias sustinerent, voverunt reginae coeli, quod, si ejus meritis concordarent et liberi abire possent, octavas suae nativitatis diu neglectas de caetero statuerent celebrandas. Sicque in dominum Coelestinum convenerunt et liberati per dominum Innocentium votum adimpleverunt. Coelestinus enim modico tempore supervixit et ideo per eum impleri non potuit. Et nota, quod tres nativitates ecclesia sollemnizat, scilicet nativitatem Christi, sanctae Mariae et Johannis baptistae, quae tres designant tres spirituales nativitates: cum Johanne namque in aqua, cum Maria in poenitentia, cum Christo renascimur in gloria. Cum igitur nativitatem baptismi in adultis oporteat praecedere contritionem et gloriae similiter, ideo illae duae merito vigilias habent, sed cum poenitentia tota sit pro vigilia, non oportuit, ut vigiliam haberet. Octavas vero omnes habent, quia omnes ad octavam resurrectionis anhelant. — — — 2. Miles quidam valde strenuus et beatae Mariae valde devotus ad torneamentum vadens quoddam primo monasterium ad honorem beatae Mariae constructum in itinere repertum missam auditurus intravit. Cum autem missa missae succederet et ille ob honorem virginis nullam praetermittere vellet, tandem monasterium exiens ad locum

---

1) Ed. Pr. plane contrario haec ita legit: Mariae celebratur sed etc.

concitus properabat. Et ecce redeuntes eidem occurrerunt et ipsum strenuissime militasse referunt. Quod dum omnes, qui aderant, assererent et universi eum strenuissime militasse acclamarent, necnon et quidam, qui se ab eo captos dicebant, se eidem offerrent, perpendens vir discretus urbanam reginam urbano modo se honorasse, quid acciderit, manifestavit et ad monasterium rediens filio virginis de caetero militavit. — — — 3. Episcopus quidam, qui beatam Mariam in summa reverentia et devotione habebat, quandam ecclesiam beatae Mariae in nocte media ex devotione adibat et ecce virgo virginum comitata universo virginum choro venienti viro occurrit et cum summo honore susceptum ad ecclesiam, ad quam tendebat, ducere coepit praecinentibus duabus de choro puellis atque dicentibus:

> Cantemus domino, sociae, cantemus honorem,
> Dulcis amor Christi resonet ore pio.

Quos versus totus alius chorus virginum resumendo percantat praedictaeque binae cantatrices binos, qui sequuntur, in ordine versus subsequutae sunt:

> Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
> Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.

Sicque virum Dei cum tali processione usque ad ecclesiam perduxerunt duabus semper incipientibus et caeteris respondentibus. — — — 4. Quaedam mulier solatio viri sui destituta unicum filium habebat, quem tenerrime diligebat. Quadam autem vice filius ejus ab inimicis capitur et in custodia carceratur et vinculatur. Quod illa audiens inconsolabiliter flebat et beatam virginem, cui multum devota erat, pro liberatione filii importunis precibus exorabat. Tandem videns, quod sic nihil proficeret, ecclesiam, in qua erat sculpta imago beatae Mariae, sola intravit et coram imagine stans ipsam sic alloquitur dicens: virgo beata, pro liberatione filii mei te saepe rogavi et adhuc nequaquam matri miserae subvenisti, patrocinium tuum pro filio meo imploro et nullum adhuc sentio fructum. Igitur, sicut filius meus mihi ablatus est, sic et ego filium tuum tibi auferam et obsidem pro filio meo in custodiam ponam. Et haec dicens propius accessit et imaginem pueri, quam virgo in gremio bajulabat, auferens domum abiit accipiensque imaginem pueri ipsam in linteo mundissimo involvit et in archa recondens ipsam cum clave diligentius obfirmavit, bonum obsidem pro filio suo habere gaudens et ipsum diligenter custodiens. Et

ecce sequenti nocte beata virgo juveni apparuit et januam carceris aperiens, inde ut exeat, praecepit eique dixit: matri tuae, fili, dices, ut meum reddat filium, ex quo reddidi sibi suum. Qui exiens ad matrem venit et, qualiter beata virgo eum liberaverit, enarravit. Illa autem plurimum exsultans imaginem pueri accepit et ad ecclesiam vadens beatae Mariae reddidit filium dicens: gratias vobis, domina, refero, quia mihi meum unicum filium reddidistis, et nunc vobis filium vestrum reddo, quia meum me recepisse profiteor. — — — 5. Erat quidam fur, qui saepe latrocinia exercebat, sed beatam Mariam plurimum in devotione habebat et eam crebrius salutabat. Quadam igitur vice fur quaedam rapiens capitur et suspendio adjudicatur. Cum autem suspenderetur, continuo beata virgo ei affuit et suspensum tribus diebus, ut sibi videbatur, suis manibus sustentavit ita, quod nullam laesionem persensit. Illi vero, qui eum suspenderunt, casu inde transeuntes eum viventem et vultu hilari repererunt et arbitrantes, quod non bene fuisset laqueo adstrictus, gladio ipsum jugulare volebant, sed beata Maria ferientium gladio manum opponebat et illi sibi nil nocere poterant. Cognoscentes ergo referente illo, quod beata Maria sic eum juvabat, mirantes eum deposuerunt et amore virginis abire liberum dimiserunt. Qui abiens monasterium intravit et, quoad vixit, in servitio Dei genitricis permansit. — — — 6. Fuit quidam clericus, qui beatam Mariam valde diligens horas ejus sedulo decantabat. Cum autem parentes ejus morerentur, alium non habentes heredem eidem hereditatem dimiserunt. Compulsus est igitur ab amicis, ut uxorem acciperet et hereditatem propriam gubernaret. Quadam autem die, cum ad celebrandas nuptias tenderet, in itinere quandam ecclesiam reperit, et recordatus servitii beatae Mariae in ipsam ingrediens horas ejus dicere coepit, et ecce beata Maria eidem apparuit et quasi severius ei dixit: o stulte et infidelis, cur me amicam et sponsam tuam relinquis et mihi feminam aliam anteponis? Ad hoc ille compunctus ad socios rediit et totum dissimulans celebratis nuptiis media nocte omnibus relictis de domo aufugit et monasterium intrans beatae Mariae devote servivit. — — — 7. Sacerdos cujusdam parochiae et honestae vitae nullam missam nisi missam beatae Mariae sciebat, quam in ejus honorem sedule decantabat. Apud episcopum igitur accusatur et ab eo citius accersitur. Cum vero coram episcopo se aliam missam nescire diceret, episcopus ipsum quasi seductorem dure redarguit et ab

officio eam suspendens, ne de caetero eam missam cantare auderet, interdixit. Sequenti nocte beata Maria episcopo apparens eum plurimum increpavit et, cur suum sic male tractasset [1]) cancellarium, requisivit addiditque, quod die XXX. moreretur, nisi ille ad consuetum officium restitueretur. Tremefactus episcopus presbiterum accersivit et veniam postulans, ut nullam missam praeter illam, quam sciebat, de beata Maria celebrare debeat, imperavit. — — — **8.** Quidam clericus vanus et lubricus erat, sed tamen Dei genitricem plurimum diligebat et ejus horas sanctas devote et alacriter decantabat. Quadam igitur nocte in visione vidit se ante tribunal Dei adstare et dominum circumstantibus dicere: de illo, qui vos adspicit, quo judicio dignus sit, vos ipsi decernatis, quem tamdiu et toleravi et nullum adhuc in eo emendationis signum inveni. Tunc dominus omnibus approbantibus super eum damnationis tulit sententiam, et ecce virgo beata surrexit et filio dixit: pro isto, pie fili, clementiam tuam rogo, ut super eum damnationis sententiam mitiges; vivat ergo hic ob gratiam mei, qui ob propria merita addicitur morti. Cui dominus: tuis enim petitionibus eum tribuo, si vel saltem nunc ejus correctionem inspexero. Et conversa virgo ad hominem dixit: vade et amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat. Ille igitur excitatus vitam mutavit et religionem petiit et ibi in bonis operibus vitam finivit. — — — **9.** Apud [2]) Siciliam anno domini DXXXVII fuit quidam vir nomine Theophilus cujusdam episcopi vicedominus, ut ait Fulbertus Carnotensis episcopus, qui tam prudenter sub episcopo res ecclesiasticas dispensabat, quod mortuo episcopo eum dignum episcopatu omnis populus acclamabat. At ille vicedominatu contentus alium in episcopum maluit ordinari. Tandem ab ipso officio invite ab ipso episcopo depositus in tantam impatientiam est delapsus, ut ad suam recuperandam dignitatem cujusdam Judaei malefici consilium expeteret. Ille igitur dyabolum advocavit et advocatus concitus venit. Theophilus igitur jussu daemonis Christum et matrem ejus abnegavit, christianae professioni abrenuntiavit et ipsius abrenuntiationis et abnegationis chirographum suo sanguine proprio scripsit et scriptum annulo sigillavit et sigillatum daemoni tradidit et sic ejus servitio se addixit. In crastinum igitur procuratione daemonis Theophilus in gratiam episcopi recipitur et in sui digni-

1) Recent. famulum legunt. 2) Ed. Pr. male: Ciliciam.

tatem officii restituitur. Tandem ad se reversus de eo, quod fecerat, valde ingemuit et ad virginem gloriosam, ut sibi in adjutorium fieret, tota mentis devotione confugit. Quadam igitur vice beata Maria in visione illi apparens de impietate ipsum redarguit et dyabolo abrenuntiare praecepit ac Christum Dei filium et omne christianitatis propositum confiteri fecit et sic ipsum in sui et filii gratiam recuperavit et ad indicium indultae veniae iterum sibi apparens chirographum, quod dyabolo dederat, sibi reddidit et super pectus posuit, ut jam non se dyaboli servum timeret, sed per virginem se liberum factum gauderet. Quo Theophilus recepto vehementer exsultans coram episcopo omnique populo, quod sibi acciderat, retulit et cunctis admirantibus et virginem gloriosam laudantibus ipse post triduum in pace quievit. — — — **10.** Quidam vir et uxor sua filiam unicam habentes eam cuidam juveni nuptui tradiderunt, ob amorem autem filiae generum secum in domo tenebant. Mater autem puellae juvenem amore filiae suae tam diligenter colebat, ut non major esset amor puellae ad puerum, quam socrus ad generum. Inter haec malitiosi dicere coeperunt, quod hoc non filiae causa faceret, sed ut eidem pro filia sese ingereret. Cum igitur mulieris animum tanta falsitas concussisset, timens ne in vulgi fabulam verteretur, duos rusticos alloquitur, et si occulte generum strangulare velint, cuilibet XX solidos pollicetur. Quadam ergo die eos in cellario recludens maritum suum ex industria aliquo ire consuluit et filiam alio transmisit. Tunc adolescens jussu dominae suae cellarium, ut vinum afferret, ingreditur et mox a latronibus strangulatur. Mox socrus ipsum in lectum filiae detulit et quasi dormientem vestibus circumtexit. Redeuntibus ergo marito et filia et ad mensam positis jubet mater filiae, ut maritum debeat excitare et ad mensam vocare. Quae cum defunctum reperisset et haec concita nuntiasset, tota familia in lamentum vertitur et illa mulier homicida quasi dolens cum caeteris lamentatur. Tandem mulier de perpetrato scelere valde ingemuit et sacerdoti omnia per ordinem confessa fuit. Post aliquod tempus inter mulierem et sacerdotem litigium oritur et a sacerdote sibi generi homicidium irrogatur. Quod cum ad parentum [1]) juvenis notitiam devenisset, adducitur ad judicem et ab eo ignibus concremanda admnatur. Finem ergo suum imminere considerans ad beatam vir-

1) Vocem: *juvenis* omittit Ed. Pr.

ginem se convertit et ejus intrans ecclesiam in oratione cum lacrymis se prostravit. Post modicum exire compellitur et in magnum projectam ignem omnes ibidem stare illaesam et incolumem contuentur. At parentes pueri ignem parvum esse putantes ad sarmenta concurrunt et in ignem projiciunt, videntes autem, quod nec sic in aliquo laederetur, lanceis et hastis eam impugnare coeperunt. Tunc judex, qui aderat, vehementer obstupuit et eos ab ipsius impugnatione compescuit, eam autem diligenter considerans nullum in ea signum incendii praeter sola vulnera lancearum invenit. Cum autem parentes ejus domum eam [1]) reduxissent et eam fomentis et balneis recrearent, nolens eam Deus ulterius humana suspicione foedari, post triduum in laude virginis perseverantem ex hac vita avocavit.

---

[2]) CAP. CXXXII. (132.)
De sanctis Cornelio et Cypriano.

Cornelius interpretatur intelligens circumcisionem. Ipse enim intellexit et intelligendo servavit circumcisionem a superfluis licitis et etiam necessariis. Vel Cornelius a cornu et leos, quod est populus, quasi cornu, id est fortitudo populi. Cyprianus dicitur a cypro, quod est mixtura, et ana, quod est sursum. Vel dicitur a cypro, quod est moestitia vel hereditas. Ipse enim habuit supernam mixturam gratiae et virtutum, moestitiam peccatorum et hereditatem coelestium gaudiorum.

Cornelius papa successor sancti Fabiani a Decio Caesare cum suis clericis in exsilium relegatur ibique a sancto Cypriano Carthaginiensi episcopo litteras confortationis accepit. Tandem de exsilio reductus Decio praesentatur, et dum immobilis permaneret, jussit eum Decius plumbatis caedi praecepitque, ut ad templum Martis duceretur, et ibi aut sacrificaret aut sententiam capitalem subiret. Cum ergo illuc duceretur, miles quidam rogavit eum, ut ad domum suam deverteret et pro uxore sua Sallustia, quae per quinque annos paralitica jacebat, oraret. Quae dum ad orationem ejus sanata esset, XX milites cum ipsa et viro suo domino credi-

1) Ed. Pr. reclusissent offert. 2) Hoc caput vulgo est c. 132. In Ed. Pr. inscribitur: De sancto Cornelio.

derunt, qui omnes jubente Decio ad templum Martis deducti et in illud exspuentes cum sancto Cornelio martirizati sunt. Passus est autem circa annos domini CCLIII. Cyprianus autem Carthaginiensis episcopus in eadem civitate Patrono proconsuli praesentatur. Qui cum a fide nullatenus mutari posset, in exsilium mittitur indeque revocatus ab Anglirico proconsule, qui Patrono successerat, sententiam capitalem accepit. Qua sententia lata dixit Cyprianus Deo gratias. Cum autem ad locum cum spiculatore venisset, praecepit suis, ut eidem spiculatori pro mercede XV aureos darent, accipiensque linteum manu sua oculos texit et sic coronam suscepit circa annos domini CCLVI.

---

[1]CAP. CXXXIII. (134.)
De sancto Lamperto.

Lampertus nobilis genere, sed nobilior sanctitate vitae et a primaevo aetatis suae litteris eruditus adeo pro sui sanctitate ab omnibus amabatur, ut post Theodardum magistrum suum [2]Trecensis ecclesiae in episcopum meruit promoveri. Quem Childericus rex plurimum diligebat et prae omnibus episcopis carum semper habebat, sed crescente invidorum malitia eum sine causa impii expellentes honore debito privaverunt et [3]Feramundum in ejus cathedram statuerunt. At Lampertus monasterium ingressus per [4]quinque annos ibidem optime conversatus est. Quadam vero nocte ad orationem surgens in pavimento per ignorantiam sonum fecit, quod audiens abbas dixit: quisquis hunc fecit sonum, statim vadat ad crucem. Tunc Lampertus illico nudis pedibus in cilicio ad crucem cucurrit ibique tamdiu et in nive et gelu ac glacie fixus stetit, dum fratribus post matutinas se calefacientibus abbas eum deesse cognovit et audiens a quodam fratre, quod ille esset, qui ad crucem ivisset, eum introduci fecit et ab eo cum monachis veniam postulavit. Ille vero non solum clementer indulsit, sed et de bono patientiae iis sublimiter praedicavit. Post septem annos Feramundus est expulsus et sanctus Lampertus jubente Pipino ad sedem

1) Hoc caput vulgo est c. 134. 2) Ed. Pr. Trajectensis legit. 3) Ed. Pr. Ferramendum legit. 4) Alii septem offerunt.

propriam est reductus. Cum autem sicut prius verbo et exemplo polleret, insurgentes in eum duo maligni eum graviter insectari coeperunt, quos amici pontificis [1]), sicut meruerant, occiderunt. Eo tempore Lampertus Pipinum de quadam meretrice, quam tenebat, plurimum increpavit, Dodo autem consanguineus eorum, qui occisi fuerant, et frater ipsius meretricis, domesticus aulae regiae congregato exercitu domum episcopi circumquaque obsedit, volens occisorum necem in sancto vindicare. At cum puer Lamperto in oratione posito nuntiasset, ille confisus in domino, ut eos expugnaret, mucronem arripuit, sed ad se rediens gladium de manu projecit, melius judicans, ut persistendo et moriendo vinceret, quam ut sacratas manus de impiorum sanguine macularet. Tunc vir Dei suos admonuit, ut peccata sua confiterentur et mortem patienter sustinerent, statimque impii irruentes sanctum in oratione Lampertum prostratum peremerunt circa annos domini [2]) DCXX. Quibus discedentibus quidam ex ejus famulis evadentes corpus ejus occulte ad cathedralem ecclesiam navigio perduxerunt et cum multa civitatis moestitia sepulturae dederunt.

CAP. CXXXIV. (127.)

De sancto Adriano [3]) cum sociis suis.

Adrianus a Maximiano imperatore regnante martirium passus est. Cum enim praedictus Maximianus in Nicomedia urbe ydolis immolaret, jussu ejus cuncti christianos perquirentes alii timore poenae, alii amore promissae pecuniae, vicini vicinos, propinqui domesticos ad supplicium trahebant, inter quos XXXIII a perquirentibus comprehensi ante regem adducti sunt. Quibus rex: non audiistis, qualis poena adversus christianos posita sit? Cui illi: audivimus et stultitiae tuae jussionis irrisimus. Tunc rex iratus nervis crudis eos caedi jussit et lapidibus ora eorum contundi mandavit ac annotata uniuscujusque confessione ferro vinctos in carcere recludi praecepit. Quorum constantiam Adrianus prior officii militaris considerans dixit iis: adjuro vos per Deum vestrum,

1) Vulgo male additur: eos. 2) Ed. Pr. DC legit. 3) verba: cum sociis suis libri recent. omittunt.

ut mihi dicatis, quae est remuneratio, quam exspectatis per ista tormenta. Ad hoc dixerunt sancti: oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit dominus diligentibus se perfecte. Tunc Adrianus in medium prosiliens ait: annotate me cum istis, quia et ego christianus sum. Quod cum imperator audivisset, nolentem sacrificare vinctum ferro in carcere posuit. Natalia vero uxor ejus, audiens virum suum in carcere, scidit vestimenta sua flens plurimum et ejulans. Sed cum audivisset, quod propter fidem Christi incarceratus fuisset, gaudio repleta ad carcerem cucurrit et vincula viri sui et aliorum osculari coepit. Erat enim christiana, sed propter persecutionem se non publicaverat. Et dixit ad virum: beatus es, domine mi Adriane, quia invenisti divitias, quas non dimiserunt parentes tui, quibus egebunt hi, qui multa possident, quando non erit foenerandi tempus nec mutuo accipiendi, [1]) dum nullus de poena alium liberabit nec pater filium nec mater filiam nec servus dominum nec amicus amicum nec divitiae possessorem. Cumque eum admonuisset, ut omnem gloriam terrenam contemneret et amicos et parentes sperneret et semper ad coelestia cor haberet, dixit ad eam Adrianus: vade, soror mea, tempore passionis nostrae accersam te, ut videas finem nostrum. Sicque virum suum aliis sanctis recommendans, ut eum scilicet confortarent, rediit in domum suam. Postmodum audiens Adrianus diem passionis suae adesse, dans munera custodibus et [2]) sanctos, qui secum erant, in fidejussores abiit domum vocare Nataliam, sicut ei juramento promiserat, ut eorum passionibus praesens esset. Quidam autem eum videns praecurrit et nuntiavit Nataliae dicens: absolutus est Adrianus et ecce venit. Quod illa audiens non credebat dicens: et quis potuit eum absolvere a vinculis? Non mihi contingat, ut absolvatur a vinculis et separetur a sanctis! Dum hoc loqueretur, puer domesticus venit dicens: en dominus meus dimissus est. Illa autem putans, quod martirium refugisset, amarissime flebat, et cum vidisset eum, surgens velocius ostium domus contra eum clausit et dixit: longe a me efficiatur, qui a Deo corruit, nec mihi contingat loqui ori illius, per quod dominum suum abnegavit. Et conversa ad eum dixit: o tu miser sine Deo, quis te coegit apprehendere, quod non potuisti perficere, quis te separavit a sanctis aut quis te seduxit, ut recederes a

1) Ed. Pr. male: Deus loco conjunctionis dum legit. 2) Ed. Pr.: sanctis — fidejussoribus praefert.

conventu pacis? Dic mihi, cur fugisti, antequam pugna fieret, antequam repugnantem videres, quomodo vulneratus es necdum emissa sagitta? Et ego mirabar, si ex gente sine Deo et de genere impiorum [1])aliquis offerretur Deo. Heu me infelicem et miseram, quid faciam, quae conjuncta sum huic ex genere impiorum? Non est concessum mihi, ut unius horae spatio vocarer uxor martiris, sed ut dicerer uxor transgressoris, ad modicum quidem exsultatio mea fuit et ecce per saecula opprobrium meum erit. Haec autem beatus Adrianus audiens vehementer gaudebat, admirans de femina juvene pulcherrima et nobili et ante XIV menses nupta, quomodo talia loqui posset. Unde ex hoc ad martirium ardentior effectus verba ejus libentissime audiebat, sed cum eam nimis affligi videret, dixit ei: aperi mihi, domina mea Natalia; non enim, ut putas, martirium fugi, sed te, ut promisi, vocare veni. Quae non credens ait: vide, quomodo me seducit transgressor, quomodo mentitur alter Júdas, fuge a me miser, me ipsam jam interficiam, ut satieris. Et dum moraretur ad aperiendum, ei dixit: aperi citius, nam vadam et ultra non videbis me et post hoc lugebis, quod me ante exitum meum non videbis; fidejussores dedi sanctos martires, et si ministri me requirentes non invenerint, sustinebunt sancti tormenta sua et mea simul. Haec audiens Natalia aperuit et sibi invicem prostrati ad carcerem simul abierunt, ubi Natalia per VII dies sanctorum ulcera cum linteis pretiosis extergebat. Statuta autem die imperator eos praesentari jussit, qui resoluti poenis, quia ambulare non poterant, velut animalia portabantur, Adrianus vero vinctis manibus sequebatur. Deinde Adrianus [2])portans sibi equuleum Caesari praesentatur, Natalia vero adjungens se ei dicebat: vide, domine meus, ne forte trepides, cum tormenta videbis; modicum quidem nunc patieris, sed continuo cum angelis exsultabis. Adrianus igitur sacrificare nolens gravissime caesus est, currensque Natalia cum gaudio ad sanctos, qui erant in carcere, ait: ecce dominus meus inchoavit martirium. Cum autem rex, ne Deos suos blasphemaret, moneret, ille ait: si ego torqueor, quia eos, qui non sunt Dii, blasphemo, qualiter ipse torqueberis, qui Deum verum blasphemas? Cui rex: haec verba te illi seductores docuerunt. Ad quem Adrianus: quare seductores eos dicis, qui sunt doctores vitae aeternae? Currens Natalia haec responsa viri sui

1) Ed. Pr. male aliis praefert. 2) Ed. Pr. male: portatus super eq.

aliis cum gaudio referebat. Tunc rex a quatuor validissimis viris fecit eum graviter caedi, omnes autem poenas et interrogationes et responsiones Natalia aliis martiribus, qui erant in carcere, continuo referebat. In tantum autem caesus est, ut ejus viscera effunderentur. Tunc ferro vinctus cum aliis in carcere recluditur. Erat autem Adrianus juvenis delicatus valde et decorus annorum XXVIII, Natalia vero virum suum supinum jacentem et totum laceratum considerans, mittens manum sub vertice ejus dicebat: beatus es, domine meus, qui dignus effectus es de numero esse sanctorum; beatus es, lumen meum, ut patiaris pro eo, qui pro te passus est. Perge nunc, dulcis meus, ut videas gloriam ejus. Audiens autem imperator, quod multae matronae sanctis in carcere ministrarent, praecepit, ne ulterius ad eos ingredi permittantur. Quod audiens Natalia se ipsam tonsuravit et habitum virilem assumens sanctis in carcere ministrabat. Alias quoque exemplo suo ad hoc induxit rogavitque virum, ut, cum esset in gloria, hanc precem pro se faceret, ut se intactam custodiens Deus ab hoc saeculo citius evocaret. Audiens autem rex, quae matronae fecissent, jussit incudem afferri, ut fractis super eum cruribus sancti martires interirent. Timens vero Natalia, ne vir suus ex aliorum suppliciis terreretur, rogavit ministros, ut ab eo inciperent. Abscissis igitur ab eo pedibus cruribusque fractis rogavit eum Natalia, ut manum sibi abscidi permitteret, quatenus aliis sanctis, qui plura passi fuerunt, compar esset. Quo facto Adrianus spiritum reddidit caeterique ultro pedes protendentes ad dominum migraverunt. Rex autem eorum corpora cremari mandavit, Natalia vero manum Adriani in sinu suo abscondit. Cum autem corpora sanctorum in ignem praecipitarentur, voluit et Natalia se cum iis in ignem praecipitare, sed subito vehementissimus imber erupit et ignem exstinguens corpora sanctorum illaesa servavit, christiani vero consilio inito corpora Constantinopolim transferri fecerunt, quousque pace ecclesiae reddita cum honore referrentur. Passi sunt circa annum domini CCLXXX. Natalia vero domi remanens manum sancti Adriani sibi retinuit, quam in solatium vitae suae semper ad caput lectuli sui tenebat. Post hoc autem tribunus videns Nataliam tam pulcherrimam tamque divitem et nobilem de voluntate imperatoris honestas matronas misit, ut in suum conjugium consentiret. Quibus Natalia respondit: quis mihi praestare poterit, ut conjungar tali viro? Sed peto, ut trium dierum mihi dentur induciae, ut me

valeam praeparare. Hoc autem dicebat, ut inde fugere posset. Cum autem Deum exoraret, ut se intactam conservaret, subito obdormivit et ecce unus martirum ei apparuit et eam dulciter consolans, ut ad locum, in quo sunt corpora martirum, veniat, imperavit. Evigilans igitur et manum Adriani solam accipiens cum multis christianis navem conscendit. Quod tribunus audiens cum multis militibus eam per navigium insecutus est, exsurgens autem ventus contrarius multis eorum submersis eos redire compulit. Media autem nocte dyabolus in specie naucleri cum navi phantastica his, qui erant cum Natalia, apparuit et quasi voce naucleri ait iis: unde venitis aut quo pergitis? Et illi: ex Nicomedia venimus et Constantinopolim pergimus. Quibus ille ait: erratis, ad sinistram pergite, ut rectius navigetis. Hoc autem dicebat, ut eos in pelagus mitteret et perirent. Cum autem vela mutarent, subito Adrianus in navicula sedens eisdem apparuit et eos navigare, sicut prius coeperant, admonuit, asserens malignum spiritum fuisse, qui sibi locutus fuerat, ponensque se ante eos praecedebat illos et viam iis ostendebat. Natalia vero Adrianum praecedere videns immenso gaudio repleta est sicque, antequam illucesceret, Constantinopolim advenerunt. Cum autem Natalia in domum, ubi erant corpora martirum, introiisset et manum Adriani ad corpus posuisset et post orationem dormitasset, Adrianus ei apparuit et salutans eam, ut in aeternam pacem secum veniret, praecepit. Quae cum evigilasset et somnium adstantibus retulisset, valefaciens omnibus emisit spiritum, fideles autem corpus ejus accipientes juxta corpora martirum illud posuerunt.

CAP. CXXXV.[1] (128.)

De sanctis Gorgonio et [1]Dorotheo.

Gorgonius et Dorotheus apud Nicomediam primi in palatio Dyocletiani antiquae militiae renuntiant, ut liberius regem suum sequantur, et christianos se voce libera confitentur. Quod Caesar audiens plurimum anxiabatur, aegre ferens perdere tales viros,

---

1) Ed. Pr. Thorotheus legit.

quos intra palatium nutritos morum et generis nobilitas decoravit. Cum igitur nec minis nec blanditiis moverentur, in equuleo distenduntur et flagellis et ungulis toto corpore lacerati aceto et sale nudatis paene eorum visceribus perfunduntur, et cum haec alacrius tolerarent, in craticula assantur, ubi quasi in lecto florum videbantur jacere nihilque laesionis sentire. Deinde jussu Caesaris laqueo suspenduntur et corpora lupis et canibus exponuntur, sed tamen intacta a fidelibus colliguntur. [1]) Passi sunt circa annum domini CCLXXX. Post multos annos corpus sancti Gorgonii Romam translatum est. Anno domini [2]) DCCLXIII. episcopus Metensis nepos Pipini regis ipsum ad Gallias transtulit et Gorgociensi monasterio eos collocavit.

CAP. CXXXVI. (129.)

De sanctis Protho et Jacincto.

Prothus et Jacinctus fuerunt domicelli et in studio philosophiae socii Eugeniae filiae Philippi nobilissimi Romanorum genere. Qui quidem Philippus a senatu praefecturam Alexandriae acceperat et illuc Claudiam uxorem suam et filios Avitum et Sergium filiamque [3]) Eugeniam secum duxit. Porro Eugenia omnibus liberis artibus et litteris erat perfecta. Prothus quoque et Jacinctus secum studuerant et ad perfectionem omnium scientiarum devenerant. Eugenia igitur XV. aetatis suae anno ab Aquilino Aquilini consulis filio petitur uxor. Cui illa: et maritus non natalibus, sed moribus est eligendus. Pervenit igitur ad manus ejus doctrina Pauli et coepit animo fieri christiana. Permissum erat tunc christianis circa Alexandriam habitare, unde illa quasi solatiando pergens ad villam transiens audivit christianos cantantes: omnes Dii gentium daemonia, dominus autem caelos fecit. Tunc dicit ad pueros Prothum et Jacinctum, qui secum studuerant: philosophorum syllogismos scrupuloso studio transegimus, Aristotelica argumenta et Platonis ideas et Socratis monita et breviter quidquid cantat poeta, quidquid orator et quidquid philosophus cogitat, hac sententia excluduntur;

---

1) Ed. Pr. offert: passus est. 2) Alii legunt: DCCLXXIII. 3) Ed Pr. male haec ita exhibet: Eugeniam, quae omnibus etc.

dominam me verbis usurpata potestas, sororem vero sapientia fecit, simus ergo fratres et Christum sequamur. Placet consilium et assumto habitu viri ad monasterium, cui Helenus vir Dei praeerat, venit, qui nullam ad se feminam venire sinebat. Qui etiam quadam vice cum haeretico disputans, cum vim argumentorum ferre non posset, magnum ignem accendi fecit, ut ille, qui non combureretur, veram fidem probaretur habere. Quod cum factum esset, prior intravit et illaesus exiit, haereticus autem, cum intrare nollet, ab omnibus expulsus est. Ad hunc igitur cum accessisset et se virum diceret, ait: recte vir diceris, quia, cum sis femina, viriliter agis. Nam sibi ejus conditio a Deo fuit revelata. Ab eo igitur cum Protho et Jacincto monasticum habitum suscepit et se fratrem Eugenium ab omnibus appellari fecit. Pater autem et mater videntes currum Eugeniae domum vacuum rediisse, moerentes undique filiam inquiri fecerunt, sed minime invenire potuerunt. Interrogant vates, quid de filia factum sit, qui respondent, eam a Diis inter astra translatam. Quocirca pater imaginem filiae fecit et ipsam ab omnibus adorari mandavit, ipsa vero cum sociis in Dei timore permansit et mortuo praeposito ipsa praeficitur. Erat tunc Alexandriae matrona quaedam dives et nobilis Melancia nomine, quam sancta Eugenia oleo perungens a quartana liberavit in nomine Jesu Christi, unde multa ei misit munera, sed non recepit. Praedicta igitur matrona fratrem Eugenium hominem esse arbitrans saepius eum visitabat vidensque elegantiam juventutis et pulchritudinem corporis in ejus amorem vehementer exarsit, et qualiter cum eo commisceri possit, anxia cogitare coepit. Simulans igitur languorem misit, ut ad eam veniret et se invisere dignaretur. Qui cum venisset, aperuit sibi, qualiter ejus amore capta esset et qualiter in ejus concupiscentia aestuaret, rogans, ut secum carnaliter commisceretur, statimque eum apprehendens amplectitur et osculatur et ad crimen hortatur. Quod factum frater Eugenius abhorruit dicens ei: recte nomen Melanciam habere cognosceris, nigredinis enim repleta perfidia nigra diceris et obscura filia tenebrarum, amica dyaboli, dux pollutionis, fomentum libidinis, soror anxietatis perpetuae et mortis filia sempiternae. Illa vero se deceptam videns et timens, ne forte scelus publicaret, voluit ipsa prior detegere clamareque coepit, quod Eugenius ipsam voluit violare. Abiit igitur ad Philippum praefectum et conquesta est dicens: juvenis quidam perfidus christianus ad me medendi causa ingressus in

me irruens impudenter me voluit violare, et nisi unius ancillae, quae intra cubiculum erat, fuissem liberatus suffragio, suae me libidini sociasset. Audiens igitur praefectus ira accenditur et missa apparitorum multitudine Eugeniam caeterosque servos Christi ferro vinctos adduci fecit diemque statuit, in quo omnes tradi deberent morsibus bestiarum. Accersitis etiam iis coram se dixit ad Eugeniam: dic nobis, sceleratissime, an hoc vos Christus vester docuit, ut operam corruptionibus detis et matronas impudenti vesania violetis. Cui Eugenia demissa facie, ne agnosceretur, respondit: dominus noster castitatem docuit et integritatem servantibus aeternam vitam promisit. Hanc autem Melanciam falsam testem monstrare possumus, sed melius est, ut nos patiamur, quam quod illa, cum convicta fuerit, puniatur et fructus patientiae nostrae depereat. Verumtamen adducat ancillam, quam dicit nostri sceleris esse testem, ut ex ore ejus possint refutari mendacia. Quae cum adducta esset, illa a domina sua docta constanter sibi apponebat, quod dominam suam opprimere voluit, cumque omnes de familia similiter depravati sic esse testarentur, ait Eugenia: tempus tacendi transiit et tempus loquendi advenit; nolo, ut impudica in servos Christi crimen imponat nec fallacia glorietur; ut autem mendacium veritas superet et sapientia malitiam vincat, veritatem ostendam, non propter jactantiam, sed propter Dei gloriam. Et haec dicens tunicam a capite usque deorsum sive usque ad cingulum scidit et femina apparuit dixitque praefecto: tu mihi pater, Claudia mater, fratres hi duo, qui tecum sedent, Avitus et Sergius, ego Eugenia filia tua, hi duo Prothus et Jacinctus. Quod pater audiens et filiam cognoscere incipiens in amplexus cum matre irruit et lacrymas multas effudit, Eugenia autem vestibus aureis induitur et in sublime tollitur, ignis autem de coelo venit et Melanciam cum suis consumsit. Sicque Eugenia patrem, matrem et fratres totamque familiam ad fidem Christi convertit, ita quod pater propter hoc a praefectura depositus a christianis episcopus ordinatur et in oratione persistens ab infidelibus occiditur, Claudia autem cum filiis suis et Eugenia Romam revertitur et ibi multi ab iis ad Christum sunt conversi. Eugenia autem jussu imperatoris ligata grandi saxo in Tyberim praecipitatur, sed rupto saxo super undas incolumis gradiebatur. Tunc in fornacem ardentem projicitur, sed exstincta fornace refrigerio utebatur. Recluditur deinde in tenebrosum carcerem, sed lumen splendidissimum radiabat eidem,

cumque per X dies sine cibo fuisset, salvator eidem apparuit et panem candidissimum sibi porrigens dixit: accipe cibum de manu mea, ego sum salvator tuus, quem tota mentis intentione amasti; eodem die, quo ad terras descendi, ipse te eripiam. In die igitur natalis domini spiculator mittitur et caput ejus abscidit. Quae postmodum matri apparuit et quod die dominica se sequeretur, praedixit. Veniente igitur dominica die Claudia in oratione posita emisit spiritum. Prothus autem et Jacinctus, cum ad templum ydolorum traherentur, oratione simulacrum comminuerunt et cum sacrificare nollent, capitis obtruncatione martirium postmodum compleverunt. Passi sunt autem sub Valeriano et Gallo circa annos domini CCLVI.

CAP. CXXXVII. (130.)

De exaltatione sanctae crucis.

Exaltatio sanctae crucis dicitur eo, quod tali die fides et sancta crux plurimum exaltata fuit. Notandum autem, quod ante Christi passionem lignum crucis fuit lignum vilitatis, quia hujusmodi cruces de lignis vilibus parabantur; infructuositatis, quia, quantumcunque in monte Calvariae plantabatur, fructum minime faciebat; ignobilitatis quoque, quia erat supplicium latronum; tenebrositatis, quia tenebrosum et sine omni decore erat; mortis, quia ibi homines morti tradebantur; foetoris, quia in medio cadaverum plantabatur. Post passionem vero fuit multipliciter exaltata, quia vilitas transiit in pretiositatem, unde dixit Andreas: salve crux pretiosa etc.; infructuositas in fertilitatem, Cant. VII.: adscendam in palmam et apprehendam fructum ejus; ignobilitas in sublimitatem, August.: crux, quae erat supplicium latronum, transiit ad frontes imperatorum; tenebrositas in claritatem, Chrysostomus: crux et cicatrices Christi radiis solis in judicio erunt lucidiores; mors in vitae perpetuitatem, unde cantatur: ut unde mors oriebatur; foetor in odorem suavitatis, Cant. I.: cum esset rex in accubitu suo; nardus, id est crux sancta, dedit odorem suum.

1. Exaltatio sanctae crucis sollemniter ab ecclesia celebratur, quia in ea fides quamplurimum exaltata fuit. Anno enim domini

DCXV. permittente domino flagellari populum suum per saevitiam paganorum, Cosdroe rex Persarum omnia regna terrarum suo imperio subjugavit, Jerusalem autem veniens a sepulchro domini territus rediit, sed tamen partem sanctae crucis, quam sancta Helena ibidem reliquerat, asportavit. Volens autem ab omnibus coli ut Deus, turrim ex auro et argento interlucentibus gemmis fecit et ibidem solis et lunae et stellarum imagines collocavit, per subtiles etiam atque occultos ductus quasi Deus [1]) aquam desuper infundebat et in [2]) subterraneo specu equi quadrigas trahentes in circuitu ibant, ut quasi turrim moverent et tonitruum simularent. Filio igitur suo regno tradito in tali fano profanus residet et juxta se crucem domini collocans appellari ab omnibus se Deum jubet et, sicut legitur in libro de mitrali officio, ipse Cosdroe in throno residens tanquam pater lignum crucis sibi a dextris imposuit loco filii et gallum a sinistris loco spiritus sancti, se vero jussit patrem nominari. Tunc Eraclius imperator exercitum copiosum collegit et contra filium Cosdroe juxta Danubium fluvium dimicaturus advenit. Tandem utrisque principibus placuit, ut ipsi super pontem soli confligerent, et qui victor exsisteret, sine damno utriusque exercitus imperium usurparet. Decretum etiam exiit, ut, quicumque principem suum juvare praesumeret, cruribus excisis et brachiis ob hoc continuo in flumine mergeretur. At Eraclius totum se Deo obtulit et sanctae cruci devotione, qua potuit, commendavit. Ambobus igitur in conflictu durantibus, Eraclio victoriam dominus contulit et contrarium exercitum suo imperio subjugavit, adeo quod universus populus Cosdroe fidei christianae se subdidit et sacrum baptisma suscepit. Cosdroe autem ignorabat exitum belli, quia, cum ab omnibus [3]) odiretur, sibi a nemine intimatur. Eraclius autem ad eum pervenit et in throno aureo eum sedere reperiens eidem dixit: quia lignum sanctae crucis secundum tuum modulum honorasti, si baptismum et fidem Christi susceperis, adhuc vitam et regnum paucis a te acceptis obsidibus obtinebis, si autem hoc implere contemseris, gladio meo te feriam et caput tuum praecidam. Cum igitur ille acquiescere nollet, extracto gladio eum penitus decollavit, et quia rex fuerat, sepelire praecepit, filium vero suum X annorum, quem cum eo reperit, baptizari fecit et de sacro fonte ipsum suscipiens regnum paternum ei dimisit.

---

1) Ed. Pr. aquae offert. 2) Ed. Pr. legit: supremo. 3) Ed. Pr.: adoraretur.

Turrim vero illam destruens et argentum in praedam sui exercitus tribuens, aurum vero et gemmas ad reparandum ecclesias, quas tyrannus destruxerat, reservavit. Sacram igitur crucem suscipiens Hierosolimam reportavit, cumque autem de monte oliveti descendens per portam, qua dominus passurus intraverat, in equo regio et ornamento imperiali ingredi vellet, repente lapides portae descenderunt et invicem quasi murus vel unus paries se clauserunt. Super quo cunctis stupentibus angelus domini signum crucis in manibus tenens super portam apparuit dicens: cum rex coelorum ad passionem per hanc portam intraret, nec cultu regio, sed humili asello ingrediens humilitatis exemplum suis cultoribus dereliquit; et his dictis angelus abscessit. Tunc imperator lacrymis infusus se ipsum discalceavit et vestimenta usque ad camisiam exuit crucemque domini accipiens usque ad portam humiliter bajulavit moxque duritia lapidum coeleste persensit imperium statimque porta se suberigens liberum intrantibus patefecit ingressum. Odor autem suavissimus, qui eodem die eodemque momento, quo de turri Cosdroe sacra crux fuit ablata, Hierosolimis de Persarum provincia per tam longa terrarum spatia fuerat illapsus, tunc rediit omnesque mirabili suavitate refecit. Rex autem devotissimus in has crucis laudes prorupit: o crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quae sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clavi, dulcis mucro, dulcis hasta, dulcia ferens pondera, salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam, tuo vexillo signatam. Sicque pretiosa in suo loco restituitur et antiqua miracula renovantur. Mortui quidam vitae restituuntur, paralitici quatuor curantur, leprosi decem mundantur, caeci quindecim illuminantur, daemones effugantur et a variis languoribus plurimi liberantur et sic imperator ecclesias reparans et regiis muneribus cumulans ad propria remeavit. In chronicis autem hoc gestum aliter fuisse narratur. Dicitur enim, quod, dum Cosdroe occupans universa regna Hierusalem cum Zacharia patriarcha et ligno crucis cepisset et Eraclius cum eo pacem facere vellet, juravit, se cum Romanis pacem non facturum, donec crucifixum abnegarent et solem adorarent. Tunc Eraclius zelo armatus contra eum exercitum movit et Persas multis proeliis devastavit et Cosdroe usque ad Ctesiphontem fugere compulit. Tandem Cosdroe dissenteriam incurrens [1]) Medasan filium suum in regem coronare

1) Ed. Pr. Dasam legit.

voluit. Quod Syrois primogenitus ejus audiens cum Eraclio foedus iniit patremque cum nobilibus persequens in vinculis jecit, quem pane tribulationis et aqua angustiae sustentans tandem sagittari et occidi fecit. Postmodum autem omnes incarceratos cum patriarcha et ligno crucis Eraclio destinavit, ille autem pretiosum lignum crucis Jerusalem detulit et postmodum Constantinopolim deportavit. Haec in multis chronicis leguntur. — — — 2. De hoc autem ligno crucis sic dixit Sibilla apud paganos, sicut dicitur in hystoria tripartita: o ter beatum lignum, in quo Deus extensus est! Hoc forte dictum est propter vitam naturae, gratiae et gloriae, quae ex cruce provenit. — — — 3. Apud Constantinopolim Judaeus quidam ecclesiam sanctae Sophiae ingressus quandam imaginem [1]) Christi ibidem conspexit. Qui se ibi solum considerans gladium arripuit et appropians imaginem Christi in gutture percussit statimque inde sanguis exivit et Judaei faciem et caput adspersit. Qui territus imaginem accepit et ipsam in puteum projiciens statim aufugit. Quidam autem christianus eidem obviavit sibique dixit: unde venis, Judaee? aliquem hominem occidisti. Et ille: falsum est. Cui rursus homo ille dixit: vere homicidium perpetrasti et ideo sanguine aspersus es. Et Judaeus: vere Deus christianorum magnus est et fides ejus firma per omnia comprobatur; nequaquam enim hominem percussi, sed Christi imaginem, et continuo sanguis emanavit de ejus gutture. Duxit autem Judaeus hominem illum ad puteum et inde sanctam imaginem extraxerunt. Plaga autem in gutture Christi, ut fertur, adhuc hodie cernitur et Judaeus continuo fidelis efficitur. — — — 4. Apud Syriam in civitate [2]) Berich quidam christianus sub annua pensione hospitium habens imaginem domini crucifixi contra lectuli faciem in pietate affixerat et ibi orationes suas continue faciebat. Post annum vero aliam domum locavit et imaginem ibidem ex oblivione reliquit, quidam autem Judaeus praedictam domum conduxit et die quadam unum de suis contribulibus ad convivium invitavit. Inter epulas autem ille, qui invitatus fuerat, casu circumspiciens imaginem infixam parieti contuetur et in illum, qui se invitaverat, ira fremens, cur imaginem Jesu Christi Nazareni tenere audeat, comminatur. Ille autem, cum adhuc praedictam imaginem non vidisset, sacramentis, quibus poterat, affirmabat, quod illam, de qua dicebat, imaginem penitus ignorabat. Tunc

1) Christi vocem omittit Ed. Pr. 2) Alii: Berith legunt.

ille placatum se simulans valefecit et principem suae gentis adiens Judaeum illum de eo, quod viderat, accusavit. Judaei igitur congregati ad domum ejus conveniunt et visa imagine illum contumeliis duris afficiunt et extra synagogam semivivum projiciunt, imaginem vero conculcantes pedibus cuncta in ea dominicae passionis opprobria renovarunt. Cum vero latus lancea perforassent, ubertim sanguis et aqua exivit et suppositum vas implevit. Stupefacti Judaei sanguinem illum ad synagogas detulerunt et omnes infirmi ex ipso [1]) inuncti protinus curabantur. Tunc Judaei episcopo terrae illius omnia per ordinem narraverunt et baptismum et fidem Christi unanimiter susceperunt. Episcopus autem sanguinem illum in ampullis crystallinis et vitreis conservavit, christianum etiam illum accersivit et, quis tam pulchram imaginem composuisset, inquisivit. At ille dixit: Nicodemus illam composuit, quam [2])moriens Gamalieli, Gamaliel Zachaeo, Zachaeus Jacobo, Jacobus Symoni dereliquit, sicque in Jerusalem usque ad excidium urbis fuit, donec inde a fidelibus in regnum Agrippae delata et inde ad patriam meam deducta a parentibus meis ad me hereditario jure devenit. Factum est hoc anno domini DCCL. Tunc omnes Judaei synagogas in ecclesias consecrarunt et extunc hic mos inolevit, ut ecclesiae consecrarentur, quia ante tantum altaria consecrabantur. Propter istud miraculum ordinavit ecclesia V cal. Decembres memoriam fieri dominicae passionis, vel, ut alibi legitur, V Idus Novembres. Unde et Romae consecrata ecclesia est in honore salvatoris, ubi ampulla cum illo sanguine reservatur et sollemne festum agitur. — — —

5. Virtus crucis etiam apud infideles maxima per omnia comprobatur. Nam, ut Gregorius in III. dyalogorum libro commemorat, Andreas Fundanae civitatis episcopus, dum quandam sanctimonialem episcopus feminam secum habitare permitteret, antiquus hostis coepit speciem illius mentis ejus oculis imprimere, ut in lecto nefanda cogitaret. Quadam vero die Judaeus quidam Romam veniens, cum jam diem declinare cerneret, et ubi manere posset, minime reperisset, in quodam templo Apollinis ad manendum se contulit. Qui ipsum loci ipsius sacrilegium pertimescens, quamvis fidem crucis minime haberet, signo crucis tamen se munire curavit. Nocte autem media evigilans vidit malignorum spirituum turbam quasi in obsequium cujusdam [3])potestatis prodire eumque, qui

1) Ed. Pr.: inventi. 2) Ed. Pr.: minori. 3) Recent. potentis legunt.

caeteris praeerat, in eorum medio considere, qui coepit singulorum spirituum sibi obsequentium causas actusque discutere, quatenus, unusquisque quantum egisset nequitiae, inveniret. Modum autem discussionis Gregorius causa brevitatis pertransit, sed ex simili in quodam exemplo, quod legitur in vitis patrum, innotescere potest. Nam dum quidam in templum ydolorum intrasset, vidit Sathanam sedentem et omnem ejus militiam ei adstantem. Et veniens unus de malignis spiritibus adoravit eum. Cui ille: unde venis? Et ille: in illa provincia fui et ibi bella plurima suscitavi et perturbationes multas feci et sanguinem copiosum effudi et veni nuntiare tibi. Et Sathan ait: quanto tempore hoc fecisti? Et ille: in XXX diebus. Et Sathan: quare hoc tanto tempore fecisti? Et ait assistentibus: ite et flagellis eum caedite et durius verberate. Et secundus veniens adoravit eum dicens: in mari, domine, eram et commotiones maximas excitavi et naves multas demersi, homines quamplurimos occidi. Et ait: quanto tempore hoc fecisti? Et ille: in XX diebus. Et jussit hunc similiter flagellari dicens: ita modicum tanto tempore laborasti. Et tertius veniens ait: in quadam civitate fui et rixas in quibusdam nuptiis excitavi et multam sanguinis effusionem feci et sponsum ipsum occidi et veni nuntiare tibi. Cui dixit: quanto tempore hoc fecisti? Et ille: in X diebus. Et ille ait: nonne plura in tot diebus operatus es? Et jussit eum a circumstantibus verberari. Et quartus veniens ait: in eremo mansi et per XL annos circa quendam monachum laboravi et vix tandem ipsum in lapsum carnis praecipitavi. Quod Sathan audiens de solio suo surrexit et eum osculans de capite suo coronam abstulit et capiti illius imposuit, ac ipsum secum considere fecit dicens: magnam rem fortiter egisti et plus omnibus laborasti. Hic igitur vel similis potest esse modus illius discussionis, quam Gregorius praetermittit. Cum ergo singuli spiritus exponerent, quid egissent, unus in medium prosilivit, et quanta carnis tentatione de illa sanctimoniali femina Andreae animum commovisset, aperuit addens, quod heri hora vesperarum usque adhuc ejus mentem traxerit, ut in tergum ejus blandiens alapam daret. Tunc malignus spiritus eum hortatus est, ut perficeret, quod coepisset, ut illius ruinae singularem inter caeteros palmam teneret, praecepitque, ut quaereret, quisnam esset, qui jacere in templo eodem praesumsisset. Cum autem ille vehementius palpitaret et missi spiritus eum crucis mysterio signatum viderent, territi clamaverunt: vere vas vacuum, sed signatum.

Ad hanc vocem protinus illa malignorum turba disparuit spirituum, Judaeus autem concitus ad episcopum venit et ei omnia per ordinem enarravit. Quod ille audiens vehementer ingemuit et omnem mulierem a domo sua protinus removit et Judaeum baptizavit. — — — 6. Refert quoque Gregorius in libro dyalogorum, quod quaedam sanctimonialis hortum ingrediens et lactucam conspiciens concupivit eamque signo crucis benedicere oblita avide momordit, sed arrepta a dyabolo protinus cecidit. Cum autem beatus [1]) Equitius ad eam venisset, dyabolus clamare coepit ac dicere: ego quid feci? ego quid eci? Sedebam hic super lactucam, illa venit et momordit me. Ad imperium autem praedicti viri mox de ea exivit. — — — 7. Legitur in hystoria ecclesiastica libro XI., quod gentiles per Alexandriam arma Serapis in parietibus depinxerant, Theodosius vero illis deletis signum crucis depingi mandavit. Quo viso gentiles et sacerdotes ydolorum baptizati sunt dicentes, traditum esse ab antiquis, quod ea, quae colebant, starent, donec veniret signum illud, in quo est vita. Quaedam tunc litera apud illos, quam sacram vocabant, habebat formam crucis, quam dicebant interpretari vitam futuram.

CAP. CXXXVIII. (131.)

De sancto Johanne Chrysostomo.

Johannes cognomine Chrysostomus Antiocenus filius Secundi et [2]) Anthurae nobilium fuit. Cujus vita, genus, conversatio et persecutio in hystoria tripartita plenius declaratur. Qui cum philosophiae studium impendisset, tandem hanc deserens divinis lectionibus incumbebat. Qui presbiter ordinatus propter zelum castitatis severior habebatur et fervori magis quam mansuetudini serviebat et propter vitae reotitudinem incautus ad futura prospicere nesciebat. In confabulatione arrogans a nescientibus putabatur, in docendo erat praecipuus, in exponendo egregius, ad mores coercendos optimus. Regnantibus igitur Arcadio et Honorio Augustis, et Damaso in Romana sede praesidente factus est episcopus. Qui dum

---

1) Alii legunt: Equiens. 2) Recent. Naturae legunt.

vitam clericorum repente corrigere voluit, omnes in sui odium concitavit et eum velut furiosum declinabant et apud omnes ei detrahebant, et quia nunquam aliquem ad prandium invitabat, nec ab aliquo invitari volebat, dicebant eum hoc ideo facere, quia turpiter manducaret. Alii propter excellentem et exquisitum usum ciborum hoc eum facere praedicabant, revera autem propter abstinentiam stomachum et caput saepe dolebat et ideo prandiorum epulas evitabat. Populus autem propter sermones, quos in ecclesia faciebat, eum plurimum diligebat parvipendens, quod contra eum aemuli loquerentur. Apposuit quoque Johannes et quosdam procerum objurgare et ideo contra eum major invidia est accensa. Aliud quoque fecit, quod cunctos valde commovit. Eutropius namque praepositus imperatoris et habens consulis dignitatem, volens in quibusdam ad ecclesiam fugientibus [1]) se vindicare, studuit, ut lex ab imperatore poneretur, ut nullus ad ecclesiam fugeret, imo qui dudum refugerant, extraherentur. Post paucos autem dies cum Eutropius regem offendisset, ad ecclesiam mox confugit, episcopus autem hoc audiens ad eum sub altari latitantem accessit et homiliam increpatoriam contra eum faciens ipsum durissime objurgavit. Ex quo multos offendit eo, quod homini infelici noluit misericordiam impendere, sed insuper non destitit objurgare. Imperator ergo Eutropium rapiens ejus caput abscidit. Pro diversis igitur causis multos homines fiducialius objurgabat et ideo erat plurimis odiosus. Theophilus autem Alexandrinus episcopus Johannem deponere volebat et presbiterum quendam nomine Ysidorum intrudere affectabat et ideo causas depositionis diligenter quaerebat, populus autem defendebat Johannem et ejus doctrina mirabili aviditate pascebatur. Sacerdotes quoque Johannes secundum ecclesiasticas sanctiones vivere cogebat dicens, non debere frui honore sacerdotii, qui eorum vitam contemnerent imitari. Non solum autem [2]) civitatem Constantinopolitanam strenue gubernabat, sed et plures circumadjacentes provincias imperiali auctoritate providis legibus ordinabat, cumque cognovisset, in Phoenice adhuc daemonibus sacrificia ministrari, clericos illuc et monachos destinavit omniaque templa ydolorum destrui fecit. Eodem tempore Gaimas quidam erat genere Celticus, consilio barbarus, studio tyrannico vehementer elatus, Ariana haeresi depravatus, magister tamen militum factus. Hic imperatorem

1) Ed. Pr. legit: juridicare. 2) Ed. Pr. praefert sanctitatem.

rogavit, ut intra civitatem sibi suisque ecclesiam unam daret. Quod cum permisisset, rogavit Johannem, ut ecclesiam unam sibi concederet, ut sic ejus tyrannidem refrenaret. Ac Johannes virtute fortissimus ac totus zelo ignitus: noli, inquit, o imperator, hoc permittere nec sanctum canibus dare; nec hunc barbarum metuas, sed ambos nos jube vocari et sub silentio, inter nos quae dicuntur, audi. Ego namque hujus linguam sic refrenabo, ut hujusmodi petere non praesumat. Quod audiens imperator gavisus est et utrumque altera die vocavit. Cumque Gaimas unum pro se oratorium peteret, ait Johannes: ubique tibi divina domus aperta est, ut nullus te vetet orare. At ille: ego alterius sectae sum et unum templum cum meis habere deposco; multos quidem pro Romana republica labores assumsi et ideo non debeo in mea petitione contemni. Cui Johannes: plurima praemia et quae transscendunt tua certamina, recepisti, magister militum factus es, consulari toga insuper exornatus, et oportet te considerare, quid dudum fueris et qualis modo conspiciaris, quae prisca paupertas et quae modo [1])superbia, quibus vestimentis ante utebaris et quibus ornaris modo. Igitur quia pauci labores maxima tibi praemia contulerunt, contra honorantem te non sis ingratus. His sermonibus ejus os obstruxit ipsumque compulit, ut taceret. Dum igitur Constantinopolitanam urbem strenue gubernaret, Gaimas imperium ambiens, cum in die nihil agere posset, nocte barbaros misit, qui palatium concremarent. Tunc aperte monstratum est, quomodo sanctus Johannes custodiebat civitatem. Barbaris enim angelorum armatorum corpus habentium copiosa turba apparuit, quae ipsos protinus effugavit. Quod cum domino suo nuntiassent, ille valde miratus est sciens, exercitum militum per civitates alias constitutum. Cum igitur sequenti nocte eos iterum destinasset, a visione angelorum sunt similiter effugati. Novissime ille egressus miraculum vidit et fugit, aestimans milites in die latere et nocte civitatem custodire. Egressus inde ad Thraciam ivit et magno congregato exercitu cuncta vastabat, timentibus cunctis barbaricam feritatem. Imperator ergo Johanni sanctissimo onus legationis imposuit, ille autem inimicitiarum immemor alacriter est profectus. Gaimas vero agnoscens ejus fiduciam [2])pietate assumta longo itinere eidem occurrit suisque oculis dextram ejus circumposuit et filios suos sacra ejus genua

---

1) Alii: substantia offerunt. 2) Ed. Pr. proprietate perperam legit.

osculari praecepit. Hujus namque virtutis Johannes fuit, ut etiam valde terribiles humiliari cogeret et timere. Eodem quoque tempore quaestio mota est, utrum Deus corpus haberet. Ex qua quaestione contentiones et certamina surrexerunt, aliis hoc aliis illud affirmantibus. Maxime tamen monachorum turba simplicium est decepta dicentium, Deum forma corporea esse distinctum. Theophilus autem episcopus Alexandrinus contrarium sapiebat, ita ut in ecclesia contra eos, qui humanae formae Deum asseruerant, contenderet et Deum incorporeum praedicaret. Quod Aegyptiorum monachi agnoscentes habitacula sua reliquerunt et Alexandriam venientes seditionem contra Theophilum excitarunt, ita ut eum occidere niterentur. Quod ille cognoscens et timens ait illis: sic vos, inquit, video, sicut Dei vultum. Et illi: si vere, inquiunt, dicis, quia vultus Dei sic est, ut noster, anathematiza libros Origenis, qui nostrae opinioni adversantur. Quod si non feceris, qui imperatoribus et Deo rebellis es, a nobis opprobrium sustinebis. Et ille: nolite [1]) saevire, ego quidem, quae vobis placent, facio. Et sic monachos a suo impetu revocavit. Exercitati vero et perfecti monachi in hoc seducti non sunt, sed simplices ardore fidei contra fratres contrarium sapientes insurrexerunt et multos occidi fecerunt. Dum haec in Aegypto fierent, Johannes apud Constantinopolim doctrina florebat et apud omnes admirabilis habebatur. Verum cum Ariani plurimum pullularent et extra civitatem ecclesiam haberent, sabbato tamen et dominica intra portas et porticus congregati hymnos et antiphonas nocte cantabant, diluculo autem cum ipsis antiphonis per mediam civitatem portas egressi ad suam ecclesiam concurrebant. Haec autem ad vituperationem [2]) orthodoxorum facere non cessabant, frequenter hoc decantantes: ubi sunt, qui dicunt tria virtute unum. Johannes autem metuens, ne simplices his cantibus traherentur, instituit, ut fidelium turba nocturnis hymnis insisteret, ut et illorum opus offuscaretur et fidelium professio firmaretur, fecitque cruces argenteas, quae cum argenteis cereis portabantur. Tunc Ariani zelo accensi invidiae usque ad necem insurgunt. Una igitur nocte petra percussus est Brison eunuchus [3]) Augustae, qui ad hymnos exercendos a Johanne fuerat deputatus, sed etiam quidam de populo utriusque partis exstincti sunt. Ex his motus imperator prohibuit Arianos hymnos publice decantare. Eo tempore

---

1) Recent. addunt: in me. 2) Hanc vocem omittit Ed. Pr. 3) Ed. Pr. loco Augustae legit: inguine.

Severianus Gabalensis episcopus honorabilis apud multos proceres et ab ipso imperatore et Augusta multum dilectus Constantinopolim venit et a Johanne gratanter acceptus est, cumque Johannes in Asiam perrexisset, suam eidem ecclesiam commendavit. Ille autem non fideliter ambulabat, sed semetipsum populo commendabat. Serapion autem clericus Johannis hoc Johanni studuit nuntiare. Transeunti autem Severiano non assurrexit Serapion, ille autem indignatus clamavit: si Serapion clericus non mortuus fuerit, Christus in humana natura natus non est. Haec audiens Johannes rediit et ipsum tamquam blasphemum de civitate ejecit. Quod Augustae multum displicuit et ipsum evocari fecit rogans Johannem sibi reconciliari, qui nullatenus acquievit, donec Augusta filium suum Theodosium ejus genibus imponeret, supplicans et conjurans, ut Severianum reconciliaret. Eodem quoque tempore Theophilus Alexandrinus episcopus Dyoscorum virum sanctissimum et Ysidorum prius sibi amicissimum injuste ejecit. Qui Constantinopolim venerunt, ut principi et Johanni ea facta narrarent. Johannes autem eos quidem honorabat, sed ante causae cognitionem cum iis participare nolebat. Falsus tamen rumor ad Theophilum venit, quod Johannes cum illis communicaret et iis auxilium ferret. At Theophilus indignatus non solum in illos vindictam exercere, sed Johannem deponere fortiter se armabat. Celans igitur intentionem suam misit ad singularum episcopos civitatum dicens, se Origenis velle libros damnare. Epiphanium quoque episcopum Cypri virum sanctissimum et famosissimum circumvenit et amicum fecit rogans, ut et ipse similiter libros Origenis damnaret. Epiphanius propter sui sanctitatem ejus fallacias non attendens apud Cyprum suos episcopos convocavit et lectionem Origenis interdixit, rogans Johannem per litteras, ut se ab horum lectione librorum suspenderet et, quae ordinata fuerant, confirmaret. Johannes autem hoc parvipendens in doctrina ecclesiastica laborabat et in ea florebat nihilque de his, quae contra eum cogitabantur, curabat. Demum Theophilus odium diu celatum manifestavit et se velle Johannem deponere indicavit. Mox inimici Johannis multique clerici et proceres palatii tempus opportunum invenientes nitebantur, ut contra Johannem apud Constantinopolim consilium fieret. Post hoc autem Epiphanius Constantinopolim venit, damnationem librorum Origenis secum ferens, et invitationem Johannis causa Theophili declinavit et quidam propter Epiphanii reverentiam damnationi librorum Origenis subscri-

bebant, plurimi autem facere recusabant. Quorum unus fuit Theotinus Sichiae praesul, vir rectitudine vitae famosissimus, qui ita respondit: ego, inquit, Epiphani, aeque ejus, qui dudum bene requievit, injurias non fero neque rem blasphemam tentare praesumo, damnans ea, quae priores nostri respuere noluerunt, nam neque malam doctrinam in libris ejus esse conspicio. Qui his contumelias inferunt, nesciunt semetipsos, Athanasius autem defensor Nicaeni concilii contra Arianos testem suae fidei hunc virum appellat, illius libros suis conjungens et dicens: mirabilis, inquit, et laboriosissimus Origenes hoc de filio Dei nobis testimonium perhibet asserens coaeternum eum patri, Johannes autem indignatus non est, cur absque regulis in ecclesia sua Epiphanius ordinationem fecerit. Sed tamen rogabat, ut inter episcopos cum eo maneret. At ille nec se cum eo manere nec orare respondit, nisi Dyoscorum ejiceret et damnationi librorum Origenis subscriberet. Johanne hoc facere renuente adversus Johannem ab ejus invidis Epiphanius incitatur. Unde Epiphanius libros Origenis damnavit et Dyoscorum adjudicavit et Johanni tanquam horum defensori detrahere coepit. Cui Johannes mandavit: contra regulas multa fecisti, o Epiphani; primum, quia ordinationem fecisti in ecclesia sub meo jure instituta, deinde, quia in ea auctoritate propria sacra celebrasti, rursus, quia invitatus excusasti, et nunc denuo, quia in te ipsum confidis; quapropter observa, ne in populo seditio oriatur et hujus rei periculum ipse suscipias. Hoc autem audiens Epiphanius discessit. Qui cum ad Cyprum reversurus esset, mandavit Johanni: spero, quia episcopus non morieris. At ille remandavit: spero, quia ad tuam patriam non redibis. Quod sic evenit. Nam Epiphanius in via obiit et Johannes post modicum de episcopatu depositus in exsilio vitam finivit. Ad sepulchrum autem hujus Epiphanii viri sanctissimi daemones expelluntur. Fuit autem vir mirae liberalitatis ad pauperes. Qui cum quadam vice totam ecclesiae pecuniam erogasset et nihil sibi remansisset, quidam subito veniens sacculum multarum pecuniarum sibi obtulit ac discessit, nec unde venerit aut quo abierit, scitum fuit. Pauperes quidam volentes Epiphanium decipere, ut aliquid iis daret, unus eorum supinum se in terra prostravit, alter super eum stans quasi mortuum flebat et quod nihil, unde eum sepelire posset, haberet, querulis vocibus clamabat. Epiphanius igitur superveniens, ut in quiete dormiret, oravit et sepulturae necessaria ministravit hominemque consolatus

abiit. Ille autem socium pulsans dicebat: surge, hodie laboribus epulemur. Quem cum crebro pulsasset et mortuum agnovisset, ad Epiphanium cucurrit et quid acciderit, nuntiavit ac, ut eum resuscitaret, rogare coepit. Ille autem benigne eum consolatus est, non tamen eum resuscitavit, ne ministris Dei facile illudatur. Verum cum Epiphanius discessisset, relatum est Johanni, quod Eudoxia Augusta contra eum Epiphanium incitasset. Qui solito zelo accensus sermonem ad populum fecit, qui cunctarum mulierum vituperationem omnimodam continebat. Hic sermo ab omnibus est acceptus, ut quasi contra Augustam sit prolatus. Quod cum Augusta cognovisset, imperatori conquesta est dicens, contumeliam illatam uxori in eum potius redundare. Motus ad haec imperator contra Johannem praecepit synodum celebrari. Theophilus igitur festine episcopos convocabat, omnesque Johannis inimici alacriter confluebant, superbum et impium eum vocantes. Universi igitur episcopi apud Constantinopolim constituti non jam de libris Origenis tractabant, sed contra Johannem se manifesto erigebant. Mittentes igitur pro Johanne ipsum citaverunt. Qui eos velut inimicos vitare censuit ac universalem synodum fieri proclamavit, illi vero quater eum denuo concitaverunt. Qui cum eos refugeret et synodum fieri proclamaret, damnaverunt eum in nullo eum culpantes, nisi quod vocatus noluit obedire. Quod populus audiens ad seditiones maximas excitatur et eum trahi ab ecclesia non sinebat, sed ut hoc ad majus referretur consilium, proclamabat. Jussio autem principis compellebat eum velociter ejici et in exsilium deportari, Johannes autem timens, ne in populo seditio oriretur, nesciente populo semet ipsum tradidit in exsilium deferendum. Quod cum populus cognovisset, importabilis seditio est exorta, ita ut etiam multi inimicorum ejus ad misericordiam moverentur, dicentes eum calumniam passum, quem paulo ante desiderabant videre depositum. Severianus autem, de quo supra sermo habitus est, in ecclesia docens Johanni detrahebat dicens: etsi nullum aliud crimen haberet, ejus tamen superbia depositionis ejus causa sufficiens esse posset. Orta igitur contra imperatorem et episcopos immensa seditione in populo, Augusta imperatorem rogavit, ut Johannem de exsilio reduci faceret. Terrae motus quoque maximus civitatem invasit dicentibus cunctis, hoc accidere propter injustam ejectionem Johannis. Missi igitur sunt legati ad Johannem rogantes, ut cito rediret et civitati pereunti suis orationibus subveniret et in populo seditionem excitatam sedaret.

Alii quoque post illos et rursus alii destinati sunt, qui eum cito redire compellerent. Qui eum redire nolentem ad propria cito reduxerunt, eidem cum cereis et lampadibus universo populo occurrente. Ipse autem in episcopali sede residere nolebat dicens, oportere hoc fieri in judicio synodali et eos, qui damnaverant, suam sententiam revocare. Populus autem miro modo accendebatur, eum in episcopali sede residentem videre et verba doctoris audire. Praevaluit igitur populus coactusque est sermonem facere ad populum ac in sua cathedra residere. Theophilus igitur inde aufugit. Qui cum Hierapolim advenisset, mortuus est ejusdem civitatis episcopus et ibi Lamon sanctissimus monachus est electus. At ille cum crebro refugeret, ei Theophilus suadebat, ut suae electioni consensum praeberet. Tunc ille promisit dicens: cras, quod domino placet, implebitur. Crastina ergo die venientes ad cellam suam eum, ut episcopatum susciperet, instanter rogabant; qui ait: oremus primo ad dominum. Qui, dum oraret, mox cum illa oratione terminum vitae suscepit. Johannes itaque doctrinae sedulae insistebat. Eo autem tempore statua argentea chlamyde circumamicta in platea juxta ecclesiam sanctae Sophiae ad honorem Eudoxiae Augustae constituta erat, ubi milites et proceres ludos publicos exercebant. Quod quidem Johanni plurimum displicebat, cum videret hoc ad ecclesiae spectare injuriam. Consueta igitur fiducia rursus linguam suam armavit, et cum oporteret principes supplicationis verbo deflectere, ut a tali ludo recederent, hoc non fecit, sed impetu sui usus eloquii jubentes fieri talia [1])maledicebat. Augusta vero rursus ad suam hoc trahebat injuriam et denuo laborabat, ut adversus eum synodus iterum celebraretur. Hoc sentiens Johannes illam famosissimam in ecclesiam protulit homiliam, cujus initium est: rursus Herodias vesanit, rursus turbatur, denuo caput Johannis [2])in messorio concupiscit accipere. Quod factum ad iracundiam plus incitavit Augustam. Dum autem quidam Johannem vellet occidere, a populo est comprehensus et ad judicandum traditus, sed a praefecto, ne occideretur, arreptus est. Quidam etiam servus cujusdam presbiteri in eum impetum faciens ipsum occidere molitus est. Qui dum a quodam teneretur, ipsum, qui tenebat, et alium adstantem et tertium percussit. Tunc clamore facto multis concurrentibus plurimos interfecit. Ex illo tempore populus Johannem custodiebat, ejus

---

1) Ed. Pr. lacerabat. 2) Rec. loco praepos. in substituunt partic. non.

domum diebus ac noctibus muniens. Suadente igitur Augusta episcopi Constantinopolim convenerunt et accusatores Johannis fortiter insistere coeperunt. Cum autem festivitas natalis domini supervenisset, mandavit imperator Johanni, quia, nisi prius criminibus exueretur, non communicaret eidem. Episcopi autem nihil contra eum repererunt, nisi quod post depositionem residere in sede episcopali sine decreto concilii praesumsisset, et sic damnaverunt eum. Appropinquante tandem sollemnitate paschali mandavit ei imperator, non posse secum in ecclesia manere, cum eum duo concilia condemnassent. Vacabat igitur Johannes et nequaquam in ecclesiam descendebat. Illi, qui Johanni favebant, Johannitae dicebantur. Post hoc autem imperator Johannem de civitate expelli fecit ac duci in excidium in quandam civitatem parvam, ubi fines sunt ponti imperiique Romani, quae loca crudelibus barbaris sunt vicina. Sed clemens dominus non permisit diu in locis talibus athletam suum fidelissimum commorari. Hoc Innocentius papa audiens moleste ferebat volensque concilium celebrare, scripsit clero Constantinopolitano, ne Johanni successorem aliquem ordinarent. Cum igitur longo fuisset itinere fatigatus et dolore capitis vehementissime cruciatus nec non et ardorem solis intolerabilem pateretur, sancta illa anima in Cumanis XIV. die mensis Septembris e carne soluta est. Quo defuncto grando vehemens in Constantinopolim et omnia suburbana descendit, dicentibus cunctis, hoc Dei iracundia gestum esse eo, quod injuste Johannes fuerit condemnatus. Quibus verbis fidem facit mors Augustae protinus subsecuta: quarta namque die post grandinem est defuncta. Mortuo quoque omnium doctore terrarum occidentales episcopi cum orientalibus nullatenus communicare voluerunt, donec illius sacratissimum nomen inter praedecessores episcopos poneretur. Verum Theodosius christianissimus filius praedicti Arcadii, qui avi sui nomen et pietatem tenebat, sacras hujus doctoris reliquias in mense Januario in regiam civitatem transferri fecit. Cui fidelissimus populus cum lampadibus et cereis obviavit. Theodosius autem suppliciter ejus adorans reliquias pro Arcadio et Eudoxia genitoribus supplicavit, ut ignoranter delinquentibus venia condonaretur. Dudum enim parentes ejus mortui fuerant. Hic Theodosius clementissimus fuit adeo, ut nullum se laedentium morti adjudicaret, dicens: utinam esset mihi possibile ad vitam etiam mortuos revocare. Ejus curia monasterium videbatur, matutinas laudes agebat, codices divinos legebat. Huic

erat uxor nomine Eudoxia, quae heroico metro poemata multa confecit, habuitque filiam nomine Eudoxiam, quam Valentiniano, quem imperatorem fecerat, dedit uxorem. Haec omnia de hystoria tripartita extracta sunt. Mortuus est autem circa annos domini CCCC.

CAP. CXXXIX. (133.)

De sancta Eufemia.

Eufemia dicitur ab eu, quod est bonum, et femina, quasi bona femina, id est utilis, honesta et delectabilis, quia hoc triplici modo dicitur bonum. Fuit enim utilis aliis per conversationem, honesta sibi per morum compositionem, delectabilis Deo per coelestem contemplationem. Vel Eufemia dicitur quasi euphonia, quod est suavis sonoritas. Suavis enim sonus fit tribus modis, scilicet voce ut in cantu, pulsu ut in cythara, flatu ut in organo. Sic beata Eufemia fecit Deo dulcem sonum cum voce praedicationis, cum pulsu bonae operationis et cum flatu internae devotionis.

Eufemia filia senatoris, videns christianos tempore Dyocletiani tam diversis poenis laniari, ad Priscum judicem properavit et Christum publice confitens exemplo suae constantiae etiam virorum animos confortabat. Cum igitur judex christianos successive occideret, alios praesentes esse jubebat, ut saltem territi immolarent, dum [1]) constantes tam crudeliter laniari viderent. Cum ergo coram Eufemia sanctos crudeliter detruncaret, ipsa eorum constantia amplius provocata injuriam a judice se pati clamabat. Tunc judex gavisus est putans, eam sacrificiis velle consentire. Unde cum ab ea, quam sibi injuriam faceret, requisivisset, illa ait: cum sim genere nobilis, cur mihi ignotos et advenas anteponis et priores facis ad Christum pertingere et ad promissam gloriam pervenire? Cui judex: putabam te ad mentem rediisse et gaudebam te tuae nobilitatis vel sexus meminisse. Reclusa igitur in carcere et sequenti die cum vinctis sine vinculis est adducta. Iterum gravissime est conquesta, cur contra legem imperatorum sibi soli a vinculis parceretur. Tunc alapis durissime caeditur et in carcere recluditur.

---

1) Ed. Pr. male: circumstantes — lacrimari legit.

Quam judex secutus ex libidine opprimere voluit, sed illa viriliter reluctante manum ejus virtus divina contraxit. Tunc putans se incantatum praepositum domus suae ad ipsam direxit, ut multa promitteret, si eam faceret consentire. Sed ille carcerem clausum nec clavibus aperire potuit nec securibus frangere, donec a daemone arreptus clamans et se ipsum dilanians vix evasit. Deinde educta posita est super rotam, cujus vectes carbonibus pleni erant, et artifex intra rotam tale signum trahentibus dedit, ut, quando sonum faceret, simul traherent et sic exeunte igne vectes corpus ejus dissiparent. Sed nutu Dei ferramentum, quo rota temperabatur, de manu ejus decidens sonum fecit et continuo illis trahentibus rota artificem comminuit et Eufemiam stantem super eam illaesam servavit. Tunc parentes artificis lamentantes supposito igne ipsam cum rota comburere voluerunt, sed rota combusta Eufemia ab angelo soluta in quodam loco excelso incolumis stare conspicitur. Appellianus judici ait: virtus christianorum nonnisi in ferro vincitur, unde consulo, ut eam facias decollari. Erectis igitur scalis cum quidam ad eam capiendam manum mittere vellet, mox totus paralisi solutus vix inde semivivus eductus est. Alius autem nomine Sosthenes ascendens continuo mutatus ab ea veniam petiit et evaginato gladio ad judicem clamavit, quod se ipsum libentius occideret, quam eam, quam angeli defendebant, contingeret. Denique inde educta judex cancellario suo dixit, ut ad eam omnes petulantes juvenes convocaret, qui tamdiu eam illuderent, donec fatigata deficeret. Sed ille ad eam ingrediens et multas virgines splendidissimas circa eam orantem videns monitis ejus protinus christianus effectus est. Praeses vero per capillos virginem suspendit, sed etiam immobilem permanentem negato cibo in carcere recludi fecit, ut VII. die inter quatuor magnos lapides sicut oliva constringeretur. Illa vero quotidie ab angelo satiata dum VII. die intra lapides durissimos posita esset, ad ejus orationem ipsi lapides in cinerem [1])tenuissimum sunt redacti. Unde praeses se victum a puella erubescens eam in foveam projici jussit, ubi tres tantae immanitatis bestiae erant, quae omnem hominem deglutirent. Quae statim blandiendo ad virginem concurrentes et junctis ad invicem caudis ei quasi cathedram ad sedendum praebentes judicem hoc videntem vehementius confuderunt. Unde cum praeses fere prae angustia moreretur,

---

1) Ed. Pr. male teneri s simum offert.

ingressus carnifex, ut domini sui injuriam vindicaret, gladium in latus suum fixit et Christi martirem fecit. Quem judex pro mercede veste serica induit et torque aurea eum circumdedit, sed egrediens a leone arripitur et ab eo penitus devoratur. Unde sui eum diutius perquirentes vix pauca ejus ossa cum [1])veste scissa et torque aurea repererunt. Priscus quoque judex se ipsum comedens mortuus est inventus. Sancta autem Eufemia in Chalcedonia cum honore sepulta est, meritis cujus omnes Judaei et gentiles Chalcedoniae in Christum crediderunt. Passa est autem circa annos domini CCLXXX. Ambrosius de hac virgine in praefatione sic ait: virgo alma triumphatrix Eufemia virginitatis retinens mitram passionis meruit vestiri corona, cujus precibus hostis inimicus convincitur, Priscus adversarius superatur, a fornacis igne virgo sospes eripitur, duri lapides in pulverem revertuntur, ferae mansuescunt collaque submittunt, atque omnia poenarum supplicia ejus oratione superantur, novissime gladii mucrone confossa carnea relinquens claustra coelesti choro jungitur laeta; haec sacra virgo tibi, domine, ecclesiam tuam commendet, haec pro nobis peccatoribus interpellet, haec etiam vota nostra, ut virgo vernula illibata, tibi praestet.

CAP. CXL. (135.)

De sancto Matthaeo apostolo.

Matthaeus binomius exstitit, scilicet Matthaeus et Levi. Matthaeus autem interpretatur donum festinationis vel donator consilii. Vel dicitur Matthaeus a magnus et theos, quod est Deus, quasi magnus Deo, vel a manus et theos, quasi manus Dei. Fuit enim donum festinationis per festinam conversionem, donator consilii per salubrem praedicationem, [2])magnus Deo per vitae perfectionem, manus Dei per evangelii conscriptionem. Levi interpretatur assumtus vel applicatus sive additus aut appositus. Fuit enim assumtus ab exactione vectigalium, applicatus numero apostolorum, additus consortio evangelistarum et appositus catalogo martirum.

Matthaeus apostolus in Aethiopia praedicans in civitate, quae dicitur Nadaber, duos magos nomine Zaroen et Arphaxat reperit,

1) Alii male: serica. 2) Ed. Pr. verba: magnus — perf. omittit.

qui ita homines suis artibus dementabant, ut, quoscunque vellent, membrorum officio et sanitate privare viderentur. Qui in tantam superbiam eruperunt, ut se quasi Deos ab hominibus facerent adorari. Matthaeus autem apostolus praedictam civitatem ingressus et apud eunuchum Candacis reginae, [1]) quem Philippus baptizaverat, hospitatus ita magorum praestigia detegebat, quod, quidquid ipsi faciebant hominibus in perniciem, hoc ipse converteret in salutem. Eunucho autem sanctum Matthaeum interrogante, quomodo tot linguas loqueretur et intelligeret, exposuit ei Matthaeus, quod spiritu sancto descendente omnium linguarum scientiam reperisset, ut, sicut illi, qui per superbiam turrim usque in coelum aedificare volebant, prae confusione linguarum ab aedificatione cessaverunt, sic apostoli per omnium linguarum scientiam turrim non de lapidibus, sed de virtutibus construant, per quam omnes, qui crediderint, in coelum adscendant. Tunc venit, qui diceret, magos illos cum duobus advenisse draconibus, qui ignem sulphureum ex ore et naribus evomentes cunctos homines occiderent, apostolus autem signo crucis se muniens ad eos secure exivit. Quem mox ut dracones viderunt, ante ejus pedes protinus dormierunt dixitque magis: et ubi est ars vestra? excitate eos, si potestis; ego autem, nisi dominum rogassem, quod in me cogitaveratis inferre, in vos protinus retorsissem. Cum autem populus convenisset, in nomine Jesu draconibus, ut abirent, praecepit et nullum laedentes protinus abierunt. Coepit quoque populo de gloria paradisi terrestris magnum sermonem contexere asserens, ipsum omnibus montibus eminere et proximum coelo esse, spinas vel tribulos ibi non esse, lilia vel rosas ibi non marcescere, senectutem ibi non evenire, sed homines ibi juvenes semper manere, angelorum organa ibidem sonare, aves vocatas continuo obedire. De hoc autem paradiso terrestri dixit hominem ejectum esse, sed per Christi nativitatem in paradisum coelestem revocatum fuisse. Et cum haec populo loqueretur, ecce subito tumultus exortus est, in quo regis filius mortuus plangebatur. Quem cum magi suscitare non possent, suadebant regi, quod in Deorum consortium raptus fuisset, et ideo simulacrum et templum sibi construi oporteret. Praedictus autem eunuchus magos custodire faciens apostolum advocavit, qui oratione fusa eum protinus suscitavit. Quapropter rex nomine Egippus hoc viso per universas suas provincias misit dicens:

---

1). Ed. Pr. quam praefert.

venite et videte Deum in effigie hominis latentem. Venerunt igitur cum coronis aureis et diversis sacrificiorum generibus volentes sacrificare ei. Quos Matthaeus compescuit dicens: viri, quid facitis? ego Deus non sum, sed servus domini Jesu Christi. Illi igitur de auro et argento, quod sibi attulerant, ipso jubente ecclesiam magnam fabricaverunt, quam intra XXX dies consummaverunt, in qua apostolus triginta annis et tribus sedit et totam Aegyptum ad fidem convertit, rex autem Egippus cum uxore sua et omni populo baptizatur. [1])Ephigeniam quoque filiam regis apostolus Deo dedicatam plus quam ducentis virginibus praefecit. Post hoc Hirtacus regi successit et virginem praedictam concupiscens dimidium regnum sui apostolo promisit, si eam in conjugium suum sibi faceret consentire. Cui apostolus ait, ut juxta morem praedecessoris die dominica ad ecclesiam conveniret et praesente Ephigenia cum caeteris virginibus, quam bona sint justa conjugia, audiret. Quo rex cum gaudio festinavit putans, quod Ephigeniae vellet conjugium suadere. Matthaeus igitur virginibus et omni populo congregatis de bono matrimonii diu locutus a rege plurimum est laudatus; credens, quod hoc ideo diceret, ut virginis animum ad matrimonium provocaret. Deinde [2]) imperato silentio sermonem repetit dicens: cum bonum sit matrimonium, si salvo foedere teneatur, bene scitis adstantes, quod, si regis sponsam aliquis servorum usurpare praesumeret, non solum regis offensam, sed mortem insuper mereretur, non, quia uxorem duxisse probatur, sed quia sponsam domini sui accipiens ejus matrimonium violasse convinceretur; ita et tu, rex, sciens Ephigeniam regis aeterni sponsam effectam et sacro velamine consecratam, quomodo poteris sponsam potentioris te tollere et tuo matrimonio copulare? Quo audito rex prae ira insaniens furibundus abscessit, apostolus autem intrepidus et constans omnes ad patientiam et constantiam confortavit et Ephigeniam coram se ex timore prostratam cum caeteris virginibus benedixit. Post missarum autem sollemnia rex spiculatorem misit, qui juxta altare Matthaeum stantem et expansis manibus in coelum orantem misso a tergo gladio interfecit et martirem consecravit. Quod populus audiens ad palatium regis incensurus omnia properabat, sed a presbiteris et dyaconibus vix detenti apostoli martirium cum gaudio celebraverunt. Rex vero cum nec per matronas ad eam directas

---

1) Ed. Pr. et hic et infra ubique Euphigeniam legit. 2) Ed. Pr. male imperatori legit.

nec per magos Ephigeniam posset aliquatenus immutare, totam ejus domum igne copioso vallavit, ut ipsam cum caeteris virginibus concremaret, apostolus autem eisdem apparens omnem ignem ab earum domo excussit, qui erumpens regis palatium invasit et solo rege evadente vix cum unico filio cuncta consumsit, statimque filius arreptus a daemonio patris crimina confitens ad sepulchrum apostoli properavit, pater vero turpissimus leprosus effectus, cum curari non posset, manu propria gladio se peremit. Populus autem fratrem Ephigeniae ab apostolo baptizatum regem constituit, qui per annos LXX regnavit et filium suum sibi substituens christianum cultum magnifice ampliavit et totam Aethiopiae provinciam ecclesiis Christi replevit, Zaroes autem et Arphaxat ab ea die, qua regis filium apostolus suscitavit, in Persidem fugerunt, sed Symon et Judas eos ibidem vicerunt. Notandum, quod in beato Matthaeo quatuor considerantur. Primum est obedientiae velocitas, quia mox, ut Christus eum vocavit, continuo [1]) teloneum reliquit nec dominos suos timens rationes vectigalium imperfectas reliquit et Christo perfecte adhaesit. Pro hac velocitate obedientiae quidam occasionem erroris sibi assumserunt, sicut recitat Hieronymus in originali super praedictum locum dicens: arguit in hoc loco Porphirius et Julianus Augustus vel imperitiam hystorici mentientis vel stultitiam eorum, qui statim secuti sint salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sunt secuti. Eum tantae virtutes tantaque signa praecesserunt, quae apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse et majestas divinitatis occulta, quae etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat adspectu. Si enim in magnete haec esse virtus dicitur, ut annulos et festucas sibi copulet, quanto magis dominus omnium creaturarum ad se poterat trahere, quos volebat. Haec Hieronymus. Secundum est ejus largitas sive liberalitas, quia statim fecit ei convivium magnum in domo sua. Quod quidem convivium non tam fuit magnum ratione lautae praeparationis, sed etiam fuit magnum primo ratione voti, quia cum magno affectu et desiderio ipsum recepit. Secundo ratione mysterii, quia illud fuit indicativum magni mysterii. Quod mysterium exponit Glossa super Lucam dicens: qui domicilio Christum recipit interno, maximis exuberantium pascitur delectationibus voluptatum. Tertio

1) Ed. Pr. male Theolonium offert.

ratione documentorum, quia ibi magna documenta exhibuit, sicut: misericordiam volo, et non sacrificium, et: non egent, qui sani sunt, medico etc. Quarto ratione invitatorum, quia magni discumbentes etiam invitati fuerunt, scilicet Christus et discipuli ejus. Tertium ejus humilitas, quae apparuit in duobus. Primo in hoc, quod se publicanum manifestavit. Caeteri evangelistae, ut dicit Glossa, verecundiae causa et evangelistae honore nomen vulgatum non ponunt, ipse, secundum quod scriptum est, justus inprimis est accusator sui, Matthaeum se et publicanum nominat, ut ostendat, nullum conversum debere de salute diffidere, cum apostolus et evangelista de publicano repente sit factus. Secundo in hoc, quod ad suas injurias patiens fuit. Quando enim pharisaei murmurabant, quod Christus ad hominem peccatorem [1])devertisset, potuisset iis [2])merito respondere ac dicere: vos potius miseri ac peccatores estis, qui vos justos arbitrantes medicum refugitis, ego autem jam peccator dici non valeo, qui ad medicum salutis confugio et eidem vulnus meum non abscondo. Quartum est evangelii ipsius in ecclesia magna sollemnitas. Ejus enim evangelium prae caeteris evangeliis magis in ecclesia frequentatur, sicut psalmi David et epistolae Pauli prae caeteris scripturis amplius in ecclesia recitantur. Cujus haec est ratio, quoniam teste Jacobo tria sunt genera peccatorum, scilicet peccatum superbiae, [3])luxuriae et avaritiae. Peccato superbiae peccavit Saulus a Saule superbissimo rege dictus, qui ecclesiam super modum persecutus est. Peccato luxuriae peccavit David, qui et adulterium commisit et propter adulterium fidelissimum militem Uriam occidit. Peccato avaritiae peccavit Matthaeus, qui per avaritiam lucris turpibus inhiabat, fuit enim telonearius. Est autem teloneum, ut dicit Ysidorus, locus in portu maris, ubi merces navium et nautarum emolumenta redduntur, telos autem graece, ut dicit Beda, latine dicitur vectigal. Licet igitur isti peccatores exstiterint, eorum tamen poenitentia adeo placuit, ut non solum dominus eorum culpis ignosceret, sed etiam in iis dona sua multiplicius cumularet. Nam saevissimum persecutorem fecit fidelissimum praedicatorem, adulterum et homicidam fecit prophetam et psalmistam et lucris inhiantem et cupidum fecit apostolum et evangelistam. Ideo igitur horum trium dicta nobis tam frequentius recitantur, ut nullus, qui con-

1) Ed. Pr. descendisset. 2) Alii: Matthaeus respondisse ac dixisse. 3) Ed. Pr. omittit verba: luxuriae — superbiae et tantum addit quo.

verti voluerit, desperet de venia, quando tantos in culpa tales conspicit fuisse in gratia. Notandum insuper, quod secundum beatum Ambrosium circa conversionem beati Matthaei quaedam ex parte medici, quaedam ex parte infirmi sanati, quaedam ex parte modi sanandi considerantur. In medico tria fuerunt, scilicet sapientia, quae radicem morbi cognovit, bonitas, quae medicamenta adhibuit, potentia, quae ipsum tam subito mutare potuit. De his tribus sic idem dicit Ambrosius in persona ipsius Matthaei: hic potest auferre cordis mei dolorem et animae pallorem, qui novit occulta; et hoc quantum ad primum. Inveni medicum, qui in coelis habitat et in terris spargit medicamenta; hoc quantum ad secundum. Hic potest solus sanare vulnera mea, qui nescit sua, hoc quantum ad tertium. In ipso autem infirmo sanato, scilicet in beato Matthaeo, tria considerantur, secundum quod dictus Ambrosius ostendit. Ipse namque morbum perfecte [1])curavit, curanti gratus exstitit et in sanitate recepta semper mundum se servavit. Unde ait: sequebatur Matthaeus jam laetus et alacer et exsultabat dicens: jam non publicanum gero, jam non porto Levi, exui Levi, postquam Christum indui; et hoc quo ad primum. Odi genus meum, fugio vitam meam, solum te sequor, domine Jesu, qui sanas vulnera mea; hoc quo ad secundum. Quis est, qui me separat a caritate Dei, quae in me est, tribulatio an angustia an fames? hoc quo ad tertium. Modus autem sanandi secundum beatum Ambrosium triplex fuit: primo enim Christus ipsum vinculis ligavit, secundo cauterium ipsum impressit, tertio omnem putredinem emendavit. Unde ait Ambrosius loquens in persona Matthaei: ligatus sum fidei clavis et bonis compedibus caritatis, aufer, Jesu, meorum putredines peccatorum, dum habes vinculis caritatis ligatum, seca, quodcunque inveneris vitiosum. Hoc quantum ad primum. Omne mandatum tuum sicut cauterium impressum tenebo et si urit cauterium mandati, tamen putrefacta carnis exurit, [2])ne ad virus serpat contagio, et si mordet medicamentum, tamen ulceris tollet vitium. Hoc quantum ad secundum. Veni cito, domine, incidens occultas et latentes varias passiones, aperi cito vulnus, ne noxius serpat humor, emunda omne, quod foetidum est, peregrino lavacro. Hoc quantum ad tertium. Ejus autem evangelium anno domini D, quod manibus suis scripserat, cum ossibus beati Barnabae repertum est. Quod

---

1) Alii: exuit. 2) Ed. Pr. male: nec ad vitium usurpat cont. Rec. legunt: ne ut virus etc.

quidem evangelium beatus Barnabas secum ferebat et super infirmos illud ponens omnes tam fide Barnabae, quam merito Matthaei continuo liberabat.

CAP. CXLI. (136.)
De sancto Mauritio [1] et sociis suis.

Mauritius dicitur a [2] mari et cis, quod dicitur vomens vel durus, et us, quod interpretatur consiliator vel festinans. Vel dicitur a mauron, quod secundum Ysidorum graece dicitur nigrum. Ipse namque habuit amaritudinem pro incolatu miseriae et [3] dilatione patriae, fuit vomens [4] per superfluorum abjectionem, durus et firmus per tormentorum [5] perpessionem, consiliator per commilitonum exhortationem, festinans per fervorem et bonorum operum multiplicationem, niger per sui despectionem. Horum passionem scripsit et compilavit beatus Eucharius Lugdunensis archiepiscopus.

1. Mauritius in sacratissima legione, quae Thebaea dicitur, dux exstitisse perhibetur. Dicti autem sunt Thebaei a civitate sua, quae Thebae nuncupata est. Est autem ipsa regio in partibus orientis ultra fines Arabiae, habilis opibus, fructibus fertilis, arboribus delectabilis. Habitatores vero illius regionis dicuntur esse magni corporibus, armis strenui, in bello fortissimi, callidi ingenio, sapientia locupletissimi. Ipsa autem civitas C portas habuit, et super Nilum fluvium, qui de paradiso egreditur et Gyon dicitur, sita fuit, de qua dicitur: ecce vetus Thebea centum jacet obruta portis. His Jacobus frater domini verbum salutis praedicavit et fidem Christi perfecte eos docuit. Dyocletianus autem et Maximianus, qui coeperunt anno domini CCLXXVII, volentes fidem Christi penitus exstirpare, tales epistolas per omnes provincias, in quibus christiani morabantur, transmiserunt. Si aliquid determinari oporteret aut sciri et totus mundus ex una parte congregatus esset,

---

1) Tria ultima vocabula omittunt libri rec. 2) Ed. Pr. mauri male offert, quoniam Hebraicum מַר amarus vel מָרִי (meus amarus s. mi amare) hoc loco necessario radix illius mari esse debet. 3) Alii dilectione legunt. 4) Verba: per — fidem omittit Ed. Pr. 5) Alii: perpensionem.

et sola Roma ex alia parte consisteret, mundus totus victus fugeret et sola Roma in culmine scientiae remaneret. Cur ergo vos, parva plebecula, ejus praeceptis resistitis et contra ipsius statuta tam stolide superbitis? aut igitur Deorum immortalium fidem suscipite aut immutabilis a vobis sententia proferetur damnationis. Christiani autem hujusmodi litteras suscipientes nuntios omnes vacuos dimiserunt. Tunc Dyocletianus et Maximianus in iram commoti per omnes provincias miserunt, ut omnes bellicis armis apti [1]) ad Romam venirent et omnes rebelles Romano imperio subjugarent. Literae autem Augustorum ad populum Thebaeorum delatae sunt. Qui populus secundum Dei praeceptum, quae Dei erant, Deo et, quae erant Caesaris, Caesari reddebant. Congregantes igitur electam militum legionem, scilicet VI millia DCLXVI, eos ad imperatores miserunt, ut in bellis justis imperatores juvarent, non ut contra christianos arma moverent, sed eos potius defenderent. Huic autem sacratissimae legioni dux erat inclitus vir Mauritius, signiferi autem Candidus, Innocentius, Exsuperius, Victor et Constantinus. Dyocletianus igitur Maximianum, quem sibi in collegam imperii assumserat, contra Gallias cum infinito exercitu misit et ei legionem Thebaeam sociavit. Hi a sancto Marcellino papa exhortati sunt, ut ante gladiis interirent, quam fidem Christi, quam acceperant, violarent. Cum igitur universus exercitus montes Alpium transmeasset et [2]) Ottodorum advenisset, jubet imperator, ut omnes, qui secum erant, ydolis immolarent et contra rebelles imperio et maxime contra christianos unanimiter conjurarent. Quod sancti milites audientes octo milliaribus ab exercitu secesserunt et in quodam loco amoeno, cui [3]) Aganum nomen est, juxta Rhodanum consederunt. Quod audiens Maximianus missis militibus praecepit, ut ad Deorum sacrificia cum aliis festinarent. Qui se non posse facere responderunt, utpote quia fidem Christi haberent. Tunc imperator ira succensus ait: jungitur despectui meo coelestis injuria et mecum religio Romana contemnitur, sentiat contumax miles, non solum mihi, sed etiam Diis meis me posse dare vindictam. Tunc Caesar missis militibus suis jussit, ut aut Diis sacrificare eos compellerent, aut decimum quemque eorum protinus decollarent. Sancti igitur cum gaudio capita extendentes, unus ante alterum festinabat et ad mortem pervenire properabat. Tunc

1) Voces: ad Romam omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. Otrodorum legit.
3) Alii Agnum legunt; at Ed. Pr. verba juxta Rhodanum omittit.

sanctus Mauritius assurgens inter caetera sic concionatus est: congratulor vobis, quia pro fide Christi omnes mori parati estis; commilitones vestros necari sustinui, quia vos ad passionem pro Christo paratos vidi et domini mandatum servavi, qui ait Petro: mitte gladium tuum in vaginam; quia ergo jam commilitonum corporibus vallati sumus et sociorum sanguinibus rubricatas vestes habemus, nos ipsos ad martirium sequamur. Haec ergo, si placet, Caesari mandemus responsa: milites tui, imperator, sumus et ad defensionem reipublicae arma suscepimus; non est in nobis perditio, non formido, sed Christi fidem nullatenus deseremus. Cum hoc imperator audivisset, jussit iterum, ut decimum trucidarent. Quo facto Exsuperius signifer vexillum arripiens et inter commilitones stans dixit: gloriosus dux noster Mauritius de nostrorum commilitonum gloria est locutus nec Exsuperius signifer vester ideo haec arma arripuit, ut talibus resistamus; projiciant dextrae nostrae arma haec carnalia et armentur virtutibus, et talia, si placet, imperatori remandemus: milites sumus, imperator, tui, servi autem, quod libere profitemur, Christi; tibi debemus militiam, illi innocentiam; a te laboris stipendium, ab illo exordium sumsimus vitae, omniaque pro ipso tormenta suscipere parati sumus et ab ejus fide nunquam discedemus. Tunc impius Caesar jussit suum exercitum totam legionem circumdare, ita ut unus evadere non posset. Vallantur igitur milites Christi a militibus dyaboli et nefandis manibus trucidantur et pedibus conculcantur equorum et Christo pretiosi martires consecrantur. Passi sunt autem circa annos domini CCLXXX. Dei autem nutu quamplures evaserunt, ut in regiones alias venientes Christi nomen praedicarent et gloriosissime in locis aliis triumpharent. Ex quibus fuisse dicuntur Solutor, [1]) Adventor et Octavius apud Taurinum, Alexander apud Pergamum, Secundus apud Vintinum, necnon et beatus Constantius et Victor et Ursus et quamplures alii. Cum igitur carnifices praedam dividerent et insimul epularentur, quendam senem nomine Victorem inde casu transeuntem ad secum convivandum invitant. Ille requirere coepit, quomodo inter tot millia occisorum possent cum gaudio epulari. Cum autem a quodam audivisset, quod pro fide Christi mortui essent, suspirans ille vehementer ingemuit, beatum omnino se clamitans, si cum illis fuisset occisus. Cum autem comperissent,

---

1) Ed. Pr. male haec ita: aventor octavus — Alexander apud Bethanium, Secundus apud Viricumlium legit.

quoniam christianus esset, in eum impetum fecerunt et ipsum protinus trucidarunt. Post haec autem Maximianus apud Mediolanum, Dyocletianus vero apud Nicomediam una die purpuram deposuerunt, ut privatam vitam agerent et adolescentiores, scilicet Constantius et Maximus et Galerius, quos Caesares fecerant, imperarent. Sed cum Maximianus iterum tyrannice imperare vellet, a Constantio genero suo persecutus suspendio vitam finivit. Tandem corpus sancti Innocentii de eadem legione in unda Rhodani immersum a Domitiano Genanensi et Grato Augustano et Protasio ejusdem loci episcopis cum aliis in ecclesia est sepultum. In cujus constructione quidam gentilis artifex erat, qui aliis die dominico sollemnizantibus solus opus suum exercebat. Adest sanctorum exercitus, rapitur, caeditur et arguitur, quod opus suum profanum assumserit et die dominica, cum alii divinis intenderent, ipse operibus mechanicis inhiaret. Correctus ad ecclesiam cucurrit et se fieri christianum postulavit. Ambrosius in praefatione de his martiribus sic ait: caterva fidelium divino lustrata lumine ab extremis terrae finibus veniens [1]) tibi feliciter supplicavit et tam corporeis bellatorum legio mucronibus circumsepta quamque spiritualibus etiam armis vallata ad martirium vigili constantia properavit, quos pestifer tyrannus, ut eos metu perterreret, ad internecionem supplicii gladio decimavit atque postmodum constanter eos perdurantes in fide universos pariter capite plecti praecepit. Sed hi tanto caritatis ardore fervebant, ut ejectis armis flexo poplite passim geniculantes spiculatorum tela hilari corde susciperent, inter quos beatus Mauritius tuae fidei amore succensus decertando martirii est coronam adeptus. Haec Ambrosius. — — — 2. Mulier quaedam filium suum abbati monasterii, in quo sanctorum martirum corpora requiescunt, erudiendum tradidit, quem in brevi defunctum irremediabili luctu plangebat. Cui apparens Mauritius, cur filium suum sic fleret, quaesivit; quae sibi respondit, quod, quamdiu viveret, a lacrymis non cessaret. Cui ille: noli eum flere ut mortuum, sed scias eum habitare nobiscum; quod si probare desideras, cras et in omnibus diebus vitae tuae, si ad matutinas surrexeris, vocem ejus inter monachorum psallentium voces audire valebis. Quod illa semper fecit et vocem filii cum monachis cantantem semper [2]) discernens audivit. — — 3. Rex Gaturanicus, cum thesauros relictis saeculi pompis pau-

1) Alii: ubi. Ed. Pr. praefert: et fideliter suppl. 2) Part. discernens omittit Ed. Pr.

peribus et ecclesiis erogaret, quendam presbiterum misit, ut sibi de sacrosanctis ipsorum reliquiis asportaret. [1]) Qui cum reliquiis impetratis rediens, dum navis orta tempestate in lacu Lausannensi periret, capsam cum reliquiis fluctibus opposuit et mox secuta fuit tranquillitas magna. — — — 4. Anno domini DCCCCLXIII, cum quidam monachi obtentu Caroli a Nicolao papa corpora sancti Urbani papae et sancti Tiburtii martiris impetrassent et redeuntes sanctorum martirum ecclesiam visitassent, ab abbate et monachis impetrarunt, ut corpus sancti Mauritii et caput sancti Innocentii apud Antissiodorum in ecclesia, quam sanctus Germanus eisdem martiribus dudum dedicaverat, transportarent. — — — 5. Refert Petrus Damiani, quod in Burgundia erat quidam clericus superbus et ambitiosus, qui quandam ecclesiam sancti Mauritii sibi usurpaverat, quodam potente milite sibi plurimum obsistente. Dum autem quadam die missa cantaretur et in fine evangelii diceretur: omnis, qui se exaltat, humiliabitur, derisit miser et ait: falsum est, nam si ego meis hostibus me humiliassem, tot hodie divitias ecclesiae non haberem. Et ecce fulmen instar gladii in os ejus, per quod blasphemica verba evomuit, introivit et subito eum exstinxit.

CAP. CXLII. (137.)
De sancta Justina virgine.

Justina a justitia dicta est, ipsa enim per justitiam unicuique, quod suum est, reddidit; scilicet Deo obedientiam, superiori praelato reverentiam, pari concordiam, inferiori disciplinam, inimicis patientiam, miseris et afflictis [2])compassionem operosam, sibi sanctimoniam et proximis caritatem.

Justina virgo de civitate Antiochiae, filia sacerdotis ydolorum, quotidie ad fenestram sedens Proclum dyaconem evangelium legentem audiebat, a quo tandem conversa est. Quod cum mater patri in lecto retulisset et ambo dormivissent, Christus cum angelis apparuit iis dicens: venite ad me et dabo vobis regnum coelorum.

---

1) Ed. Pr.: quem c. r. impetrans. 2) Ed. Pr. concessionem legit et voces ultimas et — caritatem omittit.

Qui evigilantes statim cum filia se baptizari fecerunt. Haec ergo Justina virgo a Cypriano plurimum molestata ipsum tandem ad fidem convertit. Cyprianus enim a sua pueritia magus exstiterat: nam cum septem annorum esset, a parentibus dyabolo consecratus est. Hic igitur magicae arti inserviebat et matronas in jumenta convertere videbatur et multa alia praestigia exercebat. Ardens igitur in amore Justinae virginis ad magicas artes se contulit, ut ipsam pro se vel pro viro quodam Acladio, qui similiter in ejus amorem exarserat, posset habere. Advocat igitur daemonem, ut ad se veniat et Justinam per eum valeat habere. Adveniens daemon dixit ei: quid me vocasti? Cui Cyprianus: amo virginem de Galilaeis; potesne facere, ut ipsam habeam et voluntatem meam secum perficiam? Cui daemon: ego, qui hominem de paradiso ejicere potui, Cayn fratrem suum occidere procuravi, Judaeos Christum occidere feci, homines perturbavi, et non potero facere, ut unam puellam habeas et ea juxta tuum placitum fruaris? Unguentum hoc accipe et circa domum ejus de foris sparge et ego superveniens cor ejus in tuum amorem incendam et tibi eam assentire compellam. Sequenti nocte daemon ad eam ingreditur et cor ejus ad amorem illicitum incitare conatur. Quod illa sentiens devote se domino commendavit et totum corpus suum signo crucis munivit. Ad signum autem sanctae crucis dyabolus territus fugit et ad Cyprianum veniens ante eum stetit. Cui Cyprianus dixit: quare non adduxisti ad me virginem illam? Cui daemon: [1]) vidi in ea quoddam signum et contabui et omnis virtus in me defecit. Cyprianus autem eum dimisit et fortiorem vocavit. Cui daemon: audivi tuam jussionem et vidi illius impossibilitatem, sed ego emendabo et tuam complebo voluntatem; aggrediar eam et cor ejus vulnerabo in amorem libidinis et ea juxta desiderium tuum perfrueris. Ingrediens igitur dyabolus nitebatur ei persuadere et animam ejus ad amorem illicitum inflammare. Illa autem se Deo devote recommendans signo crucis omnem tentationem repulit et insufflans in daemonem protinus eum abjecit, daemon autem confusus abiit et aufugit et ante Cyprianum stetit. Ad quem Cyprianus: et ubi est virgo, ad quam te transmisi? Et daemon: victum me fateor, et qualiter, dicere pertimesco; quoddam enim signum terribile in ea vidi et continuo robur omne amisi. Tunc Cyprianus eum deridens dimisit et ipsum

---

1) Ed. Pr. verba vidi — Cui daemon: omittit.

principem daemonum advocavit, cumque venisset, ad eum dixit: quae est virtus vestra tam modica, ut vincatur ab una puella? Dixit daemon: ecce egrediens variis febribus eam vexabo et animum ejus ardentius inflammabo et totam corpus ejus vehementi ardore respergam et freneticam illam faciam et varia sibi fantasmata offeram et media nocte eam adducam tibi. Tunc dyabolus in speciem unius virginis se transfiguravit et ad virginem veniens dixit: ecce ad te venio, quia tecum in castitate vivere concupisco, verumtamen dic, quaeso te, quaenam certaminis nostri merces erit? Cui sancta virgo respondit: merces quidem multa, labor modicus. Dixit ei daemon: quid est ergo, quod Deus praecepit, crescite et multiplicamini et replete terram? Timeo ergo, bona socia, quod, si in virginitate manserimus, verbum Dei irritum faciemus et velut contemnentes et inobedientes in grave judicium decidemus, et unde videbamur sperare praemium, et grave incurremus tormentum. Coepit autem cor virginis gravibus cogitationibus per immissionem daemonis concuti et ardore concupiscentiae fortius inflammari, adeo ut jam surgens abire vellet. Tunc sancta virgo ad se reversa et quis esset, qui secum loqueretur, intelligens continuo se cruce munivit et in dyabolum sufflans ipsum instar cerae protinus liquefecit et ab omni tentatione statim liberatam se sensit. Postmodum dyabolus in speciem juvenis pulcherrimi se transfiguravit et thalamum ejus ingrediens, cum ipsa in lectulo jaceret, impudenter in ejus lectulum prosiluit et in ejus amplexus ruere voluit. Quod videns Justina et malignum spiritum adesse cognoscens mox signum crucis edidit et instar cerae dyabolum liquefecit. Tunc dyabolus permittente Deo febribus eam fatigans et plures cum gregibus et armentis occidens maximam mortalitatem in tota Antiochia futuram per daemoniacos praedicebat, nisi Justina conjugio consentiret. Quapropter tota civitas morbo languens ad januam parentum Justinae convenit clamans, ut Justina conjugio traderetur et sic civitatem a tanto periculo liberarent. Sed cum Justina nullatenus consentiret et ex hoc mortem eidem omnes minarentur, septimo anno mortalitatis ipsa pro iis oravit et omnem pestilentiam propulsavit. Videns dyabolus, quod nihil proficeret, in formam Justinae se transmutavit, ut famam Justinae pollueret, et Cyprianum deludens se Justinam ad se adduxisse jactabat. Pergens igitur dyabolus ad Cyprianum in specie Justinae ad ipsum cucurrit et eum, quasi quae ejus amore langueret, osculari voluit. Quam Cyprianus vi-

dens et Justinam esse credens gaudio repletus ait: bene venisti, Justina omnium feminarum decora. Mox ut Cyprianus nomen Justinae nominavit, dyabolus nomen illud ferre non potuit, sed ad ejus prolationem instar fumi statim evanuit. Quapropter Cyprianus delusum se videns tristis remansit, unde et amplius in amorem Justinae aestuans ad ostium virginis diu vigilavit et quandoque in feminam quandoque in avem, ut videbatur, arte magica se commutans, cum venisset ad ostium virginis, neque femina neque avis, sed Cyprianus protinus apparebat. Acladius quoque arte dyabolica mutatus in passerem cum ad fenestram Justinae volasset, mox ut virgo eum adspexit, non passer, sed Acladius apparuit angustiarique nimis coepit ac tremere, quia nec fugere poterat nec salire. Timens vero Justina, ne caderet et creparet, eum per scalam deponi fecit et admonens, ut a sua vesania cessaret, ne juxta leges tamquam maleficus puniretur. Ista omnia secundum figmenta dyabolica ad quandam apparentiam fiebant. Victus igitur per omnia dyabolus ad Cyprianum rediit et ante eum confusus stetit. Cui dixit Cyprianus: numquid et tu victus es? Quae est, miser, virtus vestra, ut unam puellam non possitis vincere nec in eam potestatem habere, sed e converso ipsa vos vincat et tam miserabiliter vos prosternat? Dic tamen mihi, obsecro, in quo est ejus tam maxima fortitudo? Cui daemon ait: si mihi juraveris, ut a me nequaquam recedas, virtutem ejus victoriae tibi pandam. Cui Cyprianus: per quid tibi jurabo? Cui daemon: jura mihi per virtutes meas magnas, quod a me nunquam discedas. Dicit ei Cyprianus: per virtutes tuas magnas tibi juro, quod a te nunquam discedam. Tunc dyabolus quasi securus ei dixit: puella illa signum crucifixi edidit et statim contabui et omnem virtutem amisi et quasi cera a facie ignis effluxi. Dicit ei Cyprianus: ergo crucifixus major te est? Et daemon: utique major omnibus est et nos et omnes, quos hic decipimus, tradet igni inextinguibili cruciandos. Cui Cyprianus: ergo et ego amicus debeo fieri crucifixi, ne tantam aliquando poenam incurram. Cui dyabolus: jurasti mihi per virtutes mei exercitus, per quas nemo perjurare valet, quod a me nunquam discederes. Ad quem Cyprianus: te et omnes fumigantes tuas virtutes contemno et tibi et omnibus dyabolis tuis abrenuntio et crucifixi salutari me signo munio. Statimque ab eo dyabolus confusus discessit. Tunc Cyprianus ad episcopum ivit. Quem videns episcopus et credens, eum venisse, ut christianos in errorem

mitteret, ait ei: sufficiant tibi, Cypriane, hi, qui foris sunt; nihil enim poteris adversus ecclesiam Dei, invicta est enim virtus Christi. Cui Cyprianus: certus sum, quia invicta est virtus Christi, narransque, quae sibi acciderant, ab eo se baptizari fecit. Qui postmodum tam in scientia, quam in vita valde proficiens mortuo episcopo ipse in episcopum ordinatus est, beatam vero virginem Justinam in monasterio posuit et multis sacris virginibus eam ibidem in abbatissam praefecit. Sanctus autem Cyprianus martiribus epistolas saepe mittebat et eos in certamine roborabat. Comes autem regionis illius audiens famam Cypriani et Justinae eos ad se praesentari fecit et, an sacrificare vellent, requisivit. Qui dum in fide Christi persisterent firmi, jussit eos in sartaginem plenam cera, pice et adipe poni, quae tamen iis mirum refrigerium praestitit nec aliquod supplicium irrogavit. Sacerdos autem ydolorum praefecto dixit: jubeas me ante sartaginem stare et confestim vincam omnem virtutem eorum. Cum ergo juxta sartaginem venisset, dixit: magnus es Deus Hercules et pater Deorum Jupiter! Et ecce continuo de sartagine ignis exivit et penitus eum consumsit. Tunc Cyprianus et Justina de sartagine extrahuntur et data super eos sententia pariter decollantur. Horum corpora cum septem diebus ad canes projecta mansissent, postmodum Romam translata sunt, nunc autem, ut dicitur, Placentiae requiescunt. Passi sunt autem VI cal. Octobres circa annos domini CCLXXX. sub Dyocletiano.

CAP. CXLIII. (138.)

De sanctis Cosma et Damiano.

Cosmas dicitur a cosmos, quod est forma vel ornatus. Vel secundum Ysidorum cosmos graece dicitur mundus latine. Fuit enim forma aliis in exemplum, ornatus virtutibus bonis, mundus ab omnibus vitiis. Damianus dictus est a dama, quadam bestia, quae humilis est et mansueta. Vel Damianus a dogma, quod est doctrina, et ana, quod est sursum, vel a [1])damum, quod est sacrificium. Vel Damianus quasi domini manus. Ipse enim man-

1) Recent. male: damnum.

suetudinem habuit in conversatione, doctrinam supernam habuit in praedicatione, sacrificium fuit in carnis maceratione, domini manus fuit in medicinali curatione.

1. Cosmas et Damianus germani fratres in civitate Egea ex religiosa matre nomine [1]) Theodoche nati sunt. Hi arte medicinae edocti tantam a spiritu sancto gratiam acceperunt, ut omnes languores non solum ab hominibus, sed etiam a jumentis curarent, gratis omnia tribuentes. Matrona autem quaedam nomine Palladia, cum omnia sua in medicis consumsisset, ad sanctos accessit et ab iis sanitatem integram reportavit. Tunc illa quoddam munusculum sancto Damiano obtulit, et cum nollet recipere, illa eum sacramentis terribilibus adjuravit. Quod ille acquievit recipere non quidem ductus cupiditate muneris, sed et devotioni satisfaciens offerentis, et ne nomen domini videretur spernere, per quod videbat sic se adjuratum esse. Hoc ubi sanctus Cosmas comperit, praecepit, ne corpus ejus una cum ipsius corpore poneretur. Sed sequenti nocte dominus Cosmae apparuit et fratrem de suscepto munere excusavit. Audiens eorum famam proconsul Lisias eos ad se accersiri fecit et quae eorum sunt nomina, quae patria, quae fortuna, inquirere coepit. Sancti martires dixerunt: nomina nostra sunt Cosmas et Damianus, alios tres fratres habemus, quorum nomina sunt [2])Antimus, Leontius et Euprepius, patria autem nostra Arabia est; porro fortunam christiani nesciunt. Jussit ergo proconsul, ut fratres suos adducerent et simul ydolis immolarent, sed cum omnino immolare contemnerent, praecepit eos in manibus et pedibus dire torqueri. Cum autem ejus tormenta deriderent, jussit eos catena ligari et in mare praecipitari, sed statim ab angelo de mari liberantur et ante praesidem statuuntur. Quod praeses considerans ait: per Deos magnos maleficiis vincitis, quia tormenta contemnitis et mare sopitis, docete ergo me haec vestra maleficia et in nomine Dei Adriani sequar vos. Et hoc dicto statim duo daemones adfuerunt et eum gravissime in faciem ceciderunt, et ille clamans dixit: deprecor vos, o boni viri, ut pro me ad dominum vestrum oretis. Quibus orantibus continuo daemones discesserunt. Praeses autem dixit: videtis, qualiter adversum me Dii indignati sunt, quia eos relinquere cogitabam, jam ergo Deos meos vos non patiar blasphemare. Tunc eos in ignem copiosum jactari

---

1) Alii: Theodora. 2) Ed. Pr. legit: Amtinus — Eupempius.

praecepit, sed tamen eos nil laesit, quin potius flamma prosiliit longe et multos de adstantibus interemit. Jubentur ergo in equuleo suspendi, sed ab angelo ipsos custodiente fatigatis admodum in caedendo ministris ante praesidem deponuntur illaesi. Tres igitur fratres in carcerem fecit recludi et Cosmam et Damianum crucifigi et a populo lapidari, sed in suos lapides redibant auctores et quamplurimos vulnerabant. Tunc praeses furore repletus eductis tribus fratribus et stantibus juxta crucem jussit Cosmam et Damianum [1]) supra crucem poni et a quatuor militibus sagittari, sagittae vero conversae plurimos vulnerabant, sed sanctos martires non laedebant. Videns autem praeses in omnibus se confusum, usque ad mortem anxiatus omnes quinque fratres fecit mane decollari. Memores autem christiani verbi, quod dixerat sanctus Cosmas, ne in unum sepelirentur, cogitabant, quomodo vellent martires sepeliri, et ecce subito camelus advenit humana voce proclamans et sanctos in uno loco sepeliri praecepit. [2]) Passi sunt sub Dyocletiano, qui coepit circa annos domini CCLXXXVII. — — — 2. Rusticus quidam cum post laborem messis in campo aperto ore dormiret, serpens in ejus [3]) ore ingressus est. Evigilans autem cum nihil sentiret, domum rediit et sero facto gravissime torqueri se sensit; voces igitur miserabiles emittebat et sanctos Dei Cosmam et Damianum in sui auxilium invocabat, sed cum dolor semper incresceret, ad ecclesiam sanctorum martirum confugit et ibidem, eo subito dormiente, serpens, sicut intraverat, per os ejus exivit. — — — 3. Vir quidam longe profecturus sanctis martiribus Cosmae et Damiano uxorem suam commendavit, dans ei signum crucis, cui protinus deberet annuere, si aliquando eam vocaret. Post hoc autem sciens signum dyabolus, quod ei maritus dederat, se in hominem transfiguravit et signum viri afferens dixit: vir tuus ab illa civitate misit ad te, ut ducam te ad eum. At illa adhuc ire formidans ait: signum quidem agnosco, sed quia sanctis martiribus Cosmae et Damiano commendata sum, super eorum altare mihi jura, quod securam me duces, et tunc protinus proficiscar. Ille autem continuo, ut dixerat, sibi juravit. Secuta ergo eum, cum ad quendam locum secretum venissent, voluit eam de jumento dyabolus praecipitare, ut eam occideret. Quod illa sentiens exclamavit: Deus sanctorum

---

1) Ed. Pr. juxta legit. 2) Verba: Passi etc. hic omittit Ed. Pr. et male ad finem hujus cap. addit, sicut et reliqui libri, ubi tamen CCLXXX offerunt. 3) Alii non male: ventrem.

Cosmae et Damiani adjuva me; vobis enim credidi et secuta sum eum. Confestim autem sancti cum multitudine dealbatorum ibidem affuerunt et eam liberaverunt, dyabolus autem statim evanuit, et dixerunt ei: nos sumus Cosmas et Damianus, quorum juramento credidisti, ideoque festinavimus venire in auxilium tibi. — — — 4. Felix papa [1]) attavus sancti Gregorii in honore sanctorum Cosmae et Damiani nobilem ecclesiam Romae construxit. In hac ecclesia quidam vir sanctis martiribus serviebat, cui cancer unum crus totum consumserat. Et ecce dormiente illo sancti Cosmas et Damianus devoto suo apparuerunt unguenta et ferramenta secum portantes; quorum unus alteri dixit: ubi carnes accipiemus, ut abscisa carne putrida locum vacuum repleamus? Tunc ait alter: in cimiterio sancti Petri ad vincula hodie Aethiops recens sepultus est, de illo autem affer, ut huic suppleamus. Et ecce ad cimiterium properavit et coxam Mauri attulit, praecidentesque coxam infirmi loco ejus coxam Mauri inseruerunt et plagam diligenter ungentes coxam infirmi ad corpus Mauri mortui detulerunt. Evigilans autem cum se sine dolore sensisset, manum ad coxam apposuit et nil laesionis invenit, apponensque candelam cum in crure nil mali videret, cogitabat, an non ipse, [2]) qui erat, sed alius [3]) alter esset. Rediens autem ad se prae gaudio de lectulo prosiliit et quid in somnis viderat et qualiter sanatus fuerat, omnibus enarravit. Qui conciti ad tumulum Mauri miserunt et coxam Mauri praecisam et coxam praedicti viri loco illius in tumulo positam repererunt.

CAP. CXLIV. (139.)

De sancto [4]) Forseo episcopo.

Forseus episcopus, cujus hystoriam Beda scripsisse creditur, dum omni virtute et bonitate polleret, ad extremum veniens spiritum emisit. Vidit quoque duos angelos ad se venientes, ut ejus animam deferrent, tertium vero armatum scuto candido et gladio fulgureo se praecedentem conspexit; deinde daemones clamantes audivit: praecedamus et ante faciem ejus bella commoveamus.

---

1) Male Ed. Pr. et rec. libri legunt: octavus. 2) Ed. Pr. ipse sed alius qui erat legit. 3) Rec. aliter praeferunt. 4) Alii Foroseo legunt.

Cum ergo praecessissent, conversi in eum jactabant ignita jacula, sed angelus praecedens scuto ea suscipiebat et protinus exstinguebat. Tunc daemones angelis [1]) opponentes dixerunt: otiosos sermones saepe dixit et ideo illaesus non debet perfrui vita beata. Quibus angelus: nisi principalia vitia contra eum protuleritis, propter minima non peribit. Tunc dixit eis daemon: si justus est Deus, homo hic non salvabitur; scriptum est enim: nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Cui angelus excusans ait: indulgentiam in corde habuit, sed consuetudo hominum [2]) conticuit. Cui daemon: sicut accepit malum ex consuetudine, ita accipiat vindictam a superno judice. Sanctus angelus dixit: judicemur ante Deum. Proeliante angelo adversarii [3]) contriti sunt. Tunc daemon dixit: servus, [4]) qui scit voluntatem domini sui et non facit, plagis vapulabit multis. Cui angelus: quid enim iste de domini sui voluntate non implevit? Et daemon: dona iniquorum recepit. Cui angelus: credidit, quod unusquisque eorum poenitentiam egisset. Daemon dixit: ante debuit probare poenitentiae perseverantiam et sic fructus suscipere. Angelus respondit: judicemur ante Deum, sed daemon succubuit. Iterum autem ad bellandum surrexit dicens: usque nunc Deum extimescebam veracem, qui omne delictum, quod in terris non purgatur, se in aeternum puniturum promisit, hic ergo homo quandam vestem a quodam usurario recepit nec de hoc punitus fuit; ubi est ergo justitia Dei? Cui angelus: silete, quia occulta Dei judicia ignoratis; quamdiu enim speratur poenitentia, comitatur hominem divina misericordia. Daemon respondit: sed nullus hic locus est poenitentiae. Cui angelus: profunditatem judiciorum Dei ignoratis. Tunc dyabolus tam graviter eum percussit, ut postmodum vitae restitutus semper percussionis vestigium retineret; arripientes enim daemones unum de his, quos in ignibus torquebant, ipsum in eum jactaverunt, qui ejus humerum maxillamque incendit, cognovitque hominem, quia ille erat, cujus vestem acceperat. Dixitque angelus: quod incendisti, arsit te; si enim hujus viri in peccatis mortui donum non accepisses, nec poena in te arderet. Et hanc percussionem permittente Deo pro [5]) receptione vestimenti illius praecepit. Alter autem daemon dixit: adhuc restat illi angusta porta, ubi illum superare poteri-

1) Ed. Pr. apponentes. 2) Alii: concitavit. 3) Alii: territi offerunt. 4) Ed. Pr. legit: servus sciens. 5) Ed. Pr. redemtione — recepit.

mus; diliges proximum tuum sicut te ipsum. Respondit angelus: vir iste in proximos suos operatus est bona. Adversarius respondit: non sufficit hoc, nisi etiam sicut se ipsum dilexerit. Cui angelus: fructus dilectionis est bene operari, quia Deus reddit unicuique secundum opera sua. Dixitque daemon: sed quia verbum de diligendo non impleverit, damnatus erit. Pugnante turba nefanda sancti angeli victores fuerunt. Dixit iterum daemon: si Deus iniquus non est et verbi illius transgressio ei displicet, iste poenarum expers non erit; promisit enim seculo abrenuntiare et e contrario seculum dilexit contra id, quod dictum est: nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt. Sanctus angelus respondit: non sibi ea, quae sunt seculi, sed hominibus indigentibus dispensanda dilexit. Dyabolus respondit: qualicumque modo diligatur, contra praeceptum divinum est. Victis adversariis rursus dyabolus ad callidas convertitur accusationes dicens: scriptum est, si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram; hic non annuntiavit digne peccatoribus poenitentiam. Sanctus angelus respondit: quando auditores despiciunt verbum, lingua doctoris loqui praepeditur, dum videt, quod praedicatio audita despicitur, unde prudentis est, dum non est loquendi tempus, nosse tacere. In omni vero contradictione daemonum praevalida nimis exstitit pugna, donec judice domino triumphantibus angelis devictisque adversariis immensa claritate vir sanctus circumfusus est. Unus autem, ut Beda testatur, ex angelis dixit ei: respice mundum, respiciensque vidit vallem tenebrosam et quatuor ignes in aëre aliquibus spatiis a se distantes, dixitque ei angelus: hi sunt quatuor ignes, qui mundum succendunt; unus est ignis mendacii, cum hoc, quod abrenuntiare dyabolo et omnibus pompis ejus in baptismo homines promiserunt, minime implent; secundus cupiditatis, cum mundi divitias amori coelestium praeponunt; tertius est dissensionis, cum animos proximorum in supervacuis rebus offendere non formidant; quartus impietatis, cum infirmiores exspoliare et iis fraudem facere pro nihilo ducunt. Deinde illi ignes appropinquantes in unum redacti sunt et illi appropinquabant, timensque angelo dixit: domine, ignis mihi appropinquat. Cui angelus: quod non accendisti, non ardebit in te, ignis enim iste secundum merita operum hominum singulos examinat; nam sicut corpus ardet per [1])voluntatem illicitam, ita etiam ardebit per

1) Ed. Pr. voluptatem praefert.

debitam poenam. Tandem ad proprium reductus est corpus plangentibus propinquis, qui eum mortuum aestimabant. Ille autem aliquanto tempore supervixit et in bonis operibus laudabiliter vitam finivit.

CAP. CXLV. (140.)

De sancto Michaele archangelo.

Michael interpretatur: qualis ut Deus, et quotiens, sicut ait Gregorius, mirae virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu et nomine detur intelligi, quod nullus potest facere, quod facere praevalet Deus, et idcirco eidem Michaeli multa, quae sunt mirae virtutis, attribuuntur. Ipse enim, ut Daniel testatur, in tempore Antichristi consurget et pro electis tamquam defensor et protector adstabit; ipse cum dracone et angelis ejus pugnavit et ipsos de coelo ejiciens victoriam fecit magnam; ipse cum dyabolo de Moysi corpore altercatus est eo, quod dyabolus ejus corpus perdere voluit, ut ipsum pro Deo Judaeorum populus adoraret; ipse sanctorum animas recipit et in paradisum exsultationis perducit; ipse olim princeps fuit synagogae, sed nunc constitutus est a domino in principem ecclesiae; ipse, ut dicitur, plagas Aegyptiis intulit, mare rubrum divisit, populum per desertum duxit et in terram promissionis introduxit; ipse inter sanctorum acies angelorum signifer Christi habetur; ipse ad domini imperium Antichristum existentem in monte oliveti praepotenter occidet; in voce ipsius archangeli Michaelis mortui resurgent; ipse crucem, clavos, lanceam et coronam spineam in die judicii praesentabit.

Michaelis archangeli sacra sollemnitas dicitur apparitio, dedicatio, victoria et memoria. Apparitio ipsius angeli multiplex est. Prima, qua in monte Gargano apparuit. In Apulia namque est quidam mons nomine Garganus juxta civitatem, quae dicitur Sypontus. Anno autem domini CCCXC in praedicta urbe Syponto erat quidam vir nomine Garganus, qui secundum quosdam libros a monte illo nomen acceperat, [1]) vel a quo mons ille nomen acceperat, qui oviam et boum

1) Verba: vel — acceperat omittit Ed. Pr.

infinita multitudine pollebat. Cum autem circa praedicti montis latera pascerentur, contigit, quendam taurum alios relinquere et verticem montis conscendere. Cum domum aliis redeuntibus non rediisset, collecta dominus multitudine famulorum per devia quaeque requirens ipsum tandem in vertice montis juxta ostium cujusdam speluncae invenit. Permotus itaque, cur solivagus incederet, mox in ipsum sagittam toxicatam direxit, sed statim velut a vento retorta ipsum, qui jecerat, repercussit. Turbati super hoc cives episcopum adeunt et super re tam stupenda ipsum requirunt. Qui triduanum jejunium iis indixit et a Deo quaerendum esse admonuit. Quo peracto sanctus Michael episcopo apparuit dicens: sciatis, hominem illum voluntate mea suo telo esse percussum; ego enim sum Michael archangelus, qui locum hunc in terris incolere tutumque servare statuens hoc volui probare indicio, ipsius me loci inspectorem esse atque custodem. Statimque episcopus atque cives cum processione locum adeunt et ingredi non praesumentes orationi prae foribus insistunt. Secunda apparitio est, quae circa annum domini DCCX accidisse describitur. Nam in loco, qui Tumba dicitur, juxta mare, qui VI millibus ab urbe [1]) Apricensi distat, Michael episcopo praedictae civitatis apparuit dicens et jubens, ut praedicto loco ecclesiam construeret et, sicut fit in monte Gargano, ita et ibi in memoriam sancti Michaelis archangeli celebraret. Cum autem episcopus de loco, in quo ecclesiam construeret, dubitaret, ab ipso edocetur, ut ibi construi eam faceret, ubi taurum a latronibus absconditum inveniret, iterumque de loci amplitudine dubitans jubetur modum in amplitudine statuere, quantum videret taurum in circuitu pedibus intrivisse. Duae autem rupes ibidem erant, quas nullatenus virtus humana movere poterat. Tunc Michael cuidam viro apparuit praecipiens, ut ad praedictum locum accedat et ipsas rupes removeat. Quo accedente tam facile rupes movit, ut nihil habere ponderis viderentur. Aedificata igitur ibidem ecclesia de monte Gargano partem pallii, quod sanctus Michael super altare posuit, et partem marmoris, super quo stetit, ad suam ecclesiam detulerunt. Cum vero ibidem aquae penuriam paterentur, monitu angeli quoddam foramen in quodam saxo durissimo fecerunt et tanta aquarum copia protinus emanavit, ut usque nunc ejus beneficio copiosius sustententur. Haec autem apparitio in

1) Alii: Abriacensi legunt.

41*

praedicto loco XVII. cal. Novembris sollemniter celebratur. In eodem autem loco quoddam memoria dignum contigisse refertur miraculum. Ille enim mons undique Oceano cingitur, sed bis in die sancti Michaelis iter praebens populo aperitur. Cum ergo copiosa turba ad ecclesiam pergeret, contigit et quandam mulierem gravidam vicinamque partui secum ire. Et ecce magno impetu unda rediit et omnis turba timore perculsa ad littus fugit, sola autem mulier praegnans fugere non valuit, sed a marinis fluctibus capta fuit. At Michael archangelus mulierem servavit illaesam, ita etiam, quod in medio pelagi filium parturivit, quem in ulnis suscipiens lactavit, et mari iterum sibi iter praebente cum puero laeta exivit. Tertia apparitio est, quae Romae tempore Gregorii papae legitur accidisse. Nam dum idem Gregorius papa propter pestem inguinariam litanias majores instituisset et devote pro salute populi exoraret, vidit supra castrum, quod olim *Memoria* Adriani dicebatur, angelum domini, qui gladium cruentatum tergebat et in vaginam mittebat. Unde sanctus Gregorius intelligens preces a domino exauditas ecclesiam in honorem angelorum ibidem construxit: unde et castrum illud usque nunc castrum sancti angeli vocatur. Haec autem apparitio cum illa, quae in monte Gargano apparuit, cum Sypontanis victoriam dedit, VIII idus Maji celebratur. Quarta apparitio est, quae consistit in [1]) gerarchiis ipsorum angelorum. Nam prima gerarchia dicitur epiphania, id est superior apparitio: media dicitur hyperphania, id est media apparitio; ultima dicitur hypophania, id est inferior apparitio. Et dicitur gerarchia a gerar, quod est sacrum, et archos, princeps, quasi sacer principatus. Quaelibet autem gerarchia continet tres ordines: nam superior continet seraphin, cherubin et thronos; media autem continet secundum assignationem Dionysii dominationes, virtutes et potestates; ultima continet secundum assignationem ejusdem principatus, angelos et archangelos. Et horum ordinatio et dispositio potest videri per simile in terrenis potestatibus. Nam ministrorum, qui sunt sub uno rege, quidam operantur immediate circa personam regis, sicut cubicularii, consiliarii et assessores. Similes his sunt ordines primae gerarchiae. Quidam vero habent officia ad regimen regni in communi [2]) non deputati huic vel illi provinciae, ut principes militiae et judices curiae. Similes sunt his ordines secundae

---

1) Libri recent. et hic et in sequentibus ubique praeferunt hierarchia.
2) Ed. Pr. omittit negationem.

gerarchiae. Quidam vero praeponuntur ad regimen alicujus partis regni, ut praepositi et balivi et hujusmodi minores officiales. Et his similes sunt ordines tertiae gerarchiae. Tres igitur primae gerarchiae accipiuntur, in quantum Deo assistunt et ad ipsum convertuntur. Ad haec tamen tria necessaria sunt, scilicet summa dilectio, et hoc quantum ad ordinem seraphin, quod interpretatur ardentes; perfecta cognitio, et hoc quantum ad cherubin, quoniam interpretatur plenitudo scientiae; perpetua comprehensio sive fruitio, et hoc quantum ad thronos, quod interpretantur sedes, quia in iis sedet Deus et quiescit, dum eos in se quiescere facit. Tres autem ordines mediae gerarchiae accipiuntur, in quantum habent praeesse et regere universitatem hominum in communi. Hoc autem regimen consistit in tribus: primo in praesidendo sive imperando, et hoc pertinet ad ordinem dominationum, ad quem spectat inferioribus praeesse et eos in omnibus ministeriis divinis dirigere ac iis omnia imperare, quod innuit Zachar. V., ubi unus angelus alteri dixit: curre et loquere ad puerum istum dicens etc. Secundo in operando, et hoc pertinet ad ordinem virtutum, quibus nihil est impossibile exsequi, quod imperatur, quia iis datum est posse super omnia difficilia ad divinum ministerium pertinentia, et ideo iis attribuit miracula facere. Tertio in arcendo, ut scilicet impedientia et infestantia arceantur, et hoc pertinet ad ordinem potestatum, quae habent coercere contrarias potestates; quod signatum est Tobiae cap. VIII, ubi dicitur, quod Raphael religavit daemonium in deserto superioris Aegypti. Tres vero ordines ultimae gerarchiae accipiuntur, secundum quod habent regimen determinatum et limitatum. Quidam enim eorum praesunt uni provinciae. Hi sunt de ordine principatus, sicut erat princeps Persarum, qui praeerat Persis; de quo habetur Daniel. X.: quidam vero deputati sunt ad regimen multitudinis, ut, puta, unius civitatis, et hi dicuntur archangeli; quidam vero ad regimen personae singularis, et hi dicuntur angeli. Unde et dicuntur minima nuntiare ex eo, quod eorum ministerium ad unum hominem limitatur, archangeli vero dicuntur majora nuntiare, quia bonum unius multitudinis dignius est, quam bonum unius hominis. In assignatione autem ordinum primae gerarchiae Gregorius et Bernardus cum Dionysio concordant, quia accipitur penes eorum fruitionem, quae consistit in ferventi dilectione quo ad seraphin, profunda cognitione quo ad cherubin, perpetua retentione quo ad thronos. Sed in assigna-

tione mediae et ultimae in duobus ordinibus, scilicet principatu et virtute, dissentire videntur. Gregorius enim et Bernardus aliam considerationem habuerunt, prout scilicet media gerarchia accipitur penes praelationem, ultima penes ministrationem. Praelatio autem in angelis triplex est: praesunt enim angeli angelicis spiritibus et hi dominationes dicuntur, praesunt etiam angeli bonis hominibus et hi dicuntur principatus; praesunt daemonibus, et hi dicuntur potestates. Et ordo et gradus dignitatis in his patet. Ministerium autem triplex est; quoddam, quod consistit in operando, quoddam in docendo aut majora aut minora. Primum est virtutum, secundum archangelorum, tertium angelorum. Quinta apparitio est, de qua legitur in hystoria tripartita. Nam juxta Constantinopolim est locus quidam, ubi olim Dea Vesta colebatur, sed nunc ecclesia in honore sancti Michaelis fabricata est, qui etiam locus Michaelium nuncupatur. Cum igitur quendam nomine Aquilinum vehementissima febris rubeis coloribus mota comprehendisset, aestuanti poculum medici dederunt, quod evomuit, adeo ut postmodum, quidquid comederet vel biberet, evomeret. Dum autem jam morti vicinus esset, ad locum hunc se duci fecit, credens se illuc aut mori aut languore privari. Cui Michael apparens dixit, ut confectionem sibi ex melle et vino et pipere faceret et omnia, quae comederet, ibi intingeret, et sic plenam sanitatem reciperet. Quod cum fecisset, plane liberatus est, cum tamen secundum medicinae rationem contrarium esse videatur, calida pocula colericis exhibere. Haec in hystoria tripartita. Secundo dicitur victoria. Multiplex autem victoria ipsius archangeli Michaelis et angelorum invenitur. Prima est, quam archangelus Michael praedictis Sypontanis hoc modo praestitit. Post aliquod enim tempus ab invento loco Neapolitae adhuc gentiles contra Sypontanos et Beneventanos, qui quinquaginta milliaribus a Syponto distant, ordinato exercitu bellare coeperunt. Qui de episcopi consilio triduo inducias petierunt, ut jejunio triduano vacarent et patronum suum Michaelem in sui auxilium implorarent. Tertia autem nocte Michael episcopo apparet, preces dicit exauditas, victoriam promittit affuturam et quarta diei hora jubet hostibus occurrendum. Quibus occurrentibus mons Garganus immenso tremore concutitur, fulgura quoque crebra volant et caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit, ita ut DC viri de adversariis tam ex ferro hostium, quam ex sagittis gneis interirent. Reliqui vero virtute archangeli comperta ydolo-

latriae reliquerunt errorem et continuo colla christianae fidei submiserunt. Secunda victoria est, quam Michael archangelus obtinuit, quando draconem, id est Luciferum, cum omnibus suis sequacibus de coelo expulit. De quo exponitur illud, quod habetur in Apocalypsi: factum est proelium magnum in coelo, Michael etc. Cum enim Lucifer Dei aequalitatem appetisset, archangelus Michael coelestis exercitus signifer adveniens ipsum Luciferum cum suis sequacibus de coelo expulit et in hunc aërem caliginosum usque in diem judicii retrusit. Non enim permissum est iis in coelo habitare sive in superiore parte aëris, quia locus clarus et amoenus est, nec in terra nobiscum, ne nimis nos infestarent, sed in aëre inter coelum et terram sunt, ut, dum superius respiciunt et vident gloriam, quam amiserunt, inde dolorem habeant, et dum inferius respiciunt et vident homines illuc adscendere, unde ipsi ceciderunt, inde invidia frequenter torqueantur. Frequenter tamen ex divina dispensatione ad nostrum exercitium ad nos descendunt, unde, sicut aliquibus viris sacris monstratum est, frequenter circa nos volitant sicut muscae. Innumerabiles enim sunt et velut muscae totum aërem repleverunt. Unde dicit Haymo: ut philosophi dixerunt et doctores nostri opinantur, aër iste ita plenus est daemonibus et malignis spiritibus, sicut radius solis minutissimis pulvisculis. Licet autem tot sint, tamen juxta sententiam Origenis eorum exercitus minuitur, cum eos vincimus, ita ut, qui ab aliquo sancto viro victus fuerit, deinceps ille de vitio, de quo victus est, ipsum non valeat tentare. Tertia victoria est, quam angeli quotidie de daemonibus obtinent, dum pro nobis contra eos pugnantes ab eorum tentatione nos liberant. Tribus autem modis ab ipsorum tentatione nos liberant. Primo proprietatem daemonis refrenando, Apocal. XX de angelo, qui daemonem ligavit et in abyssum misit, et Tobiae VIII de dyabolo in deserto superiori religato. Hujus enim religatio nihil aliud est, quam potestatis ejus refrenatio. Secundo concupiscentiam refrigerando, quod significatum est Genes. XXXII, ubi dicitur, quod angelus tetigit nervum Jacob et statim emarcuit. Tertio memoriam dominicae passionis nostris mentibus imprimendo. Hoc significatum est Apocal. VII., ubi dicitur: nolite nocere terrae et mari nec arboribus, quousque etc. Item Ezech. IX.: signa Thau in frontibus virorum gementium. Thau enim littera ad modum crucis est acta, et qui hoc signati sunt, non timent angelum percussorem. Unde ibidem dicitur: super quem videritis Thau, ne

occidatis. Quarta victoria est, quam archangelus Michael de Antichristo habiturus est, quando ipsum occidet. Tunc enim Michael princeps magnus, ut dicitur Daniel. XII., consurget et pro electis tanquam adjutor et protector contra Antichristum fortiter stabit. Deinde Antichristus, ut dicit Glossa Apocal. XIII super illud: vidi unum de capitibus ejus occisum etc., mortuum se finget et per triduum latens postea apparebit dicens se suscitatum arteque magica ferentibus cum daemonibus in aëra adscendet et universis mirantibus adorabunt eum. Tandem in montem oliveti adscendens, ut dicit Glossa super illud II Thessal. II.: quem dominus Jesus interficiet etc., dum stabit in papilione et in solio suo in illo loco, contra quem dominus adscendit, Michael adveniens ipsum interficiet. De quo praelio et victoria intelligitur secundum Gregorium illud, quod dicitur Apocal. XII: factum est proelium magnum in coelo, Michael etc. Illud enim verbum de triplici proelio *Michaelis* intelligitur; scilicet de proelio, quod habuit cum Lucifero, cum ipsum de coelo repulit, et de proelio, quod cum daemonibus habet nos infestantibus, et de isto, de quo hic agitur, quod scilicet cum Antichristo in fine mundi habiturus est. Tertio hic sollemnitas dicitur dedicatio ex eo, quod hac die praedictum locum in monte Gargano a se dedicatum fuisse Michael archangelus revelavit. Reversi enim Sypontani a caede adversariorum et tam magnifica potiti victoria adhuc dubitare coeperunt, utrum praedictum locum ingredi vel dedicare deberent. Tunc episcopus duxit super his papam Pelagium consulendum, qui respondit dicens: si homo illam ecclesiam dedicare deberet, hoc maxime die, quo victoria data est, fieri oporteret, si vero aliter sancto Michaeli placuerit, ab ipso est super hoc ejus requirenda voluntas. Instantibus igitur papa et episcopo cum civibus triduano jejunio Michael in hac die apparuit episcopo dicens: non est opus vobis, quam ego aedificavi, dedicare ecclesiam, ipse enim, qui condidi, dedicavi, praecepitque, ut die sequenti locum cum populo ingrediens ipsum cum precibus frequentarent et se specialem suum patronum sentirent, deditque ei praedictae consecrationis signum, ut scilicet ab oriente per posterulam adscenderent et ibidem vestigia hominis impressa marmori invenirent. Mane igitur episcopus et universus populus ad locum veniunt et introgredientes cryptam magnam et tria altaria invenerunt, quorum duo in australi parte posita erant, tertium vero in orientali, venerandum quidem et rubeo pallio circumtectum. Celebratis igitur

ibidem missarum sollemniis, cum sacram communionem singuli accepissent, omnes ad propria cum immenso gaudio redierunt, episcopus autem ibidem sacerdotes et clericos delegavit, qui jugiter divinum officium celebrarent. In eadem spelunca aqua lucida et nimium dulcis emanat, qua post communionem populus potatur et diversae aegritudines sanantur. Tunc summus pontifex his auditis hunc diem in honorem sancti Michaelis et omnium beatorum spirituum per totum orbem universaliter statuit celebrandum. Quarto haec sollemnitas dicitur memoria sancti Michaelis: in qua tamen sollemnitate omnium angelorum memoriam agimus et omnes generaliter honoramus. Decet namque nos iisdem laudem et honorem impendere multiplici ratione. Ipsi enim sunt custodes nostri, ministratores nostri, fratres et concives nostri, animarum nostrarum portitores in coelum, orationum nostrarum apud Deum repraesentatores, regis aeterni nobilissimi milites et tribulatorum consolatores. Primo igitur debemus eos honorare, quia sunt custodes nostri. Cuilibet enim homini dantur duo angeli, unus malus ad exercitium, alter bonus ad custodiendum. Custodia enim boni angeli deputatur homini et in nativitate et in utero et statim post nativitatem ex utero et semper est cum ipso jam adulto. In hoc enim triplici statu necessaria est homini custodia angelica: nam dum parvulus est adhuc in utero, potest interim et damnari; dum est extra uterum ante adultam aetatem, potest a baptismate impediri; dum est in adulta aetate, potest ad diversa peccata pertrahi. Dyabolus enim in homine adulto rationem seducit per astutias, voluntatem allicit per blanditias, virtutem opprimit per violentiam. Ideo necesse fuit, ut bonus angelus eidem ad custodiam deputetur, ut hominem erudiat et dirigat contra fallaciam, exhortetur et incitet ad bonum contra blanditias et defendat ab oppressione contra violentiam. Effectus autem angelicae custodiae in homine quadruplieiter assignari potest. Primus est, ut proficiat anima in bonum gratiae, et hoc facit angelus in anima tribus modis: primo omne impedimentum ad bonum removendo; hoc signatum est Exod. XII, ubi angelus percussit primogenita Aegypti; secundo pigritiam excitando, quod signatum est Zachar. IV, ubi dicitur: angelus domini excitavit me quasi hominem, qui excitatur a somno; tertio in via poenitentiae ducendo et reducendo, quod significatum est Tob. V. in angelo, qui eum duxit et reduxit. Secundus est, ut non cadat in malum culpae, et hoc facit angelus tribus modis: primo impediendo peccatum fu-

turum ne fiat, hoc signatum est Numer. XXII in Balaam, qui ad maledicendum Israel pergens ab angelo impeditus est; secundo increpando praeteritum, ut ab eo quis recedat, hoc signatum est Jud. II, ubi, cum angelus filios Israel de praevaricatione increpasset, ipsi elevaverunt vocem et fleverunt; tertio violentiam quasi inferendo, ut a praesenti peccato eripiat, hoc signatum est in violenta eductione Loth et uxoris ejus de Sodomis, id est peccati consuetudine. Tertius effectus est, si cadat, quod postmodum resurgat, et hoc facit angelus tribus modis: primo movendo ad contritionem, hoc signatum est Tob. XI, ubi ad documentum angeli de felle, per quod intelligitur contritio, linivit patri oculos, scilicet cordis; secundo purgando labia ad confessionem, quod signatum est Ysaiae VI, ubi per angelum labia Ysaiae purgantur; tertio gaudendo ad satisfaciendum, Luc. XV. dicitur, quod majus gaudium est in coelo super uno peccatore etc. Quartus effectus est, ne totiens vel in tot mala cadat, quotiens vel ad quot dyabolus incitat, et hoc facit tribus modis, scilicet potestatem daemonis refrenando, concupiscentiam debilitando, et memoriam dominicae passionis nostris mentibus imprimendo; de quibus supra dictum est. Secundo debemus eos honorare, quia sunt ministratores nostri, omnes enim, sicut dicitur Hebr. I., sunt administratorii spiritus. Omnes enim propter nos mittuntur, quia superiores ad medios, medii ad infimos, infimi mittuntur ad nos: haec enim missio competit bonitati divinae. In hoc enim manifestatur divina bonitas, quantum nostram salutem diligat, dum nobilissimos spiritus, qui ei intima caritate junguntur, dirigit et transmittit ad procurandum salutem nostram. Secundo caritati angelicae; cum enim caritatis ardentis sit, maxime desiderare aliorum salutem, ob quam etiam dixit Ysaias: ecce ego, domine, mitte me, et angeli possunt nos juvare pro eo, quod vident nos suo exsilio indigere et malos angelos nos impugnare, ideo quod ad nos mittuntur, lex exigit angelicae caritatis. Tertio humanae indigentiae; mittuntur enim boni angeli ad inflammandum affectum ad amorem, unde in figuram hujus leguntur missi fuisse in curru igneo. Secundo ad illuminandum intellectum ad cognitionem, hoc signatum est Apocal. X. in angelo, qui habebat librum apertum in manu sua. Tertio ad corroborandum in nobis omne imperfectum usque in finem, hoc signatum est III. Reg. XIX, ubi angelus portavit Heliae panem subcinericium et vas aquae et comedit et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Oreb. Tertio hono-

randi sunt, quia ipsi sunt fratres et concives nostri. Omnes enim electi assumuntur ad ordines angelorum, quidam ad superiores, quidam ad inferiores, quidam ad medios, pro diversitate suorum meritorum, licet beata virgo super omnes sit. Quod beatus Gregorius in homilia infirmare videtur, nam, ut ait, sunt nonnulli, qui parva capiunt, sed tamen hoc annuntiare fratribus non desistunt, isti in angelorum numero currunt; et sunt, qui secretorum coelestium summam capere praevalent et nuntiare, hi cum archangelis; et sunt, qui mira faciunt signa et valenter operantur, et hi cum virtutibus; et sunt, qui malignos spiritus virtute orationis et vi acceptae potestatis fugant, et hi cum potestatibus; et sunt, qui acceptis virtutibus electorum merita transscendunt et electis fratribus principantur, et hi cum principatibus meritum sortiuntur; et sunt, qui sic in semet ipsis omnibus vitiis dominantur, ut ipso jure munditiae Dii inter homines vocentur, unde ad Moysen dicitur: ecce constitui te Deum Pharaonis, et hi cum dominationibus; et sunt, [1]) in quibus velut in throno suo dominus praesidens aliorum facta examinat, per quos dum sancta ecclesia regitur, plerumque de suis quibusdam infirmis [2]) actibus alii electi judicantur, et hi cum thronis; et sunt quidam, qui Dei et proximi caritate amplius caeteris pleni sunt, et hi meritorum suorum sorte inter cherubin numerum acceperunt, quia cherubin plenitudo scientiae dicitur et juxta Paulum plenitudo legis est caritas; et sunt, qui supernae contemplationis amore accensi in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo aeternitatis amore pascuntur, terrena quaeque abjiciunt, cuncta temporalia mente transscendunt, amant et ardent atque ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo accendunt et, quoscunque verbo tangunt, ardore protinus in Dei amore faciunt, quo isti [3]) nisi inter seraphin numerum sortem suae vocationis acceperunt. Haec Gregorius. Quarto honorandi sunt, quia ipsi sunt animarum nostrarum in coelum portitores, et hoc faciunt triplici modo: primo viam praeparando, Maleach. III: ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem tuam; secundo per viam praeparatam in coelum bajulando, Exod. XXIII: ecce ego mitto angelum meum, qui te custodiet in via, et inducat te in terram, quam promisi patribus tuis; tertio in coelo collocando, Luc. XVI: factum est, ut moreretur

1) Male Ed. Pr. legit qui. 2) Ed. Pr. legit: actibus omnes clerici infirmi. 3) Male Ed. Pr. visi intus.

mendicus et portaretur ab angelo in sinum Abrahae. Quinto honorandi sunt, quia ipsi sunt orationum nostrarum apud Deum repraesentatores. Ipsi namque primo orationes nostras Deo repraesentant, Tob. XII: quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam domino. Secundo ibidem pro nobis alligant, Job. XXXIII: si fuerit pro eo angelus loquens [1]) unus de millibus, ut annuntiet hominis aequitatem, miserebitur ejus etc. Item Zachar. I: et respondit angelus domini et dixit: domine exercituum, usque quo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est. Tertio Dei sententiam nobis renuntiant, Dan. IX, ubi dicitur, quod Gabriel ad eum volans dixit: ab exordio precum tuarum [2]) egressus est sermo, Glossa: id est, sententia a Deo, et sequitur: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. De his tribus dicit Bernardus super canticum: discurrit angelus medius inter dilectum et dilectam vota offerens, *referens dona*, excitat istam, placat illum. Sexto honorandi sunt, quia ipsi sunt regis aeterni nobilissimi milites, secundum quod dicitur Job. XXV: numquid est numerus militum ejus? Sicut autem videmus in militibus alicujus regis, quod quidam eorum semper in aula regia commorantur et regem associant et ad ejus honorem et solatium cantant. Quidam autem civitates et castella regni custodiunt, quidam vero regis inimicos expugnant, ita et horum militum Christi quidam in aula regia, scilicet in coelo empyreo semper regem regum associant et ad ejus honorem cantica laetitiae et gloriae semper cantant dicentes: sanctus, sanctus, sanctus etc. Item: benedictio et claritas et sapientia etc. Apocal. VII. Alii autem custodiunt civitates, suburbana et villas et castra. *Illi scilicet*, qui nobis sunt ad custodiam deputati, custodientes statum virginum, continentium, conjugatorum et castra religionum, Ysaias XII: super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes etc. Alii vero Dei inimicos, id est daemones, expugnant, Apocal. XII: factum est proelium magnum in coelo, id est secundum unam expositionem, in ecclesia militanti. Michael et angeli ejus proeliabantur cum dracone. Septimo et ultimo honorandi sunt, quia ipsi sunt tribulatorum consolatores, Zachar. I.: angelus, qui loquebatur in me verba bona et consolatoria. Item Tob. V.: forti animo estote etc. Et hoc faciunt tribus modis: primo confortando et roborando, Dan. X, ubi, cum Daniel

---

1) Ed. Pr. legit: unum de similibus. 2) Alii ingressus.

corruisset, tetigit eum angelus dicens: noli timere, pax tibi, et confortare et esto robustus; secundo ab impatientia conservando, Psalm.: angelis suis mandavit de te etc. In manibus portabunt te etc.; tertio ipsam tribulationem refrigerando et minuendo, et hoc signatur Dan. III, ubi angelus domini cum tribus pueris in fornacem descendit et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.

CAP. CXLVI. (141.)
De sancto Hieronymo.

Hieronymus dicitur a gerar, quod est sanctum, et nemus, quasi sanctum nemus, vel noma, quod est lex. Unde dicitur in legenda sua, quod Hieronymus interpretatur sacra lex. Fuit enim sanctus, id est firmus vel mundus vel sanguine tinctus, vel usui sacro deputatus, sicut vasa templi dicebantur sancta, quia sacro usui deputata. Fuit enim sanctus, id est firmus in bono opere propter perseverantiae longanimitatem et mundus in mente per puritatem et sanguine tinctus per dominicae passionis meditationem, [1]) sacro usui deputatus per scripturae sacrae expositionem et interpretationem. Dicitur et nemus a nemore, ubi aliquando conversatus fuit, et lex propter regularem disciplinam, quam monachos suos docuit vel quia sacram legem exposuit et interpretatus fuit. Hieronymus etiam interpretatur visio pulchritudinis vel dijudicans locutiones. Est autem multiplex pulchritudo: prima est spiritualis, quae est in anima; secunda moralis, quae consistit in honestate morum; tertia intellectualis, quae est pulchritudo angelica; quarta supersubstantialis, quae est divina; quinta coelestis, quae est sanctorum in patria. Hanc quintuplicem pulchritudinem Hieronymus in se vidit et habuit, nam habuit spiritualem in virtutum varietate, moralem in vitae honestate, intellectualem in excellenti puritate, supersubstantialem in ardenti caritate, coelestem in aeterna vel in excellenti caritate. Dijudicavit etiam locutiones sive verba, tam sua, quam aliorum; sua examinate proferendo, aliorum vera confirmando, falsa confutando, dubia vero exponendo.

---

1) Verba: sacro — interpretationem omittit Ed. Pr.

Hieronymus Eusebii viri nobilis filius ab oppido Stridonis, quod Dalmatiae et Pannoniae confinia tenet, exstitit oriundus. Hic adhuc juvenis Romam adiit et litteris graecis et latinis et hebrayeis plene eruditus est. In arte grammatica Donatum habuit praeceptorem, in rhetoricis autem Victorinum oratorem, in scripturis autem divinis exercitabatur die ac nocte, et inde hausit avide et postmodum effudit abunde. Quodam vero tempore, sicut ipse in epistola ad Eustochium perhibet, cum de die Tullium et de nocte Platonem avide legeret, eo quod sermo incultus sibi in libris propheticis non placeret, circa mediam quadragesimam tam subita et ardenti febre corripitur, ut toto frigescente jam corpore vitalis calor in solo pectore palpitaret. Dum ergo exsequiae funeris pararentur, subito ad tribunal judicis trahitur et interrogatus, cujus conditionis esset, christianum se esse libere profitetur. Ad quem judex: mentiris, inquit, Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. At Hieronymus obmutuit et continuo ipsum judex durissime caedi jussit. Tunc exclamavit et dixit: miserere mei, domine, miserere mei. Tunc qui adstabant, precabantur judicem, ut veniam tribueret adolescenti. Ipse enim jurare coepit ac dicere: domine, si unquam habuero codices seculares, si legero, [1]) te negabo. In haec igitur juramenti verba dimissus subito reviviscit, tunc lacrymis totum se invenit perfusum et ex verberibus, quae ante tribunal susceperat, scapulas terribiliter reperit livientes. Tanto autem studio libros divinos legit extunc, quanto libros gentiles unquam legerat. Dum autem esset annorum XXIX, in Romana ecclesia cardinalis presbiter ordinatus est, mortuo autem Liberio papa Hieronymus dignus summo sacerdotio ab omnibus acclamatur. Sed dum quorundam clericorum et monachorum lasciviam increparet, illi nimium indignati ei insidias paraverunt, sed et per vestem muliebrem, ut ait Johannes Beleth, ab iis turpiter est derisus. Nam cum Hieronymus ad matutinas solito more surgeret, vestem mulieris, quam aemuli juxta lectum posuerant, reperit suamque esse credens induit et in ecclesiam sic processit. Hoc autem aemuli faciebant, ut mulierem habere in thalamo crederetur. Quod ille videns tantae eorum vesaniae locum dedit et ad Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanae urbis episcopum pervenit. Postquam autem ab ipso sacras litteras

1) Pronomen te omittit Ed. Pr.

didicit, in eremum properavit, ubi pro Christo quanta sustinuerit, ipse ad Eustochium narrat dicens: quotiens in eremo constitutus et in illa vasta solitudine, quae exusta solis ardoribus horridum monachis praestat habitaculum, putabam me romanis deliciis interesse. Horrebant sacco membra deformia, squalida cutis situm Aethiopicae carnis adduxerat, quotidie lacrymae, quotidie gemitus, et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, [1]) humo nuda vix ossa haerentia collidebantur. De cibis et potu taceo, cum etiam languentes aqua frigida utantur et coctum aliquid accepisse luxuria sit, et dum scorpionum tantum essem socius et ferarum, saepe choreis intereram puellarum et in frigido corpore et carne praemortua libidinum incendia pullulabant. Itaque continuo flebam et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subigebam. Dies crebro conjunxi cum noctibus nec prius a pectoris cessabam verberibus, quam a domino tranquillitas redderetur. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum conscientiam pertimescebam et mihi iratus et rigidus solus deserta penetrabam et ut mihi testis est dominus, post multas lacrymas et nonnunquam videbar interesse agminibus angelorum. Per quadriennium igitur ibidem [2]) poenitentia sic peracta ad Bethlehem oppidum remeavit, ubi [3]) quasi domesticum animal ad praesepe domini sese obtulit permansurum, bibliothecam autem suam, quam summo studio sibi condiderat clausam, aliosque libros iterum relegens diem jejuniis ducebat ad vesperum, multos ibidem discipulos coadunans in sancto proposito et translatione scripturarum quinquaginta quinque annis et sex mensibus desudavit et usque ad finem vitae virgo permansit. Licet autem in hac legenda dicatur, quod semper virgo fuerit, ipse tamen de se ita scribit ad Pammachium: virginitatem in coelo praefero, non quia habeo. Tanta denique lassitudine fatigatus est, ut in stratu suo jacens funiculo ad trabem suspenso supinis manibus se levaret, ut scilicet officium monasterii, prout poterat, exhiberet. Quadam vero die advesperascente cum Hieronymus cum fratribus ad sacram lectionem audiendam sederet, subito leo quidam claudicans monasterium ingressus est. Quo viso cum caeteri fratres fugerent, Hieronymus ei quasi hospiti obviavit. Leo igitur dum pedem sibi laesum ostenderet, vocatis fratribus pedes sibi praecepit ablui et diligenter ejus plagam inquiri. Quod cum factum fuisset, invenerunt leonis

1) Ed. Pr. legit: unde humo — collidebam. 2) Ed. Pr. legit: poenitentiam peractam. 3) Ed. Pr.: prudens animal.

plantam a sentibus vulneratam; adhibita igitur diligenti cura leo convaluit et omni [1])feritate deposita inter eos quasi domesticum animal habitavit. Tunc Hieronymus videns, quod non tam pro sanitate sui pedis, quam pro eorum utilitate dominus leonem misisset, de fratrum consilio eidem hoc injunxit officium, ut asinum, quem habebant, qui ligna de nemore deferebat, ipse leo ad pascua duceret et ductum ibidem custodiret. Quod factum est. Nam injuncta leoni asini cura more pastoris industrii eundo ad pastum socius incessanter itineris rure pascendo undecunque defensor tutissimus erat, verumtamen ut se cibaret et asinus solitum perficeret opus, consuetis semper horis cum eo domum redibat. Quadam igitur vice pascente asino et leone graviter soporato mercatores cum camelis inde transeuntes asinum solum viderunt et eum quantocius rapuerunt. Expergefactus itaque leo cum socium non inveniret, rugiendo huc illucque ibat, quem tandem non inveniens ad portas monasterii tristis adiit et intus, ut solitus erat, prae verecundia ingredi non praesumsit. Et videntes fratres, quod tardius solito more et sine asino venisset, putaverunt, quod fame compulsus asinum comedisset, nolentesque ei annonam attribuere consuetam dicebant: vade et reliquam partem aselli, quae tibi remansit, mande et tuam ingluviem reple. Haesitantes tamen, utrum hoc malum perpetrasset, exierunt ad pascua, si forte aliquod indicium invenirent, et nihil invenientes hoc Hieronymo retulerunt. Tunc monitis ejus officium asini leoni injungunt et ligna caedentes leoni imponunt. Quod cum leo patienter ferret, quadam die expleto opere agrum exiit, hac illaque discurrit scire desiderans, quid de suo fuisset socio factum, et ecce vidit a longe negotiatores cum onustis camelis praecedente asino venientes. Mos enim illi regioni est, ut, quando cum camelis longius gradiuntur, cameli, ut directius vadant, praecedentem et collo funiculum gestantem asinum subsequantur. Recognito igitur leo asino cum ingenti rugitu super eos irruit et omnes homines in fugam convertit. Et leo terribiliter rugiens percutiebat cauda fortiter terram perterritosque camelos, sicut erant onusti, ante se ad cellam ire coegit. Quod cum fratres vidissent et Hieronymo nuntiassent, ille ait: hospitibus nostris, fratres carissimi, pedes abluite, escas praebete et super hoc voluntatem domini exspectate. Tunc leo per monasterium coepit, ut

1) Ed. Pr.: infirmitate.

solebat, laetus discurrere, singulorum fratrum vestigiis se prosternens et quasi de perpetrata, quam non fecerat, culpa cauda alludens veniam postulabat. Hieronymus autem futurorum praescius ait fratribus: ite, fratres, et venientibus hospitibus necessaria praeparate. Adhuc eo loquente nuntius ad eum venit annuntians, ante fores hospites adesse, qui abbatem vellent videre. Ad quos cum ille ivisset, protinus illi ejus pedibus provolvuntur, pro culpa veniam postulantes; quos ille benigne elevans praecepit, ut sua reciperent et aliena non usurparent. Rogabant igitur illi beatum Hieronymum, ut medietatem olei pro benedictione accipiat. Quibus vix assentiens, tandem coactus suscipi jubet. Promiserunt autem se annuatim eandem olei mensuram fratribus ipsis daturos et a suis dari haeredibus praecepturos. Cum autem olim in ecclesia unusquisque caneret, quod volebat, Theodosius imperator, ut ait Johannes Beleth, Damasum papam rogavit, ut alicui viro docto officium ecclesiasticum committeret ordinandum. Ipse igitur sciens Hieronymum in lingua graeca et hebrayca perfectum et in omni sapientia summum, eidem officium praedictum commisit. Hieronymus igitur psalterium per ferias distinxit et unicuique feriae nocturnum proprium assignavit ac gloria patri in fine cujuslibet psalmi dicendum instituit, [1]) ut ait Sigebertus. Deinde epistolas et evangelia per anni circulum decantandas caeteraque ad officium pertinentia post cantum rationabiliter ordinavit misitque illum de Bethlehem ad summum pontificem et ab eo et cardinalibus suis fuit valde approbatum et perpetuo authenticatum. Post hoc autem in ore speluncae, ubi dominus jacuit, monumentum sibi construxit, ubi expletis nonaginta octo annis et sex mensibus sepultus fuit. In quanta reverentia eum Augustinus habuerit, patet per epistolas, quas sibi misit; in quarum una ei tali modo scripsit: domino dilectissimo et cultu sincerissimo caritatis observando atque amplectendo Hieronymo Augustinus etc. Alibi quoque de eo sic scribit: sanctus Hieronymus presbiter graeco, latino et hebraeo eloquio eruditus in locis sanctis atque in litteris sacris usque ad decrepitam vixit aetatem, cujus nobilitas eloquii ab oriente in occidentem instar solis lampas resplenduit. Beatus autem Prosper in suis chronicis de eo sic ait: Hieronymus presbiter in Bethlehem toto jam mundo clarus habitabat egregio ingenio et studio universae ecclesiae serviens. Ipse quoque de se sic ait ad Albigen-

1) Ed. Pr. et hic et supra verba ut ait etc. omittit.

sem: nihil a pueritia ita vitare conatus sum, ut animum tumentem et erectam cervicem, Dei contra se odium provocantem. Idem: ego etiam tuta omnia timeo. Idem: in monasterio hospitalitati ex corde intendimus et omnes ad nos venientes praeter haereticos laeta fronte suscipimus ac venientium pedes abluimus. Ysidorus vero in libro etymologiarum ait: Hieronymus trium linguarum exstitit peritus, cujus interpretatio caeteris antefertur, quoniam et verborum tenacior est et perspicuitate sententiae clarior, tamquam utpote a christiano [1])interprete verior. In dyalogo quoque Severi discipuli sancti Martini, qui ejus tempore fuit, sic de Hieronymo scriptum habetur. Hieronymus praeter fidei meritum dotemque virtutum non solum latinis atque graecis, sed etiam hebraeis ita litteris instructus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare, cui jugis adversus malos pugna perpetuumque certamen. Oderunt eum haeretici, quia eos impugnare non desiit, oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina, sed plane boni omnes et mirantur et diligunt. Nam qui eum haereticum esse arbitrantur, insaniunt; totus semper in lectione, totus in libris est, non die, non nocte requiescit, aut legit aliquid aut semper scribit. Haec Severus. Et sicut ex his verbis patet et sicut etiam ipse saepe testatur, multos persecutores et multos detractores perpessus est. Quas tamen persecutiones quam libenter sustinuerit, patet ex eo, quod sic dicit in epistola ad Asscllam: gratias ago Deo, quia dignus sum habitus, quem oderit mundus, et maleficum me garriunt, sed scio ad regnum pervenire per infamiam et bonam famam. Item: utinam ob domini mei nomen atque justitiam universa me infidelium turba persequatur! utinam in opprobrium meum solidius exsurgat hic mundus! Tantum ut merear a Christo laudari et suae pollicitationis sperare mercedem. Grata utique et desiderata tentatio est, cujus praemium a Christo speratur in coelo, nec maledictio gravis est, quae divina laude mutatur. Obiit circa annos domini CCCXCVIII.

---

1) Ed. Pr. legit: interpretetur.

CAP. CXLVII. (142.)
De sancto Remigio.

Remigius dicitur a remige, qui est navis ductor vel rector; vel dicitur a remis, quae sunt instrumenta, quibus navis ducitur. Et dicitur a gyon, quod est luctatio. Ipse enim ecclesiam gubernavit a periculo naufragii, eam duxit ad portam paradisi, pro ea luctatus est contra insidias dyaboli.

Remigius regem et gentem Francorum ad Christum convertisse dicitur. Habebat enim rex uxorem, nomine [1]) Clotildin christianissimam, quae virum suum nitebatur ad fidem convertere, sed nequibat. Quae cum filium genuisset, ipsum baptizare voluit, sed rex omnino prohibuit: illa autem quiescere non valens tandem vix hoc a rege obtinuit et filium baptizavit. Qui dum baptizatus esset, subito est defunctus. Cui rex ait: nunc apparet, quod Christus vilis est Deus, qui eum, per quem fides ejus poterat sublimari, in vita conservare non potuit. Cui illa: imo in hoc a Deo meo valde me diligi sentio, quod primum fructum ventris mei ipsum recepisse cognosco, qui regnum infinitum tuo melius filio meo largitus est. Concepit igitur iterum et filium alium peperit, quem sicut primum cum multa instantia baptizari fecit, sed ecce subito infirmatur, ita quod de ejus vita desperetur. Dixitque rex uxori: vere debilis est Deus tuus, qui nullum in suo nomine baptizatum in vita conservare potest, nam si mille genueris et cunctos baptizaveris, omnes simul peribunt. Sed tamen puer convaluit et sanitatem recepit, ita quod post patrem regnavit. At fidelis mulier virum suum ad fidem reducere conabatur, sed ille modis omnibus resistebat. Qualiter autem ad fidem conversus est, in alio festo, quod est post epiphaniam, dictum est. Volens autem praedictus rex Clodoveus factus christianus Remensem ecclesiam dotare, beato Remigio dixit, ut, quantum circuiret, dum ipse in meridie dormiret, sibi dari vellet. Quod et factum est. Sed cum quidam molendinum suum habebat intra fines beati Remigii, molendinarius ipsum, dum circuiret, cum indignatione repulit. Cui dixit Remigius: amice, non sit tibi durum, ut hoc molendinum simul habeamus. At ille ut eum rejecit, statim

1) Ed. Pr. legit: Chrothildin.

rota in contrarium verti coepit clamavitque post sanctum Remigium dicens: serve Dei veni et habeamus pariter molendinum. Cui ille: nec mihi nec tibi, statimque se terra aperuit et molendinum penitus deglutivit. Praevidens Remigius famem futuram, cum in villa quadam bladi cumulos congregasset, inebriati rustici senis prudentiam deridentes ignem supposuerunt. Quod ille audiens illuc venit et prae frigore aetatis et vespertini temporis se calefacere coepit et tranquillo corde dixit: semper focus bonus est; verumtamen qui hoc fecerunt et posteri ejus viri in genitalibus rupti feminae gutturosae erunt. Quod sic in illis evenit, quousque per Carolum sunt dispersi. Notandum autem, quod illud festum sancti Remigii, quod agitur in mense Januarii, est festum de felici obitu illius. Istud autem dicitur esse de felici obitu illius et de ejus sacri corporis translatione. Cum enim corpus ejus post ipsius obitum ad ecclesiam sanctorum Timothei et Apollinaris cum feretro deferretur secus ecclesiam sancti Christophori, coepit adeo ponderare, quod nullatenus moveri potuit. Tandem coacti rogaverunt dominum, ut iis ostendere dignaretur, si forte in ecclesia illa sancti Christophori, ubi mille reliquiae sanctorum quiescebant, sepeliri vellet, statimque corpus levissime sustulerunt et ipsum ibi honorifice posuerunt. Ubi cum multa miracula fierent, ecclesiam ampliaverunt et facta crypta retro altare, cum effosum corpus ibi reponere vellent, movere nullatenus potuerunt. Cum autem in orationibus pernoctarent et media nocte omnes pariter obdormivissent, in crastinum, scilicet calend. Octobres, invenerunt sepulchrum cum corpore sancti Remigii in illam cryptam ab angelis deportatum, quod tamen post longum tempus in pulchriorem cryptam eadem die cum capsa argentea translatum est. Floruit circa annum domini quadringentesimum nonagesimum.

CAP. CXLVIII. (143.)

De sancto Leodegario.

Leodegarius dum omni virtute polleret, Eduensi ecclesiae meruit in pontificem promoveri. Qui dum Clotario rege decedente cura regni gravius premeretur, voluntate Dei et principum consilio Childericum fratrem Clotarii adolescentem valde idoneum praefecit

in regem. Sed Ebroinus Theodericum ipsius Childerici germanum praeficere nitebatur, non propter regni commodum, sed quia de potestate ejectus et omnibus odiosus iram regis et principum verebatur. Timens igitur Ebroinus licentiam a rege petiit et monasterium introivit. Quo concedente et fratrem suum Theodoricum, ne contra regnum aliquid moliretur, in custodia detinente sanctitate et providentia episcopi pace mirabili omnes gaudebant. Sed post aliquod tempus rex malignorum consilio depravatus in tantum in viri Dei odium incitatur, quod opportunitatem et modum mortis ejus attentius inquirebat. Sed episcopus blande ferens et omnes inimicos suos ut amicos amplectens egit cum rege, ut diem paschae in urbe, cui praeerat, celebraret. Et ecce illa die nuntiatum est ei, quod rex in illa nocte, quidquid de morte ejus tractaverat, perficere decrevisset. At ille nihil trepidans, sed illa die cum rege in mensa communicans persecutorem sic fugit, quod in Luxuniensi monasterio domino serviens etiam Ebroino, qui in monastico habitu latitabat, sedula caritate servivit. Post modicum rex moritur et Theodericus in regnum sublimatur. Quapropter Leodegarius populi sui lacrymis et precibus motus et abbatis imperio compulsus ad sedem suam rediit ac Ebroinus protinus apostatavit et regis senescallus ordinatus est. Qui licet prius malus fuerit, tamen postea fuit pejor totoque studio Leodegarium occidere nitebatur. Missis igitur militibus, qui eum caperent, cum hoc Leodegarius comperisset, eorum furori cedens dum in habitu pontificali de urbe egrederetur, a militibus capitur, qui ei statim oculos eruerunt. Post biennium sanctus Leodegarius cum fratre suo Garino, quem Ebroinus exulaverat, in palatium regis est adductus. Cum ad irrisionem Ebroini sapienter et pacifice responderet, nequam ille jussit Garinum lapidibus obrui sanctumque episcopum tota die nudis pedibus per quendam fluvium super acutissimos lapides decurrentem deduci, et audiens, quod in his tormentis Deum laudaret, linguam ejus praescidi fecit et postmodum eum cuidam custodi tradidit, ut ipsum novis suppliciis reservaret. Ille autem usum loquendi non perdidit, sed praedicationi et exhortationi, prout poterat, vacabat praedixitque, quando et qualiter ipse et Ebroinus ex hac vita migrarent. Lux autem [1]) immensa ad modum coronae caput ejus circumdedit: quam cum multi vidissent, quid hoc esset, ab episcopo quaesierunt. At ille se in oratione prosternens gra-

1) Rec. male legunt: in mensa.

tias Deo retulit et omnes adstantes, ut in melius vitam mutarent, admonuit. Quod Ebroinus audiens et invidens missis quatuor spiculatoribus ipsum decollari praecepit. Cum ergo ipsum ducerent, ait iis: non est, inquit, opus, fratres, vos diutius fatigari, sed hic implete desiderium ejus, qui vos misit. Ad hoc tres illorum adeo sunt compuncti, quod ad pedes ejus procidentes veniam precabantur, quartus vero, cum eum decollasset, protinus a daemone arreptus et in ignem projectus vitam miserabiliter terminavit. Biennio expleto audiens Ebroinus corpus sancti viri multis miraculis illustrari, miserabiliter cruciatus invidia militem illuc misit, ut, an sic se haberet veritas, intimaret. Miles autem superbus et arrogans cum illuc venisset, calce tumbam sancti percutiens exclamavit: moriatur, qui mortuum miracula facere posse credit. Mox ille arreptus a daemonio et subito moriens morte sua sanctum amplius commendavit. His auditis Ebroinus amplius invidia torquebatur et famam sancti exstinguere moliebatur, sed juxta praedicationem sancti gladio nequiter nequam occiditur ipse. Passus est autem circa annum domini DCLXXX tempore Constantini quarti.

CAP. CXLIX. (144.)
De sancto Francisco.

Franciscus prius dictus est Johannes, sed postmodum mutato nomine Franciscus vocatus est. Cujus nominis mutationis multiplex causa fuisse videtur. Primo ratione miraculi connotandi, linguam enim gallicam miraculose a Deo recepisse cognoscitur. Unde dicitur in legenda sua, quod semper, cum ardore sancti spiritus repleretur, ardentia foris verba eructans gallice loquebatur. Secundo ratione officii divulgandi, unde dicitur in legenda, quod divina prudentia sibi hoc vocabulum indidit, ut ex singulari et insueto nomine opinio mysterii ejus toti citius innotesceret orbi. Tertio ratione effectus consequendi, ut scilicet per hoc daretur intelligi, quod ipse per se et per filios suos multos servos peccati et dyaboli debeat francos et liberos facere. Quarto ratione magnanimitatis in corde, nam Franci a ferocitate sunt dicti, quia iis inest naturalis veritas et magnanimitas animorum. Quinto ratione virtuositatis in sermone,

quia ejus sermo instar securis vitia incidebat. Sexto [1])ratione terroris in daemonum fugatione. Septimo ratione securitatis ex virtute et operum perfectione et honestatis in conversatione. Ajunt enim franciscas dici signa quaedam instar securium, quae Romae ante consules ferebantur, quae erant in terrorem, in securitatem et in honorem.

Franciscus servus et amicus altissimi in civitate Assisii ortus et negotiator effectus fere usque ad vicesimum aetatis suae annum tempus suum vane vivendo consumsit. Quem dominus infirmitatis flagello corripuit et in virum alterum subito transformavit, ita quod jam spiritu prophetico pollere coepit. Nam cum quadam vice ipse cum plurimis a Perusinis captus diro fuisset carceri mancipatus, dolentibus aliis hic solus exsultat et redargutus super hoc a concaptivis respondit: ideo me exsultare noveritis, quia adhuc sanctus per totum seculum adorabor. Quadam vice Romam causa devotionis proficiscens vestimenta sua deposuit et pauperis cujusdam vestimenta induens ante ecclesiam sancti Petri inter pauperes sedit et cum iis velut unus ex illis avide manducavit, et saepius simile fecisset, nisi notorum verecundia impedivisset. Antiquus hostis eum a salubri proposito conabatur avertere et feminam quandam suae civitatis gibbosam cordi ejus immittit, et nisi resipiscat a coeptis, similem se facturum minatur, sed a domino confortatus audivit: Francisce, amara pro dulcibus sume et te ipsum contemne, si me cupis agnoscere. Quendam igitur leprosum obvium habens, cum hujusmodi homines [2]) multum abhorreutur, divini tamen memor oraculi accurrens in oscula ejus ruit, et post hoc ille statim disparuit. Quapropter ad leprosorum habitacula properat et eorum manus devote osculans pecuniam donat. Ecclesiam sancti Damiani orationis causa ingreditur et imago Christi eum miraculose alloquitur: Francisce, inquit, vade, repara domum meam, quae, ut cernis, tota destruitur. Ab ea igitur hora anima ejus liquefacta est et crucifixi compassio ejus cordi mirabiliter est infixa. Insistit sollicite ecclesiae reparandae et venditis, quae habebat, cum pecuniam cuidam presbitero daret et ille timore parentum recipere recusaret, coram ipso eam projiciens tamquam pulverem vilipendit: quapropter a patre ligatus et captus pecuniam eidem restituit ac vestem pariter resignavit et sic nudus ad dominum evolavit et cilicio se induit. Advocat insuper servus Dei quendam simplicem virum, quem loco patris suscipiens

1) Ed. Pr. omittit verba: ratione — Septimo et paulo post in securitatem. 2) Rec. addunt: naturaliter.

rogat, ut, cum pater ejus maledicta congeminet, ipse sibi e converso benedicat. Frater ejus carnalis hyemali tempore Franciscum vilibus panniculis tectum orationi vacantem et tremebundum videns ait cuidam: dic Francisco, ut de sudore suo unam tibi nummatam vendat. Quod ille audiens alacriter respondit: revera ergo hanc domino meo vendam. Quadam die dum audiret ea, quae dominus discipulis suis ad praedicandum missis locutus est, statim ad universa servanda tota virtute consurgit, solvit calceamenta de pedibus, tunica una, sed vili induitur et pro corrigia mutavit funiculum. Tempore nivis per silvam ambulans a latronibus capitur et ab iis, quis sit, requisitus praeconem Dei se esse asseruit. Quem illi arripientes in nivem projiciunt dicentes: jace, rustice praeco Dei. Multi nobiles et ignobiles clerici et layci spreta seculari pompa ejus vestigiis adhaeserunt, quos pater sanctus docuit evangelicam perfectionem implere, paupertatem apprehendere et per viam sanctae simplicitatis incedere. Scripsit praeterea evangelicam regulam sibi et suis fratribus habitis et habendis, quam dominus papa Innocentius confirmavit. Coepit extunc ferventius verbi Dei semina spargere et civitates et castella fervore [1])mirabili circuire. Frater quidam erat, quantum a foris videbatur, eximiae sanctitatis, sed tamen admodum singularis, qui tanta districtione silentium observabat, ut non verbis, sed nutibus confiteretur, cumque sanctus ab omnibus laudaretur, vir Dei illuc adveniens dixit: sinite, fratres, nec mihi in eo dyabolica figmenta laudate; moneatur semel vel bis in hebdomada confiteri, quod si non fecerit, dyabolica tentatio est et deceptio fraudulenta. Monentibusque illum fratribus digitum ori suo imposuit et caput concutiens se nullatenus confessurum innuit. Non post multos dies ad vomitum rediit et in facinorosis actibus vitam finivit. Fatigatus in itinere servus Dei dum asinum equitaret, socius ejus frater Leonardus de [2])Assisio similiter fatigatus intra se coepit cogitare ac dicere: [3])non de pari ludebant hujus parentes et mei. Continuo vir Dei de asino descendens dixit fratri suo: non convenit me equitare et te peditem venire, quia nobilior me fuisti. Stupefactus frater ad pedes patris procidit et veniam postulavit. Transeunti sibi aliquando mulier quaedam nobilis concito gradu occurrit, cujus lassitudinem et interclusos anhelitus miseratus, quidnam requireret,

1) Alii: miraculi. 2) Ed. Pr.: asino, male. 3) Ed. Pr. malenam offert.

inquisivit. Et illa: ora pro me, pater, quia salubre propositum, quod concepi, viro impediente non exsequor, sed in servitio Christi mihi plurimum adversatur. Cui ille: vade, filia, quia cito de eo sonsolationem recipies, et ex parte Dei omnipotentis et mea sibi denunties, quod nunc est tempus salutis, postmodum aequitatis. Qua denuntiante vir subito immutatur et continentiam pollicetur. Cuidam rustico in quadam solitudine siti deficienti fontem aquae ibidem suis orationibus impetravit. Cuidam fratri sibi admodum familiari secretum hoc sancto instigante spiritu retulit dicens: hodie est aliquis servus Dei super terram, propter quem, quamdiu vixerit, non permittet dominus famem super homines desaevire. Sed sic procul dubio fuisse narratur. Sed illo sublato tota in contrarium conditio permutatur, nam post ejus felicem transitum praedicto fratri apparuit dicens: ecce jam venit fames, quam, donec viverem ego, venire super terram dominus non permisit. In festo paschae cum fratres in eremo [1]) graeci mensam accuratius solito albis et vitreis praepararent et vir Dei hoc conspexisset, protinus gressum retrahens capellum cujusdam pauperis, qui tunc aderat, capiti suo imponit et baculum manu gestans foras egreditur et ad ostium praestolatur. Manducantibus igitur fratribus clamabat ad ostium, ut amore Dei peregrino pauperi et infirmo elemosinam largiantur. Vocatus pauper ingreditur et in terra solus recumbens discum ponit in cinere. Quod videntes fratres stupore nimio sunt repleti. Quibus ille ait: mensam vidi paratam et ornatam et pauperum ostiatim euntium unicum non esse cognovi. Paupertatem in se et aliis adeo diligebat, ut paupertatem dominam suam semper vocaret, sed quando pauperiorem se ipso videret, protinus invidebat et se ab alio vinci timebat. Nam et cum die quadam pauperculum quendam obviam habuisset, ait socio suo: magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia et nostram paupertatem plurimum reprehendit. Nam pro meis divitiis meam dominam paupertatem elegi et ecce amplius relucet in isto. Dum quidam pauper coram eo transiret et vir Dei intima fuisset compassione commotus, dixit ei socius: etsi hic sit pauper, sed forsitan in tota provincia non est eo ditior voluntate. Cui vir Dei dixit: cito tunicam tuam exue et pauperi tribue et ad ejus pedes prostratus culpabilem te clama. Cui ille protinus obedivit. Quadam vice tres mulieres [2]) facie per

---

1) Rec. gressi legunt. 2) Ed. Pr. fatuae offert.

omnia et habitu similes obvias habuit, quae eum taliter salutaverunt: bene veniat domina paupertas, et continuo disparuerunt et ultra visae non sunt. Cum ad civitatem Aretii devenisset et ibi bellum intestinum commotum fuisset, vidit vir Dei de burgo super terram illam daemones exsultantes vocansque socium suum nomine Silvestrum dixit ei: vade ad portam civitatis et daemonibus, ut civitatem exeant, ex parte Dei omnipotentis praecipe. Qui festinans ante portam valenter clamavit: ex parte Dei et jussu patris nostri Francisci discedite, daemones universi, sicque omnes cives post modicum ad concordiam redierunt. Praedictus autem Silvester dum adhuc sacerdos secularis esset, vidit in somnis crucem auream de ore Francisci prodeuntem, cujus summitas coelos tangebat, cujus brachia protensa latus utramque mundi partem amplexando cingebant. Compunctus sacerdos protinus mundum deserit et viri Dei perfectus imitator efficitur. Exsistente viro Dei in oratione dyabolus ter eum proprio nomine vocavit. Cui cum sanctus respondisset, adjecit: nullus est adeo in hoc mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat dominus, sed quicunque semet ipsum poenitentia dura necaverit, misericordiam in perpetuo non inveniet. Continuo servus Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nisus fuerit eum ad teporem reducere. Cernens autem hostis antiquus, quia sic non praevaluit, gravem carnis tentationem eidem immisit; quod vir Dei sentiens veste deposita cordula durissima se verberat dicens: eya, frater asine, sic te manere decet, sic subire flagellum. Sed cum tentatio nequaquam discederet, foras exiens in magnam nivem se nudum demersit accipiensque nivem in modum pilae septem glebas compingit, quas sibi proponens coepit alloqui corpus: ecce, inquit, haec major uxor tua, istae quatuor duo sunt filii et duae filiae tuae, reliquae duae sunt servus et ancilla, festina ergo omnes induere, quoniam frigore moriuntur, si autem earum multiplex sollicitudo te molestat, uni domino sollicitus servi. Illico dyabolus confusus abscessit et vir Dei Deum glorificans in cellam rediit. Cum apud dominum Leonem cardinalem sanctae crucis ab eo rogatus aliquamdiu moraretur, nocte quadam daemones ad ipsum venientes eum gravissime verberarunt, vocansque socium et rem sibi aperiens ait: daemones sunt Castaldi domini nostri, quos destinat ipse ad puniendos excessus, ego enim offensam non recolo, quam per misericordiam Dei et satisfactionem non laverim, sed forte ideo Castaldus suos in me permisit irruere,

quia maneo in curiis magnatum, quod forsitan fratribus meis pauperculis bonam suspicionem non generat, quia forte me existimant deliciis abundare. Et surgens summo mane inde recessit. Exsistente aliquando eo in oratione audit super domus tectum catervas daemonum discurrentes cum strepitu. Qui concitus foris exiens et crucis signum sibi imprimens dixit: ex parte omnipotentis Dei vobis dico, daemones, ut, quidquid vobis permissum est, in meo corpore faciatis; libenter enim omnia sustinebo, quia, cum majorem inimicum non habeam corpore, vindicabitis me de adversario meo, dum in ipso vice mea exercebitis ultionem. Confusi igitur daemones evanescunt. Frater quidam socius viri Dei in exstasi factus inter caeteras coeli sedes vidit unam dignissimam et nobili gloria praefulgentem. Qui cum miraretur, cuinam tam praeclara sedes servaretur, audivit: sedes ista unius de ruentibus principibus fuit et nunc humili Francisco paratur. Et exiens ab oratione virum Dei interrogavit dicens: quid de te opinaris, pater? Et ille: videor mihi maximus peccator. Statimque in corde fratris spiritus dixit: cognosce, [1])quam vera fuerit visio, quam vidisti; quoniam ad sedem per superbiam perditam humilitas levabit humillimum. In visione servus Dei supra se seraphin crucifixum adspexit, qui crucifixionis suae signa sic ei evidenter impressit, ut crucifixus videretur et ipse. Consignantur manus et pedes et latus crucis charactere, sed diligenti studio ab omnium oculis ipsa stigmata abscondebat. Quidam tamen haec in vita viderunt, sed in morte plurimi conspexerunt. Quod autem haec stigmata per omnia vera exstiterint, multis miraculis ostensum est, quorum duo, quae post ejus obitum contigerunt, hic inseruisse sufficiat. In Apulia vir quidam nomine Rogerus ante imaginem sancti Francisci stans coepit cogitare dicens, essetne hoc verum, ut tali claruisset miraculo an pia fuisset illusio sive suorum fratrum simulata intentio. Quod dum mente revolveret, subito audivit sonum, quasi spiculum prosiliens de ballista sensitque se in sinistra manu graviter vulneratum, sed cum in chirotheca nihil laesionis appareret, chirothecam de manu extraxit et grave vulnus quasi sagittae in palma conspexit, ex quo tanta vis procedebat ardoris, ut totus ex dolore et ardore deficere videretur, cumque poeniteret et se beati Francisci stigmata credere veraciter testaretur, post duos dies,

---

1) Ed. Pr. male haec ita exhibet: quaenam fuerit, quam vidisti; quem ad — levavit humillimum. In visione Dei servus Dei.

dum sanctum Dei per sua stigmata exorasset, fuit continuo liberatus. In regno quoque Castellae, cum quidam vir sancto Francisco devotus ad completorium pergeret, ab insidiis ad mortem alterius ibi paratis ex errore impetitur et letaliter vulneratus semivivus relinquitur. Deinde gladium in gutture crudelis lictor infixit et extrahere non valens recessit. Fit undique concursus et clamor et ab omnibus plangitur mortuus. Cum autem nocte media campana fratrum ad matutinas pulsaretur, uxor clamare coepit: mi domine, surge et vade ad matutinas, quia campana te vocat. Statim ille manum elevans videbatur alicui innuere, ut gladium extraheret, et ecce videntibus omnibus gladius, quasi validissimi jactatus manu pugilis, eminus prosiluit, statimque ille perfecte sanatus se erexit dicens: beatus Franciscus ad me veniens suaque stigmata meis vulneribus apponens eorum suavitate cuncta vulnera delinivit et contactu mirifice solidavit; qui cum vellet discedere, sibi innuebam, ut gladium abstraheret, quia loqui aliter non valebam. Quem apprehendens valide projecit statimque stigmatibus sanctis vulneratum guttur demulcens perfecte sanavit. In urbe Roma clara luminaria orbis scilicet beatus Franciscus et beatus Dominicus coram domino Hostiense, qui postea fuit summus pontifex, aderant dixitque iis episcopus: cur non facimus de vestris fratribus episcopos et praelatos, qui documento et exemplo caeteris praevalent. Fit inter sanctos de respondendo longa contentio: vicit tandem humilitas Franciscum, ne se praeponeret; vicit et Dominicum, ut primus respondendo humiliter obediret. Dixit ergo beatus Dominicus: domine, gradu bono, si cognoscunt, sublimati sunt fratres mei nec pro meo posse permittam, ut aliud assequantur specimen dignitatis. Post hoc respondens sanctus Franciscus dixit: domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non praesumant. Igitur beatus Franciscus columbina simplicitate plenus omnes creaturas ad creatoris hortatur amorem, praedicat avibus, auditur ab iis, tanguntur ab ipso nec nisi licentiate recedunt; hirundines, dum eo praedicante garrirent, ipso imperante protinus conticescunt. Apud Portiunculam juxta ejus cellam cicada in ficu residens frequenter canebat, quam vir Dei manum extendens vocavit dicens: soror mea cicada veni ad me. Quae statim obediens super ejus manum adscendit. Cui ille: canta, soror mea cicada, et dominum tuum lauda. Quae protinus canens nonnisi licentiata recessit. Parcit lucernis, lampadibus et candelis nolens sua manu

deturpare fulgorem. Super petras reverenter ambulabat intuitu ejus, qui dicitur petra, legit de via vermiculos, ne transeuntium pedibus conculcentur, et apibus, ne media pereant glacie hyemali, mel et optima vina jubet apponi, fraterno nomine animalia cuncta vocabat. Miro et ineffabili gaudio replebatur ob creatoris amorem, cum solem, lunam et stellas intuebatur, et eas ad creatoris amorem invitabat. Coronam sibi magnam fieri prohibebat dicens: volo, quod fratres mei simplices partem habeant in capite meo. Vir quidam admodum saecularis, cum servum Dei Franciscum apud sanctum Severinum praedicantem invenisset, vidit Deo sibi revelante sanctum Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum unus a capite usque ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Quem cum nunquam vidisset, tali judicio recognoscens compunctus ordinem introivit et vitam feliciter consummavit. Cum infirmitatem oculorum ex fletu continuo incurrisset, suadentibus, quod abstineret a lacrymis, sic respondit: non est ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, aeternae lucis visitatio repellenda. Cum autem a fratribus urgeretur, ut pateretur infirmitati visus remedium adhiberi et chirurgicum instrumentum ferreum igne candens in manu teneret, vir Dei ait: mi frater ignis, esto mihi in hac hora propitius et curialis; precor dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet. Et haec dicens signum crucis contra illud edidit profundatoque illo in tenera carne ab aure usque ad supercilium nullum, ut retulit, dolorem sensit. Apud eremum sancti Urbani servo Dei aegritudine validissima laborante, cum ipse defectum naturae sentiens vini poculum postulasset nihilque adesset, allatam sibi aquam signo crucis edito benedixit; mox in optimum vinum conversa est. Quod deserti loci paupertas impetrare non potuit, viri sancti puritas impetravit, ad cujus gustum subito convaluit. Malebat de se vituperium audire quam laudem et ideo, cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, praecipiebat alicui fratri, ut verba ipsum vilificantia suis auribus concalcando proferret, cumque frater ille, licet invitus, eum rusticum et mercenarium imperitum et inutilem diceret, exhilaratus dicebat: benedicat tibi dominus, quia tu verissima loqueris, et talia me decet audire. Non tam servus Dei praeesse voluit quam subesse nec tam praecipere quam peragere. Idcirco generali cedens officio guardianum petiit, cujus per omnia voluntati subjaceret. Fratri quoque, cum quo solitus

erat ire, semper promittebat obedientiam et servabat. Cum frater quidam contra legem obedientiae aliquid fecisset et poenitentiae signa haberet, vir tamen Dei ad aliorum terrorem ejus capucium in ignem projici jussit, cumque per moram capucium fuisset in medio ignis, praecepit ipsum extrahi et fratri restitui. Extrahitur igitur capucium de medio flammarum nullum habens adustionis vestigium. Quodam tempore per paludes Venetiarum ambulans invenit maximam avium multitudinem cantantium in palude dixitque ad socium: sorores aves laudant creatorem suum, eamus in eorum medio, horas canonicas domino decantemus. Quibus intrantibus aves motae non sunt, sed quia ob nimium garritum se ad invicem audire non poterunt, ait: sorores aves, a cantu cessate, donec laudes debitas domino persolvamus. Quibus statim tacentibus finitis laudibus licentiam cantandi dedit et statim suum cantum more solito resumserunt. Invitatus devote a quodam milite, dixit ei: frater hospes, meis monitis acquiesce et peccata tua confitere, quia cito alibi manducabis. Qui statim acquiescens domui suae disposuit et poenitentiam salutarem accepit. Cum ergo ad mensam intrassent, hospes subito exspiravit. Cum quandam avium multitudinem reperisset et eas velut rationis participes salutasset, dixit: fratres mei volucres, multum debetis laudare creatorem vestrum, qui plumis vos induit, pennas ad volandum tribuit, aëris puritatem concessit et sine vestra sollicitudine vos gubernavit. Aves autem coeperunt versus eum extendere colla, protendere alas, aperire rostra et in illum attente respicere. Ille vero per medium earum transiens tunica pertingebat easdem nec tamen aliqua de loco est mota, donec licentia data omnes insimul avolaverunt. Cum apud castrum Almarium praedicaret, propter garritus hirundinum ibidem nidificantium audiri non poterat. Quibus ille: sorores meae hirundines, jam tempus est, ut loquar ego, quia vos satis dixistis, tenete silentium, donec verbum domini compleatur. Cui continuo obedientes protinus conticuerunt. Transeunte aliquando viro Dei per Apuliam, unam bursam magnam reperit in via denariis tumescentem, quam socius videns accipere voluit, ut pauperibus erogaret, sed ille nullatenus permisit dicens: non licet, fili, alienum auferre. Sed cum ille vehementer instaret, Franciscus paululum orans jubet, ut bursam tollat, quae jam colubrum pro pecunia continebat. Quod videns frater timere coepit, sed obedire volens et implere mandatum bursam manibus capit et inde magnus serpens protinus exilivit. Et ait sanctus: pecunia

servis Dei nihil aliud est quam dyabolus et coluber venenosus. Cum frater quidam graviter tentaretur, cogitare coepit, quod, si aliquod scriptum de manu patris haberet, ipsa protinus tentatio fugaretur, sed cum rem sibi nullatenus aperire auderet, quadam vice vir Dei vocavit eum dicens: porta mihi, fili, chartam et atramentum, quia laudes quasdam Dei scribere volo. Quas cum scripsisset, ait: accipe chartam hanc et usque ad diem mortis tuae custodias diligenter. Statimque omnis tentatio ab eo recessit. Idem quoque frater, dum sanctus infirmus jaceret, cogitare coepit: ecce morti appropinquat pater et quamplurimum consolarer, si post mortem haberem tunicam patris mei. Post modicum sanctus Franciscus vocat eum dicens: tibi trado tunicam istam et post mortem meam ipsam habeas pleno jure. Cum apud Alexandriam Lombardiae cum quodam honesto viro hospitatus fuisset, ab eo rogatur, ut propter evangelii observantiam de omni apposito manducaret. Qui cum ejus devotioni assentiret, ille accurrens caponem septennem praeparat manducandum. Manducantibus illis infidelis quidam amore Dei elemosinam petiit. Mox vir Dei nomen audiens benedictum, membrum sibi transmittit caponis. Reservat infelix datum et in crastinum, dum sanctus praedicaret, ostendit dicens: ecce, quales carnes comedit iste frater, quem ut sanctum honoratis, nam mihi hoc in sero tribuit. Sed cum membrum caponis ab omnibus piscis videretur, velut insanus ab omni populo increpatur. Quod cum ille didicisset, erubuit et veniam postulavit redieruntque carnes ad sui speciem, postquam rediit praevaricator ad mentem. Dum quadam vice ad mensam sederet et de paupertate beatae virginis et filii ejus collatio fieret, protinus vir Dei a mensa surgens singultus ingeminat dolorosos et perfusus lacrymis super nudam humum reliquum panem manducat. Sacerdotalibus manibus, quibus conficiendi dominici corporis sacramentum est collata potestas, magnam volebat reverentiam exhiberi. Unde et saepe dicebat: si autem sancto cuiquam de coelo venienti et pauperculo alicui sacerdoti me contingeret obviare, ad sacerdotis manus deosculandas citius me conferrem et sancto dicerem: exspecta me, sancte Laurenti, quia manus hujus verbum vitae contrectant et ultra humanum aliquid possident. Miraculis multis in vita claruit, nam panes ei ad benedicendum oblati multis infirmis attulere salutem. Aquam in vinum convertit et inde aeger quidam gustans protinus sanitatem recepit, et multa alia miracula fecit. Cum vero ad dies jam appropinquaret extremos,

longa infirmitate confectus super nudam humum poni se fecit fecitque omnes fratres ibidem assistentes ad se vocari et manus singulis imponens omnibus ibi praesentibus benedixit et instar coenae dominicae singulis buccellam panis divisit. Invitabat, ut moris sui erat, omnes creaturas ad laudem Dei; nam et mortem ipsam cunctis terribilem et exosam hortabatur ad laudem eique laetus occurrit et ad suum invitabat hospitium dicens: bene veniat soror mea mors. Ad extremam igitur horam veniens dormivit in domino. Cujus animam quidam frater vidit in modum stellae similis lunae in quantitate, soli in splendore. Minister fratrum in terra laboris nomine Augustinus in hora jam ultima positus, cum diu jam amisisset loquelam, subito clamans dixit: exspecta me, pater, exspecta; ecce jam venio tecum. Quaerentibus fratribus, quid diceret, ait: non videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit in coelum? Et statim in pace obdormivit et patrem secutus est. Cum quaedam domina, quae beato Francisco devota exstiterat, viam universae carnis fuisset ingressa, et clerici et presbiteri feretro exsequias celebrantes adstarent, subito se mulier erigit super lectum et unum de adstantibus sacerdotibus vocat dicens: volo, pater, confiteri; ego enim, pater, mortua fueram et diro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram, sed orante pro me sancto Francisco ad corpus mihi redire indultum est, ut illo revelato peccato veniam merear; statimque, ut istud manifestavero, in pace cernentibus vobis quiescam. Confessa igitur et absolutione recepta mox in domino obdormivit. Cum fratres de Vicera plaustrum quoddam a quodam viro mutuo peterent, ille indignatus respondit: ego potius duos ex vobis cum sancto Francisco excoriarem, quam plaustrum meum vobis accommodarem. Sed in se reversus semet ipsum redarguit et blasphemiae poenituit iram Dei formidans, moxque filius ejus infirmatur et ad extrema deducitur. Qui filium defunctum videns in terra volutabatur et flens et sanctum Franciscum invocans dicebat: ego sum, qui peccavi, me flagellare debuisti; redde, sancte, jam devote precanti, quae abstulisti impie blasphemanti. Mox filius ejus surrexit et planctum prohibens ait: cum mortuus essem, sanctus Franciscus per quandam viam longam et obscuram me ducens in quodam tandem me viridario pulcherrimo collocavit ac deinde dixit mihi: revertere ad patrem tuum, nolo te amplius detinere. Pauper quidam cuidam diviti debens quandam pecuniae quantitatem rogavit,

ut sancti Francisci amore sibi terminum prolongaret. Cui ille superbe respondens: tali, inquit, loco te recludam, ubi nec Franciscus nec aliquis poterit te juvare. Moxque illum vinculatum in carcerem obscurum inclusit. Paulo post sanctus Franciscus affuit et fracto carcere ruptisque vinculis hominem incolumem reduxit ad propria. Quidam miles sancti Francisci operibus et miraculis detrahens, cum quadam vice luderet ad taxillos, vesania et incredulitate plenus circumstantibus ait: si Franciscus est sanctus, XVIII veniant in taxillis. Mox in iis senarius triplicatus apparuit et usque ad novem vices quolibet suo jactu tricenos accepit. Sed insaniam addens insaniae ait: si verum est, quod Franciscus iste sit sanctus, cadat hodie corpus meum gladio, si vero sanctus non est, evadam incolumis. Ludo finito, ut ejus oratio fieret in peccatum, cum nepoti suo inferret injuriam, ille gladium accipiens in viscera patrui transfixit et protinus interfecit. Vir quidam crure sic perdito, ut nullatenus se movere posset, sanctum Franciscum talibus vocibus inclamabat: adjuva me, sancte Francisce, memor devotionis et servitii, quod tibi impendi; nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos et manus osculatus fui et ecce morior doloris hujus durissimo cruciatu. Moxque ille sibi apparens cum parvulo baculo, qui Thau in se figuram habebat, locum doloris tetigit et fracto apostemate sanitatem protinus recepit, sed Thau signum super locum remansit. Hoc signo sanctus Franciscus litteras suas consueverat consignare. Cum in castro Pomereto in montanis Apuliae puella quaedam et patri et matri unica fuisset defuncta et mater sancto Francisco devota nimia tristitia fuisset absorpta, apparuit ei sanctus dicens: noli flere, quia lucernae tuae lumen, quod deploras exstinctum, mea est tibi intercessione reddendum. Mater igitur sumta fiducia corpus exstinctum non permisit efferri, sed sancti Francisci nomen invocans et mortuam filiam apprehendens eam incolumem allevavit. In urbe Roma, cum puer parvulus de fenestra palatii cecidisset et penitus exspirasset, beatus Franciscus invocatur et vitae protinus restituitur. In civitate Suessa cum quaedam domus corruens quendam juvenem exstinxisset et cadaver jam in lecto ad sepeliendum posuissent, mater beatum Franciscum tota devotione, qua poterat, invocabat, et ecce circa mediam noctem puer oscitavit et sanus surrexit et in laudis verba prorupit. Frater Jacobus Reatinus, cum in navicula parva fluvium quendam cum fratribus pertransiisset et sociis jam super ripam

positis postremo se ad navis exitum praepararet, revoluta nave ipse in profundum fluminis est demersus. Fratribus igitur pro liberatione submersi beatum Franciscum invocantibus, ipso etiam corde, ut poterat, beati Francisci auxilium implorante, ecce praedictus frater per profundum sicut per aridam ambulabat et demersam naviculam capiens cum ea pervenit ad littus. Vestimenta autem ei madida non sunt nec aquae gutta proximavit ad tunicam.

CAP. CL. (145.)

De sancta Pelagia.

Pelagia prima feminarum Antiochiae civitatis rebus *et divitiis* plena, corpore pulcherrima, habitu ambitiosa et vana[1]), animo et corpore impudica quadam vice per civitatem cum ambitione maxima transibat, ita ut nihil super eam nisi aurum et argentum et pretiosi lapides viderentur, ita ut, quocunque iret, aërem diversorum aromatum odore repleret. Quam praecedebat et sequebatur multitudo maxima puellarum et puerorum, qui et ipsi praeclaris erant induti vestimentis. Quam quidam sanctus pater nomine [2])Veronus episcopus Heliopoleos, quae nunc [3])Damieta vocatur, videns amarissime flere coepit ex eo, quod majorem curam habebat placere mundo, quam ipse haberet, placere Deo, procidensque super pavimentum faciem suam cum terra percutiebat et ipsam terram lacrymis rigans dicebat: altissime Deus, ignosce mihi peccatori, quia unius diei meretricis ornatus totius vitae meae industriam superavit. Ne me, domine, confundat unius meretricis ornatus ante conspectum tremendae majestatis tuae; illa pro terrenis summo se studio decoravit, ego tibi immortali domino placere proposui et per meam negligentiam non implevi. Dixitque his, qui secum erant: in veritate dico vobis, quia Deus hanc contra nos in judicio producturus est, quoniam haec tam sollicite se depingit, ut terrenis amatoribus placeat, et nos coelesti sponso placere negligimus. Dum haec et similia diceret, subito obdormivit visumque est sibi, quod quaedam columba nigra et foetida nimis circa eum celebrantem missam volaret. Qui dum cate-

1) Ed. Pr. addit verba: ac varia. 2) Ed. Pr. Neronus. 3) Alii: Damiana.

chumenos abscedere praecepisset, columba disparuit et post missam rediens et ab ipso episcopo in vase quodam aquae mersa munda et candida exiens tam alte volavit, quod videri non potuit. Evigilans igitur, dum quadam vice ad ecclesiam procedens praedicaret et Pelagia praesens esset, adeo compuncta est, quod ei litteras per nuntium misit dicens: sancto episcopo discipulo Christi Pelagia discipula dyaboli; si vero Christi discipulus comprobaris, qui, ut audivi, pro peccatoribus de coelo descendit, me peccatricem, sed poenitentem suscipere digneris. Cui ille remisit: rogo, ut humilitatem meam non tentes, quia homo peccator sum, sed si vere salvari desideras, solum me videre non poteris, sed inter alios me videbis. Cumque ad eum coram pluribus advenisset, pedes ejus apprehendit et amarissime flens dicere coepit: ego sum Pelagia pelagus iniquitatis exundans fluctibus peccatorum, ego sum perditionis abyssus, ego vorago et laqueus animarum, multos deceptos decepi, quae nunc cuncta perhorrui. Tunc episcopus interrogavit eam dicens: quod tibi nomen est? Cui illa: a nativitate Pelagia vocor, sed propter vestimentorum pompam me Margaritam appellant. Tunc episcopus clementer eam suscipiens poenitentiam ei salutarem injunxit et in Dei timore diligenter instruxit et sacro baptismate regeneravit. Dyabolus autem ibidem clamabat dicens: o violentia, quam patior ab hoc sene decrepito! O violentia! O senectus mala! Maledictus dies, in quo contrarius natus es mihique spem meam maximam abstulisti. Quadam insuper nocte, cum Pelagia dormiret, dyabolus ad eam venit et eam excitans dixit sibi: domina Margarita, quid unquam tibi male feci? Numquid non omnibus divitiis et gloria te ornavi? Quaeso dic mihi, in quo te contristavi, et protinus tibi satisfaciam. Tantum obsecro, ne me deseras, ne opprobrium christianis efficiar. Ipsa autem se signavit et in dyabolum insufflavit et statim evanuit. Die tertio omnia, quae habebat, praeparavit et congregavit et pauperibus tribuit. Post aliquot autem dies cunctis ignorantibus Pelagia inde noctu aufugit et in monte oliveti devenit, ubi habitum eremitae accipiens in parva cella ibidem se collocavit et Deo in multa abstinentia servivit. Maximae autem famae ab omnibus habebatur et frater Pelagius dicebatur. Post hoc quidam dyaconus supradicti episcopi Hierosolimam causa visitandi loca sancta advenit. Cui dixit episcopus, ut post sanctorum locorum visitationem quaereret quendam monachum nomine Pelagium et ipsum visitaret, cum verus

Dei servus esset. Quod cum ille fecisset, mox ab illa cognitus nequaquam ipsam propter nimiam maciem cognovit. Cui dixit Pelagia: habes episcopum? Et ille: imo domine. Et illa: oret pro me ad dominum, quia vere apostolus Christi est. Recedens autem inde die tertia ad cellam ejus rediit, sed cum ad ostium percussisset et nullus ei aperuisset, fenestram aperuit et mortuum eum invenit ac vidit. Currensque cum hoc episcopo nuntiasset, episcopus et clerus omnesque monachi convenerunt, ut tam sancto viro exsequias celebrarent, cumque de cella corpus ejus extraxissent, repererunt, *quod* mulier esset, et plurimum admirantes Deo gratias reddiderunt et sanctum corpus honorifice sepelierunt. Obiit autem VIII. die intrante Octobri circa annos domini CCLXXXX.

CAP. CLI. (146.)

De sancta Margarita.

Margarita dicta Pelagius virgo pulcherrima, dives et nobilis, tanta fuit parentum sollicitudine custodita et optimis moribus instructa tantaque pudicitiae honestate vigebat, quod ab hominibus videri modis omnibus renuebat. Denique a quodam adolescente nobili in conjugium quaeritur et utriusque parentis assensu cuncta nuptiis necessaria cum immensa divitiarum et deliciarum gloria praeparantur. Cum ergo nuptiarum dies advenisset et juvenes et puellae et cuncta simul nobilitas ante thalamum jam paratum nuptiarum festa cum gaudio celebrarent, virgo Deo inspirante considerans damnum virginitatis tam damnosis plausibus comparari, prostrata in terram cum lacrymis gloriam virginitatis et nuptiarum molestias tanta in corde suo compensatione libravit, quod omnia hujus vitae gaudia quasi stercora respuebat. Unde nocte illa a viri consortio abstinens, media nocte Deo se recommendans tonsis crinibus in virili habitu clam aufugit. Longe autem ad quoddam monasterium veniens et fratrem Pelagium se appellans ab abbate receptus est et diligenter instructus. Qui tam sancte ac religiose se habuit, quod defuncto sanctimonialium provisore de seniorum consilio et abbatis imperio licet invitus monasterio virginum est praelatus. Dum ergo iis non solum corporum, sed etiam animarum pabula

continue et inculpabiliter ministraret, dyabolus ei invidens studuit, qualiter prosperum ejus cursum objectu criminis impediret. Nam unam virginem, quae prae foribus erat, in adulterium traxit et tumescente utero cum jam celari non posset, tantus pudor et dolor omnes virgines et monachos utriusque monasterii consternavit, quod solus Pelagius utpote earum familiaris atque praepositus sine judicio et examinatione ab omnibus condemnaretur, qui foras cum ignominia pellitur et in quodam rupis specu recluditur, sibique monachorum severissimus deputatur, qui sibi panem hordeaceum et aquam tenuissime ministraret. Quibus gestis monachi recesserunt et solum ibi Pelagium reliquerunt. At ille omnia patienter sustinens in nullo turbatus fuit, sed gratias semper Deo referens per sanctorum exempla se continue confortabat. Tandem cum finem suum adesse cognovisset, abbati et monachis per litteras sic mandavit: nobili orta genere Margarita in saeculo dicta fui, quae, ut pelagus tentationum transirem, Pelagius mihi nomen imposui; vir sum non pro deceptione mentita, quod factis ostendi; de crimine virtutem obtinui, poenitentiam egi innocens, et jam quaeso, ut, quam viri feminam nescierunt, sanctae sorores sepeliant et sit expiatio viventis, ostensio morientis, ut feminae virginem recognoscant, quam calumniatores adulterum judicabant. His auditis monachis et sanctimonialibus ad speluncam currentibus Pelagius a feminis femina, virgo intacta cognoscitur et cunctis poenitentiam agentibus in monasterio virginum honorifice sepelitur [1]).

CAP. CLII. (147.)

De sancta [2])Thaisi meretrice.

Thaisis meretrix, ut in vitis patrum legitur, tantae pulchritudinis exstitit, ut multi propter eam venditis substantiis suis ad ultimam paupertatem devenirent, sed amatores sui prae zelo litibus inter se consertis frequenter puellae limina sanguine juvenum replebant. Quod cum audiisset abbas [3])Pafuntius, sumto habitu seculari et uno

---

1) Rec. addunt: Finit legenda de prima feminarum Antiochiae civitatis abundantissima tandem Pelagius appellata. 2) Recentiores legunt: Thaide quondam mer. 3) Alii: Paufuntius.

solido profectus est ad eam in quadam Aegypti civitate deditque ei solidum, quasi pro mercede peccandi. Illa accepto pretio ait illi: ingrediamur in cameram, cumque ingressus esset et lectum pretiosis vestibus stratum adscendere invitaretur, dicit ad eam: si est interius cubiculum, in ipsum eamus. Et cum duxisset eum per plura loca, ille semper dicebat, quod videri timebat. Illa autem dixit: est quoddam cubiculum, ubi nullus ingreditur, si vero Deum times, non est locus, qui Deitati ejus abscondatur. Quod cum senex audivisset, dixit ei: et scis esse Deum? Cumque illa respondisset, se scire Deum et regnum futuri saeculi necnon et tormenta peccatorum, dixit ei: si ergo nosti, cur tantas animas perdidisti? Et non solum pro tua, sed pro illorum redditura rationem damnaberis. Illa vero haec audiens provoluta ad pedes abbatis Pafuntii cum lacrymis exorabat dicens: scio esse poenitentiam, pater, et confido remissionem te orante sortiri; tantum peto tribus horis inducias et post hoc, quo jusseris, ibo et, quaecumque praeceperis, faciam. Cumque locum illi abbas constituisset, ubi venire deberet, illa collectis omnibus, quaecunque ex peccato lucrata fuerat, perlatisque in mediam civitatem populo spectante igne combussit clamans: venite omnes, qui peccastis, mecum et videte, quomodo ea, quae mihi contulistis, exuram. Erat autem pretium auri librarum quadringentarum. Quae cum omnia incendisset, ad locum, quem abbas Pafuntius constituerat, perrexit. Quam ille reperto virginum monasterio in cellulam parvam recludens ostium cellulae plumbo signavit et parvam reliquit fenestram, per quam ei victus modicus inferretur, jussitque ei omnibus diebus parum panis et paululum aquae a caeteris ministrari. Cum autem senex discederet, Thaisis ad eum ait: quo jubes, pater, ut ex naturali meatu aquam meam effundam? Et ille: in cella, sicut digna es. Cumque iterum, quomodo Deum deberet adorare, inquireret, respondit: non es digna nominare Deum neque in labiis tuis nomen trinitatis adducere, sed nec ad coelum manus expandere, quoniam labia tua iniquitate plena sunt et manus tuae sordibus inquinatae, sed tantummodo incumbens contra orientem respice, hunc sermonem frequenter iterans: qui plasmasti me, miserere mei. Cum ergo tribus annis fuisset inclusa, condoluit abbas Pafuntius et profectus est ad abbatem [1]) Antonium, ut ab eo requireret, si remisisset illi

1) Ed. Pr. legit attonitum, alii libri: Anthonis offerunt.

Deus peccata sua. Et narrata causa sanctus Antonius convocatis discipulis suis praecepit iis, ut illa nocte vigilantes in oratione persisterent, singillatim utique, quatenus alicui ex his declararet Deus causam, pro qua abbas Pafuntius venerat. Cum igitur incessanter orassent, abbas Paulus major discipulus Antonii vidit subito in coelo lectum pretiosis vestibus ornatum, quem tres virgines clara facie custodiebant. Tres istae virgines fuerunt timor poenae futurae, quae ipsam a malo retraxit, pudor culpae commissae, quae ei veniam promeruit, amor justitiae, qui eam ad superna transvexit. Cumque Paulus illis diceret, gratiam illam tantam esse Antonii, vox divina respondit: non est patris tui Antonii, sed Thaisidis meretricis. Quod cum abbas Paulus mane retulisset, cognita Dei voluntate abbas Pafuntius cum gaudio discessit et mox profectus ad monasterium ostium cellae dissipavit. Illa vero rogabat, ut adhuc maneret inclusa. Dixit autem ei: egredere, quoniam remisit tibi Deus peccata tua. Et illa respondit: testor Deum, quia, ex quo huc ingressa sum, ex omnibus peccatis feci velut sarcinam et statui ante oculos meos, et sicut non discedit anhelitus de naribus meis, sic non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa considerans. Cui abbas Pafuntius dixit: non propter poenitentiam tuam remisit tibi Deus peccata tua, sed quia timorem semper habuisti in animo. Et cum inde illam eduxisset, XV dies supervixit et pausavit in pace. Abbas quoque Effrem aliam meretricem simili vere modo convertere voluit. Nam cum illa meretrix sanctum Effrem ad peccandum alliceret impudenter, dixit ei Effrem: sequere me. Qua sequente cum ad quendam locum, ubi erat multitudo hominum, venisset, dixit ei: sede huc, ut commiscear tecum. Et illa: quomodo possum hoc facere, tanta multitudine hic stante? Et ille: si homines erubescis, nonne magis tuum debes erubescere creatorem, qui revelat occulta tenebrarum? Illa autem confusa recessit.

CAP. CLIII. (148.)

[1])De sanctis Dionysio, Rustico et Eleutherio.

Dionysius interpretatur vehementer fugiens, vel dicitur Dionysius a dyo, quod est duo, et nisus, quod est elevatio, quasi secundum duo elevatus, scilicet secundum corpus et secundum animam. Vel dicitur a Dyana, quod est Venus, scilicet *Dea pulchritudinis*, et syos, quod est Deus, quasi pulcher Deo. Vel, ut quidam ajunt, dicitur a [2]) dionysia, quae (ut dicit Ysidorus) est quaedam gemma nigra valens contra ebrietatem. Fuit ergo vehementer fugiens de mundo propter perfectam abrenuntiationem, elevatus per internorum contemplationem, pulcher Deo per decorem *virtutum*, valens peccatoribus contra ebrietatem vitiorum. *Hic ante conversionem* multa praenomina habuit. Vocatus est enim Areopagita a vico, in quo habitabat; item dictus est [3]) Theosophus, id est, Deum sapiens. Item a Graecorum sapientibus usque hodie dicitur [4]) Pterigiontuurani, quod latine dicitur ala coeli, quia in coelum ara spiritualis intelligentiae mirabiliter volavit. Idem dictus est Macarius, id est beatus. Item a patria dictus est Jonicus; Jonica autem, ut ait Papias, una est ex linguis Graecorum, vel Jonicae sunt genera columnarum, vel Jonicum (ut idem dicit) est pes, quae habet duas correptas et duas longas; per quod ostenditur, quod ipse fuit sapiens domini per occultorum investigationem, ala coeli per coelestium contemplationem, beatus per aeternorum possessionem. Per alia ostenditur, quod ipse fuit mirabilis rhetor per eloquentiam, ecclesiae sustentator per doctrinam, brevis sibi per humilitatem, longus aliis per caritatem. Augustinus autem in L. VIII de civitate Dei dicit, quod Jonicum est genus philosophorum. Distinguit enim ibidem duo genera philosophorum, scilicet Italicum, quod est ex parte Italiae, et Jonicum, quod est ex parte Graeciae. Quia ergo Dionysius summus erat philosophus, ideo antonomatice dicebatur Jonicus. Ejus passionem et vitam graece dictavit Me-

---

1) Titulus capitis vulgo tantum inscribitur: De sancto Dionysio.
2) Ed. Pr. dianisia. Apud Isidor. Orig. XVI. 4. lapis ille dicitur Dionysius. 3) Ed. Pr. Thesephus. 4) Ed. Pr. et reliqui libri omnes male legunt: Pterigiontuarami, quod correxi, quum manifesto compositum sit ex Graeco πτερύγιον τδυ οὐράνου.

thodius Constantinopolitanus, latine vero Anastasius apostolicae sedis bibliothecarius, ut dicit [1]) Hincmarus Remorum episcopus.

Dionysius Areopagita a beato Paulo apostolo ad fidem Christi conversus fuit: qui Areopagita a vico civitatis, in quo habitabat, dictus fuisse dicitur. Areopagus enim erat vicus Martis, in quo scilicet erat templum Martis. Athenienses enim singulos vicos denominabant a Diis, quos colebant, ut vicum, in quo colebatur Mars, vocabant Areopagum, quia Areo dicitur Mars. Vicum, in quo colebant Pan, vocabant Panopagum, et ita a singulis Diis singulos vicos denominabant. Areopagus autem vicus erat excellentior, quia ibi erat curia nobilium et scholae liberalium artium. In hoc ergo vico morabatur Dionysius maximus philosophus, qui ob plenitudinem divinorum nominum et sapientiae Theosophus, id est Deo sapiens, dicebatur. Erat et secum Apollophanes, id est ejus conphilosophus. Ibi erant etiam Epicurei, qui ponebant felicitatem hominis in sola corporis voluptate, et Stoici, qui in sola animi virtute. In die igitur dominicae passionis, cum tenebrae factae fuissent super universam terram, philosophi, qui erant Athenis, non potuorunt hujus causam in causis naturalibus invenire. Non fuit enim naturalis eclipsis solis, tum quia luna fere erat e regione ad solem, eclipsis vero fieri solet tantum in synodo solis et lunae, luna autem tunc erat quinta decima et [2])ita in perfecta distantia a sole, tum quia eclipsis non aufert lumen universis partibus terrae, tum quia per tres horas durare non potest. Quod autem illa eclipsis in universis partibus terrae lumen abstulerit, patet ex eo, quod Lucas evangelista hoc dicit, et ex eo, quod [3]) universitatis dominus patiebatur, et ex eo, quod fuit apud Heliopolin Aegypti, et ex eo, quod fuit Romae et in Graecia et in Asia minore. Quod autem fuerit Romae, testatur Orosius dicens: cum dominus patibulo affixus est, maximo terrae motu per orbem facto saxa in montibus scissa maximarumque urbium plurimae partes plus solita concussione ceciderunt eodemque die ab hora diei sexta sol in totum obscuratus est, tetra nox subito obducta terris est, adeo ut stellas tunc diurnis horis vel potius in horrenda nocte toto coelo visas fuisse referatur. Haec Orosius. Fuit etiam apud Aegyptum, et hujus meminit Dionysius in epistola ad Apollophanem dicens: offusi namque orbes unifor-

---

1) Ed. Pr. Ignarus, Rec. Igmarus. 2) Ed. Pr. et imperfecta legit. 3) Ed. Pr. verba: universitatis — quod et deinde verba: et — minore omittit.

miter tenebrarum caligine tabescente, ut purgatum rediit solis diametrum, regulam Philippi Arrhidaei assumsimus, eumque reperimus, quod et erat notissimum, solem pati molestias non debere, ajo ad te: peritiae vastae sanctuarium, adhuc nescias tantae rei mysterium. Quid, inquam, speculum doctrinae Apollophani, his secretis adscribis? Ad quae tu mihi ore divino et non humani sensus sermone: o bone Dionysi, divinarum permutationes sunt rerum. Denique notatam feriae diem et annum annuntiationis, quam Paulus nostris auribus suspensis intonuit, signis acclamantibus recordari expertus dedi veritati manus et falsitatis sum nexibus absolutus. Haec Dionysius. Hujus etiam meminit idem in epistola ad Polycarpum loquens de se et Apollophane dicens: ambo apud Heliopolim tunc praesentes et coadstantes inopinabiliter soli lunam incedentem videbamus; non enim erat conveniens tempus, et rursus ipsam a nona hora usque ad vesperam ad solis diametrum supernaturaliter restitutam. *Eclipsim* autem illam vidimus in oriente inchoatam et usque ad solarem terminum venientem, postea regredientem et rursus non ex eodem et defectum et repurgationem, sed e converso secundum diametrum factam. Tunc enim Dionysius cum Apollophane voto astrologicae disciplinae apud Heliopolim Aegypti perrexerat et postea inde reversus est. Quod autem fuerit in Asia, testatur Eusebius in chronica asserens, se in dictis ethnicorum legisse, quod tunc in Bithynia, quae provincia est Asiae minoris, fuit terrae motus magnus et major solis obscuratio, quam unquam fuerit, et quod dies hora sexta in tenebrosam noctem versus sit, ut stellae in coelo visae sint, et quod Nicaeae, quae urbs est Bithyniae, cunctas aedes terrae motus subverterit. Tandem, ut in hystoria scholastica legitur, philosophi ad hoc adducti sunt, ut dicerent, quod Deus naturae patitur. Alibi tamen legitur, quod dixerunt: aut ordo naturae pervertitur aut elementa mentiuntur aut Deus naturae patitur et elementa sibi compatiuntur. Alibi vero dicitur, quod Dionysius dixit: haec nox, quam novam miramur, totius mundi veram lucem adventuram significat. Tunc Athenienses illi Deo aram construxerunt et superpositus est titulus: ignoto Deo. Singulis enim aris superponebatur titulus indicans, cui essent dedicatae. Et cum vellent illi offerri holocausta et victimas, dixerunt philosophi: bonorum nostrorum non eget, sed facietis genuflectationes ante aram ejus et supplicabitis ei, quia non quaerit oblationes pecorum, sed devotionem animorum. Cum ergo Paulus venisset Athenas, Epicurei

et Stoici philosophi cum eo disputabant, quidam autem dicebant: quid seminator verborum hic vult dicere? Alii dicebant: novorum daemoniorum videtur annuntiator esse. Adducentes ergo eum ad vicum philosophorum, ut nova doctrina ibidem examen reciperet, dixerunt: nova quidem infers auribus nostris, volumus ergo scire, quidnam velint haec esse. Athenienses autem ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere aut audire aliquid novi. Cum ergo Paulus Deorum altaria perlustrasset et inter caetera ignoti Dei altare vidisset, dixit illis philosophis: quem ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis verum Deum, qui fecit coelum et terram. Deinde dixit Dionysio, quem prae caeteris magis doctum in divinis videbat: quis est, Dionysi, ille Deus ignotus? Cui Dionysius: ipse est Deus verus, qui inter caeteros Deos non est demonstratus, sed nobis est incognitus et nobis ignotus et saeculo venturo futurus et in perpetuum regnaturus. Et Paulus: homo an tantum spiritus est? Et Dionysius: Deus et homo est, sed ideo incognitus est, quia ejus tantum in coelo conversatio est. Cui Paulus: ille est, quem praedico, qui de coelis descendit, carnem suscepit, mortem sustinuit et die tertia resurrexit. Cum autem Dionysius adhuc cum Paulo disputaret, forte transiit caecus per viam coram iis statimque dixit Dionysius Paulo: si dixeris huic caeco, in nomine Dei tui vide, et viderit, statim credam, sed vitatis verbis magicis, quia forte nosti verba, quae habent hujusmodi efficaciam. Ego formam verborum tibi praescribam. In hac igitur forma verborum dices ei: in nomine Jesu Christi, nati de virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit et ad coelum adscendit, vide. Sed ut omnis suspicio tolleretur, Paulus dixit Dionysio, ut haec ipse verba proferret. Cum ergo in eadem forma Dionysius caeco, ut videret, dixisset, protinus visum recepit. Statim Dionysius cum Damari uxore sua et tota familia baptizatus est et fidelis effectus sicque a Paulo per triennium instructus Athenis episcopus ordinatus est, ubi ille praedicationi insistens ipsam civitatem et maximam partem regionis illius ab fidem Christi adduxit. Huic Paulus ea, quae in tertium coelum raptus vidit, revelasse dicitur, sicut et ipse Dionysius in plerisque locis insinuare videtur. Unde et de [1])gerarchiis ipsorum angelorum, ordinibus, dispositionibus et officiis tam luculenter et clare disseruit, ut non putares, ipsum hoc ab alio didicisse, sed ipsum potius usque in tertium coelum raptum esse et ibi haec omnia

1) Rec.: hierarchiis.

conspexisse. [1]) Prophetiae spiritu claruit, sicut patet in epistola, quam misit ad Johannem evangelistam in Pathmos insulam in exsilio relegatum, ubi prophetavit, quod rediturus esset, sic dicens: gaude vere dilecte, vere amabilis et desiderabilis et diligibilis valde dilecte; et infra: ex custodia, quae est in Pathmos, dimitteris et ad terram Asiae reverteris et facies ibi boni Dei imitationes et his, qui erunt post te, trades. Dormitioni beatae Mariae interfuit, sicut ipse in libro de divinis nominibus insinuare videtur. Cum ergo audivisset, Petrum et Paulum Romae a Nerone in carceribus detineri, episcopum sibi substituit et ad eos visitandos accessit. Verum cum illi ad dominum feliciter migrassent et postmodum Clemens praesideret, ab ipso beato Clemente post aliquod spatium temporis in Franciam destinatur et sibi Rusticus et Eleutherius sociantur. Missus igitur Parisios venit et multos ibidem ad fidem convertit et ecclesias plurimas fabricavit et clericos diversi ordinis collocavit. Tanta autem in eo gratia coelitus emicuit, quod, cum saepius pontifices ydolorum contra eum seditionem populi concitarent et populus ad eum perdendum saepe cum armis concurreret, mox illo viso aut omni feritate deposita se ejus pedibus provolvebant aut nimio timore soluti ab ejus praesentia fugiebant. Sed dyabolus videns et invidens, quod quotidie sui cultura decresceret et multiplicatis fidelibus ecclesia triumpharet, Domitianum imperatorem in tantam commovit saevitiam, ut praeceptum daret, quod, quicunque christianum aliquem reperiret, aut ipsum sacrificare cogeret aut diversis suppliciis cruciaret. Praefectus igitur [2]) Fescenninus contra christianos Parisios a Roma directus beatum Dionysium populo praedicantem invenit, statimque captum, colaphizatum, consputum, derisum et loris durissimis alligatum cum sanctis Rustico et Eleutherio sibi praesentari praecepit. Cum ergo sancti coram illo in confessione Dei constantes adstarent, ecce quaedam matrona nobilis advenit et virum suum lubricum turpiter ab his magis deceptum asseruit. Pro ejus itaque viro citius mittitur et in Dei confessione perseverans injuste necatur, sancti vero a duodecim militibus flagellantur. Deinde magno pondere catenarum constricti carceri mancipantur. Sequenti die Dionysius super cratem ferream suppositis flammis nudus extenditur, ubi domino decantabat dicens: ignitum tuum eloquium vehementer et

---

1) Ed. Pr. philosophiae praefert. 2) Alii: Fescennius.

servus tuus dilexit illud. Inde autem erigitur et ad bestias ferocissimas multo jejunio excitatas projicitur. Sed cum in eum impetuose currerent, signum crucis opposuit et mansuetissimas eas fecit; deinde in clibanum jactatur, sed extincto igne nil laeditur, cruci affigitur et diutius ibidem torquetur, inde depositus cum suis sociis et multis aliis fidelibus carceri mancipatur. Ubi dum missam celebraret et populum communicaret, dominus Jesus eidem cum immenso lumine apparuit et panem accipiens ei dixit: accipe hoc, care meus, quia mecum est maxima merces tua. Post hoc judici praesentati iterum novis suppliciis mactantur et juxta ydolum Mercurii cum securibus trium capita in confessione trinitatis praeciduntur, statimque corpus sancti Dionysii se erexit et caput suum inter brachia angelo duce et coelesti lumine praecedente per duo milliaria deportavit a loco, qui dicitur mons martirum, usque ad locum, ubi nunc sua electione et Dei providentia requiescit. Tanta autem ibidem angelorum melodia insonuit, ut inter multos, qui audierunt et crediderunt, etiam [1]) Laertia uxor praefecti Lubrii christianam se esse clamavit et mox ab impiis decollata et in suo sanguine baptizata occubuit, filius autem ejus nomine Virbius Romae sub tribus imperatoribus militavit. Deinde Parisios rediens baptizatur et religiosorum numero sociatur. Dum autem infideles metuerent, ne sanctorum Rustici et Eleutherii corpora christiani sepelirent, jusserunt, ut in Sequana mergerentur. Matrona autem quaedam nobilis vectores ad prandium invitavit et illis epulantibus sanctorum corpora furtive surripuit et agro suo occulte sepeliri fecit, quae postea persecutione cessante inde sustulit et corpori beati Dionysii honorifice sociavit. Passi sunt sub Domitiano anno domini XCVI, aetatis vero beati Dionysii XC. [2]) Circa annos domini DCCCXV tempore Ludovici legati Michaelis imperatoris Constantinopolitani inter caetera munera detulerunt Ludovico filio Caroli magni libros Dionysii de gerarchia de Graeco in Latinum translatos, qui cum gaudio sunt recepti, et XIX infirmi in ipsa nocte in ecclesia ejus curati. Cum apud Arelatium sanctus Regulus episcopus missarum sollemnia celebraret, apostolórum nominibus in canone recitatis adjunxit: et beatis martiribus tuis Dionysio, Rustico et Eleutherio. Quo dicto cum adhuc Dei famulos vivere crederet, plurimum mirari coepit, cur eorum nomina sic

1) Vulgo: Lartia. Verba antecedentia: et cred. omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. omittit verba: Circa — DCCCXV.

nesciens in canone protulisset. Et ecce eidem miranti tres columbae apparuerunt super crucem altaris residentes, quae sanctorum martirum nomina habebant suis pectoribus sanguine insignita. Quas diligenter intuens sanctos migrasse a corpore intellexit. Circa annum domini DCXLIV Dagobertus rex Francorum (ut in quadam habetur chronica), qui longe ante Pipinum regnaverat, a sua pueritia sanctum Dionysium in magna veneratione habere coepit; nam et quando Clotarii patris sui iram metuebat, ad ecclesiam sancti Dionysii continuo fugiebat. Cum ergo factus jam rex mortuus fuisset, cuidam sancto viro in visione monstratum est, quod ejus anima ad judicium rapta fuit et multi sancti suarum ecclesiarum exspoliationem objiciebant eidem. Cumque ergo mali angeli jam ad poenas rapere eam vellent, affuit beatus Dionysius et ejus interventu liberata est et poenam evasit. Forte enim ejus anima ad corpus rediit et ibi poenitentiam egit. Clodoveus rex corpus sancti Dionysii minus religiose discooperiens os brachii ejus fregit et cupide rapuit, qui mox in amentiam raptus est. Et nota, quod [1])Hincmarus episcopus Remensis dicit in epistola, quam misit ad Carolum, quod Dionysius iste missus in Galliam fuit Dionysius Areopagita, ut supra dictum est. Idem testatur Johannes Scotus in epistola ad Carolum, nec forte ratio ex computo temporis contradicit, sicut aliqui objicere voluerunt.

CAP. CLIV. (149.)

De sancto Calixto[2]).

Calixtus papa anno domini CCXXII sub Alexandro imperatore martirium passus est. Cujus temporibus pars eminentior urbis Romae divino est incendio concremata et sinistra manus Jovis [3]) aurea liquefacta. Tunc omnes sacerdotes ad Alexandrum imperatorem venerunt petentes, ut Dii irati sacrificiis placarentur. Dum ergo offerrent, subito coelo sereno mane die Jovis divino fulmine quatuor sacer-

---

1) Alii: Ignatus, Ignarus, Ignarius. Sed cum inter scripta Hincmari ep. Rem. epistola ad Carolum Calvum de auctoritate vitae s. Dionysii ab Anastasio bibliothecario translatae inveniatur (Mabillon. Anal. T. I. p. 59 sq. [ed. II. p. 42]), non dubium esse potest, quin de Hincmaro illo hoc loco sermo sit.
2) Rec. addunt papa. 3) Ed. Pr. omittit adj. aurea.

dotes ydolorum mortui sunt et ara Jovis concremata est et sol obscuratus est, ita ut populus Romanus fugeret extra muros. Audiens autem Palmatius consul, quod Calixtus cum suis clericis trans Tiberim latitaret, rogavit, ut christiani, per quos hoc malum contigerat, ad purgationem civitatis penitus delerentur. Palmatius itaque potestate accepta, cum illuc cum militibus properasset, sed illi protinus excaecati fuissent, territus Alexandro hoc protinus nuntiavit. Tunc imperator jussit, ut die Mercurii omnis populus conveniret et Mercurio immolaret, ut ab eo super his responsa acciperet. Quod dum fieret, virgo quaedam templi, nomine Juliana, arrepta a daemone exclamavit: Deus Calixti est verus et vivus Deus, qui nostris est pollutionibus indignatus. Quod audiens Palmatius trans Tiberim ad urbem Ravennatium ad sanctum Calixtum accessit et cum uxore sua et familia se ab eo baptizari fecit. Quod audiens imperator accersitum Simplicio senatori tradidit, ut verbis blandis eum moneret ex eo, quod reipublicae plurimum necessarius esset. Palmatio vero in jejuniis et oratione perseverante, venit ad eum quidam miles, promittens, quod, si uxorem suam paraliticam sanaret, continuo crederet. Cum ergo Palmatius oraret, illa sanata ad Palmatium cucurrit dicens: baptiza me in nomine Christi, qui tenuit manum meam et allevavit me. Tunc Calixtus veniens ipsam cum viro suo Simplicio et multis aliis baptizavit. Quod audiens imperator jussit omnes baptizatos decollari, Calixtum vero quinque diebus sine cibo et potu manere fecit. Ille autem videns eum amplius confortari, jussit eum diebus singulis fustigari, deinde per fenestram praecipitatum alligatumque saxo in puteum praecipitari. Asterius autem presbiter corpus ejus de puteo elevavit et ipsum in cimiterio Calipodii sepelivit.

CAP. CLV. (150.)
De sancto Leonardo.

Leonardus odor populi a leos, quod est populus, et nardus, quod est herba redolens, quia odor bonae famae populum ad se trahebat. Vel Leonardus dicitur, quasi legens ardua, vel Leonardus dicitur a leone. Leo enim quatuor habet in se. Primo habet for-

titudinem, quam fortitudinem (ut dicit Ysidorus) habet in pectore et in capite. Sic beatus Leonardus habuit fortitudinem in pectore per malarum refrenationem cogitationum, et in capite per infatigabilem supernorum contemplationem. Secundo habet sagacitatem, et hoc in duobus, scilicet in apertione oculorum, cum dormit, et in directione vestigiorum, cum fugit. Sic Leonardus vigilavit per laborem actionis, et vigilando dormivit per quietem contemplationis et in se delevit vestigia mundanae totius affectionis. Tertio habet virtuositatem in voce, quia ejus vox tertia die suscitat leunculum natum mortuum et omnem bestiam figere facit gradum. Sic Leonardus multos mortuos in peccatis resuscitavit et multos mortuos bestialiter viventes in operibus bonis fixit. Quarto habet timorem in corde, quia (secundum Ysidorum) diu timet, scilicet strepitum [1])rotarum et ignem accensum. Sic Leonardus timuit et timendo vitavit strepitum mundanae sollicitudinis et ideo in desertum fugit et ignem terrenae cupiditatis et ideo omnes thesauros sibi oblatos contemsit.

Leonardus fuisse dicitur circa annum domini D. Hic a sancto Remigio Remensium archiepiscopo de sacro fonte levatus et ab ipso salutaribus disciplinis instructus est. Cujus parentes primi in palatio regis Franciae habebantur. Hic tantam gratiam a rege obtinuit, quod omnes incarcerati, quos ipse visitabat, protinus absolvebantur. Cum igitur fama sanctitatis ejus excresceret, rex multo tempore eum secum manere coegit, donec opportuno tempore ei episcopatum donaret. Quod ille renuit et solitudinem desiderans relictis omnibus Aurelianum praedicando cum confratre suo Lifardo devenit, ubi, postquam in quodam coenobio aliquamdiu vixerunt, dum Lifardus super ripam Ligeris solitarius manere vellet et Leonardus per sancti spiritus admonitionem in Aquitania disponeret praedicare, osculantes se ab invicem discesserunt. Leonardus igitur ubique praedicans, multa miracula exercens in quadam silva civitati Lemovicae vicina habitavit, ubi erat aula regia causa venationis constructa. Accidit autem, ut quadam die rex ibi venaretur et regina illuc causa dilectionis egressa partu periclitaretur. Cum ergo rex et familia propter reginae periclitationem lugerent et Leonardus per nemus transiret et gementium voces audiret, pietate commotus illuc properavit et a rege vocatus protinus introivit. Cum igitur

1) Ed. Pr. omittit: rotarum.

a rege interrogatus, quis esset, et se sancti Remigii discipulum fuisse narraret, rex spem bonam concipiens et a bono magistro ipsum bene instructum existimans ipsum ad reginam induxit rogans, ut suis precibus de recuperata conjuge et edita prole duplex gaudium obtineret. Tunc ille oratione fusa, quod petebat, protinus impetravit. Cum autem rex multa in auro et argento sibi offerret, ille protinus recusavit admonens, ut haec pauperibus daret, dicens: ego nullis horum indigeo, sed tantum in aliqua silvarum contemtis hujus mundi divitiis soli Christo famulari desidero. Cum autem rex totum illud nemus sibi tradere vellet, ille ait: non totum illud accipio, sed quantum nocte cum meo asello circuire potero, tantum mihi concedere exopto. Quod rex libentissime adimplevit. Constructo itaque ibidem monasterio, ibi diu cum adjunctis sibi duobus monachis in abstinentia multa degebat. Cum autem aqua uno ab iis milliario distaret, puteum ibidem siccum penitus fodi jussit, quem aqua orationibus suis implevit. Locum autem illum Nobiliacum appellavit eo, quod a rege nobili traditus sibi fuisset. Ibi tantis miraculis coruscavit, quod, quicunque ejus nomen in carcere invocasset, mox ruptis vinculis nullo contradicente liber abiret et suas eidem catenas vel compedes praesentaret. Horum plures secum manebant et ibidem domino serviebant. Septem quoque [1])familiae de ejus nobili stirpe venditis omnibus ad eum venerunt et distributis singulis in nemore cum ipso manentes exemplo suo plurimos attraxerunt. Denique sanctus vir Leonardus multis clarus virtutibus VIII Idus Novembres ad dominum migravit, ubi, postquam multa fecisset miracula, clericis illius ecclesiae est revelatum, ut, quia locus ille propter multitudinis frequentiam artus erat, alibi ecclesiam fabricarent et illuc corpus sancti Leonardi honorifice transportarent. At illi cum populo triduano jejunio et orationi insistentes respicientes viderunt totam provinciam nive coopertam, locum autem illum, in quo sanctus Leonardus quiescere volebat, omnino vacuum conspexerunt. Ibi itaque translatus; quanta miracula praecipue circa incarceratos dominus per eum faciat, immensa ferri varietas ante ejus tumulum dependentis testis exsistit. — — — **2.** Vicecomes Lemovicensium ad terrorem malorum quandam gravissimam catenam fecerat, quam in [2])cippo suae turris affigi mandaverat; qua catena quicunque collo cingebatur,

---

1) Ed. Pr. famulae legit. 2) Ed. Pr. typo.

cuilibet aëris intemperiei expositus non una, sed quasi mille mortibus angebatur. Accidit autem, ut quidam servus sancti Leonardi illa catena sine culpa ligaretur; qui cum fere ultimum spiritum efflaret, intra se, quo potuit, [1])toto sanctum Leonardum affectu rogavit, ut, qui alios liberaret, sibi quoque servo suo subveniret. Statimque sanctus Leonardus in veste candida sibi apparens dixit: noli timere, quia non morieris; surge et hanc catenam tecum ad ecclesiam meam deferas, sequere me, quia ego praecedam te. Qui consurgens et catenam accipiens sanctum Leonardum praecedentem usque ad ecclesiam suam secutus est statimque, ut ante fores fuit, beatus Leonardus ipsum dimisit et ecclesiam intrans, quam sanctus Leonardus sibi fecerat, omnibus enarravit et catenam illam tam maximam ante tumulum ejus suspendit. — — — **3.** Vir quidam in loco sancti Leonardi Nobiliaco habitans et eidem sancto valde fidelis exsistens a quodam tyranno captus est; qui tyrannus intra se cogitans dicebat: Leonardus iste omnes absolvit et omnis vis ferri ante eum, velut cera ante ignem, liquescit. Si hunc igitur vinculis ligavero, protinus Leonardus aderit et ipsum liberabit, si autem ipsum custodire possem, mille solidis ipsum redimere facerem. Scio igitur, quid faciam. In turre mea profundam foveam faciam et hominem hunc compedibus aggravatum ibidem [2]) submergam, deinde super os foveae ligneam archam construam, in qua armatos milites accubare faciam. Licet enim Leonardus ferrum confringat, tamen nondum sub terra intravit. Qui cum totum, quod cogitaverat, implevisset et ille homo sanctum Leonardum saepius inclamaret, Leonardus nocte veniens archam, in qua jacebant milites, revolvit et tamquam mortuos in sepulchro, ita eos sub ipsa conclusit. Deinde cum multa luce foveam ingressus manum fidelis sui tenuit ac dixit: dormis an vigilas? Ecce Leonardus, quem tu desideras. At ille admirans ait: domine, adjuva me. Confestim confractis catenis apprehensum propriis ulnis extra turrim portavit, deinde secum, sicut amicus cum amico confabulans, usque ad locum suum et domum ipsum deduxit. — — — **4.** Peregrinus quidam, cum a visitatione sancti Leonardi rediisset et in Avernia captus in cavea inclusus esset, eos plurimum deprecabatur, ut amore sancti Leonardi, cum nihil unquam eos offendisset, eum relaxare deberent. Qui responderunt, quod, nisi se copiose redimeret,

---

1) Ed. Pr. voto legit et omittit affectu. 2) Ed. Pr. subjungam.

non exiret. Et ille: sit inter vos et sanctum Leonardum, cui me sciatis recommendatum. Sequenti igitur nocte sanctus Leonardus domino illius castri apparuit et, ut peregrinum suum dimitteret, imperavit. Ille vero mane [1]) evigilans et visionem quasi somnium parvipendens nullatenus dimittere voluit. Altera nocte eadem imperans sibi apparuit, sed ille iterum obedire contemsit. Tertia vero nocte sanctus Leonardus peregrinum accipiens extra oppidum deduxit statimque turris cum media parte castri corruens oppressis pluribus solum principem ad sui confusionem fractis cruribus reservavit. — — — **5.** Miles quidam in Britannia incarceratus sanctum Leonardum invocabat, qui statim cunctis videntibus et cognoscentibus et stupentibus in media domo apparuit et carcerem intrans et vincula frangens homini catenas in manibus posuit et per medium illorum deducens omnes stupore perterruit. — — — **6.** Fuit et alius Leonardus ejusdem professionis et virtutis, cujus corpus apud Corbiacum requiescit. Hic, cum in monasterio esset praelatus, tanta se humilitate dejiciebat, ut omnibus inferior videretur. Sed cum omnis paene populus ad eum conflueret, quidam invidi regi Clotario suaserunt, quod, nisi sibi praevideret, per Leonardum, qui multos sub obtentu religionis colligebat, regnum Franciae detrimentum non modicum sustineret. Quibus rex nimium credulus eum expelli jussit. Venientes autem milites adeo hujus verbis compuncti sunt, quod se suos futuros discipulos spoponderunt. Rex quoque poenitens veniam petiit et detractores rebus et honoribus privari fecit, et sanctum Leonardum valde dilexit et vix ad preces sancti detractores dignitati pristinae restituit. Qui a Deo similiter impetravit, ut, quicunque in carcere tenerentur, mox invocato suo nomine solverentur. Dum autem quadam die orationi incumberet, serpens quidam maximus a parte pedum usque in ejus sinum tetendit. [2]) Qui propter hoc nullatenus ab oratione surrexit, completa vero oratione dixit ei: scio, quia ab initio creationis tuae homines, quantum praevales, inquietas, sed nunc, si in me tibi tradita est potestas, fac in me, quidquid merui. Quo dicto serpens per caputium ejus exsiliens ad pedes ejus mortuus corruit. Post hoc autem, cum duos episcopos discordantes sedasset, in crastinum se finiendum praedixit, circa annos domini DLXX.

1) Verba: evigilans — quasi omittit Ed. Pr. 2) Verba: Qui — surrexit omittit Ed. Pr.

CAP. CLVI. (151.)

De sancto Luca evangelista.

Lucas interpretatur ipse consurgens vel elevans, vel dicitur Lucas a luce. Ipse enim fuit consurgens ab amore mundi, elevans se in amorem Dei. Fuit etiam lux mundi eo, quod mundum illuminavit universum, Matth. V.: vos estis lux mundi. Lux autem mundi est ipse sol. Quae quidem lux habet in situ sublimitatem, Eccl. XXVI: sol oriens mundo in altissimis Dei; in *aspectu delectabilitatem*, Eccl. XI: dulce lumen et delectabile est oculis videre solem; in motu velocitatem, [1]) II. Esdr. IV: magna est terra et excelsum est coelum et velox cursus solis; in effectu utilitatem, quia secundum philosophum homo generat hominem et sol. Sic Lucas habuit sublimitatem per coelestium contemplationem, delectabilitatem per dulcem conversationem, velocitatem per *ferventem* praedicationem, utilitatem per doctrinae suae conscriptionem.

1. Lucas Syrus natione Antiochenus arte medicus fuit secundum quosdam unus de LXXII domini discipulis. Sane cum Hieronymus dicat, eum fuisse discipulum apostolorum, non domini, et Glossa super Exod. XXV notet, quod domino praedicanti non adhaesit, sed post resurrectionem ejus ad fidem venit, magis tenendum est, quod non fuerit unus de LXXII, licet aliqui sic fuerunt opinati. Qui tantae fuit perfectionis in vita, ut optime ordinatus fuerit, quantum ad Deum et quantum ad proximum et quantum ad se ipsum et quantum ad suum officium. Et in signum hujus quadruplicis ordinationis quatuor facies habere describitur, scilicet faciem hominis et leonis, bovis et aquilae. Quodlibet enim de animalibus habebat quatuor facies et quatuor pennas, ut dicitur Ezech. I. Et ut hoc melius videatur, imaginemur aliquod animal, quod habeat caput quadratum, ut lignum quadratum, et in qualibet superficie imaginemur unam faciem, a parte anteriori faciem hominis, a dextris faciem leonis, a sinistris faciem vituli, a parte posteriori faciem aquilae. Quia vero facies aquilae super alias eminebat propter colli productionem, quod in ea longum est, ideo dicitur, quod erat desuper. Quodlibet etiam horum quatuor pennas habebat, quia, cum quodlibet animal quasi quadratum imaginemur et in quadrato sint quatuor anguli, in quolibet angulo erat una penna. Per ista qua-

1) Locus citatus in Vulg. l. l. non occurrit.

tuor animalia secundum sanctos quatuor evangelistae significantur, quorum quilibet habuit quatuor facies scribendo, scilicet de humanitate, passione, resurrectione et divinitate: singulae tamen singulis per quandam appropriationem attribuuntur. Secundum Hieronymum Matthaeus in homine figuratur, quia principaliter circa Christi humanitatem immoratur, Lucas in vitulo agens de Christi sacerdotio, Marcus in leone evidentius scribens de resurrectione. Catuli enim leonum, ut dicunt, usque in diem tertium quasi mortui jacent, sed rugitu leonis in die tertio excitantur. Iterum quia incepit a rugitu praedicationis, Johannes in aquila caeteris altius volans, scribens de Christi divinitate. Christus etiam, de quo scribit, omnia ista quatuor fuit, scilicet homo natus de virgine, vitulus in passione, leo in resurrectione, aquila in ascensione. Per has igitur quatuor facies, in quibus designatus est Lucas, sicut quilibet alius evangelista, ostenditur, qualiter illis quatuor modis fuerit ordinatus. Nam per faciem hominis ostenditur, quod recte fuerit ordinatus quantum ad proximum, quem debet ratione instruere, mansuetudine attrahere et liberalitate fovere. Homo enim est animal rationale, mansuetum et liberale. Per faciem aquilae ostenditur, quod recte fuerit ordinatus quantum ad Deum, quia in eo oculus intellectus contuetur Deum per contemplationem, rostrum affectus ad ipsum exacuitur per meditationem, senectus insuper abjicitur per novam conversationem. Aquila enim acuti luminis est, ut rotam solis irreverberatis oculis adspiciat et in altum mirabiliter elevata pisciculos in medio maris videat. Rostrum etiam nimis aduncatum, ne impediatur in cibo capiendo, petrae allidit et sic usui cibandi habilem efficit. Exusta insuper a calore solis et in fontem magno impetu se projiciens senectutem abjicit, calore solis oculorum caliginem consumente et pennas alleviante. Per faciem leonis ostenditur, quod recte fuerit ordinatus quantum ad se, quia habuit generositatem per morum conversationem honestam, sagacitatem per insidiarum hostilium vitationem et passibilitatem per afflictorum compassionem. Leo est enim animal generosum, quia rex animalium, est sagax, quia vestigia cauda delet, cum fugit, ne inveniatur, passibile, quia quartanam patitur. Per faciem vituli sive bovis ostenditur, quod recte fuerit ordinatus quantum ad suum officium, quod fuit scribere evangelium; ibi enim morose processit, quia incepit a nativitate praecursoris et nativitate et infantia Christi, et sic paulatim processit usque ad ultimam

consummationem; discrete incepit, quia post alios duos evangelistas, ut, quod illi omisissent, iste suppleret et, quod sufficienter dixissent, omitteret; circa templum et sacrificium immoratus fuit, quod patet in principio, in medio et in fine. Bos enim est animal morosum, in ungulis fissum, per quod intelligitur discretio immolantium. Verum qualiter beatus Lucas in praedictis quatuor modis ordinatus fuerit, melius ostenditur, si vitae ejus series melius indagatur. Primo igitur ordinatus fuit quantum ad Deum. Tripliciter autem ordinatur homo quantum ad Deum (secundum beatum Bernardum), scilicet affectione, cogitatione et intentione. Affectio debet esse sancta cogitatio munda et intentio recta. Affectionem igitur sanctam habuit, quia sancto spiritu plenus fuit. Hieronymus in prologo super Lucam: obiit, inquit, in Bithynia plenus spiritu sancto. Secundo habuit cogitationem mundam, quia fuit virgo corpore et mente; in quo notatur munditia cogitationis ipsius. Tertio habuit intentionem rectam, quia in omnibus, quae faciebat, honorem domini quaerebat. De his duobus ultimis dicitur in prologo super actus apostolorum. Sine crimine in virginitate permanens, hoc quantum ad munditiam cogitationis; domino maluit servire, id est ad honorem domini, hoc quantum ad rectitudinem intentionis. Secundo fuit ordinatus ad proximum; ad proximum autem ordinamur, cum ei impendimus, quod debemus. Tria autem secundum Richardum de sancto Victore sunt, quae proximo debemus, scilicet nostrum posse, nostrum nosse, nostrum velle, ut quartum addatur nostrum agere. Nostrum posse in subsidiis, nostrum nosse in consiliis, nostrum velle in desideriis, nostrum agere in obsequiis. Quantum ad haec quatuor, ordinatus fuit beatus Lucas. Dedit enim primum proximo posse suum in subsidiis, quod patet ex hoc, quod Paulo in omnibus tribulationibus semper adhaesit et ab eo nunquam discedens eidem in praedicationis subsidium fuit. II. Timoth IV: Lucas est mecum solus. In hoc, quod dicit: mecum, tamquam scilicet adjutor et defensor, notatur, qualiter sibi subsidia praestitit. In hoc, quod dicitur: solus, notatur, quod constanter ei adhaesit. Iterum II. Cor. VIII dicit de Luca: non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis socius peregrinationis nostrae etc. Secundo suum nosse in consiliis. Tunc enim suum nosse proximo tribuit, cum doctrinam apostolicam et evangelicam, quam ipse noverat, ad utilitatem proximorum conscripsit. De hoc ipse sibi testatur in prologo suo dicens: visum est et mihi assecuto omnia a

principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut agnoscas eorum verborum, de quibus es eruditus, veritatem. Qualiter etiam praebuit suum nosse in consiliis, patet ex illo verbo, quod dicit Hieronymus in prologo, quia ejus verba animae languentis sunt medicina. Tertio ejus velle in desideriis, quod patet ex hoc, quod iis salutem aeternam desideravit, Coloss. IV.: salutat vos Lucas medicus, salutat, id est, salutem aeternam exoptat. Quarto ejus agere in obsequiis, quod patet ex hoc, quod dominum, quem aliquem peregrinum existimabat, hospitio recepit et ei omne obsequium caritatis exhibuit. Fuit enim socius Cleophae, dum ibat in Emaus, sicut aliqui dixerunt, prout refert Gregorius in Moralibus, licet Ambrosius dicat alium fuisse, cujus etiam nomen ponit. Tertio fuit bene ordinatus, quantum ad se ipsum. Tria autem sunt secundum Bernardum, quae optime ordinant hominem ad se ipsum et sanctum faciunt, scilicet victus sobrius, actus justus, sensus pius, et quodlibet horum secundum ipsum Bernardum in tria dividitur: victus, inquit, sobrius erit, si continenter, si socialiter, si humiliter vixerimus; actus justus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus; rectus per bonam intentionem, [1])discretus per moderationem et fructuosus per aedificationem; sensus pius erit, si fides nostra sentit Deum summe potentem, summe sapientem, summe bonum, ut per ejus potentiam nostram credamus juvari infirmitatem, per ejus sapientiam nostram credamus corrigi ignorantiam, per ejus bonitatem nostram credamus dilui iniquitatem. Haec Bernardus. In his omnibus beatus Lucas fuit optime ordinatus. Primo enim habuit victum sobrium, et hoc tripliciter, quia vixit continenter; nam, ut testatur Hieronymus de eo in prologo super Lucam, ipse nec uxorem unquam habuit nec filios. Secundo socialiter; hoc notatur in hoc, quod dicitur de ipso et de Cleopha opinione praedicta Luc. ult: duo ex discipulis Jesu ibant ipsa die etc. Socialitas enim notatur in hoc, quod dicitur: duo, et ex hoc, quod dicitur: discipuli, quia disciplinati, id est bene morigerati. Tertio humiliter; cujus humilitas insinuatur in hoc, quod nomen socii sui, scilicet Cleophae, repressit et suum tacuit. Nam secundum opinionem quorundam Lucas ex humilitate nomen suum siluit. Secundo habuit actum justum, qui quidem actus fuit rectus per intentionem; hoc notatur

1) Ed. Pr.: discretus per bonam intentionem et commensurationem.

in oratione, cum dicitur: qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis amore portavit. Discretus per moderationem, unde in forma bovis monstratus est, qui ungulam findit, per quod virtus discretionis exprimitur. Fructuosus per aedificationem; [1]) adeo quippe fuit proximis fructuosus, quod ab omnibus carissimus habebatur, unde Coloss. IV vocatur ab apostolo carissimus: salutat vos Lucas, inquit, medicus carissimus. Tertio habuit sensum pium, quia credidit et in suo evangelio professus est Deum esse summe potentem, summe sapientem, summe bonum. De duobus primis dicit in IV. capitulo: stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. De tertio patet XVIII. capitulo: nemo bonus nisi solus Deus. Quarto et ultimo fuit optime ordinatus, quantum ad suum officium, quod fuit scribere evangelium. In hoc autem patet, qualiter ibi fuerit ordinatus, quoniam ipsum suum evangelium fulcitur multa veritate, [2]) repletur multa utilitate, decoratur multa venustate et authenticatur multorum auctoritate. Primo namque fulcitur multa veritate. Est autem triplex veritas, scilicet vitae, justitiae et doctrinae. Veritas vitae est adaequatio manus ad linguam, veritas justitiae est adaequatio sententiae ad causam, veritas doctrinae adaequatio est rei ad intellectum. Hac triplici veritate ipsum evangelium fulcitur, quia in ipso evangelio haec triplex veritas edocetur. Ostendit enim Lucas, Christum hanc triplicem veritatem in se habuisse et alios docuisse. Ostendit autem Christum hanc triplicem veritatem habuisse per testimonium adversariorum, sicut patet Luc. XX: magister, scimus, quia recte dicis et doces; ecce veritas doctrinae. Et non accipis personam; ecce veritas justitiae. Sed in veritate viam Dei doces; ecce veritas vitae. Bona enim vita dicitur via Dei. Secundo ostenditur in ipso suo evangelio, Christum hanc triplicem veritatem docuisse. Primo enim ibidem docetur veritas vitae, quae consistit in observatione mandatorum Dei. Unde dicitur X. cap.: diliges dominum Deum etc. hoc fac, et vives Item XVIII: interrogavit eum quidam princeps dicens, magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo? Et sequitur: mandata nosti, non occides etc. Secundo veritas doctrinae. Unde quibusdam hanc veritatem doctrinae pervertentibus dicebat XI. cap.: vaeh vobis Pharisaeis, qui decimatis, id est decimando praedicatis, mentam et rutam et omne olus, et praeteritis judicium et caritatem Dei etc. Item ibidem: vaeh vobis legis peri-

---

1) Ed. Pr. a deo legit et omittit adj. fructuosus. 2) Ed. Pr. repletur — veritate omittit.

tis, qui tulistis clavem scientiae etc. Tertio veritas justitiae ostenditur XX. cap.: reddite ergo, quae Caesaris sunt, Caesari et, quae Dei sunt, Deo. Item XIX. cap.: verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite ante me. Item XIII, ubi agitur de judicio, ubi reprobis dicturus est: discedite a me omnes operarii iniquitatis. Secundo ejus evangelium repletur multa utilitate. Unde et ille, qui scripsit, medicus fuit ad designandum, quod nobis medicinam validissimam propinavit. Est autem triplex medicina: curativa, praeservativa et meliorativa. Hanc triplicem medicinam nobis Lucas in suo evangelio coelestem medicum ostendit propinasse. Medicina autem curativa est, quae curat a morbis, et haec est poenitentia, quae omnes morbos spirituales curat. Hanc medicinam dicit medicum coelestem nobis exhibuisse, cum ait IV. cap.: sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem etc. Item V. cap.: non veni vocare justos etc. Medicina meliorativa est, quae sanitatem auget, et haec est observatio consiliorum. Consilia enim hominem meliorem et perfectiorem faciunt. Hanc medicinam ostendit nobis medicum propinasse, XVIII. cap., cum ait: omnia, quaecunque habes, vende et da pauperibus etc. Item VI. cap.: ab eo, qui aufert vestimentum etc. Medicina autem preservativa est, quae preservat a casu, et haec est vitatio occasionum peccandi et malarum societatum. Hanc medicinam ostendunt medicum tradidisse, cum ait XII. cap.: attendite a fermento Pharisaeorum etc., ubi edocet malorum consortia evitare. Vel potest dici, quod ipsum evangelium multa utilitate repletur, quoniam in ipso virtus omnis sapientiae continetur. De hoc sic dicit Ambrosius: Lucas omnes sapientiae virtutes evangelii sui complectitur hystoria. Docuit enim naturalia, cum de spiritu sancto dominicam incarnationem exstitisse reseravit. Unde et David naturalem docens sapientiam ait: emitte spiritum tuum et creabuntur. Item cum docuit, tenebras in passione Christi factas, terram tremuisse, solem radios extraxisse, docuit moralia, cum in ipsis beatitudinibus mores docuit. Docuit rationalia, cum ait: qui fidelis est in minimo, in magno fidelis est. Sine hac triplici sapientia ipsa fides, ipsum mysterium trinitatis esse non potest, hoc est naturali, rationali et morali. Haec Ambrosius. Tertio ejus evangelium decoratur multa venustate; ejus enim stylus et modus loquendi valde venustus et decorus est. Ad hoc autem, quod aliquis in dictis suis venustatem et decorem teneat, tria sunt necessaria

(quae tradit Augustinus), scilicet ut placeat, ut pateat et ut moveat. Ut placeat, debet loqui ornate, ut pateat, debet loqui aperte, ut moveat, debet loqui cum fervore. Hunc triplicem modum habuit Lucas in scribendo et in praedicando. De duobus primis II. Cor. VIII: misimus autem cum illo fratrem. Glossa: Barnabam vel Lucam, cujus laus est in evangelio per omnes ecclesias. In hoc, quod dicitur: cujus laus est etc., notatur, quod locutus est ornate. In hoc, quod dicitur: per omnes ecclesias, notatur, quod locutus est aperte. Quod autem cum fervore locutus sit, patet ex hoc, quod cor ardens habuit dicens: nonne cor nostrum ardens erat in nobis etc. Quarto ejus evangelium authenticatum multorum auctoritate; multorum quippe auctoritate authenticatum fuit, quoniam a patre fuit ordinatum, Jerem. XXXI: ecce dies veniunt, dicit dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum etc., sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus, dabo legem meam in visceribus eorum etc. Ad litteram loquitur de doctrina evangelica. Secundo a filio corroboratum. Unde dicitur in eodem evangelio XXI. cap.: coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Tertio a spiritu sancto inspiratum, unde dicit Hieronymus in prologo super Lucam: sancto instigante spiritu in Achajae partibus hoc scripsit evangelium. Quarto ab angelis praefiguratum. Fuit enim praefiguratum ab illo angelo, de quo dicitur Apocal. XIV: vidi angelum Dei volantem per medium coeli, habentem evangelium aeternum. Istud autem evangelium aeternum dicitur, quia ab aeterno efficitur, id est a Christo, qui est aeternus, de aeternis materialiter, ad aeterna finaliter, in aeternum perpetualiter. Quinto a prophetis praenuntiatum. Nam Ezechiel propheta istud evangelium praenuntiavit, cum unum de animalibus faciem vituli habere dixit, per quod evangelium Lucae signatum est, ut supra dictum est. Item quando dictum est Ezech. II, se vidisse librum, qui erat scriptus intus et foris, et in quo erant scripta lamentum, carmen et vaeh. Per hunc enim librum intelligitur evangelium Lucae, quod est scriptum intus per profundi mysterii occultationem et foris per hystoriae apertionem. In quo etiam continetur lamentum passionis, carmen resurrectionis et vaeh aeternae damnationis, sicut patet XI. cap., cum multa vaeh ponuntur. Sexto a virgine reseratum. Virgo enim beata omnia in corde suo conservabat et diligenter conferebat,

ut dicitur Luc. II, ut haec postmodum scriptoribus reseraret, ut dicit Glossa ibidem: omnia, quae de domino vel a domino facta vel dicta cognovit, in memoria recolebat, ut, cum tempus praedicandae vel scribendae incarnationis adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. Unde etiam Bernardus assignans rationem, quare angelus beatae virgini nuntiavit conceptum Elizabeth, ait: ideo conceptus Elizabeth nuntiatur Mariae, ut, dum nunc salvatoris nunc praecursoris edocetur adventus, rerum tempus et ordinem tenens ipsa postmodum melius scriptoribus ac praedicatoribus evangelii reseraret veritatem, quae plene de omnibus a principio coelitus fuit instructa mysteriis. Creditur igitur, quod evangelistae eam de multis inquirebant et ipsa eos certificabat, et specialiter creditur de beato Luca, quod ad eam tamquam ad archam testamenti recurrit et ab ea de multis certificatus fuit, praecipue de his, quae sibi soli constabant, sicut de angelica annuntiatione et Christi nativitate et hujusmodi, de quibus solus Lucas agit. Septimo ab apostolis intimatum. Cum vero Lucas non fuerit cum Christo in omnibus actibus et miraculis Christi, ideo suum evangelium scripsit secundum quod apostoli, qui praesentes fuerant, sibi intimaverunt et retulerunt, sicut ipse in prologo suo insinuat dicens: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis etc. Cum enim dupliciter consueverit ferri testimonium, scilicet de visis et auditis, ideo dominus (ut ait Augustinus) duos testes voluit habere de visis, scilicet Matthaeum et Johannem, et duos de auditis, scilicet Marcum et Lucam. Et quoniam testimonium, quod est de visis, firmius et certius est, quam illud, quod est de auditis, ideo, ut dicit Augustinus, duo evangelia, quae sunt de visis, ponuntur extrema, et alia duo, quae sunt de auditis, ponuntur media, ut haec media tamquam infirmiora ab illis extremis, quae sunt certiora, hinc inde fulciantur et roborentur. Octavo a Paulo mirabiliter approbatum. Nam ejus evangelium mirabiliter approbabat, quando ad confirmationem dictorum suorum Lucae evangelium adducebat. Unde dicit Hieronymus in libro de viris illustribus: quidam suspicantur, quotiescunque Paulus in epistolis suis dicit: secundum evangelium meum, de Lucae significare volumine. Ejus etiam evangelium mirabiliter approbavit, cum de eo scribit II. Cor. VIII: cujus laus est in evangelio per omnes ecclesias. — — — 3. Legitur in hystoria Antiochena, quod, dum christiani, qui erant in Antiochia, multis

flagitiis se dedissent, obsessi a multitudine Turcorum fame ac miseria multiplici affligebantur. Sed cum plene ad dominum per poenitentiam fuissent conversi, apparuit cuidam in ecclesia sanctae Mariae de Tripoli vigilanti vir quidam lucidus candidis vestimentis indutus, et cum quaereret, quisnam esset, dixit se esse Lucam, qui de Antiochia venerat, ubi dominus militiam coeli et apostolos et martires convocaverat, ut pro suis peregrinis pugnarent. Christiani igitur animati omnem Turcorum exercitum confregerunt.

CAP. CLVII. (152.)

De sancto Crisanto [1] et Daria.

Crisantus filius [2] Polimii viri illustrissimi, dum fidem Christi edoctus esset et a patre ad ydola revocari non posset, jussit eum pater in conclavi recludi et quinque puellas eidem, ut earum seducatur blanditiis, sociari. Qui cum orasset Deum, ne a fera pessima carnali, scilicet concupiscentia, superaretur, continuo praedictae puellae somno oppressae nec potum nec cibum sumere poterant, sed eductae exterius continuo haec sumebant. Tunc Daria virgo prudentissima Deae Vestae dicata rogatur, ut ad Crisantum introeat et eum Diis et patri restituat. Quae ingressa et a Crisanto de pompa vestium reprehensa respondit, se non propter pompam, sed ut Diis et patri eum lucrifaceret, sic indutam. Cum Crisantus iterum eam reprehenderet, cur pro Diis illos coleret, quos autores ipsorum flagitiosos saepe viros et impudicas feminas affirmarent, respondit Daria, philosophos per nomina hominum elementa sanxisse. Cui Crisantus: si unus terram ut Deam veneretur et alter ut rusticus aret, plus rustico quam veneranti exhibere probatur, et de mari et aliis similiter. Tunc Crisantus et Daria ab eo conversa sancti spiritus copula uniti et carnale matrimonium simulantes ad Christum plurimos convertebant. Nam et Claudium tribunum, qui prius ejus [3] tutor fuerat, cum uxore ejus et filiis et pluribus aliis militibus ad fidem converterunt. Crisantus igitur jussu Numeriani in foetidissimum carcerem recluditur, sed foetor in odorem suavissimum com-

---

1) Rec. omittunt voces: et Daria. 2) Ed. Pr. Pollim offert. 3) Alii: tortor.

mutatur. Daria autem lupanari traditur, sed leo ab amphitheatro fugiens ostiarius lupanaris efficitur. Mittitur igitur quidam, ut virginem corrumpat, sed a leone capitur et quasi innuens a sancta, quid de captivo fieri jubeat, sciscitatur. Quae praecepit, ne eum laederet, sed ad se venire permitteret. Qui mox conversus per urbem cucurrit et Dariam Deam esse clamare coepit. Mittuntur igitur venatores, ut leonem capiant, sed omnes a leone capiuntur et ante pedes virginis ponuntur et ab ea convertuntur. Tunc praefectus copiosum ignem jussit in introitu cellae mitti, ut leo cum Daria comburatur. Quod leo considerans timuit et rugiens a virgine licentiam accepit, ut nullum laedens, quo vellet, abiret. Cum ergo praefectus Crisanto et Dariae diversa poenarum supplicia irrogaret et nequaquam laedi valerent, tandem inviolati conjuges in foveam deponuntur et terra et lapidibus obruti Christo martires consecrantur, [1]) tempore Cari Narbonensis episcopi, qui coepit anno domini CCXI. Horum sollemnitas hic celebrius recolitur.

CAP. CLVIII. (153.)

De undecim millibus virginum.

1. Undecim millium virginum passio hoc ordine celebrata fuit. In Britannia namque rex christianissimus quidam fuit nomine Nothus vel Maurus, qui quandam filiam nomine Ursulam generavit. Haec mirabili morum honestate, sapientia et pulchritudine pollebat, ita quod ejus fama ubique volabat. Rex autem Angliae, cum nimis praepotens esset et multas nationes suo imperio subjugaret, audita hujus virginis fama beatum se per omnia fatebatur, si praedicta virgo suo unigenito copularetur. Juvenis etiam ad hoc plurimum aestuabat. Mittunt igitur solemnes nuntios ad patrem virginis, magnis promissionibus et blanditiis magnas adjicientes minas, si ad dominum suum vacui revertantur. Rex autem coepit plurimum anxiari, tum quia Christi fide insignitam cultori ydolorum tradere indignum duceret, tum quia ipsam nullatenus consentire cognosceret, tum quia regis ferocitatem plurimum formidaret. Ipsa autem

1) Ed. Pr. verba: tempore — CCXI. omittit.

divinitus inspirata patri suasit, ut praedicto regi assensum praeberet, ea tamen conditione proposita, ut ipse rex cum patre decem virgines electissimas sibi ad solatium traderet et tam sibi quam aliis mille virgines assignaret et comparatis trieribus inducias triennii sibi daret ad dedicationem suae virginitatis, et ipse juvenis baptizatus in his tribus annis in fide instrueretur, sapienti siquidem usus consilio, ut aut difficultate propositae conditionis animum ejus ab hoc averteret aut hac opportunitate praedictas virgines secum Deo dedicaret. At juvenis libenter hac conditione accepta apud *patrem* institit et protinus baptizatus accelerari cuncta, quae beata virgo praeceperat, imperavit. Pater autem puellae ordinavit, quod filia sua, quam valde diligebat, viros, quorum solatio tam ipsa quam ejus exercitus indigebat, in comitatu suo haberet. Undique igitur virgines confluunt, undique viri ad tam grande spectaculum currunt. Nam multi episcopi ad eas confluxerunt, ut secum *pergerent*, inter quos erat Pantulus Basileensis episcopus, qui eas usque Romam perduxit et inde reversus cum iis martirium suscepit. Sancta quoque Gerasina regina Siciliae, quae virum suum regem crudelissimum quasi de lupo fecerat agnum, soror [1])Macirisi episcopi et Dariae matris sanctae Ursulae, cum eidem pater sanctae Ursulae secretum per litteras intimasset, continuo inspirante Deo cum quatuor filiabus suis, Babilla, Juliana, Victoria et Aurea et parvulo suo Hadriano, qui amore sororum suarum ultro se peregrinationi ingessit, relicto regno in manu unius filii sui usque in [2])Britanniam navigavit. Cujus consilio virgines de diversis regnis colligebantur et earum semper ductrix existens cum iis tandem martirium passa est. Juxta condictum igitur virginibus, trieribus et sumtibus praeparatis commilitonibus suis regina secreta revelat et in novam militiam omnes conjurant. Nam modo belli praeludia inchoant, modo currunt modo discurrunt, interdum belli causa, plerumque fugam simulant omnique genere ludorum exercitatae nihil, quod animo occurrebat, relinquebant intactum, aliquando meridie, aliquando vix vespere redibant. Confluebant proceres et primates ad tam grande spectaculum et omnes admiratione et gaudio replebantur. Tandem cum Ursula omnes virgines ad fidem convertisset, sub unius diei spatio flante prospero vento ad portum Galliae, qui Tyella dicitur, et inde Coloniam devenerunt, ubi Ursulae angelus domini apparuit et praedixit, eas illuc integro

1) Rec. Matrisii legunt. 2) Manifesto Ed. Pr. ex glossa Angliam addit.

numero reversuras et coronas ibidem martirii percepturas. Inde igitur ad angeli admonitionem Romam tendentes ad urbem Basileam applicuerunt et ibidem relictis navibus Romam pedestres venerunt. Ad quarum adventum papa Cyriacus valde gavisus, cum ipse de Britannia oriundus esset et multas ibidem inter eas consanguineas haberet, cum omni clero ipsas summo cum honore suscepit. In ipsa autem nocte papae divinitus revelatur, eum cum ipsis virginibus palmam martirii percepturum. Quod apud se celans multas ex ipsis, quae adhuc baptizatae non fuerant, baptizavit. Verum cum opportunum tempus videret et anno uno et undecim hebdomatibus post Petrum ecclesiam decimus nonus rexisset, in conventu omnium propositum suum indicavit et coram omnibus et dignitati et officio resignavit. Sed cum omnes reclamarent et maxime cardinales, qui eum [1]) delirare putabant, eo quod relicta pontificatus gloria post quasdam mulierculas fatuas ire vellet, ille nullatenus acquiescens quendam virum sanctum, qui [2]) Ametos dictus est, loco suo in pontificem ordinavit, et quia sedem apostolicam invito clero reliquit, nomen ejus de catalogo pontificum idem clerus abrasit omnemque gratiam, quam sacer ille virginum chorus in curia Romana habuerat, a tempore illo amisit. Duo autem iniqui principes Romanae militiae, scilicet Maximus et Africanus, videntes magnam multitudinem virginum et quod multi multaeque ad eas confluerent, timuerunt, ne per eas nimis cresceret religio christianorum. Quapropter iter earum diligentius explorantes nuntios miserunt ad Julium cognatum suum principem gentis Hunnorum, ut educto contra eas exercitu ipsas, cum christianae essent, cum venirent Coloniam, trucidarent. Beatus igitur Cyriacus cum illa nobili virginum multitudine de urbe egressus est, secutus est autem ipsum Vincentius presbiter cardinalis et Jacobus, qui de Britannia patria sua in Antiochiam profectus archiepiscopatus dignitatem septem annis ibidem tenuit. Qui cum papam tunc temporis visitasset et jam urbem egressus de virginum adventu audiisset, concitus rediit et itineris ac passionis se iis socium fecit. [3]) Maurisius quoque Levicanae urbis episcopus, avunculus Babilae et Julianae, necnon et Follarius Lucensis episcopus et Sulpicius Ravennensis episcopus, qui tunc Romam advenerant, praedictis virginibus adhaeserunt. Ethereus quoque sponsus beatae Ursulae manens in Britannia per visionem

1) Ed. Pr. detrahere legit. 2) Ed. Pr. Metos legit. 3) Alii: Mauritius.

angelicam a domino admonetur, ut matrem suam hortaretur fieri christianam. Nam pater ejus Ethereus primo anno, quo christianus factus fuerat, mortuus est et filius ejus Ethereus eidem in regno successit. Cum autem sacrae virgines cum praedictis episcopis a Roma redirent, Ethereus a domino admonetur, ut protinus surgens sponsae suae occurrat, ut cum ea in Colonia martirii palmam accipiat. Qui divinis monitis acquiescens matrem suam baptizari fecit et cum ipsa et sorore sua parvula Florentina jam christiana necnon et Clemente episcopo ipsis virginibus obvians se ad martirium sociavit eisdem. Marculus quoque episcopus Graeciae et neptis sua Constantia, filia Dorothei regis Constantinopolitani, quae nubens cuidam adolescenti filio cujusdam regis, sed ante nuptias morte praevento, virginitatem suam domino vovit, per visionem admoniti Romam venerunt et praedictis virginibus ad martirium se junxerunt. Omnes igitur virgines cum praedictis episcopis Coloniam redierunt et ipsam jam ab Hunnis obsessam invenerunt. Quas barbari videntes super eas cum clamore nimio irruerunt et quasi lupi saevientes in oves totam illam multitudinem occiderunt. Cum autem ad beatam Ursulam caeteris jugulatis venissent, videns princeps ejus miram pulchritudinem, obstupuit et consolans eam super necem virginum promisit, quod eam sibi in conjugem copularet. Sed cum hoc illa penitus respuisset, ille contemtum se videns directa sagitta eam transfixit et sic martirium consummavit. Quaedam autem virgo nomine Cordula timore perterrita in navi nocte illa se abscondit, sed in crastinum sponte morti se offerens martirii coronam suscepit. Sed cum ejus festum non fieret eo, quod cum aliis passa non esset, ipsa post longum tempus cuidam reclusae apparuit praecipiens, ut sequenti die a festo virginum ejus quoque sollemnitas recolatur. Passae sunt anno domini CCXXXVIII. Ratio autem temporis, ut quibusdam placet, non sustinet, quod haec tali tempore sint peracta. Sicilia enim tunc non erat regnum nec Constantinopolis, cum hic fuisse dicatur cum virginibus has reginas. Verius creditur, quod diu post Constantinum imperatorem, cum Hunni et Gothi saeviebant, tale sit martirium celebratum, tempore scilicet Marciani imperatoris (ut in quadam chronica legitur), qui regnavit anno domini CCCCLII. — — — **2.** Abbas quidam ab abbatissa Coloniae corpus unius virginis impetravit, promittens, quod ipsum in capsa argentea in sua ecclesia collocaret, sed cum per annum integrum super altari eam in capsa lignea tenuisset, qua-

dam nocte, dum abbas ipsius monasterii cum suo conventu matutinas cantaret, virgo illa corporaliter desuper altari descendit et ante altare reverenter se inclinans per medium chorum videntibus monachis et stupentibus inde recessit. Abbas igitur ad capsam currens et vacuam ipsam inveniens Coloniam properavit et abbatissae rei ordinem intimavit, pergentesque ad locum, unde illud corpus sumserant, illud ibidem invenerunt. Cum abbas veniam petens illud vel aliud peteret, certissime promittens, capsam pretiosam citius se facturum, nullatenus impetravit. — — — **3.** Religiosus quidam, cum has virgines in devotione multa haberet, [1])quadam die, dum graviter infirmaretur, vidit quandam virginem pulcherrimam sibi apparentem et, si se cognosceret, inquirentem. Qui cum ad ejus visionem miraretur et se nequaquam ipsam cognoscere fateretur, illa ait: ego sum una virginum, erga quas tantum habes devotionis affectum, et ut inde mercedem accipias, si amore et honore nostri undecies millies dominicam orationem dixeris, in hora mortis in protectionem et solatium nos habebis. Qua disparente ille, quam citius potuit, haec implevit statimque vocato abbate inungi se fecit. Qui cum inungeretur, subito exclamavit, ut fugerent et venientibus sacris virginibus locum darent. Quem cum abbas, quid hoc esset, interrogaret et ille promissionem virginis sibi per ordinem enarrasset, recedentibus cunctis et paulo post redeuntibus ipsum migrasse ad dominum repererunt.

CAP. CLIX. (154.)

De sanctis Symone et Juda apostolis.

Symon interpretatur obediens vel ponens tristitiam. Hic habuit duplex cognomen. Dictus est enim Symon Zelotes et Symon Cananaeus a Cana vico Galilaeae, ubi dominus aquam in vinum mutavit, et idem est Zelotes, quod Cananaeus, Cana enim Zelus interpretatur. Habuit igitur obedientiam praeceptorum per exsecutionem, tristitiam afflictorum per compassionem, zelum animarum per constantem fervorem. Judas interpretatur confidens vel gloriosus, vel Judas quasi jubilum dans. Ipse enim habuit confessionem fidei, gloriam regni et jubi-

1) Ed. Pr. verba: quadam — infirmaretur omittit.

lum interni gaudii. Hic multiplex habuit cognomen, dictus est enim Judas Jacobi, supple frater; fuit enim frater Jacobi minoris. Secundo dictus est Thaddaeus, quod interpretatur apprehendens principem, vel dicitur Thaddaeus a [1]) thadea et deus. Thadea dicitur esse vestis regia. Ipse enim fuit vestis regia Dei per ornamentum virtutum, per quam apprehendit principem Christum. Vel Thaddaeus quasi tam Deus, id est magnus Deus, scilicet per adoptionem. Tertio dictus est in hystoria ecclesiastica Lebbaeus, quod sonat quasi cor vel corculus, id est cordis cultor, vel Lebbaeus, quasi lebes; cor per magnanimitatem, corculus per puritatem, lebes per gratiarum plenitudinem, quia quasi olla et vas virtutum et gratiae esse promeruit. Eorum passionem et legendam hebrayce Abdias episcopus Babyloniae ab ipsis apostolis episcopus ordinatus scripsit, quam [2]) Tropeus Abdiae discipulus transtulit in graecum, Africanus in latinum.

1. Symon Cananaeus et Judas, qui et Thaddaeus, *fratres fuerunt* Jacobi minoris et filii Mariae Cleophae, *quae Alpheo nupta* fuit. Judas vero ad [3]) Abgarum regem Edessae a Thoma missus fuit post ascensionem domini. Legitur enim in ecclesiastica hystoria, quod praedictus rex Abgarus domino nostro Jesu Christo in hunc modum epistolam destinavit. Abgarus rex Euchaniae filius Jesu salvatori bono, qui apparuit in locis Hierosolimorum, salutem: Auditum est mihi de te et sanitatibus, quas facis, quod sine medicamentis aut herbis fiant ista per te, et quod verbo facis caecos videre, claudos ambulare, leprosos mundari et mortuos reviviscere. Quibus omnibus auditis de te statui in animo meo unum esse de duobus, aut quia tu sis Deus et descenderis de coelo, ut haec facias, aut quod filius Dei sis, qui haec facis. Propterea ergo scribens rogaverim *te*, ut digneris fatigari usque ad me et aegritudinem meam, qua diu laboravi, curare. Nam et illud comperi, quod Judaei murmurant adversum te, volunt insidiari tibi. Veni ergo ad me, quia est mihi parva civitas, sed honesta, quae utrisque sufficiet. Dominus autem Jesus in haec verba sibi respondit: beatus es, qui credidisti in me, cum ipse non videris me. Scriptum est enim de me, quia hi, qui me non vident, credent, et hi, qui me vident, non credent. De eo autem, quod scripsisti ad me, ut veniam ad te, oportet me haec omnia complere, propter quae missus sum, et postea

---

1) Ed. Pr. tharea offert et verba: Ipse — regia omittit. 2) Ed. Pr. loco nominis: Tropeus legit: III. post. 2) Ed. Pr. male legit: Abagarum regem Edissae in homa missus post etc.

recipi me ab eo, a quo missus sum. Cum ergo assumtus fuero, aliquem de discipulis meis mittam ad te, ut curet te et vivificet te. Et haec in hystoria ecclesiastica. Videns autem Abgarus, quod praesentialiter Christum videre non posset (secundum quod in quadam antiqua hysteria invenitur, sicut Johannes Damascenus in libro IV. testatur) pictorem quendam ad Jesum misit, ut domini imaginem figuraret, ut sic ipsum saltem per imaginem conspiceret, quem in facie videre non poterat. Sed cum ad eum pictor venisset, propter nimium fulgorem, qui ab ejus facie procedebat, in ejus faciem clare nequibat videre vel intendere nec ipsam, ut sibi jussum fuerat, figurare. Quod cernens dominus, vestimentum linteum ipsius pictoris accipiens et suae faciei superimponens, sui ipsius imaginem eidem impressit ac desideranti regi Abgaro destinavit. Cujusmodi autem imaginis dominus fuerit, in eadem antiqua hystoria legitur (sicut idem Johannes testatur). Fuit enim bene oculatus, bene superciliatus, longum vultum habuit et fuit acclivis, quod est signum maturitatis. Illa autem epistola domini nostri Jesu Christi tantae virtutis esse dicitur, ut in illa civitate Edessa nullus haereticus vel paganus vivere valeat nec tyrannus aliquis eidem nocere praesumat. Nam si aliquando gens aliqua armata manu contra illam civitatem insurrexerit, infans aliquis super portam stans epistolam illam legit et ea die hostes aut territi fugiunt aut pacati cum iis componunt, sicut fertur olim fuisse adimpletum. Sed postmodum civitas a Saracenis capta fuit et profanata, sublato beneficio propter abundantiam peccatorum in oriente undique patefactam. Postquam vero dominus assumtus est (ut in hystoria ecclesiastica legitur), misit Thomas apostolus Thaddaeum, qui et Judas dictus est, ad Abgarum regem secundum Dei promissionem. Qui cum ad eum venisset et se discipulum Jesu sibi promissum dixisset, vidit Abgarus in vultu Thaddaei quendam mirum et divinum splendorem. Quo viso stupefactus et territus dominum adoravit dicens: vere discipulus es Jesu filii Dei, qui mihi dixerat, mittam aliquem ad te de discipulis meis, qui te curet et tibi vitam praestet. Cui Thaddaeus: si in Dei filium credideris, omnia tui cordis desideria obtinebis. Cui Abgarus: credo vere, et Judaeos, qui eum crucifixerunt, libenter trucidarem, si mihi possibilitas adesset et nequaquam Romanorum auctoritas impediret. Cum igitur Abgarus (ut in aliquibus libris legitur), leprosus esset, Thaddaeus epistolam salvatoris accepit et de ea ejus faciem confricavit et statim plenam sanita-

tem recepit. — — — 2. Judas autem postea in Mesopotamia et Ponto praedicavit, Symon vero in Aegypto. Deinde in Persidem ambo venerunt et ibidem duos magos, Zaroen et Arphaxat, quos Matthaeus de Aethiopia fugaverat, invenerunt. Tunc Baradach, dux regis Babyloniae, contra Indos ad proelium profecturus nullum a Diis suis potuit habere responsum. Pergentes autem ad fanum proximae civitatis ibidem habuerunt responsum, quod propter apostolos, qui venerunt, Dii respondere non possent. Tunc dux eos inquiri fecit et inventos, quinam essent vel qua de re venissent, inquisivit. Qui responderunt: si genus quaeris, hebraei sumus, si conditionem, servos Christi nos esse fatemur, si causam, salutis vestrae causa huc venimus. Quibus dux respondit: cum felix reversus fuero, audiam vos. Cui apostoli: modo magis congruum est, te cognoscere illum, cujus ope vincere possis, vel certe rebelles pacatissimos invenire. Quibus dux: Diis nostris potentiores vos video, finem belli nobis, rogo, praedicite. Cui apostoli: ut Deos tuos mendaces esse cognoscas, jubemus illos ad quaesita dare responsa, ut, dum dixerint, quae ignorant, probemus eos per omnia esse mentitos. Tunc phantastici grande bellum dixerunt futurum et multum populum hinc inde proelio ruiturum. Tunc apostoli ridere coeperunt. Dicit iis dux: me timor invasit, et vos ridetis? Cui apostoli: noli timere, quia pax huc nobiscum intravit, et cras hora diei tertia legati Indorum ad te venient et tuae se potestati cum pace subjicient. Tunc pontifices risum etiam levaverunt et duci dixerunt: ad hoc isti te securum reddere volunt, ut, dum incautus fueris, ab adversariis occuperis. Cui apostoli: non diximus tibi, exspecta unum mensem, sed unum diem, et cras in pace victor exsistes. Tunc dux utrosque custodiri fecit, ut ex rei exitu veraces honorarentur et mendaces pro crimine punirentur. Cum ergo in crastinum, quod apostoli praedixerant, evenisset et dux incendere voluisset pontifices, prohibuerunt apostoli, ne hoc fieret, cum ipsi non viventes occidere, sed mortuos vivificare missi essent. Tunc dux valde miratus, quod eos occidi non permitterent et quia de bonis illorum aliquid recipere nollent, eos ad regem duxit dicens: isti, rex, sunt Dii latentes in effigie hominum. Cumque sibi omnia praesentibus praedictis magis narrasset, zelo invidiae magi commoti dixerunt eos malignos esse et contra regnum subtiliter cogitare. Dixit iis dux: si audetis, cum iis [1]) confligite.

1) Ed. Pr. confligere offert.

Cui magi: si vis videre, quia nobis praesentibus loqui non poterunt, veniant huc viri eloquentissimi, et si coram nobis ausi loqui fuerint, nos per omnia imperitos probabis. Cum autem plurimi advocati adducti fuissent, continuo coram magis ita muti facti sunt, ut nec nutibus, quod loqui non poterant, indicarent. Dixeruntque magi ad regem: ut scias nos Deos esse, permittemus eos loqui, sed ambulare non posse, iterumque reddemus iis gressum, sed faciemus eos apertis oculis non videre. Qui cum haec omnia fecissent, dux advocatos illos turpiter confusos ad apostolos duxit. Quos cum advocati pannosos vidissent, eos in animo contemserunt. Quibus Symon: saepe evenit, ut intra scrinia aurea et gemmata vilia quaeque habeantur inclusa et intra vilissimas et ligneas capsas sint gemmarum monilia pretiosa composita. Quicumque ergo alicujus rei capit esse possessor, non magnopere [1]) gestatorium, sed ipsum, quod gestatur, exspectat. Promittite igitur, vos ab ydolorum cultura discedere et solum Deum invisibilem adorare, et nos signum crucis in frontibus vestris faciemus et magos confutare poteritis. Quod cum fecissent et in frontibus consignati essent, ad regem coram magis iterum ingressi sunt, et cum a magis superari non possent, imo ipsis coram omnibus insultarent, irati magi multitudinem serpentium advenire fecerunt, statimque ad jussum regis venientes apostoli pallia sua de serpentibus impleverunt et in magos projecerunt dicentes: in nomine domini non moriemini, sed a serpentibus lacerati dolorum vestrorum mugitus dabitis. Cum ergo serpentes carnes eorum comederent et ipsi tamquam lupi ulularent, rex et caeteri rogabant apostolos, ut eos a serpentibus occidi permitterent. Quibus apostoli responderunt: nos missi sumus reducere de morte ad vitam, non a vita praecipitare in mortem, et facta oratione jusserunt serpentibus, ut omne venenum, quod infuderant, revocarent et postmodum ad loca sua redirent. Majores autem cruciatus magi senserunt, cum venena serpentes retraherent, quam cum ante carnes comederent. Quibus apostoli dixerunt: tribus diebus dolores sentietis, tertia vero die sani eritis, ut vel sic a vestra malitia recedatis. Cum ergo tribus diebus sine cibo et potu ac somno doloribus nimium cruciati mansissent, apostoli venientes ad eos dixerunt: non dignatur dominus habere coacta servitia, ideoque surgite sani et abite habentes liberam facultatem faciendi, quae vultis. Illi autem in malitia perdurantes ab iis fugerunt et paene

1) Ed. Pr. gestatorum legit.

contra eos totam Babyloniam commoverunt. Post hoc filia cujusdam ducis ex fornicatione concepit et filium parturiens quendam sanctum dyaconum infamavit, qui eam violaverit et ex ipso conceperit. Cum autem parentes dyaconum occidere vellent, apostoli adveniunt et, quando puer natus sit, requirunt. Qui responderunt: hodie hora prima diei. Dixeruntque apostoli: infantem huc adducite et dyaconum, quem accusatis, huc etiam perducite. Quod cum factum esset, apostoli infanti dixerunt: dic, infans, in nomine domini, si iste dyaconus hoc praesumsit. Ad hoc infans: iste, inquit, dyaconus castus et sanctus est nec unquam carnem suam coinquinavit. Cum autem parentes puellae instarent, ut apostoli quaererent, quis auctor hujus sceleris fuisset, responderunt apostoli: nos innocentes absolvere decet, nocentes perdere non decet. Tunc etiam temporis contigit, ut duae tigrides ferocissimae, quae in singulis caveis clausae erant, fugerent et omnes, qui sibi occurrerent, devorarent. Tunc apostoli ad eas venerunt et in nomine domini eas velut oves mansuetas fecerunt. Volentibus autem apostolis inde discedere, rogati per annum et tres menses ibidem permanserunt, in quo spatio plus quam LX millia hominum exceptis parvulis cum rege et principibus baptizati sunt. Praedicti autem magi ad quandam civitatem nomine [1]) Samir, ubi erant LXX ydolorum pontifices, venerunt et eos contra apostolos concitaverunt, ut, cum illuc venissent, aut eos sacrificare compellerent aut penitus necarent. Perlustrata igitur universa provincia cum apostoli ad praedictam civitatem venissent, ecce praedicti pontifices cum universo populo eos capiunt et ad templum solis deducunt. Daemones autem per energumenos clamare coeperunt: quid nobis et vobis, apostoli Dei vivi? Ecce in ingressu vestro flammis exurimur. Tunc angelus domini iis apparens dixit: unum e duobus eligite, aut horum repentinum interitum aut vestrum martirium. Cui apostoli: [2])adoranda est Dei misericordia, ut et istos convertat et nos ad palmam martirii perducat. Facto autem silentio apostoli dixerunt: ut sciatis, quod haec ydola daemonibus plena sunt, ecce iis imperamus, ut exeant et singuli simulacra sua confringant. Statimque duo Aethiopes nigri et nudi cunctis stupentibus de simulacris exierunt et confractis illis cum diris vocibus abscesserunt. Quod videntes pontifices in apostolos irruerunt et eos protinus trucidarunt. In ipsa autem hora, cum nimia esset coeli serenitas, tanta fulgura exstiterunt, ut templum ipsum trifarie scinderetur et illi

1) Ed. Pr. Suamair et LXXX legit. 2) Quatuor voces seq. omittit Ed. Pr.

duo magi in carbones ictu fulguris verterentur. Rex autem corpora apostolorum ad suam urbem transtulit et in honorem eorum ecclesiam mirae magnitudinis fabricavit. De beato autem Symone pluribus locis invenitur, quod crucis patibulo sit affixus, quod etiam Ysidorus in libro de obitu apostolorum et Eusebius in hystoria ecclesiastica et Beda super actus apostolorum et magister Johannes Beleth in summa sua testantur. Cum enim, ut ajunt, in Aegypto praedicasset, Hierosolimam rediit et post mortem Jacobi minoris in episcopum Hierosolimitanum ab apostolis unanimiter est electus et ante mortem suam XXX mortuos suscitasse narratur. Unde cantatur de eo: ter denos mortuos fluctibus mersos humanae vitae reddidit. Cum autem ecclesiam Hierosolimitanam per annos multos rexisset et [1]) CXX annum ageret, tempore Trajani imperatoris, cum [2]) Atticus consularis Hierosolimis haberetur, ab eo capitur et injuriis multis afficitur. Ad ultimum in cruce ipsum affigi jussit, omnibus, qui aderant, et ipso judice mirantibus, ut CXX annorum senex crucis supplicium pertulisset. [3]) Nonnulli vero dicunt, sicut est rei veritas, quod non fuit iste Symon, qui crucis martirium pertulit et qui episcopus Hierosolimitanus fuit, sed fuit alius Symon filius Cleophae fratris Josephi, quod et Eusebius Caesareensis episcopus in sua chronica testatur. Idem dicunt Ysidorus et Beda in suis chronicis. Nam Ysidorus et Eusebius, quod prius dixerunt, postmodum in chronicis suis correxerunt, quod patet per Bedam, qui se hoc sensisse redarguit in retractationibus suis. Usuardus quoque in suo martirologio idem testatur.

CAP. CLX. (155.)
De sancto Quintino.

Quintinus genere nobilis et civis Romanus ad urbem Ambianum veniens et multa miracula faciens jussu Maximiani a praefecto urbis capitur et usque ad defectum caedentium verberatus carceri mancipatur, sed solvente eum angelo in mediam urbem ivit et ibi populo praedicavit. Unde iterum captus et in equuleo usque ad

1) Ed. Pr.: circa centesimum. 2) Ed. Pr.: Accitus. 3) Ed. Pr. verba: Nonnulli — fuit omittit.

ruptionem venarum distentus, nervis quoque crudis durissime caesus oleum, picem et adipem ferventissimum toleravit, et cum praesidem derideret, iratus calcem, acetum et sinapium in os ejus projecit. Sed cum adhuc immobilis permaneret et apud Veromandum adductus fuisset, duos clavos a capite usque ad crura et decem inter ungulas et carnem praeses infigens tandem eum decollari fecit. Cujus corpus in flumen projectum, cum per annos LV latuisset, a quadam matrona nobili Romana taliter repertum est. Nam dum assidue orationi vacaret, nocte ab angelo monita ad castrum Veromandum properare jubetur, ut in tali loco corpus sancti Quintini requireret et honorifice sepeliret. Cum igitur ad praedictum locum cum multo comitatu venisset et orationem ibidem funderet, corpus sancti Quintini incorruptum et redolens super fluvium protinus enatavit. Quod sepeliens pro sepulturae beneficio lumen oculorum recepit et ibidem aedificata ecclesia ad propria remeavit.

CAP. CLXI. (156.)

De sancto Eustachio.

Eustachius ante Placidus vocabatur. Hic erat magister militum Trajani imperatoris. Erat autem operibus misericordiae valde assiduus, sed tamen ydolorum cultui deditus. Habebat autem conjugem ejusdem ritus et misericordiae exsistentem duosque filios procreavit, quos juxta suam magnificentiam magnifice educari fecit, et quia operibus misericordiae sedulus insistebat, ad viam veritatis meruit illustrari. Quadam enim die, cum venationi insisteret, gregem cervorum reperit, inter quos unum caeteris speciosiorem et majorem conspexit, qui ab aliorum societate discedens in silvam vastiorem prosiliit. Verum aliis militibus circa cervos reliquos occupatis Placidus hunc toto nisu insequitur et ipsum capere nitebatur. Quem cum totis viribus insequeretur, cervus tandem super quandam rupis altitudinem conscendit et Placidus appropians, qualiter capi posset, animo sedulus revolvebat. Qui cum cervum diligenter consideraret, vidit inter cornua ejus formam sacrae crucis supra solis claritatem fulgentem et imaginem Jesu Christi, qui per os cervi, sicut olim per asinam Balaam, sic ei locutus est dicens:

o Placide, quid me persequeris? Ego tui gratia in hoc animali tibi apparui, ego sum Christus, quem tu ignorans colis; elemosinae tuae coram me adscenderunt et ob hoc veni et per hunc, quem venabaris, cervum ego quoque te ipse venarer. Alii tamen dicunt, quod ipsa imago, quae inter cornua cervi apparuit, haec verba protulit. Haec audiens Placidus nimio timore correptus de equo in terram procidit et post unam horam ad se rediens de terra surrexit et ait: revela mihi, quod loqueris, et sic credam in te. Et ait Christus: ego, Placide, sum Christus, qui coelum et terram creavi, qui lucem oriri feci et a tenebris divisi, qui tempora et dies et annos constitui, qui hominem de limo terrae formavi, qui propter salutem humani generis in terris in carne apparui, qui crucifixus et sepultus tertia die resurrexi. Haec audiens Placidus iterum in terram decidens ait: credo, domine, quia tu es, qui omnia fecisti et qui errantes convertis. Et dixit ad eum dominus: si credis, vade ad episcopum civitatis, et te baptizari facias. Cui Placidus: vis, domine, ut haec eadem uxori meae et filiis nuntiem, ut et ipsi pariter in te credant? Cui dominus: renuntia illis, ut et ipsi pariter tecum mundentur; tu quoque die crastina huc venias, ut tibi rursus appaream et, quae futura sunt, plenius tibi pandam. Cum ergo domum venisset et haec uxori in lecto renuntiasset, exclamavit uxor ejus dicens: domine mi, et ego eum transacta nocte vidi dicentem mihi, cras tu et vir tuus et filii tui ad me venietis, et nunc cognovi, quoniam ipse est Jesus Christus. Perrexerunt igitur ad episcopum Romae media nocte, qui eos cum magno gaudio baptizavit et Placidum Eustachium vocavit, ejus uxorem Theospitem et filios ejus Agapetum et Theospitum. Mane facto Eustachius, sicut prius, ad venationem processit et prope locum veniens milites suos quasi sub obtentu investigandae venationis dispersit stansque in loco formam primae visionis aspexit, cadensque in faciem suam dixit: supplico, domine, ut manifestes, quae promiseras servo tuo. Cui dominus: beatus es, Eustachi, qui accepisti lavacrum gratiae meae, quia modo dyabolum superasti modo eum, qui te deceperat, conculcasti, modo apparebit fides tua. Dyabolus enim eo, quod ipsum dereliqueris, contra te saeve armatur; oportet igitur te multa sustinere, ut accipias coronam victoriae; oportet te multa pati, ut de alta saeculi vanitate humilieris et rursus in spiritualibus divitiis exalteris. Tu ergo ne deficias nec ad gloriam pristinam respicias, quia per tentationes oportet te alterum Job

demonstrari. Sed cum humiliatus fueris, veniam ad te et in gloriam pristinam restituam te, dic ergo, si modo tentationes vis accipere aut in fine vitae. Dicit ei Eustachius: domine, si ita fieri oportet, modo nobis tentationes accidere jube, sed virtutem patientiae tribue. Cui dominus: constans esto, quia gratia mea custodiet animas vestras. Sicque dominus in coelum adscendit et Eustachius domum rediens haec uxori suae nuntiavit. Post paucos igitur dies mors pestifera cunctos servos et ancillas ipsius invasit et universos occidit; deinde post aliquod tempus omnes *equi et* omnia ejus pecora subito interierunt. Quidam autem scelesti ejus depraedationem videntes et per noctem in domum ejus irruentes cuncta, quae repererunt, asportarunt et domum totam auro et argento et rebus aliis spoliarunt et ipse cum uxore sua et filiis gratias agens nocte aufugit nudus. Qui ruborem verentes Aegyptum pergebant, totaque ejus possessio per rapinam malorum ad nihilum est redacta. *Rex autem* totusque senatus pro magistro militum tam strenuo multum dolebant, eo, quod de eo nullum indicium reperire poterant. Cum autem iter agerent, appropinquaverunt mari et invenientes navem super eam navigare coeperunt. Videns autem dominus navis uxorem Eustachii, quae pulchra esset nimis, ipsam plurimum habere desideravit, cum vero transfretasset, naulum ab eo exigebat, non habentibus vero illis, unde solverent, jussit pro naulo detineri uxorem, volens illam secum habere. Quod ut Eustachius audivit, nullatenus assentire voluit. Diu vero eo contradicente innuit dominus nautis suis, ut eum in mare praecipitarent, ut sic uxorem suam habere possent. Quod cum Eustachius comperisset, uxorem iis tristis reliquit et duos infantes accipiens ingemiscens ibat ac dicens: vaeh mihi et vobis, quia mater vestra alienigenae marito tradita est. Perveniensque ad quendam fluvium propter aquarum abundantiam non est ausus cum duobus filiis fluvium pertransire, sed uno circa ripam fluminis relicto alterum transportabat. Qui cum fluvium transvadasset, illum infantem, quem bajulaverat, super terram posuit et ad accipiendum alium festinavit. Cum autem circa medium fluminis pervenisset, ecce lupus concitus venit et infantem, quem deposuerat, rapiens in silvam aufugit. Qui de eo desperans ad alium festinavit. Sed cum abiret, leo venit et alium filium rapiens abiit. Unde eum consequi non valens, cum esset in medio fluminis, coepit plangere et capillos suos evellere, volens se in aquam projicere, nisi eum divina providentia continuisset. Pastores autem, videntes

leonem puerum vivum portantem, eum cum canibus insecuti sunt. Per divinam autem dispensationem leo puerum illaesum abjiciens recessit. Quidam insuper aratores post lupum inclamantes alium puerum de ejus faucibus incolumem liberarunt, utrique vero, scilicet pastores et aratores, de uno vico fuerunt et penes se pueros nutrierunt. Hoc vero Eustachius nesciebat, sed moerens ac plorans ibat dicens: heu mihi, quia ante, ut arbor, pollebam, sed modo penitus sum nudatus! Heu me, qui a multitudine militum circumdari solebam, sed nunc solus remanens nec filios sum concessus habere! Memini, domine, te mihi dixisse, quia oportet te tentari sicut Job, sed ecce plus aliquid in me fieri video, ille enim, etsi possessionibus nudatus fuerit, tamen stercus habuit, super quod sedere potuit, mihi autem nil horum remansit; ille amicos sibi compatientes habuit, ego immites feras habui, quae meos filios rapuerunt; illi uxor est relicta, a me vero ablata; da requiem, domine, tribulationibus meis et pone custodiam ori meo, ne declinet cor meum in verba malitiae et ejiciar a facie tua. Et haec dicens cum lacrymis ad quendam vicum abiit et data sibi mercede agros illorum hominum per annos XV custodivit, filii autem ejus in altero vico educati sunt nec se esse fratres sciebant. Dominus autem uxorem Eustachii conservavit nec illam ille alienigena cognovit, sed potius eam intactam dimittens vitam finivit. Imperator autem et populus Romanus plurimum ab hostibus molestabatur et recordatus Placidi, qui strenue contra ipsos hostes saepius dimicasset, de ejus subita mutatione plurimum tristabatur direxitque multos milites per diversas mundi partes, promittens omnibus, qui eum invenissent, multas divitias et honores. Duo autem ex militibus, qui aliquando Placido ministraverant, ad ipsum vicum, in quo degebat, venerunt. Quos Placidus de agro venire considerans, eos ex incessu protinus recognovit et veniens in memoriam dignitatis suae perturbari coepit ac dicere: domine, sicut istos, qui aliquando mecum fuerunt, praeter spem vidi, sic da, ut aliquando conjugem meam videre possim; nam de filiis scio, quod a feris comesti sunt. Venit autem ad eum vox dicens: confide, Eustachi, quia cito honorem tuum recuperabis et filios et uxorem recipies. Cum igitur militibus obviasset, ipsi eum minime cognoverunt, cumque eum salutassent, quaesierunt, si aliquem peregrinum nomine Placidum cum uxore et duobus filiis cognosceret. Ille autem se nescire professus est. Ad preces tamen ejus in hospitio

demonstrari. Sed cum humiliatus fueris, veniam ad te et in gloriam pristinam restituam te, dic ergo, si modo tentationes vis accipere aut in fine vitae. Dicit ei Eustachius: domine, si ita fieri oportet, modo nobis tentationes accidere jube, sed virtutem patientiae tribue. Cui dominus: constans esto, quia gratia mea custodiet animas vestras. Sicque dominus in coelum adscendit et Eustachius domum rediens haec uxori suae nuntiavit. Post paucos igitur dies mors pestifera cunctos servos et ancillas ipsius invasit et universos occidit; deinde post aliquod tempus omnes equi et omnia ejus pecora subito interierunt. Quidam autem scelesti ejus depraedationem videntes et per noctem in domum ejus irruentes cuncta, quae repererunt, asportarunt et domum totam auro et argento et rebus aliis spoliarunt et ipse cum uxore sua et filiis gratias agens nocte aufugit nudus. Qui ruborem verentes Aegyptum pergebant, totaque ejus possessio per rapinam malorum ad nihilum est redacta. Rex autem totusque senatus pro magistro militum tam strenuo multum dolebant, eo, quod de eo nullum indicium reperire poterant. Cum autem iter agerent, appropinquaverunt mari et invenientes navem super eam navigare coeperunt. Videns autem dominus navis uxorem Eustachii, quae pulchra esset nimis, ipsam plurimum habere desideravit, cum vero transfretasset, naulum ab eo exigebat, non habentibus vero illis, unde solverent, jussit pro naulo detineri uxorem, volens illam secum habere. Quod ut Eustachius audivit, nullatenus assentire voluit. Diu vero eo contradicente innuit dominus nautis suis, ut eum in mare praecipitarent, ut sic uxorem suam habere possent. Quod cum Eustachius comperisset, uxorem iis tristis reliquit et duos infantes accipiens ingemiscens ibat ac dicens: vaeh mihi et vobis, quia mater vestra alienigenae marito tradita est. Perveniensque ad quendam fluvium propter aquarum abundantiam non est ausus cum duobus filiis fluvium pertransire, sed uno circa ripam fluminis relicto alterum transportabat. Qui cum fluvium transvadasset, illum infantem, quem bajulaverat, super terram posuit et ad accipiendum alium festinavit. Cum autem circa medium fluminis pervenisset, ecce lupus concitus venit et infantem, quem deposuerat, rapiens in silvam aufugit. Qui de eo desperans ad alium festinavit. Sed cum abiret, leo venit et alium filium rapiens abiit. Unde eum consequi non valens, cum esset in medio fluminis, coepit plangere et capillos suos evellere, volens se in aquam projicere, nisi eum divina providentia continuisset. Pastores autem, videntes

leonem puerum vivum portantem, eum cum canibus insecuti sunt. Per divinam autem dispensationem leo puerum illaesum abjiciens recessit. Quidam insuper aratores post lupum inclamantes alium puerum de ejus faucibus incolumem liberarunt, utrique vero, scilicet pastores et aratores, de uno vico fuerunt et penes se pueros nutrierunt. Hoc vero Eustachius nesciebat, sed moerens ac plorans ibat dicens: heu mihi, quia ante, ut arbor, pollebam, sed modo penitus sum nudatus! Heu me, qui a multitudine militum circumdari solebam, sed nunc solus remanens nec filios sum concessus habere! Memini, domine, te mihi dixisse, quia oportet te tentari sicut Job, sed ecce plus aliquid in me fieri video, ille enim, etsi possessionibus nudatus fuerit, tamen stercus habuit, super quod sedere potuit, mihi autem nil horum remansit; ille amicos sibi compatientes habuit, ego immites feras habui, quae meos filios rapuerunt; illi uxor est relicta, a me vero ablata; da requiem, domine, tribulationibus meis et pone custodiam ori meo, ne declinet cor meum in verba malitiae et ejiciar a facie tua. Et haec dicens cum lacrymis ad quendam vicum abiit et data sibi mercede agros illorum hominum per annos XV custodivit, filii autem ejus in altero vico educati sunt nec se esse fratres sciebant. Dominus autem uxorem Eustachii conservavit nec illam ille alienigena cognovit, sed potius eam intactam dimittens vitam finivit. Imperator autem et populus Romanus plurimum ab hostibus molestabatur et recordatus Placidi, qui strenue contra ipsos hostes saepius dimicasset, de ejus subita mutatione plurimum tristabatur direxitque multos milites per diversas mundi partes, promittens omnibus, qui eum invenissent, multas divitias et honores. Duo autem ex militibus, qui aliquando Placido ministraverant, ad ipsum vicum, in quo degebat, venerunt. Quos Placidus de agro venire considerans, eos ex incessu protinus recognovit et veniens in memoriam dignitatis suae perturbari coepit ac dicere: domine, sicut istos, qui aliquando mecum fuerunt, praeter spem vidi, sic da, ut aliquando conjugem meam videre possim; nam de filiis scio, quod a feris comesti sunt. Venit autem ad eum vox dicens: confide, Eustachi, quia cito honorem tuum recuperabis et filios et uxorem recipies. Cum igitur militibus obviasset, ipsi eum minime cognoverunt, cumque eum salutassent, quaesierunt, si aliquem peregrinum nomine Placidum cum uxore et duobus filiis cognosceret. Ille autem se nescire professus est. Ad preces tamen ejus in hospitio

deverterunt et Eustachius iis serviebat. Et recolens pristinum statum suum lacrymas continere non poterat, egressus autem foras suam faciem lavit et iterum rediens iis serviebat. Illi vero considerantes ad invicem dicebant: quam similis est homo hic illi, quem quaerimus! Et respondens alter dixit: valde quidem similis est; consideremus igitur et si habet signum cicatricis in capite, quod sibi in bello accidit, ipse est. Et respicientes et signum videntes ipsum esse, quem quaerebant, protinus cognoverunt et insilientes et osculantes eum de uxore et filiis ejus sciscitati sunt. Qui dixit iis, quod filii mortui essent et uxor detenta. Vicini autem omnes quasi ad spectaculum concurrebant, dum milites virtutem ejus et primam gloriam praedicabant. Tunc milites praeceptum imperatoris ei exponunt et optimis vestimentis ipsum induunt. Post iter XV dierum ad imperatorem devenerunt, qui ejus adventum audiens protinus eidem occurrit et ipsum videns in oscula ejus ruit. Narravit quoque omnibus cuncta, quae sibi per ordinem accidissent, statimque ad magisterium militiae trahitur et idem, quod prius, officium exercere compellitur. Qui numeratis militibus et paucos contra tot hostes esse cognoscens jussit tirones colligi per omnes civitates et vicos. Contigit autem, illam terram, in qua filii ejus educati sunt, describi, ut darent duos tirones. Universi autem ejus loci incolae illos duos juvenes tamquam caeteris aptiores magistro militum consignarunt. Videns vero juvenes elegantes et morum honestate compositos, cum sibi plurimum placuissent, inter primos convivas suos ordinavit eosdem et sic profectus ad bellum subjectis hostibus exercitum suum tribus diebus in quodam loco, ubi uxor sua pauper hospita manebat, requiescere fecit. Illi vero duo adolescentes in tabernaculo matris suae nutu tamen Dei hospitati sunt, nescientes, quod mater sua esset, et sedentes circa meridiem et mutuo confabulantes exponebant sibi invicem de infantia sua. Mater vero eorum de contra sedens, quae ipsi referebant, attentius audiebat. Dicebat enim major minori: ego, dum infans essem, nihil aliud recolo, nisi quod pater meus magister militum erat et mater mea speciosa valde, duosque filios habuerunt, scilicet me et alium minorem me, qui et ipse speciosus valde erat, accipientesque nos egressi sunt de domo nocte ingressique sunt navem, nescio quo euntes. Cum autem de navi egrederemur, mater nostra, nescio quo modo, in mari relicta est, pater vero noster portans nos duos flens pergebat perveniensque ad quendam fluvium transivit cum fratre meo juniore et me super

ripam fluminis dereliquit. Cum autem reverteretur, ut me acciperet, lupus venit et illum infantem rapuit et, antequam ad me appropinquaret, leo de silva exiens me rapuit et in silvam deduxit. Pastores vero eruerunt me de ore leonis et nutritus sum in illa possessione, in qua et ipse scis, et non potui scire, quid factum sit de patre meo neque de infante. Haec audiens minor coepit flere ac dicere: per Deum, ut audio, frater tuus sum ego, quoniam et qui me educaverant, hoc dicebant, quod de lupo eruimus te. Et in amplexus ruentes osculabantur se invicem et fleverunt. Audiens haec mater eorum et considerans, quod eventum suum ita seriatim dixissent, diu apud se tractavit, si illi filii sui essent, altera autem die ad magistrum militum adiit et interpellavit eum dicens: deprecor te, domine, ut me ad patriam meam perduci jubeas, ego enim de terra Romanorum sum et peregrina hic sum. Et haec dicens vidit in eo signa mariti sui et eum cognoscens, cum se jam continere non posset, procidit ad pedes suos et ait: precor te, domine, ut exponas mihi pristinam vitam tuam, puto enim, quod tu sis Placidus magister militum, qui alio nomine diceris Eustachius, quem Placidum salvator convertit, qui talem et talem tentationem sustinuit, et cui uxor, quae ego sum, in mari ablata fuit, quae tamen ab omni corruptione servata sum, qui et duos filios scilicet Agapetum et Theospitum habuit. Haec audiens Eustachius et ipsam diligenter considerans uxorem suam recognovit et lacrimatus prae gaudio ipsam osculatus est glorificans Deum, qui consolatur afflictos. Tunc dicit ei uxor sua: domine, ubi sunt filii nostri? Et ait: a feris capti sunt. Et exposuit ei, quomodo perdidit illos. Et illa: gratias agamus Deo, puto enim, quod, quemadmodum Deus donavit nobis, ut inveniremus nos invicem, donabit etiam recognoscere filios nostros. Et ille: dixi tibi, quod a feris capti sunt. Et illa: hesterna die sedens in horto audivi duos filios juvenes sic et sic suam infantiam exponentes et credo, quod filii nostri sint; interroga igitur ab iis et dicent tibi. Et convocans eos Eustachius et audiens ab iis infantiam suam recognovit, quod filii sui essent, et amplectentes eos ipse et mater super eorum colla plurimum fleverunt et crebrius eos osculabantur. Omnis igitur exercitus plurimum gaudebat et de inventione eorum et de victoria barbarorum. Cum igitur rediret, contigit jam Trajanum obiisse et successisse ei pejorem in sceleribus Hadrianum, qui pro victoria obtenta et inventione uxoris et filiorum magnifice eos suscepit et

magnum convivium praeparavit. Altera autem die ad templum ydolorum processit, ut ibi sacrificaret pro victoria barbarorum. Videns vero imperator, quod Eustachius nec pro victoria nec pro inventione suorum sacrificare vellet, hortabatur, ut sacrificium immolaret. Cui Eustachius: ego Christum Deum colo et illi soli sacrifico. Tunc imperator ira repletus ipsum cum uxore et filiis in arena statuit et leonem ferocem ad eos dimitti fecit. Accurrens vero leo et demisso capite quasi eos sanctos adorans ab iis humiliter recessit. Tunc imperator bovem aeneum incendi fecit et eos ibidem vivos mitti mandavit. Orantes igitur sancti et se domino commendantes bovem intraverunt et ibidem domino spiritum reddiderunt, tertia autem die de bove sunt coram imperatore extracti. Ita penitus intacti inventi sunt, quod nec capillos nec quidquid eorum vapores incendii aliquatenus contigerunt. Christiani vero eorum corpora tulerunt et in loco celeberrimo recondentes ibidem oratorium construxerunt. Passi sunt autem sub Hadriano, qui coepit circa annum domini CXX calendis Novembr. vel secundum quosdam duodecim calendis Octobr.

CAP. CLXII. (157.)
De omnibus sanctis.

Omnium sanctorum festivitas quatuor de causis instituta fuisse videtur: primo propter cujusdam templi dedicationem, secundo propter omissorum suppletionem, tertio propter negligentiarum expiationem, quarto propter faciliorem orationum nostrarum impetrationem. Primo igitur instituta est propter cujusdam templi dedicationem. Romani enim, cum universo orbi dominarentur, quoddam templum maximum construxerunt, in cujus medio suum ydolum collocantes omnium provinciarum simulacra per circuitum statuerunt, respicientia rectis vultibus ydolum Romanorum. Si quando autem aliqua provincia rebellaret, continuo, ut ajunt, arte dyabolica illius provinciae simulacrum ydolo Romanorum posteriora volvebat, tanquam innuens, quod ab ejus dominio recessisset. Conciti igitur Romani ad illam provinciam copiosum exercitum destinabant et ipsam dominio suo subjugabant. Verum non suffecit Romanis, quod

omnium provinciarum simulacra in urbe sua haberent, quin potius fere singulis Diis templa singula construxerunt, tamquam qui eos cunctarum provinciarum victores et dominos effecissent. Sed quia omnia ydola templum ibidem habere non poterant, ad majorem suae vesaniae ostentationem unum templum caeteris mirabilius et sublimius in honorem Deorum omnium erexerunt et pantheon, quod sonat: toti Dii, vocaverunt a pan, quod est totum, et theos Deus. Pontifices enim ydolorum ad majorem populi deceptionem finxerunt, quod sibi a Cybele, quam omnium Deorum matrem vocabant, fuerit imperatum, ut, si de omnibus gentibus vellent victoriam obtinere, filiis suis templum magnificum fabricarent. Fundamentum autem ipsius templi [1]) sphaericum jacitur, ut ex ipsa forma Deorum aeternitas demonstretur, sed, quia latitudo testudinis insustentabilis videbatur, cum supra terram in aedificio aliquantulum processissent, totum intus terra replebant, simul, ut dicitur, cum terra denarios jacientes, et sic fecerunt, quousque praedictum templum est mirabiliter consummatum. Tunc data licentia, ut, quicunque terram asportare vellet, tota, quam in ipsa terra invenisset, pecunia sua esset, festine turba properat et ipsum templum cito evacuat. Denique Romani [2]) pinnam aeneam et deauratam fabricant et in summitate collocant. Ajunt quoque, quod in hac omnes provinciae mirabiliter sculptae erant, ita ut, quicumque Romam venisset, versus quo esset sua provincia, scire posset. Haec autem procedente tempore inde cecidit, unde et in praedicto templo in summitate apertura remansit. Tempore igitur [3]) Phocae imperatoris, cum jam dudum Roma fidem domini recepisset, Bonifacius papa quartus a magno Gregorio circa annos domini DCV praedictum templum a Phoca imperatore impetravit et omnium ydolorum eliminata spurcitia ipsum templum IV Idus Maji in honore beatae Mariae et omnium martirum consecravit ac locum sanctae Mariae ad martires appellavit, qui nunc sancta Maria rotunda a populo appellatur. Nondum enim confessorum sollemnia ab ecclesia agebantur, sed quia ad hoc festum multitudo maxima confluebat et propter defectum victualium celebrationi vacare non poterant, ideo quidam papa Gregorius hoc festum in calendis Novembris, quando major victualium copia videtur esse, messibus et vindemiis celebratis fieri instituit ac per universum mundum hunc diem in honore omnium sanctorum celebrari sollemniter ordinavit, et sic

1) Vulgo: spericum. 2) Vulgo: pineam. 3) Ed. Pr. Vocae.

templum, quod fabricatum fuerat omnibus ydolis, nunc dedicatum est omnibus sanctis, et ubi multitudo colebatur ydolorum, ibi devote laudatur multitudo sanctorum. Secundo instituta est propter omissorum suppletionem; nos enim multos sanctos omisimus, de quibus nullam festivitatem sive etiam memoriam fecimus. Non enim possumus omnium sanctorum festa agere tum propter sanctorum multiplicationem, quia multi et quasi infiniti sunt, tum propter nostram infirmitatem, quia infirmi et debiles sumus nec ad hoc sufficere possemus, tum propter temporis brevitatem, quia etiam tempus non sufficeret. Nam, sicut ait Hieronymus in epistola, quae in suo calendario praeponitur, nullus dies est, excepto die calendarum Januariarum, qui non intra V millium martirum numerum reperiri posset adscriptus, ideoque ecclesia rationabiliter ordinavit, ut, quia omnium sanctorum singulariter festa facere non possumus, saltem omnes generaliter et insimul honoremus. Quare autem institutum sit, ut festivitates sanctorum in terris agamus, magister Guillermus Altissiodorensis in summa de officio ponit sex rationes. Prima est propter honorem divinae majestatis; cum enim sanctis honorem impendimus, Deum in sanctis honoramus et ipsum in iis mirabilem praedicamus, quia, qui sanctis honorem tribuit, illum specialiter honorat, qui eos sanctificavit. Secunda est propter auxilium nostrae infirmitatis; quia enim per nos salutem habere non possumus, ideo sanctorum intercessionibus indigemus, a quibus ut adjuvari mereamur, merito ipsos honorare debemus. Legitur enim III. Reg. I., quod Bersabeae, quod interpretatur puteus [1])satietatis, id est ecclesia triumphans, filio suo, id est ecclesiae militanti, regnum suis precibus obtinuit. Tertia est propter augmentum nostrae securitatis, ut scilicet per sanctorum gloriam, quae nobis in eorum festivitate proponitur, nostra spes et securitas augmentetur; si enim homines mortales nobis similes potuerunt ita per sua merita sublimari, constat, quod nos similiter poterimus, cum manus domini abbreviata non sit. Quarta est propter exemplum nostrae imitationis; cum enim eorum festivitas recensetur, ad eorum imitationem provocamur, ut scilicet eorum exemplo terrena contemnamus et coelestia desideremus. Quinta est propter debitum mutuae vicissitudinis; sancti enim de nobis in coelo festum faciunt, gaudium enim est angelis Dei et animabus sanctis super uno peccatore poenitentiam agente. Ut igitur iis vicissitudinem rependamus,

1) Recent. male legunt: societatis.

justum est, ut, quia ipsi de nobis festum agunt in coelis, et nos de ipsis festum agamus in terris. Sexta est propter procurationem nostri honoris; cum enim sanctos honoramus, tunc nostram rem agimus et nostrum honorem procuramus, quia eorum festivitas est nostra dignitas. Nam cum honoramus fratres nostros, et honoramus nos ipsos, caritas namque facit omnia esse communia; omnia quidem nostra sunt coelestia, terrestria et aeterna. Praeter autem has rationes ponit alias rationes Johannes Damascenus L. IV. cap. VII., quare scilicet sancti et pariter eorum corpora sive eorum reliquiae debeant honorari, quarum quaedam sumuntur quantum ad eorum dignitatem, quaedam quantum ad corporum ipsorum pretiositatem. Dignitas autem eorum, ut ibidem dicit, quadruplex est, quoniam ipsi sunt amici Dei, filii Dei, haeredes Dei et duces nostri. Et ponit istas auctoritates, de primo Johannes XV: jam non dicam vos servos, sed amicos etc., de secundo Joh. I: dedit potestatem filios Dei fieri, de tertio Rom. VIII: si autem filii et haeredes etc., de quarto sic dicit: quantum laborares, ut ducem invenires, qui mortali te regi adduceret et pro te ad ipsum sermonem faceret. Duces igitur generis totius humani, qui ad Deum pro nobis interpellationes faciunt, nonne honorandi sunt? utique quidem honorandi sunt templa erigentes Deo et eorum memoriam venerantes. Aliae sumuntur quantum ad corporum ipsorum pretiositatem et ponit idem Damascenus quatuor et Augustinus addit quintum, per quod manifestatur pretiositas corporum sive reliquiarum sanctorum. Ipsa enim sanctorum corpora fuerunt promtuarium Dei, templum Christi, alabastrum spiritualis unguenti, fontes divini et organum spiritus sancti. Primo enim fuerunt promtuarium Dei, unde dicit: hi enim promtuaria Dei pura coenacula facti sunt. Secundo templum Christi, unde sequitur, quoniam per intellectum in corporibus eorum habitavit Deus, ut ait apostolis: nescitis, quoniam corpora vestra templum inhabitantis in vobis spiritus sancti sunt? Deus autem spiritus est; qualiter igitur non honoranda animata templa Dei et animata Dei tabernacula etc.? De hoc etiam Chrysostomus: homo in aedificatione parietum delectatur, Deus autem in conversatione sanctorum, unde Psalm.: domine, dilexi decorem domus tuae. Quem decorem? Non quem diversitas marmorum splendentium facit, sed quem praestat varietas viventium gratiarum. Ille decor carnem delectat, iste vivificat animam, ille pro tempore dejicit et decipit oculos, iste autem in perpetuum aedificat intellectum. Tertio

alabastrum spiritualis unguenti, unde ait: unguentum boni odoris ex se manans sanctorum reliquiae tribuentes, et nullus hoc [1]) discredat. Si enim ex rupe et firma petra aqua in eremo emanavit et ex maxilla asini Samsoni sitienti aqua venerat, multo potius ex martirum reliquiis unguentum bene olens emanare incredibile nequaquam est sitientibus divinam Dei virtutem [2]) sanctorum, qui ab ipso est, honorem. Quarto fontes divini; unde ait: isti viventes in veritate cum libera praesentia Deo assistunt. Fontes nobis salutares dominator Christus sanctorum suorum praebuit reliquias multiformia beneficia *irrigantes*. Quinto organum spiritus sancti. Hanc rationem assignat *Augustinus* in libro de civitate Dei dicens: non sunt contemnenda, sed plurimum reverenda sanctorum corpora, quibus, dum adhuc viverent, spiritus sanctus quasi quibusdam organis ad omne opus bonum usus est. Unde apostolus: an experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? Et de Stephano dicitur, quod *non poterant* resistere sapientiae et spiritui, qui loquebatur etc. *Item Ambrosius in* Hexaëmeron: hoc est pretiosissimum, quod homo divinae vocis sit organum et corporalibus labiis exprimit coeleste oraculum. Tertio instituta est propter negligentiarum [3]) expiationem. Licet enim paucorum sanctorum festa agamus, adhuc tamen illa pauca negligenter saepe agimus et multa ibidem per ignorantiam vel negligentiam omittimus. Si quid igitur in aliis sollemnitatibus sanctorum, quas egimus, neglexímus, in hac generali festivitate supplere possumus et de negligentia nos purgare valemus. Haec ratio tangi videtur in sermone, qui hac die per ecclesias recitatur, in quo sic dicitur: decretum est, ut hac die sanctorum omnium memoria habeatur, ut, quidquid humana fragilitas per [4]) ignorantiam vel per *negligentiam* seu per praeoccupationem rei singularis in sollemnitatibus sanctorum minus plene peregisset, in hac sancta observatione solvatur. Notandum autem, quod quadruplex est differentia sanctorum novi testamenti, quos per anni circulum colimus et quos hodierna die insimul recolligimus, ut ea, quae negligenter fecimus, suppleamus, scilicet apostoli, martires et confessores et virgines, et hi secundum Rabanum per quatuor mundi partes significantur, per orientem apostoli, per meridiem martires, per aquilonem confessores, per occidentem virgines. Prima igitur differentia est apostolorum, quo-

---

1) Ed. Pr. decredat legit. 2) Rec. ad ipsorum sanctorum honorem. 3) Ed. Pr. expositionem. 4) Ed. Pr. omittit verba ignorantiam — rei et loco adj. singularis legit secularis.

rum dignitas et excellentia manifestatur ex eo, quod omnes alios sanctos in quatuor excedunt. Primo in praeeminentia dignitatis; ipsi enim sunt sapientes principes ecclesiae militantis, potentes assessores aeterni judicis, dulces pastores dominici gregis. Bernardus: tales decebat humani generis pastores et doctores constitui, qui et dulces essent et potentes essent et sapientes, dulces, ut me blande et misericorditer susciperent, potentes, ut fortiter protegerent, sapientes, ut ad vitam et per viam ducerent, quae perducit ad civitatem supernam. Secundo in praeeminentia potestatis, de quorum potestatis praeeminentia sic dicit Augustinus: apostolis Deus dedit potestatem super naturam, ut eam curarent, super daemones, ut eos everterent, super elementa, ut ea mutarent, super animas, ut ipsas a peccatis solverent, super mortem, ut ipsam contemnerent, super angelos, ut corpus dominicum consecrarent. Tertio in praerogativa sanctitatis; unde propter eorum maximam sanctitatem et [1]) gratiarum plenitudinem vita et conversatio Christi in iis tamquam in speculo relucebat et cognoscebatur in iis sicut sol in suo splendore, sicut rosa in suo odore, sicut ignis in suo calore. De hoc dicit Chrysostomus super Matthaeum: misit Christus apostolos, quasi sol radios suos, quasi rosa suavitatis suae odorem, quasi ignis scintillas suas dispersit, ut, sicut sol in radiis suis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis adspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia cognoscatur. Haec Chrysostomus. Quarto in efficacia utilitatis; de quorum efficacia sic dicit Augustinus loquens de apostolis: [2]) ex abjectissimis, ex imperitissimis, ex paucissimis nobilitantur, illuminantur, multiplicantur dulcissima eloquia, praeclarissima ingenia, copiosissima agmina, mirabilesque peritias auctorum facundorum atque doctorum subjugant Christo. Secunda differentia est martirum, quorum dignitas et excellentia manifestatur ex eo, quod passi sunt multipliciter, utiliter et constanter. Multipliciter, quoniam praeter martirium sanguinis passi sunt triplex aliud martirium sine sanguine. De quo triplici martirio dicit Bernardus: triplex est martirium sine sanguine, scilicet parcitas in ubertate, quam habuit David, largitas in paupertate, quam exhibuit Tobias et vidua, castitas in juventute, qua usus est Joseph in Aegypto. Secundum autem Gregorium triplex est martirium sine sanguine,

1) Alii legunt: justitiam, plenitudinem, vitam ut. 2) Ed. Pr. brevius haec ita legit: et abjectissimis et paucissimis nobilitantur.

scilicet patientia adversorum, unde dicit: sine ferro martires esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus; compassio afflictorum, unde dicit: qui dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente; dilectio inimicorum, unde dicit: ferre contumelias, odientem diligere, martirium est in occulta cogitatione. Secundo utiliter; quae utilitas ex parte ipsorum martirum est omnium peccatorum remissio, meritorum cumulatio et aeternae gloriae perceptio. Ista pretio sui sanguinis sibi emerunt et ideo eorum sanguis dicitur pretiosus, id est pretio plenus. De *primo* et secundo dicit Augustinus de civitate Dei: quid est pretiosius quam mors, propter quam delicta remittuntur et merita cumulantur. Idem super Johannem: pretiosus est sanguis Christi sine peccato, fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinem in pretium. Nam si servorum sanguinem non faceret pretiosum, non diceretur pretiosa in conspectu *domini etc. Item* Cyprianus: martirium est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiae magister, domus vitae. De tertio Bernardus: tria sunt, quae mortem sanctorum faciunt pretiosam, quies a labore, gaudium de novitate, securitas de aeternitate. Ex parte nostra duplex est utilitas, quia dati sunt nobis in exemplar ad certandum. Chrysostomus: tu christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare, exerce vires fortiter, dimica atrociter, in proelio isto concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum, quod spopondisti, conditionem, quam assumsisti, militiam, cui nomen dedisti. Hoc enim pacto cuncti pugnaverunt, hac conditione universi vicerunt, hac militia triumphaverunt. Haec Chrysostomus. Secundo dati sunt nobis in patronos ad auxiliandum, adjuvant enim nos et meritis suis et orationibus suis. De primo Augustinus: o immensa Dei pietas, martirum merita nostra vult esse suffragia, illos examinat, ut nos erudiat, illos conterit, ut nos acquirat, illorum cruciatus nostros vult esse profectus. De secundo Hieronymus contra Vigilantium: si apostoli et martires adhuc in corpore positi possunt orare pro caeteris, quando de se adhuc deberent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos! Unus homo Moyses impetravit veniam a Deo sexcentis millibus armatorum et Stephanus [1])Paulo et multis aliis veniam obtinuit; sed post-

1) Ed. Pr. haec ita legit: St. veniam deprecatur et — coeperunt, minus valebant.

quam cum Christo esse coeperunt, multo magis possunt. Paulus apostolus CCLXXVI sibi dicit in navi animas condonatas, et postquam resolutus coepit esse cum Christo, [1])multo magis potest? Tertio constanter, Augustinus: framea est anima martiris splendida caritate, acuta veritate, Dei pugnantis vibrata virtute, quae bella fecit, quae contradicentium catervas redarguendo superavit, percussit infestos, prostravit adversos. Item Chrysostomus: torti torquentibus fortiores steterunt [2])ac laniantes ungulas laniata membra vicerunt. Tertia differentia est confessorum, quorum dignitas et excellentia manifestatur ex eo, quod Deum confessi sunt tribus modis, scilicet corde, ore et opere. Confessio autem cordis non sufficit sine confessione oris, sicut probat Chrysostomus super Matthaeum quatuor rationibus. Quantum ad primam sic dicit: radix confessionis fides est cordis, confessio autem fructus est fidei; sicut ergo, quamdiu radix est viva in terra, necesse est, ut aut ramos producat aut folia, si autem non produxerit, sine dubio intellige, quia radix ejus in terra siccata est, sic quamdiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore, si autem confessio marcida fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis ejus jam ante siccata est. Quantum ad secundam sic dicit: si tibi prodest corde credere et coram hominibus non confiteri, ergo et infideli hypocritae confiteri Christum prodest, etiamsi corde non credat; si autem ille nihil proficit sine fide confitens, nec tu proficis credendo sine confessione. Quantum ad tertiam sic dicit: et si sufficit Christo, quia cognoscis eum, etiamsi confessus eum non fueris coram hominibus, ergo et tibi sufficiat, quia cognoscit te Christus, etiamsi confessus non fuerit te coram Deo; si autem tibi non sufficit cognitio ejus, nec illi sufficiet fides tua. Quantum ad quartam sic dicit: si enim sufficeret fides cordis, cor tantummodo tibi Deus creasset, nunc autem et os tibi creavit, ut corde credas et ore confitearis. Tertio confessi sunt Deum opere. Qualiter autem quis Deum opere confiteatur aut neget, ostendit Hieronymus super illud in originali: confitetur se Deum nosse dicens: Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo, et quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis,

---

1) Tunc ora clausurus est Ed. Pr. praefert. 2) Ed. Pr. pessime offert: acclamantes ungulas.

totiens Deum negamus, et e converso, quotiens bene quid agimus, Deum confitemur. Quarta differentia est virginum, quarum dignitas et excellentia manifestatur primo, quia ipsae sunt sponsae aeterni regis, Ambrosius: pulchritudinem quis potest majorem existimare decore ejus, quae amatur a rege, probatur a judice, dedicatur a Deo, semper sponsa, semper innupta? Secundo quia comparantur angelis, Ambrosius: virginitas conditionem humanae naturae supergreditur, per quam homines angelis sociantur, major tamen est victoria virginum quam angelorum; angeli enim sine carne vivunt, virgines vero in carne triumphant. Tertio quia illustriores sunt fidelibus universis, unde Cyprianus: virginitas est flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago, rursus ad sanctimoniam Dei illustrior portio gregis Christi. Quarto quia praeferuntur conjugatis; haec autem excellentia, quam habet virginitas respectu copulae conjugalis, patet ex multiplici comparatione ad illam; illa enim impraegnat ventrem, ista mentem, Augustinus: generosus eligit in carne vitam jam imitari angelorum, quam in carne numerum augere mortalium. Est autem uberior feliciorque foecunditas non ventre gravescere, sed mente grandescere; illa parturit filios doloris, ista filios gaudii et exsultationis, Augustinus: ipsa continentia nequaquam sterilis est, sed foecunda mater filiorum gaudiorum de marito te, domine. Illa filiis replet terram, ista coelum, Hieronymus: nuptiae terram implent, virginitas paradisum. Illa autem est multae sollicitudinis, ista quietis, Gilbertus: virginitas est curarum silentium, pax carnis, redemtio vitiorum, principatus virtutum. Illa est bonum, ista melius, Hieronymus ad Pammachium: tantum est inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et beatificare; imo, ut levius dicam, quantum inter bonum et melius. Illa comparatur spinis, ista rosis, Hieronymus ad Eustochium: laudo nuptias, sed quia mihi virgines generant, [1]) lego de spinis rosam, de terra aurum, de [2]) concha margaritam. Quinto, quia multis gaudent privilegiis. Ipsae namque virgines coronam aureolam habebunt, canticum solae cantabunt, vestimentis eisdem cum Christo gaudebunt, post ipsum agnum semper ambulabunt Quarto et ultimo instituta est propter faciliorem orationum nostrarum impetrationem, ut, sicut omnes sanctos universaliter hac die honoramus, sic et ipsi omnes pro

1) Ed. Pr. Leo legit. 2) Ed. Pr. concavo praefert.

nobis insimul intercedant, ut sic Dei misericordiam facilius impetremus. Si enim impossibile est, multorum preces non exaudiri, constat, quia impossibile valde erit, omnium sanctorum pro nobis orantium preces non exaudiri. Haec ratio in oratione tangitur, cum dicitur: desideratam nobis tuae propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Intercedunt enim sancti pro nobis merito et affectu; merito, dum nobis eorum merita suffragantur, affectu, dum vota nostra cupiunt adimpleri, quod tamen non faciunt, nisi voluntatem Dei noverint adimplendam. Quod autem in hac die omnes sancti ad intercedendum universaliter pro nobis conveniant, ostenditur in quadam visione, quae sequenti anno ab hujus sollemnitatis institutione contigisse narratur. Cum enim in hac die custos ecclesiae sancti Petri ex devotione omnia altaria circuisset et omnium sanctorum suffragia implorasset et demum ad altare sancti Petri rediisset, ibi paululum requiescens extra se rapitur et ecce vidit regem regum in sublimi solio consistentem et omnes angelos in ejus circuitu commorantes. Tunc virgo virginum in dyademate praefulgenti advenit, quam innumerabilis multitudo virginum et continentium sequebatur. Huic rex protinus assurrexit et posito solio juxta se sedere fecit. Post hoc advenit quidam vestitus de pilis camelorum, quem sequebatur multitudo venerabilium seniorum; deinde advenit et alius pontificali habitu decoratus, quem aliquorum chorus in habitu consimili sequebatur, postea vero processit innumerabilis multitudo militum. Post quos advenit turba diversarum gentium infinita. Omnes igitur ante regis solium advenerunt et ipsum flexis genibus adorarunt. Is autem, qui in pontificali habitu erat, matutinas caeteris prosequentibus inchoavit, angelus autem, qui praedictum custodem ducebat, eidem visionem exposuit, asserens virginem in prima acie matrem Dei esse, vestitum de pilis camelorum Johannem baptistam cum patriarchis simul et prophetis, pontificali ornatum habitu Petrum cum caeteris apostolis, milites martires, turbam reliquam confessores. Qui ideo omnes ante regem venerant, ut pro honore sibi hac die a mortalibus exhibito gratias agerent et pro orbe universo orarent. Deinde ad locum alium ipsum duxit et utriusque sexus homines, alios in stratis aureis, alios in mensis gaudentes diversis deliciis, alios nudos et inopes auxilium mendicantes ostendit. Dixit autem hunc locum purgatorium esse, abundantes vero animas illas esse, quibus ab amicis per multa suffragia copiose subveniebatur, egentes vero

esse, quorum cura nullatenus habebatur. Jussit ergo, ut omnia summo pontifici intimaret, ut post festum omnium sanctorum diem statueret animarum, ut saltem generalia suffragia pro illis illa die fierent, qui specialia habere nequirent.

CAP. CLXIII. (158.)

De commemoratione [1]) animarum.

Commemoratio omnium fidelium defunctorum hoc die in ecclesia fieri instituta est, ut generalibus beneficiis adjuventur, qui specialia habere non praevalent, sicut in praedicta revelatione monstratum est. Ait quoque Petrus Damiani, quod sanctus *Odilo* abbas Cluniacensis comperiens, quod apud Vulcanum *Siciliae* crebro voces et ululatus daemonum audiebantur plangentiumque animae defunctorum per elemosinas et orationes de eorum manibus eripiebantur, in suis monasteriis ordinavit, ut post festum omnium sanctorum fieret commemoratio defunctorum. Quod fuit post ab omni ecclesia approbatum De duobus autem hic specialiter videri potest, primo de ipsis purgandis, secundo per quos purgantur, tertio, ubi purgantur. Illorum autem, qui purgantur, tria sunt genera. Primi, qui satisfactione sibi injuncta nondum completa decedunt. Verumtamen si tantam haberent cordis contritionem, quae sufficeret ad delendum peccatum, liberi ad vitam transirent, etiamsi satisfactionem minime complessent, quia contritio est maxima pro peccato satisfactio et maxima peccati deletio. Hieronymus: apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia tam ciborum, quam mortificatio vitiorum. Sed qui non adeo conteruntur et ante completionem poenitentiae moriuntur, igne purgatorii gravissime puniuntur, nisi forte eorum satisfactio ab aliquibus caris suis perficienda assumatur. Ad hoc tamen, quod praedicta commutatio valeat, quatuor requiruntur. Primum est ex parte commutantis, scilicet ejus auctoritas, quia de sacerdotis auctoritate debet fieri. Secundum est ex parte illius, pro quo fit commutatio, scilicet ejus necessitas; quia in tali statu debet esse, quod pro se

---

1) Rec. libri offerunt: De commemoratione omnium fidelium defunctorum.

satisfacere non valeat, sed adjuvari indigeat. Tertium est ex parte illius, in quem fit commutatio, scilicet caritas, quia necesse est ipsam esse in caritate, qui faciat ipsam satisfactionem esse meritoriam et satisfactoriam. Quartum est ex parte poenae, scilicet debita proportionabilitas, ut videlicet minor poena commutetur in majorem, quia plus satisfacit Deo poena propria quam aliena. Est enim triplex poena, scilicet propria et voluntaria, et haec maxime satisfacit. Secunda est propria et non voluntaria, quae est in purgatorio. Tertia est voluntaria, sed non propria, sicut est in praedicta commutatione, et haec minus satisfacit, quam prima, ex eo, quod non est propria, et magis quam secunda, ex eo, quod est voluntaria. Verumtamen si iste, pro quo satisfactio est assumta, decedit, nihilominus tamen in purgatorio cruciatur, sed tamen per poenam, quam ipse sustinet et quam alii pro eo solvunt, citius liberatur, quoniam dominus et poenam suam et poenam illorum in sortem computat. Unde si debuit in purgatorio poenam duorum mensium sustinere, taliter sic poterit juvari, quod liberabitur uno mense. Nunquam tamen inde eripitur, quousque debitum sit solutum. Quo soluto illud debitum, quod solvitur, deinceps est ipsius, qui facit, et in sinum ejus convertitur et si ipse non indiget, convertitur in sinum ecclesiae, vel valet aliis, qui in purgatorio sunt. Secundi, qui in purgatorium descendunt, sunt, qui satisfactionem quidem injunctam compleverunt, sed tamen illa poena propter ignorantiam vel negligentiam sacerdotis sufficiens non fuit. Hi enim, nisi magnitudo contritionis suppleat, totum in purgatorio complebunt, quod minus in hac vita fecerunt. Deus enim, qui modos et mensuram peccatorum et poenarum novit, addit poenam sufficientem, ne aliquod peccatum impunitum remaneat. Unde poenitentia injuncta aut est major aut aequalis aut minor; si major, tunc illud, quod plus fecerit, cedit ei ad augmentum gloriae, si aequalis, tunc sufficit ad dimissionem totius culpae, si minor, tunc illud, quod restat, suppletur ex virtute divinae justitiae. De his vero, qui in fine poenitent, audi, quid Augustinus sentiat: baptizatus ad horam securus hinc exit, fidelis bene vivens securus hinc exit agens poenitentiam, et reconciliatus, cum sanus est, securus hinc exit, ego non sum securus; ergo tene certum et dimitte incertum. Haec autem ideo dicit Augustinus, quia tales consueverunt potius poenitere ex necessitate quam ex voluntate, potius timore poenae quam amore gloriae. Tertii, qui in purgatorium descendunt, sunt, qui lignum,

foenum et stipulam secum ferunt, qui scilicet circa suas divitias infra tamen Deum carnali tenentur affectu. Affectiones enim carnales, quibus dediti sunt, domibus, conjugibus, possessionibus, ita tamen, ut nil Deo praeponant, illis tribus significantur, qui secundum suos amandi modos vel [1]) diutius ut lignum vel minus ut foenum vel minimum ut stipula cremabuntur. Qui ignis, sicut dicit Augustinus, etsi aeternus non sit, miro tamen modo est gravis, excellit enim omnem poenam, quam unquam passus est aliquis in hac vita; nunquam in carne inventa est tanta poena, licet mirabilia martires passi sint tormenta. Circa secundum, per quos scilicet purgantur, sciendum, quod illa purgatio et punitio fit per malos angelos et non per bonos; boni enim angeli non vexant bonos, sed boni malos, mali bonos et mali malos. Pie tamen credendum est, quod boni angeli fratres et concives suos frequenter visitant et consolantur et, ut patienter sufferant, exhortantur. Habent etiam aliud consolationis remedium ex eo scilicet, quod certi gloriam futuram exspectant; habent enim certitudinem de gloria, minorem tamen quam illi, qui sunt in patria, sed majorem quam illi, qui sunt in via. Certitudo enim illorum, qui sunt in patria, est sine exspectatione et timore, quia nec illam futuram exspectant, cum praesentem habeant, nec illam de caetero amittere formidant. Certitudo autem illorum, qui sunt in vita, e contrario est, sed certitudo illorum, qui sunt in purgatorio, medio modo est. Est enim cum exspectatione, quia ipsam futuram exspectant, sed est sine timore, quia, cum habeant liberum arbitrium confirmatum, de caetero se peccare non posse cognoscunt. Habent etiam aliam consolationem, quando pro se suffragia fieri dicunt. Forte tamen verius credendum est, quod illa punitio non fit per malos angelos, sed divina justitia jubente et flatu ejus succedente. Circa tertium, ubi scilicet purgantur, sciendum est, quod purgantur in quodam loco juxta infernum posito, qui purgatorium dicitur, secundum positionem plurimorum sapientum, licet aliis videatur, quod sit in aëre et in torrida zona. Sed tamen per divinam dispensationem diversa loca diversis animabus aliquando deputantur, et hoc multiplici de causa, scilicet aut propter eorum levem punitionem aut propter eorum celeriorem liberationem aut propter nostram instructionem aut propter culpae in loco perpetrationem aut propter alicujus sancti orationem. Primo propter eorum levem punitionem, sicut quibusdam secundum Gregorium re-

1) Ed. Pr. legit: vel divitiis vel lignis vel minus.

velatum est, animas quasdam in umbra punitas esse. Secundo propter eorum celeriorem liberationem, ut scilicet possint aliis indigentiam suam revelare et ab iis suffragia petere et sic celerius de poena exire, sicut legitur, quod quidam piscatores beati Theobaldi in autumno frustum magnum glaciei pro pisce prendiderunt, de quo magis quam de pisce gavisi maxime sunt, quia episcopus dolore pedum laborabat, et ipsam glaciem ejus pedibus supposuerunt et magnum ei refrigerium praestabant. Quadam vero vice de glacie hominis vocem audivit, qui ab episcopo adjuratus, quis esset, dixit: sum quaedam anima, quae in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, et liberari possem, si XXX missas sine intervallo XXX diebus continuis diceres. Qui cum missarum medietatem dixisset et se jam ad missam aliam praeparasset, dyabolica suggestione contigit, quod fere omnes homines illius civitatis inter se bella moverent, unde vocatus episcopus ad sedandam discordiam sacras deponens vestes missam illa die praetermisit. Iterum reincipiens et jam duas partes complens exercitus magnus, ut videbatur, civitatem obsedit et compulsus missae officium intermisit et deinde reincipiens, cum omnes missas ultima excepta dixisset et ultimam inchoare vellet, tota villa et domus episcopi, ut videbatur, accensa est. Cui cum servi dicerent, ut missam intermitteret, ille dixit: si tota villa cremari deberet, missam non intermitterem. Qua celebrata glacies protinus resoluta est et ignis, quem se vidisse credebant, tanquam phantasma recessit et nullum damnum intulit. Tertio propter nostram instructionem, ut scilicet magnam poenam post hanc vitam infligi peccantibus cognoscamus, sicut Parisiis contigisse legitur, ut ait cantor Parisiensis. Magister enim Silo quendam suum scholarem socium aegrotantem obnixe rogavit, ut post mortem ad se rediret et statum suum sibi renuntiaret. Post aliquot igitur dies sibi apparuit cum cappa de pergameno tota de sophismatibus descripta et intus flamma ignis tota confecta. Qui requisitus a magistro, quisnam esset, ait illi: ille utique sum, qui ad te redire promisi. Qui de statu suo requisitus ait: haec cappa plus super me ponderat et plus me premit, quam si unam turrim super me haberem, et est mihi data, ut eam portem pro gloria, quam in sophismatibus habui; porro flamma ignis, qua cooperta est, pelles sunt delicatae et variae, quas ferebam, quae flamma me cruciat et exurit. Sed cum magister illam poenam facilem judicaret, dixit eidem defunctus, ut manum extenderet, et sic facilitatem suae poenae sentire posset.

Cumque manum extendisset, ille guttam unam sui sudoris dimisit, qui praedicti magistri manum quasi sagitta citius perforavit, ita quod cruciatum mirabilem sensit. Et ait: talis sum totus. Ille igitur magister ex illius poenae acerbitate perterritus saeculum deliberavit deserere et religionem intrare, unde mane scholaribus congregatis hos versus composuit:

Linquo choax ranis, cra corvis, vanaque vanis
Ad logicam pergo, quae mortis non timet ergo.

Et sic seculum deserens ad religionem confugit. Quarto propter culpae in loco perpetrationem, sicut aliquando secundum Augustinum animae puniuntur in locis, in quibus deliquerunt, sicut patet per illud exemplum, quod recitat Gregorius in quarto dyalogorum. Quidam namque presbiter, dum balneum intraret, quendam virum incognitum ad suum obsequium praeparatum invenit, qui semper sibi sedule ministrabat. Qui dum quadam die pro *benedictione* et laboris mercede quendam panem benedictum *sibi exhiberet*, *ille* moerens respondit: mihi ista quare das, pater? Iste panis sanctus est, ego autem hunc manducare non possum, ego enim aliquando hujus loci dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem meam deputatus sum, sed quaeso, ut omnipotenti Deo hunc panem pro peccatis meis offeras; tunc autem te exauditum cognosce, cum huc ad lavandum veneris et me minime inveneris. Presbiter autem per unam hebdomadem salutarem pro eo quotidie obtulit hostiam et reversus eum jam minime invenit. Quinto propter alicujus sancti orationem, sicut legitur, quod sanctus Patricius in quodam loco in terra quibusdam purgatorium impetravit, cujus hystoriam post festum sancti Benedicti reperies. Circa secundum, quod est de *sacrificiis*, tria videnda sunt: primo de ipsis suffragiis, quae fiunt, secundo de his, pro quibus fiunt, tertio de his, per quos fiunt. Circa suffragia, quae fiunt, notandum, quod quatuor sunt genera suffragiorum, quae maxime defunctis prosunt, scilicet fidelium et amicorum oratio, elemosinarum largitio, salutaris hostiae immolatio et jejuniorum observatio. Quod primum genus suffragiorum, scilicet amicorum oratio iis prosit, patet per exemplum de Paschasio, de quo Gregorius in IV. Libro dyalogorum narrat, quod, cum vir mirae sanctitatis et virtutis exstiterit et duo tunc in summos pontifices electi fuissent, sed tamen postmodum in unum illorum ecclesia convenisset, ipse tamen Paschasius quasi ex errore alium semper praetulit et in hac sententia usque ad mortem permansit. Qui cum

esset defunctus et dalmaticam feretro suppositam daemoniacus tetigisset, statim sanatus est. Post multum vero temporis, cum Germanus Capuanus episcopus balneum ob gratiam sanitatis petivisset, praedictum Paschasium dyaconum stantem et obsequentem invenit. Quo viso vehementer extimuit et, quid illic tantus vir faceret, inquisivit. Qui pro nulla alia causa se in illo poenali loco deputatum asseruit, nisi quia in illa tali causa plus justo sensit. Et addidit dicens: quaeso te, pro me dominum deprecare, atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qui cum pro eo orasset et illuc post paucos dies rediisset, praedictum Paschasium in loco eodem minime invenit. Petrus quoque Cluniacensis ait, quod, cum quidam sacerdos quotidie pro mortuis celebraret, ex hoc apud episcopum accusatus ab officio est suspensus. Cum autem episcopus in magna sollemnitate per cimiterium ad matutinas pergeret, contra illum mortui surrexerunt dicentes: iste episcopus nullas nobis missas dat, insuper sacerdotem nostrum nobis abstulit, sed certe, si non emendaverit, morietur, qui et sacerdotem absolvit et libenter pro mortuis de caetero celebravit. Quam gratae etiam sint defunctis orationes vivorum, patet ex hoc, quoniam quidam, ut refert cantor Parisiensis, dum per cimiterium transiret, semper psalmum de defunctis dicebat pro defunctis. Qui cum ab inimicis per cimiterium fugiens insequeretur, continuo mortui surrexerunt et unusquisque instrumentum sui officii in manu habebat et sic ipsum viriliter defenderunt et inimicos territos fugaverunt. Quod vero secundum genus suffragiorum, scilicet elemosinarum elargitio iis prosit, manifeste haberi potest ex eo, quod in libro Macabaeorum legitur, quoniam vir fortissimus Judas collatione facta XII millia drachmas argenti misit Hierosolimam, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, juste et religiose de resurrectione cogitans. Quantum etiam elemosinae defunctis valeant, colligitur per illud exemplum, quod narrat Gregorius in IV. libro dyalogorum. Quidam namque miles ex corpore eductus exanimis jacuit, sed citius rediens, quae cum eo gesta fuerint, enarravit. Ajebat enim, quod pons erat, sub quo niger et caliginosus fluvius et foetidus decurrebat. Transacto autem ponte amoena erant prata, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conventicula esse videbantur, quos varia et mira florum suavitas satiabat. Haec vero erat in praedicto ponte probatio, ut, quisquis injustorum vellet transire, in tenebrosum foetentemque

fluvium laboretur, justi vero securo gressu ad loca amoena pervenirent. Ibique quendam, Petrum nomine, deorsum positum magno ferri pondere ligatum se vidisse asseruit, qui dum requireret, cur illuc esset, dictum est ei: hoc idcirco patitur, quia, si quid ei pro facienda ultione jubebatur, ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio quam obedientia serviebat. Ibi etiam quendam peregrinum se vidisse fatebatur, qui ad praedictum pontem veniens tanta eum auctoritate transivit, quanta hic sinceritate vixit. Alter vero, Stephanus nomine, dum transire voluisset, *ejus pes* lapsus est ex medio corpore et jam extra pontem *dejectus est.* Tunc a quibusdam teterrimis viris ex flumine surgentibus per coxas deorsum atque a quibusdam albatis et speciosissimis viris coepit per brachia trahi sursum, cumque haec luctatio fieret, is, qui videbat, ad corpus redibat, et quis in illo occulti arbitrii exanime obtinuerit, scire non valuit. In quo datur intelligi, *quod in illo* mala carnis cum elemosinarum largitione certabant. Quod *enim* per coxas deorsum, per brachia attrahebatur sursum, patet nimirum, quia et elemosinas amaverat et carnis vitiis perfecte non restiterat. Quod autem tertium genus suffragiorum, scilicet sacrae hostiae immolatio, plurimum defunctis prosit, ex multis exemplis apparet. Refert igitur Gregorius in IV. libro dyalogorum, quod, cum quidam monachus suus, nomine Justus, ad extremum veniens tres se occultos aureos indicasset habere et de hoc ingemiscens mortuus fuisset, praecepit Gregorius fratribus, ut corpus ejus cum tribus aureis in sterquilinio sepelirent dicentes: pecunia tua tecum sit in perditione. Tandem cuidam e fratribus Gregorius praecepit, ut usque ad XXX dies omni die pro eo hostiam im*mol*aret. Qui cum jussa complesset, is, qui defunctus fuerat, in die tricesima cuidam fratri apparuit. Quem frater requisivit dicens: quomodo es? Cui ille respondit: nunc usque male fui, sed jam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Haec autem hostiae immolatio non solum mortuis, sed etiam vivis plurimum profuisse inventa est. Quidam namque, cum in quadam rupe argentum foderent, subito rupes cecidit et funditus cunctos exstinxit. Unus autem eorum subtus in quodam sinu ipsius rupis mortem evasit, inde tamen exire non valuit. Uxor autem illius, eum defunctum existimans, omni die pro eo missam celebrari faciebat et panem unum et urceum vini cum candela quotidie offerebat. Cui dyabolus invidens per tres dies continuos eidem in forma humana apparuit et

quo tenderet, requisivit. Cui cum illa sui itineris causam exponeret, ille ajebat: noli frustra vexari, quia jam missa celebrata est, et sic illa tribus diebus missam intermisit nec ipsam celebrari fecit. Quidam autem post hoc in praedicta rupe argentum fodiens quandam vocem audivit de subtus dicentem: plane percutias, quia capiti meo imminet magnus lapis. Cum autem ille tremeret et ad hanc vocem audiendam plurimos convocasset, iterum fodit et similiter vocem audivit. Tunc omnes propius accedentes dixerunt: quis enim es tu? Qui respondens ait: plane faciatis, quia magnus lapis quasi super me cadit. Qui a latere fodientes et ad eum usque pervenientes eum sanum et incolumem extraxerunt et sciscitantes, quomodo ibi tamdiu vixisset, dixit, quod qualibet die panis unus et urceus vini et candela accensa, nisi tantum tribus diebus, sibi oblatus fuit. Quod uxor ejus audiens et vehementer exsultans agnovit, quod de oblatione sua fuerit sustentatus et quod dyabolus eam deceperit, ne illis tribus diebus missam cantari fecerit. Illud, ut testatur Petrus Cluniacensis, accidit in villa nomine Ferraria Grationopolitanae dyoecesis. Gregorius etiam refert, quod, dum quidam nauta in mari naufragium perpessus fuisset et quidam sacerdos pro eo hostiam immolasset, ipse tandem de mari sanus exivit. Cum autem, qualiter evasisset, interrogaretur, dixit, quod, dum in medio maris exsisteret et jam paene fatigatus deficeret, quidam ad eum venit et panem quendam sibi obtulit. Quem cum ille comedisset, statim confortatus vires recepit et in quadam navi inde transeunte receptus fuit inventumque est, quod illa hora panem habuit, qua pro eo sacerdos hostiam immolavit. Quod vero quartum suffragiorûm genus, scilicet jejuniorum observatio, defunctis prosit, testatur Gregorius agens tam de isto, quam de aliis tribus dicens: animae defunctorum quatuor modis solvuntur, aut oblationibus sacerdotum aut precibus sanctorum aut carorum eleemosinis aut jejunio cognatorum. Valet nihilominus pro iis poenitentia facta ab amicis. Unde retulit quidam sollemnis doctor, quod, cum quaedam mulier viro mortuo de paupertate desperaret, apparuit ei dyabolus dicens, quod eam ditaret, si suam faceret voluntatem. Cui promittenti primo injunxit, ut viros ecclesiasticos in suo hospitio receptos faceret fornicari, secundo, quod pauperes in die reciperet et in nocte vacuos expelleret, tertio, quod orationes in ecclesia garriendo impediret, quarto, quod nulli confiteri deberet de hoc. Tandem cum morti appropinquasset et a filio ad confessionem

admoneretur, illa ei factum aperiens dixit, se confiteri non posse nec sibi aliquid confessio valeret. Sed cum ille cum lacrymis instaret et poenitentiam se pro ea facturum promitteret, illa compuncta pro sacerdote filium destinavit. Sed antequam sacerdos veniret, daemones ad eam irruerunt, quorum timore ac horrore percussa ea mortua est. Filius suus et peccatum matris confitens et poenitentiam septennem faciens ipsa completa vidit matrem ei de sua liberatione gratias referentem. Valent etiam iis indulgentiae ecclesiae. Unde cum quidam apostolicae sedis *legatus* quendam strenuum rogaret, ut in terra Albiensi in servitium *ecclesiae* militaret, facta indulgentia patri suo defuncto per unam ibidem quadragenam moratus est. Qua completa pater luce clarior ei apparuit et de sua liberatione gratias ei egit. Circa secundum hujus partis, scilicet illos, pro quibus fiunt, etiam quatuor videnda sunt. Primo qui sunt illi, quibus possunt prodesse, secundo quare *debent iis prodesse*, tertio si omnibus aequaliter prosunt, quarto *qualiter* suffragia, quae pro ipsis fiunt, scire possunt. De primo, qui scilicet sunt illi, quibus possunt prodesse, sciendum est, quod, sicut dicit Augustinus, omnes, qui de hac vita decedunt, aut sunt valde boni aut valde mali aut mediocriter boni. Suffragia igitur facta pro valde bonis sunt gratiarum actiones, pro valde malis sunt vivorum qualescumque consolationes, pro mediocriter bonis sunt expiationes. Valde autem boni dicuntur, qui statim evolant et ab utroque igne tam purgatorii quam inferni liberi sunt. Eorum autem sunt tria genera, scilicet baptizati, martires et viri perfecti, qui scilicet tam perfecte aedificaverunt aurum, argentum et lapides pretiosos, id est Dei dilectionem, proximi amorem et bonam operationem, ut non cogitarent placere mundo, sed tantum Deo. Qui etsi quandoque venialiter peccant, fervore tamen caritatis ita in iis peccatum consumitur, sicut gutta aquae in camino ignis penitus absorbetur, et ideo secum cremabilia nunquam ferunt. Qui igitur pro aliquo istorum trium generum oraret vel aliqua alia suffragia faceret, iis injuriam faceret, quia, sicut dicit Augustinus, injuriam facit martiri, qui orat pro martire. Si vero aliquis pro aliquo valde bono exoraret, de quo tamen, an evolasset, dubitaret, tunc illae orationes essent gratiarum actiones et ad meritum cederent exorantis, secundum illud: oratio mea in sinum meum convertetur. His enim tribus generibus coelum protinus aperitur, cum decedunt, nec aliquem purgatorii ignem sentiunt. Quod significatum est per illos tres, quibus coelum apertum est. Apertum

est enim Christo baptizato, Luc. III: Jesu baptizato et orante apertum est coelum. Per quod significatur, quod coelum aperitur omnibus baptizatis, sive sint parvuli sive adulti, ita quod, si hinc decederent, protinus evolarent. Baptismus enim virtute passionis Christi mundat ab omni peccato et originali et mortali et veniali. Secundo apertum est Stephano lapidato, Act. VII: ecce video coelos apertos etc. Per quod significatur, quod aperitur omnibus martiribus, ita quod statim evolant, cum decedunt, et si aliqua cremabilia habebant, omnia falce martirii resecantur. Tertio apertum est Johanni perfectissimo, Apocal. IV: vidi et ecce ostium apertum in coelo. Per quod significatur, quod viris perfectis, qui totaliter poenitentiam compleruut nec venialia admiserunt, vel si aliquando admittuntur, a fervore caritatis protinus consumuntur, coelum ipsum continuo aperitur et mox in illud perpetuo regnaturi ingrediuntur. Valde autem mali sunt, qui continuo in inferni barathrum demerguntur, pro quibus, si de eorum damnatione constaret, nulla suffragia aliquatenus essent fienda, secundum quod dicit Augustinus: si scirem patrem meum esse in inferno, non plus orarem pro eo, quam pro dyabolo. Si autem pro aliquibus damnatis, de quorum damnatione dubitatur, aliqua suffragia fierent, nihil tamen iis prodessent, nec quantum ad liberationem, ut scilicet ab ipsis poenis liberentur, nec quantum ad mitigationem, ut scilicet poena in iis mitigetur vel diminuatur, nec quantum ad suspensionem, ut scilicet ad tempus vel ad horam eorum damnatio suspendatur, nec quantum ad fortificationem, ut scilicet ad tolerandum levius roborentur, quantum enim ad aliquid horum in inferno nulla redemtio est. Mediocriter autem boni dicuntur, qui cremabilia aliqua, scilicet lignum, foenum, stipulam secum ferunt, vel qui poenitentiam injunctam et sufficientem morte praeoccupati complere non possunt. Qui nec adeo boni sunt, quin suffragiis egeant, nec adeo mali, quin iis prodesse valeant suffragia. Suffragia igitur facta pro his sunt eorum expiationes. Undi isti sunt illi, quibus ipsa suffragia solum prodesse possunt. In hujusmodi autem suffragiis faciendis ecclesia consuevit triplicem numerum dierum maxime observare, scilicet septenarium, tricenarium et anniversarium et ratio horum assignatur in libro de mitrali officio. Observatur septenarius, ut animae ad aeternum quietis sabbatum perveniant, vel ut iis remittantur omnia peccata, quae in vita egerunt; qui per septem dies ducitur, vel ut iis remittantur peccata, quae ege-

rant cum corpore, quae consistunt ex quatuor humoribus, et cum anima, in qua sunt tres vires. Observatur tricenarius, qui constat ex tribus denariis, ut purgetur in iis, quidquid in fide trinitatis et in transgressione decalogi deliquerunt. Observatur anniversarius, ut de annis calamitatis perveniant ad annos aeternitatis. Sicut enim anniversarium sanctorum celebramus ad ipsorum honorem et nostram utilitatem, sic et anniversarium defunctorum ad ipsorum utilitatem et nostram devotionem. De secundo quaeritur, quare scilicet iis debent suffragia prodesse. Sciendum, quod triplici ratione debent iis prodesse. Primo ratione unitatis, sunt enim unum corpus cum illis de ecclesia militante et ideo bona sua debent iis esse communia. Secundo ratione dignitatis, quoniam, dum adhuc viverent, meruerunt, ut haec sibi prodessent. Et iterum dignum est, ut, qui alios juverunt, et ipsi ab aliis juventur. Tertio ratione necessitatis, quia scilicet sunt in statu, in quo se juvare non possunt. De tertio, utrum scilicet aequaliter omnibus prosint, sciendum, quod, si ipsa suffragia in speciali fiunt, magis prosunt illis, pro quibus specialiter fiunt, quam aliis. Si autem in communi fiunt, magis prosunt iis, qui plus meruerunt in hac vita, ut sibi prodessent, si in aequali vel majori necessitate exsistunt. De quarto, qualiter scilicet suffragia, quae iis fiunt, scire possunt, sciendum, quod secundum Augustinum scire possunt tribus modis. Primo per divinam revelationem, quoniam scilicet Deus hoc iis revelat; secundo per bonorum angelorum manifestationem, angeli enim, qui hic semper nobiscum sunt et omnes actus nostros considerant, in instanti quasi ad eos possunt descendere et iis protinus nuntiare; tertio per animarum hinc exeuntium intimationem, animae enim, quae de hoc mundo transeunt, haec et alia iis nuntiare possunt; quarto nihilominus scire possunt per experientiam et revelationem, cum enim a poenis se revelari sentiunt, suffragia pro se fieri cognoscunt. Circa tertium [1]) hujus secundae partis, scilicet illos, per quos fiunt, sciendum, quod ipsa suffragia, si prodesse debent, oportet quod fiant ab his, qui sunt in caritate, nam si per malos fiunt, prodesse non possunt. Unde legitur, quod, dum quidam miles in lecto cum uxore esset et luna valde lucens per rimas intraret, mirabatur, quomodo homo rationalis creatori suo non pareret, cum eidem creaturae irrationales parerent, et dum cuidam militi defuncto, qui sibi fuerat familiaris, detraheret, subito ille, qui mortuus

1) Ed. Pr. omittit verba: hujus secundae partis.

fuerat, in thalamum introivit et dixit illi: amice, noli male suspicari de aliquo, et condona mihi, si quid in te peccavi. Cumque super statu suo interrogaretur, dixit: variis poenis affligor, praecipue quia tale cimiterium violavi et ibi quendam vulnerans eum cappa exspoliavi sua, quae mihi supponitur et uno monte magis me premit, rogavitque, ut pro se orationes fieri faceret. Cum autem ille sibi diceret, an vellet, quod a tali et tali sacerdote ipsas orationes faceret fieri, ille ad hoc nihil respondens caput more renuentis concussit. Deinde dixit, si vellet, quod talis eremita pro se oraret. Cui ille: utinam ille pro me oraret! Quod cum se facturum promitteret, ille ait: et ego dico tibi, quia ab hac die usque ad duos annos tu etiam morieris, sicque ille disparuit et miles vita sua in melius mutata in domino obdormivit. Quod autem dictum est, suffragia facta per malos prodesse non posse, intelligendum est, nisi sint opera sacramentalia, ut est celebratio missae, quae a malo ministro violari non potest, vel nisi ipse defunctus vel aliquis ejus amicus aliquibus etiam malis aliqua dispensanda reliquisset. Quae tamen continuo dispensare debent, ne sibi contingat, quod cuidam contigisse legitur. Miles enim quidam in bello Caroli Magni cum Mauris pugnaturus rogavit cognatum suum, ut, si in bello moreretur, equum suum venderet et pauperibus pretium daret. Quo mortuo cum equus sibi nimis placeret, eum sibi retinuit et post modicum temporis defunctus ei tamquam sol refulgens apparuit dicens: cognate bone, per octo dies me fecisti pati poenas in purgatorio propter equum, cujus pretium, ut dixeram, pauperibus non dedisti; sed impune non feres, hodie enim ferent animam tuam in infernum dyaboli et ego purgatus vado in regnum Dei. Et ecce subito in aëre auditus est clamor velut leonum, ursorum et luporum et ipsum de medio abstulerunt.

CAP. CLXIV. (159.)
De quatuor coronatis.

Quatuor coronati fuerunt Severus, Severianus, Carpophorus et Victorinus, qui jubente Dyocletiano usque ad mortem ictibus plumbatorum caesi sunt. Horum nomina cum reperiri non possent,

tandem post multos annos domino revelante reperta sunt statutumque fuit, ut eorum memoria sub nominibus aliorum quinque martirum, scilicet [1]) Claudii, Castorii, Symphoriani, Nicostrati et Simplicii recoleretur, qui post duos annos a martirio praedictorum passi sunt. Isti enim martires, cum omnem sculpturae artem haberent et Dyocletiano ydolum quoddam sculpere nollent nec sacrificare aliquatenus consentirent, jussu ipsius Dyocletiani in loculos plumbeos vivi missi sunt et sic in mare praecipitati circa annos domini CCLXXXVII. Sub nominibus igitur istorum V statuit Melchiades papa praedictos IV honorari et IV coronatos vocari, scilicet antequam eorum nomina reperirentur, et licet postmodum nomina reperta fuerunt, usus tamen obtinuit, ut IV coronati deinceps vocarentur.

CAP. CLXV. (160.)
De sancto Theodoro.

Theodorus in urbe Marmanitanorum sub Dyocletiano et Maximiano martirium passus est. Cui cum praeses diceret, quod sacrificaret et pristinam militiam reciperet, respondit Theodorus: ego milito Deo meo et filio ejus Jesu Christo. Cui praeses: ergo Deus tuus filium habet? Cui Theodorus: etiam. Ad quem praeses: possemus eum cognoscere? Et Theodorus: eum utique potestis cognoscere et ad eum accedere. Datis igitur induciis sancto Theodoro, ut sacrificaret, templum [2])matris Deorum noctu sanctus introivit et igne supposito totum illud succendit. Qui a quodam, qui hoc viderat, accusatus in carcerem, ut fame ibi moreretur, reclusus est. Cui dominus apparens dixit: confide, serve mi Theodore, quia ego tecum sum. Tunc turba dealbatorum virorum clauso ostio ad eum veniens cum eo psallere coepit. Quod videntes custodes territi fugerunt. Cum autem inde eductus fuisset et ad sacrificia invitaretur, ait: si carnes meas igne cremaveris et variis consumas suppliciis, donec fuerit spiritus in naribus meis, non denegabo Deum meum. Tunc ad praeceptum praesidis in ligno suspenditur et ungulis ferreis tam crudeliter latera ejus raduntur,

---

1) Ed. Pr. Cladii. 2) Ed. Pr. Martis legit.

ut etiam costae nudarentur. Ad quem praeses: vis, Theodore, nobiscum esse aut cum Christo tuo? Cui ille: cum Christo meo et fui et sum et ero. Tunc jussus est igne cremari, [1]) in quo quidem igne spiritum emisit. Sed tamen corpus ejus ab igne illaesum permansit circa annos domini CCLXXXVII. Odore vero suavissimo omnes repleti sunt et audita est vox dicens: veni, dilecte mi, intra in gaudium domini tui. Coelum quoque apertum multi viderunt.

CAP. CLXVI. (161.)

De sancto Martino episcopo.

Martinus quasi Martem tenens, id est bellum, contra vitia et peccata, vel Martinus quasi martirum unus. Fuit enim martir saltem voluntate et carnis mortificatione. Vel Martinus interpretatur quasi irritans vel provocans seu dominans. Ipse namque per meritum suae sanctitatis irritavit dyabolum ad invidiam, provocavit Deum ad misericordiam, dominatus est carni suae per macerationem continuam. Cui scilicet carni ratio sive animus dominari debet, ut dicit Dionysius in epistola ad Demophilum, sicut dominatur dominus servo aut pater filio aut senior lascivo juvenculo. Ejus vitam [2]) Severus cognomento Sulpicius discipulus sancti Martini, quem Gennadius inter illustres viros connumerat, scripsit.

Martinus Sabariae Pannoniorum oppido oriundus, sed intra Italiam Papiae alitus cum patre suo, tribuno militum, sub Constantino et Juliano Caesaribus militavit, non tamen sponte, quia ab infantia divinitus inspiratus, cum esset annorum duodecim, invitis parentibus ad ecclesiam fugit et catechumenum se fieri postulavit, et extunc eremum intrasset, nisi carnis infirmitas obstitisset. Sed cum Caesares decrevissent, ut veteranorum filii pro patribus militarent, Martinus, cum esset annorum quindecim, ad militandum urgetur, uno tantum contentus servo, cui tamen Martinus serviens saepius ministrabat et calceamenta detrahebat atque tergebat. Quodam hyemali tempore per portam Ambianensium transiens pauperem quendam nudum obvium habuit. Qui cum a nullo elemosinam

---

1) Ed. Pr. verba in — emisit omittit. 2) Ed. Pr. Severius — Supplicius legit.

accepisset, Martinus hunc sibi servatum intelligens arrepto ense chlamydem, quae sibi supererat, dividit et partem pauperi tribuens reliquam partem rursus induit. Sequenti igitur nocte Christum chlamydis suae, qua pauperem texerat, parte vestitum vidit ipsumque ad circumstantes angelos sic loquentem audivit: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Unde vir sanctus non in gloriam elatus, sed Dei bonitatem cognoscens, cum esset annorum decem et octo, baptizari se fecit et adhuc ad instantiam tribuni sui, qui tempore sui tribunatus expleto se saeculo abrenuntiaturum promittebat, per biennium militavit. Interea irruentibus intra Gallias barbaris Julianus Caesar contra eos pugnaturus pecuniam militibus erogavit, at Martinus nolens deinceps militare donativum recipere noluit, sed Caesari dixit: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Indignatus Julianus dixit, quod non religionis gratia, sed metu belli imminentis militiae renuntiaret. Cui Martinus *intrepidus* respondit: si hoc ignaviae, non fidei adscribitur, crastina die ante aciem inermis adstabo et in nomine Christi signo crucis, non clypeo protectus aut galea hostium cuneos penetrabo securus. Unde custodiri jubetur, ut inermis, ut dixerat, barbaris objiceretur. Sed die sequenti hostes legationem miserunt sua omnia seque dantes. Unde non dubium est, meritis sancti viri talem victoriam sine sanguine datam esse. Exinde relicta militia ad sanctum Hilarium Pictaviensem episcopum perrexit et ab eo acolytus ordinatus monetur a domino per soporem, ut parentes suos adhuc gentiles visitaret. Profectus igitur multa adversa passurum se esse praedixit. Nam inter Alpes incidit in latrones, cumque unus securim in caput ejus vibrasset, ictum ferientis dextrae sustinuit alter. Vinctis tamen post tergum manibus uni eorum custodiendus traditur, percunctanti vero latroni, an timuisset, respondit, nunquam se ita fuisse securum, quia sciret misericordiam Dei maxime in tentationibus affuturam. Incipiensque latroni praedicavit et ipsum ad fidem Christi convertit. Qui Martinum ad viam reducens laudabiliter postmodum vitam finivit. Cum autem Mediolanum praeteriisset, dyabolus in humana specie sibi obvius fuit et, quo tenderet, requisivit. Cui cum respondisset, se, quo eum dominus vocaret, tendere, ille ait: quocunque ieris, dyabolus tibi adversabitur. Cum autem Martinus sibi respondisset: dominus mihi adjutor est, non timebo, quod faciat mihi homo, statim ille evanuit. Itaque matrem convertit, pater vero in errore permansit. Sed cum haeresis Ariana per totum orbem

pullularet et ille paene solus obsisteret, publice caesus et extra civitatem ejectus Mediolanum rediit et ibi sibi monasterium statuit, sed inde ab Arianis ejectus ad insulam Gallinariam cum uno solo presbitero perrexit, ubi helleborum gramen venenatum inter alias herbas in cibum sumsit et vicinam mortem sentiens omne periculum et dolorem virtute orationis fugavit. Audiens vero, quod beatus Hilarius de exsilio rediret, obviam ei profectus est et juxta Pictavium monasterium ordinavit, ubi, cum quendam adhuc catechumenum haberet, parumper a monasterio discedens et rediens reperit eum sine baptismo defunctum. Quem in cellam ducens et super ejus corpus se prosternens ipsum sua oratione ad vitam pristinam revocavit. Idem vere homo referre consuevit, quod, dum super eum data sententia obscuris locis deputatus fuisset, per duos angelos judici est suggestum, hunc esse, pro quo Martinus oraret Jussum est igitur, ut per ipsos duos reduceretur et Martino vivus redderetur. Alium insuper, qui laqueo vitam finierat, vitae restituit. Verum cum plebs Turonica episcopo careret, ipsum plurimum renitentem sibi ordinari petiit. Quidam autem ex episcopis, qui convenerant, eo, quod deformis esset habitu et vultu despectabilis, resistebant. Inter quos praecipuus fuit quidam nomine Defensor. Sed cum lector tunc deesset, quidam accepto psalterio primum, quem invenit, psalmum legit, ubi versus hic erat: ex ore infantium et lactentium Deus perfecisti laudem, ut destruas inimicum et defensorem. Et sic ille Defensor est ab omnibus confutatus. Ordinatus itaque episcopus cum populi tumultum non ferret, duobus fere milliariis extra urbem monasterium constituit, ubi cum LXXX discipulis in multa abstinentia vixit. Nam ibi vinum nemo biberat, nisi quem infirmitas coegisset; mollior habitus ibi pro crimine erat. Plurimae civitates de his episcopos eligebant. Cum quidam sub nomine martiris coleretur et a Martino nil de ejus vita vel merito inveniri posset, quadam die super sepulchrum stans oravit dominum, ut, quis esset vel cujus meriti, indicaret. Conversus ad laevam vidit umbram nigerrimam stare, qui a Martino adjuratus dixit, se latronem fuisse et ob scelus percussum esse. Continuo igitur Martinus altare destrui praecepit. Legitur quoque in dyalogo Severi et Galli discipulorum sancti Martini, ubi multa suppleta sunt, quae in ejus vita Severus dimiserat, quod Martinus quodam tempore Valentinianum imperatorem pro quadam necessitate adiit, sed ille sciens eum velle petere, quod ipse nolebat dare, fores

palatii sibi claudi fecit. At Martinus semel atque iterum passus repulsam cilicio obvolutus et cinere conspersus per unam hebdomadam cibi et potus abstinentia maceratur. Tunc monente angelo ad palatium venit et nullo sibi prohibente ad imperatorem usque pervenit Quem cum venientem videret, iratus, quia fuisset admissus, ei assurgere noluit, donec sellam regiam ignis operiret et ipsum imperatorem a parte posteriori ignis succenderet. Tunc sancto Martino iratus assurgens virtutem divinam se sensisse confessus est multumque ipsum complectens sibi omnia, antequam *rogaret*, concessit multaque munera obtulit, sed Martinus non accepit. *In* eodem quoque dyalogo legitur, qualiter tertium mortuum suscitavit. Cum enim quidam juvenis defunctus fuisset et mater pro resuscitatione filii beatum Martinum lacrymis exoraret, iste in medio campi, ubi erat innumerabilis multitudo gentilium, genua flexit et cunctis videntibus puer surrexit. Quapropter omnes *illi gentiles* ad fidem conversi sunt. Eidem quoque viro sancto obediebant etiam insensibilia, vegetabilia et irrationabilia. Insensibilia sicut ignis et aqua. Nam quum in quodam fano ignem misisset, in domo proxima adhaerente agente vento flamma efferebatur. Tunc Martinus super tectum domus adscendens obvium se flammis advenientibus inseruit. Mox contra vim venti flamma retorquetur, ut conflictus quidam compugnantium inter se elementorum videretur. Navis etiam quaedam cum periclitaretur, ut in praedicto dyalogo legitur, quidam negotiator necdum christianus exclamavit: Deus Martini eripe nos, et statim tranquillitas magna successit. Similiter vegetabilia. Nam cum in quodam loco templum antiquissimum diruisset et arborem pini dyabolo dedicatam vellet excidere, *ob*sistentibus rusticis et gentilibus unus eorum dixit: si de Deo tuo fiduciam habes, nos hanc arborem succidemus et tu eam suscipe, et si tecum est Deus tuus, ut dicis, evades. Quo annuente succisae arbori et jam versus eum ibidem ligatum cadenti signum crucis opposuit et in aliam partem rediens rusticos, qui in tuto loco erant, fere oppressit, qui viso miraculo ad fidem conversi sunt. Irrationabilia quoque animalia sibi pluries obedierunt, sicut legitur in praedicto dyalogo. Cum enim canes lepusculum insequentes vidisset, imperavit canibus, ut animal insequi desisterent. Mox illi constiterunt et quasi vincti in suis vestigiis fixi manserunt. Serpens etiam quidam, cum fluvium quendam natando transiret, Martinus ait ad serpentem: in nomine domini jubeo te redire. Mox se ad verbum sancti re-

tersit et in ripam aliam transmeavit et ingemiscens Martinus ait: serpentes me audiunt et homines non audiunt. Canis similiter quidam cum cuidam ex Martini discipulis latraret, ille ad eum conversus ait: in nomine Martini jubeo te obmutescere. Canis continuo obmutuit, ac si linguam habuisset abscisam. Fuit autem beatus Martinus multae humilitatis, nam leprosum quendam cunctis horribilem Parisiis obviam habens ipsum osculatus est atque benedixit statimque mundatus est. In sacrario quoque residens nunquam cathedra usus est, nam in ecclesia nemo unquam eum sedere conspexit: sedebat autem in [1])sellula rusticana, quos tripodes vocant. Multae dignitatis, quia par apostolis dictus est, et hoc propter gratiam spiritus sancti, qui in eum in specie ignis ad robur descendit, sicut fuit in apostolis. Legitur enim in praedicto dyalogo, quod quadam vice, dum Martinus in cella solus sederet, et Severus et Gallus ejus discipuli prae foribus exspectarent, subito mirabili concussi horrore plures in cella audiunt insimul colloquentes. De quo [2])cum postmodum Martinum requisivissent, ille ait: dicam vobis, sed vos, quaeso, nulli dicatis; Agnes, Thecla et Maria ad me venerunt. Nec tantum illo die, sed saepius se ab iis confessus est visitari et Petrum et Paulum apostolos a se saepe videri perhibuit. Multae justitiae, cum enim ab imperatore, nomine Maximo, invitatus fuisset et Martino poculum primo fuisset oblatum, sperantibus cunctis, ut post se regi tribueret, presbitero suo dedit nullum aestimans digniorem, qui post se deberet bibere, et indignum judicans, si aut regem aut regis proximos presbitero praetulisset. Multae patientiae; tantam enim in omnibus patientiam servabat, quod, cum esset summus sacerdos, impune saepe a clericis laedebatur nec a sua eos propter hoc caritate repellebat. Nemo illum unquam vidit iratum, nemo moerentem, nemo ridentem, nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Legitur quoque in praedicto dyalogo, quod, dum Martinus quadam vice in veste hispida, nigro et pendulo pallio circumtectus super asellum procederet, equis de contra venientibus expavefactis milites in terram saltu praecipiti se dederunt et Martinum arripientes graviter verberaverunt. Ille autem quasi mutus caedentibus terga praebebat, sed magis illi furebant eo, quod ille quasi non sentiens verbera illata contemnere videretur. Protinus autem animalia adeo

1) Ed. Pr. legit: cellula — tripedes. 2) Ed. Pr. tamen.

humo fixa permanebant, ut quantumcumque flagellata velut saxea moveri non possent, quousque ad Martinum redeuntes et peccatum suum, quod ignoranter in eum commiserant, confitentes, ille eis licentiam dedit et gradu concito animalia processerunt. Multae assiduitatis in orando, quia, ut in legenda sua dicitur, nunquam ulla hora momentumque praeteriit, quo non aut orationi aut lectioni incumberet. Inter legendum tamen et operandum nunquam animum ab oratione laxabat, nam ut fabris ferrariis moris est, qui intra operandum pro quodam laboris levamine incudem feriunt, ita Martinus, dum aliquid ageret, semper orabat. Multae austeritatis in se ipso; refert enim Severus in epistola ad Eusebium, quod, cum Martinus in quandam villam suae dyocoesis venisset et clerici lectum sibi plurimo stramine praeparassent, ille ibidem requiescens insuetam mollitiem perhorrescit, quippe qui nuda humo uno tantum cilicio superjecto cubare consueverat. Itaque permotus injuria surgens stramentum omne projecit et se super nudam humum collocavit, circa mediam vero noctem tota illa palea igne accenditur et Martinus excitatus, dum exire tentaret, sed nequiret, ab igne capitur et ejus jam vestimenta uruntur. Rediens vero ad solitum orationis confugium et crucis emittens signaculum in medio ignis intactus permansit et flammas sensit rorantes, quas male expertus erat urentes. Monachi igitur excitati concurrunt et Martinum, quem jam consumtum putábant, de medio flammarum illaesum educunt. Multae compassionis erga delinquentes, quia omnes volentes poenitere compassionis sinu recipiebat. Nam et cum dyabolus Martinum reprehenderet, cur semel lapsos ad poenitentiam reciperet, eidem respondit: si tu ipse, o miserabilis, ab hominum infestatione desisteres et te factorum tuorum poeniteret, ego tibi confisus in domino Christi misericordiam pollicerer. Multae pietatis erga pauperes; legitur in praedicto dyalogo, quod Martinum in quadam festivitate ad ecclesiam tendentem pauper quidam nudus secutus est. Martinus autem archidyacono praecepit, ut egentem vestiret, sed cum hoc ille facere distulisset, ingressus Martinus secretarium tunicam suam illi tribuit et continuo abscedere jussit. Cum ergo archidyaconus moneret, ut ad sollemnia peragenda procederet, ille de se loquens respondit, se ire non posse, donec pauper vestem accipiat. Archidyaconus vero non intelligens, quia, cum extrinsecus cappa tectus esset, ipsum nudum interius non videbat, pauperem non adesse causatur. At ille: mihi, inquit, vestis deferatur

et pauper non aderit vestiendus. Compulsus ille ad forum vadit et quinque argenteis tunicam vilem et curtam, quae dicitur paenula, quasi paene nulla, rapiens ante pedes Martini iratus projecit. Quam ille secreto induit, cujus manicae usque ad cubitum et longitudo usque ad genua protendebatur, et sic missam celebraturus procedit. Dum autem missam celebraret, globus igneus super caput ejus apparuit et a multis ibidem visus fuit. Ob hoc par apostolis dicitur. Huic autem miraculo addit magister Johannes Beleth, quod, cum in missa manus ad Deum, ut moris est, levaret, manicis linteis retro labentibus, cum nec brachia ejus essent grossa nec multum carnosa nec praefata tunica protenderetur nisi usque ad cubitum, remanserunt eadem brachia nuda. Tunc miraculose torques aurei et gemmati deferuntur ab angelis et brachia decenter operiuntur. [1]) Qui etiam tonsam quadam vice conspiciens: evangelicum, inquit, mandatum ista complevit; duas tunicas habuit et unam non habenti largita est, ita et vos, inquit, facere debetis. Multae potestatis erga daemones pellendos, saepe enim ipsos daemones ex hominibus expulit. Legitur etiam in dicto dyalogo, quod quaedam vacca a daemone agitata, cum ubique saeviret et multos confoderet et versus Martinum et socios suos in itinere furibunda concurreret, ille manu elevata ipsam sistere jubet. Qua immobili permanente vidit daemonem dorso illius insidentem, quem increpans: discede, inquit, funeste de pecude et innoxium animal agitare desiste. Quo protinus discedente vacca ad ejus pedes prosternitur et ad ejus imperium cum omni mansuetudine ad gregem suum revertitur. Multae subtilitatis ad eos cognoscendos; daemones enim sibi ita conspicabiles reddebantur, ut aperte ab ipso sub quacunque imagine viderentur. Nam interdum daemones in Jovis persona, plurimumque Mercurii, aliquando Veneris vel Minervae transfiguratos se ejus [2]) vultibus offerebant, quos ille omnes suis nominibus increpabat, Mercurium maxime patiebatur infestum, Jovem brutum atque hebetem esse dicebat. Quadam etiam vice dyabolus in forma regis purpura et dyademate et aureis caligis ornatus sereno ore laetaque facie sibi apparuit, cumque diu ambo tacuissent: agnosce, inquit, Martine, quem colis; Christus ego sum descensurus ad terras, prius me tibi manifestare volui. Ad hoc cum adhuc Martinus admirans taceret, rursus ait: Martine, cur dubitas credere, cum me videas? Christus

1) Vulgo: quem perperam scribitur. 2) Ed. Fr. militibus legit.

humo fixa permanebant, ut quantumcumque flagellata velut saxea moveri non possent, quousque ad Martinum redeuntes et peccatum suum, quod ignoranter in eum commiserant, confitentes, ille iis licentiam dedit et gradu concito animalia processerunt. Multae assiduitatis in orando, quia, ut in legenda sua dicitur, nunquam ulla hora momentumque praeteriit, quo non aut orationi aut lectioni incumberet. Inter legendum tamen et operandum nunquam animum ab oratione laxabat, nam ut fabris ferrariis moris est, qui intra operandum pro quodam laboris levamine incudem feriunt, ita Martinus, dum aliquid ageret, semper orabat. Multae austeritatis in se ipso; refert enim Severus in epistola ad Eusebium, quod, cum Martinus in quandam villam suae dyoecesis venisset et clerici lectum sibi plurimo stramine praeparassent, ille ibidem requiescens insuetam mollitiem perhorrescit, quippe qui nuda humo uno tantum cilicio superjecto cubare consueverat. Itaque permotus *injuria surgens* stramentum omne projecit et se super nudam humum collocavit, circa mediam vero noctem tota illa palea igne accenditur et Martinus excitatus, dum exire tentaret, sed nequiret, ab igne capitur et ejus jam vestimenta uruntur. Rediens vero ad solitum orationis confugium et crucis emittens signaculum in medio ignis intactus permansit et flammas sensit rorantes, quas male expertus erat urentes. Monachi igitur excitati concurrunt et Martinum, quem jam consumtum putabant, de medio flammarum illaesum educunt. Multae compassionis erga delinquentes, quia omnes volentes poenitere compassionis sinu recipiebat. Nam et cum dyabolus Martinum reprehenderet, cur semel lapsos ad poenitentiam reciperet, eidem respondit: si tu ipse, o miserabilis, ab hominum infestatione desisteres et te factorum tuorum poeniteret, ego tibi confisus in domino Christi misericordiam pollicerer. Multae pietatis erga pauperes; legitur in praedicto dyalogo, quod Martinum in quadam festivitate ad ecclesiam tendentem pauper quidam nudus secutus est. Martinus autem archidyacono praecepit, ut egentem vestiret, sed cum hoc ille facere distulisset, ingressus Martinus secretarium tunicam suam illi tribuit et continuo abscedere jussit. Cum ergo archidyaconus moneret, ut ad sollemnia peragenda procederet, ille de se loquens respondit, se ire non posse, donec pauper vestem accipiat. Archidyaconus vero non intelligens, quia, cum extrinsecus cappa tectus esset, ipsum nudum interius non videbat, pauperem non adesse causatur. At ille: mihi, inquit, vestis deferatur

et pauper non aderit vestiendus. Compulsus ille ad forum vadit et quinque argenteis tunicam vilem et curtam, quae dicitur paenula, quasi paene nulla, rapiens ante pedes Martini iratus projecit. Quam ille secreto induit, cujus manicae usque ad cubitum et longitudo usque ad genua protendebatur, et sic missam celebraturus procedit. Dum autem missam celebraret, globus igneus super caput ejus apparuit et a multis ibidem visus fuit. Ob hoc par apostolis dicitur. Huic autem miraculo addit magister Johannes Beleth, quod, cum in missa manus ad Deum, ut moris est, levaret, manicis linteis retro labentibus, cum nec brachia ejus essent grossa nec multum carnosa nec praefata tunica protenderetur nisi usque ad cubitum, remanserunt eadem brachia nuda. Tunc miraculose torques aurei et gemmati deferuntur ab angelis et brachia decenter operiuntur. [1]) Qui etiam tonsam quadam vice conspiciens: evangelicum, inquit, mandatum ista complevit; duas tunicas habuit et unam non habenti largita est, ita et vos, inquit, facere debetis. Multae potestatis erga daemones pellendos, saepe enim ipsos daemones ex hominibus expulit. Legitur etiam in dicto dyalogo, quod quaedam vacca a daemone agitata, cum ubique saeviret et multos confoderet et versus Martinum et socios suos in itinere furibunda concurreret, ille manu elevata ipsam sistere jubet. Qua immobili permanente vidit daemonem dorso illius insidentem, quem increpans: discede, inquit, funeste de pecude et innoxium animal agitare desiste. Quo protinus discedente vacca ad ejus pedes prosternitur et ad ejus imperium cum omni mansuetudine ad gregem suum revertitur. Multae subtilitatis ad eos cognoscendos; daemones enim sibi ita conspicabiles reddebantur, ut aperte ab ipso sub quacunque imagine viderentur. Nam interdum daemones in Jovis persona, plurimumque Mercurii, aliquando Veneris vel Minervae transfiguratos se ejus [2]) vultibus offerebant, quos ille omnes suis nominibus increpabat, Mercurium maxime patiebatur infestum, Jovem brutum atque hebetem esse dicebat. Quadam etiam vice dyabolus in forma regis purpura et dyademate et aureis caligis ornatus sereno ore laetaque facie sibi apparuit, cumque diu ambo tacuissent: agnosce, inquit, Martine, quem celis; Christus ego sum descensurus ad terras, prius me tibi manifestare volui. Ad hoc cum adhuc Martinus admirans taceret, rursus ait: Martine, cur dubitas credere, cum me videas? Christus

---

1) Vulgo: quem perperam scribitur. 2) Ed. Pr. militibus legit.

ego sum. Tunc ille a spiritu sancto doctus ait: dominus Jesus Christus non se purpuratum, inquit, et dyademate renitentem venturum esse praedixit, ego Christum nisi in eo habitu et forma, qua passus est, nisi crucis stigmata praeferentem venisse non credam. Ad hanc vocem ille disparuit et totam cellam foetore complevit. Martinus autem obitum suum longe ante praescivit, quem etiam fratribus revelavit. Interea Candacensem dyoecesin causa sedandae discordiae visitavit, pergens vero vidit mergos in flumine piscibus insidiantes et quosque capientes: forma, inquit, haec daemonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, saturari nequeunt devorantes. Imperat igitur, ut relicto gurgite desertas peterent regiones, statimque grege facto montes silvasque petierunt. In illa igitur dyoecesi aliquamdiu commoratus viribus corporis coepit destitui et discipulis indicat se jam resolvi. Tunc omnes flentes: cur nos, inquiunt, pater, deseris aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Et ille eorum motus precibus fletibusque flens quoque sic oravit: domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Dubitavit enim paene, quod mallet, quia nec hos deserere nec a Christo volebat diutius separari. Itaque cum aliquamdiu molestia febrium teneretur et a discipulis rogaretur, ut in lectulo suo, ubi in cilicio et cinere decumbebat, stramentum aliquod poneretur: non decet, inquit, filii, christianum nisi in cilicio et cinere mori; ego si vobis aliud exemplum relinquo, ipse peccavi. Oculis ac manibus in coelum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat, et cum supinus semper jaceret et a presbiteris rogaretur, ut corpusculum mutatione lateris relevaret: sinite me, inquit, fratres, sinite coelum potius respicere, quam terram, ut spiritus ad dominum dirigatur. Et haec dicens vidit dyabolum assistere: quid hic, inquit, adstas, cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, Abrahae me sinus recipiet. Et in hac voce sub Arcadio et Honorio, qui coeperunt circa annum domini CCCXCV, vitae ejus LXXXI spiritum Deo reddidit vultusque ejus tamquam jam glorificatus resplenduit ac chorus angelorum ibidem concinens a multis auditus fuit. Ad ejus transitum Pictavi sicut Turonici convenerunt ibique magna altercatio orta est. Dicebant enim Pictavi: noster est monachus, nos requirimus commendatum. Quibus illi: vobis ablatus est nobis a Deo donatus. Nocte igitur media Pictavi omnes penitus sopiuntur et sic a Turonicis per fenestram ejectus

per Ligerim navigio ad urbem Turonicam cum magno gaudio deportatur. Beatus autem Severinus Coloniensis episcopus, cum die dominica loca sancta post matutinas more solito circuiret, illa hora, qua vir sanctus obiit, angelos cantantes in coelo audivit vocansque archidyaconum interrogat, si aliquid audiret. Et cum se nihil audire diceret et archiepiscopus, ut diligenter auscultaret, moneret, coepit sursum collum extendere, aures erigere et super summis articulis baculo se sustentans stare. Sed dum archiepiscopus pro eo orasset, quasdam in coelo voces audire se dixit. Cui archiepiscopus: dominus meus Martinus est, qui migravit e mundo, et nunc angeli eum in coelum deferunt. Daemones autem affuerunt, qui eum retinere voluerunt, sed nihil in eo reperientes confusi recesserunt. Archidyaconus igitur diem et horam notavit et tunc Martinum migrasse cognovit. Severus etiam monachus, qui vitam ejus scripsit, cum post matutinas leniter obdormivisset, sicut ipse in quadam epistola testatur, sanctus Martinus albis indutus, vultu igneo, stellantibus oculis, crine purpureo, tenens librum in manu dextra, quem de vita ejus idem Severus scripserat, eidem apparuit, cumque post benedictionem in coelum conscendere ipsum videret et cum eo adscendere cuperet, evigilavit. Post hoc autem nuntiis venientibus eadem nocte sanctum Martinum migrasse audivit. Eo quoque die sanctus Ambrosius Mediolanensis episcopus missam celebrans super altare inter prophetiam et epistolam obdormivit, et cum nullus eum excitare praesumeret et subdyaconus nisi ipso jubente epistolam non auderet legere, transactis duarum vel trium horarum spatiis excitaverunt eum dicentes: jam hora praeteriit et populus valde lassus exspectat, jubeat dominus noster, ut clericus epistolam legat. Ad quos ille: nolite turbari, frater enim meus Martinus ad Deum migravit et ego ejus funeri interfui et obsequium praebui, sed ultimam responsionem vobis excitantibus explere non valui. Tunc illi diem ex hora notantes invenerunt sanctum Martinum tunc migrasse ad coelum. Cappam ejus, ut ait magister Johannes Beleth, reges Franciae in proeliis portare consueverunt, unde ipsius cappae custodes cappellani dicebantur. Post mortem autem ejus anno sexagesimo quarto, cum beatus Perpetuus ejus ecclesiam magnifice ampliasset et in eam corpus ejus transferre vellet, semel et bis et tertio jejuniis et vigiliis insistentes sepulchrum ejus nullatenus movere potuerunt, cumque vellent dimittere, quidam senex pulcherrimus iis apparuit dicens: usque quo tardatis? non videtis

sanctum Martinum paratum juvare vos, si manum apponitis? Tunc ille cum iis manum supposuit et cum summa velocitate sepulchrum levaverunt et in loco, ubi nunc colitur, posuerunt. Senex autem ille post hoc nusquam comparuit. Haec translatio in mense Julii celebratur. [1]) Refert Odo abbas Cluniacensis, quod tunc omnes campanae in omnibus ecclesiis nullo tangente pulsabantur et omnes lampades divinitus accendebantur. Fertur quoque, quod tunc duo socii erant, quorum unus erat caecus et alter contractus. Caecus autem contractum ferebat et contractus caeco [2]) viam demonstrabat, sicque taliter mendicantes multam pecuniam acquirebant. Audientes vero, quod ad corpus sancti Martini multi sanabantur infirmi, cum in translatione ejus corpus circa ecclesiam processionaliter duceretur, timere coeperunt, ne praedictum corpus juxta domum, ubi manebat, duceretur et sic ipsi forsitan curarentur. Nolebant enim sanitatem consequi, ne deperiret materia quaestus sui. Quapropter *de illa* strata fugientes se ad aliam transferebant, per quam corpus nequaquam duci putabant. Dum ergo fugerent, corpori ejus de improviso protinus obviaverunt, et quia Deus multa praestat invitis, ambo contra eorum voluntatem continuo sunt curati, licet de hoc plurimum tristarentur. Ambrosius autem de sancto Martino sic ait: beatus Martinus profani erroris templa destruxit, vexilla pietatis erexit, mortuos suscitavit, ab obsessis corporibus daemonia saeva exclusit ac variis laborantes languoribus salutis remedio sublevavit. Qui ita perfectus inventus est, ut Christum texisset in paupere et veste, quam egenus acceperat, mundi dominum induisset. O felix largitas, [3]) qua divinitas operitur! O chlamydis gloriosa divisio, quae militem contexit et regem! O inaestimabile donum, quod vestire meruit divinitatem! Digne huic, domine, confessionis tuae praemia contulisti, digne ei Arianorum subjacuit feritas, digne amore martirii persecutoris tormenta non timuit. Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate vestis exiguae Deum vestire meruit et videre? Sic sperantibus contulit medicinam, ut alios supplicationibus, alios visu salvaret.

---

1) Verba: Refert — accendebantur omittit Ed. Pr. 2) Ed. Pr. legit manu loco vocis viam. 3) Ed. Pr. quam d. operatur legit.

CAP. CLXVII. (162.)
De sancto Briccio.

Briccius sancti Martini dyaconus ejusque plurimum exemplum multa eidem sancto convicia inferebat. Nam cum quidam pauper Martinum requireret, dixit ei Briccius: si illum delirum quaeris, prospice eminus, ille enim est, qui quasi amens coelum respicit. Cum igitur pauper a Martino, quae petierat, accepisset, vir sanctus Briccium ad se vocans dixit: an ego tibi delirus videor, Bricci? Quod cum ille prae verecundia se dixisse negaret, ait Martinus: nonne aures meae ad os tuum erant, quando hoc eminus loquebaris? Amen dico tibi, quia ab domino obtinui, ut mihi in episcopatu succedas, sed scias, multa te in episcopatu adversa passurum. Quod Briccius audiens irridebat dicens: nonne verum dixi, istum delirum esse? Post mortem igitur Martini Briccius in episcopum est electus, qui deinceps orationi vacabat et licet adhuc superbus, tamen corpore castus erat. Anno autem episcopatus sui XXX mulier quaedam religiose vestita, quae ejus vestimenta lavabat, concepit et filium peperit. Tunc omnis populus cum lapidibus ad ejus januam congregatus est dicens: diu pietate sancti Martini luxuriam tuam dissimulavimus, sed jam nequaquam pollutas manus osculari valemus. Ille autem viriliter hoc negante: adducite, ait, ad me infantem. Quo allato, cum XXX esset dierum, dixit ad eum Briccius: adjuro te per filium Dei, ut dicas coram omnibus, si ego te genui. Et ille: non tu, inquit, es pater meus. Populo autem urgente, ut, quis esset ejus pater, requireret, ille ait: non est hoc meum; feci, quod ad me pertinuit. Populus autem hoc totum magicis artibus attribuebat dicens: nequaquam nobis falso pastoris nomine dominaberis. Tunc ille pro sui purgatione prunas ardentes usque ad tumbam sancti Martini cunctis videntibus deportavit, projectisque prunis vestis ejus illaesa apparuit et ait: sicut hoc meum vestimentum a prunis mansit illaesum, sic corpus meum a contactu mulieris est mundum. Populo autem adhuc non credente sanctum Briccium contumeliis et injuriis afficiunt et a sua dignitate ejiciunt, ut verbum, quod sanctus Martinus dixerat, impleretur. Tunc Briccius flens papam adiit et VII annis ibidem permanens, quidquid in sanctum Martinum deliquerat, poenitendo delevit. Populus

autem Justinianum praefecit et Romam contra Briccium misit, ut episcopatum sibi contra Briccium defensaret. Quo cum tenderet, in civitate Vercellensi vitam finivit et Armenium loco ejus populus omnis praefecit. Septimo igitur anno Briccius cum auctoritate papae rediens sexto ab urbe milliario hospitium accepit et Armenius eadem nocte spiritum exhalavit. Quod Briccius per revelationem cognoscens ait suis, ut surgerent et secum ad tumulandum Turonensem episcopum properarent. Cum ergo Briccius per unam portam civitatem ingrederetur, ille autem per aliam mortuus efferebatur. Quo sepulto sanctus Briccius sedem suam accepit et VII postmodum annis praesidens et vitam laudabilem ducens [1]) XLVIII. anno episcopatus sui in pace quievit.

CAP. CLXVIII. (163.)
De sancta Elizabeth.

Elizabeth interpretatur: Deus meus cognovit, vel: Dei mei septima vel Dei mei saturitas. Dicitur ergo primo Elizabeth: Deus meus cognovit, quia Deus eam cognovit, id est, suo bene placito observavit et approbavit vel cognovit, id est notitiam suae cognitionis sibi infudit. Secundo dicitur Elizabeth, id est Dei mei septima; ipsa enim habuit septimam Dei, vel quia VII operibus misericordiae se exercuit vel quia nunc est in septima aetate quiescentium, perventura tandem in octavam resurgentium, vel propter VII status, in quibus fuit. Ipsa namque fuit primo in statu virginali, secundo in statu conjugali, tertio in statu viduali, quarto in statu activo, quinto in statu contemplativo, sexto in statu religioso et nunc septimo est in statu glorioso. Et isti septem status manifeste continentur in legenda sua, ut possit dici de ea, quod dicitur in Daniele de Nabuchodonosor: septem tempora mutabuntur super eam. Tertio dicitur Dei mei saturitas; Deus enim modo satiavit eam et replevit splendore veritatis, dulcedine suavitatis et vigore [2]) aeternitatis. Unde Augustinus in libro de civitate Dei agens de civitate coelesti dicit: in aeternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

---

1) Ed. Pr. XLVII offert. 2) Ed. Pr. trinitatis legit.

1. Elizabeth, illustris Ungariae regis filia, genere nobilis, sed fide ac religione nobilior stirpem tam nobilem nobilitavit exemplis, illustravit miraculis et decoravit gratia sanctitatis. Quam auctor naturae supra naturam quodammodo extulit, dum puella regalibus nutrita deliciis omnia puerilia aut omnino contemneret aut eadem in Dei obsequium manciparet, ut liquido clareat, tenera ejus infantia quanta simplicitate viguit, quanta dulci devotione incepit. Extunc siquidem coepit bonis assuescere studiis, ludos spernere vanitatis, successus prosperos fugere mundi, proficere semper in reverentia Dei. Cum enim adhuc esset quinquennis, in ecclesia orandi gratia tam sedula permanebat, ut eam ejus sodales vel ancillae avellere vix valerent. Quam cum ancillae vel coaetaneae observarent, aliquam de illis causa ludi versus [1]) cappellam insequi videbatur, ut ex hoc intrandi ecclesiam opportunitatem captaret. Quam ingrediens genua flectebat aut pavimento totaliter incumbebat, et licet litterarum peritiam non haberet, tamen coram se in ecclesiis saepe psalterium expandebat, ut quodammodo se legere fingeret, ne velut occupatam quis impediret; se quoque cum puellis ad terram prostratam ludi specie mensurabat, ut sub tali occasione Deo reverentiam exhiberet. In ludo etiam et annulorum et aliis ludis spem totam in Deo ponebat. Et ex his, quae puella parvula lucrabatur vel alias peculiariter possidebat, puellis pauperculis decimas exhibebat inducens eas, ut saepe orationem dominicam dicerent et crebro virginem salutarent. Crescens vero per aetatem temporis et crescebat amplius per affectum devotionis, nam beatam virginem Dei genitricem in sui patronam et advocatam et beatum Johannem evangelistam in suae castitatis custodem elegit. Cum enim singulae schedulae singulorum apostolorum nominibus inscriptae altari imponerentur et quaelibet aliarum puellarum casu sibi schedulam contingentem acciperet, ista oratione fusa tribus vicibus schedulam, ubi nomen sancti Petri erat inscriptum, ut desiderabat, accepit, ad quem tanto devotionis ferebatur affectu, ut nihil in ejus nomine petentibus denegaret. Ne vero mundi successus sibi nimium blandiretur, quotidie in rebus prosperis sibi aliquid detrahebat. Cum enim in aliquo ludo sibi prospere succederet, reliquum intermittens dicebat: nolo procedere, sed propter Deum reliquum intermitto. Ad choreas quoque cum puellis caeteris advocata, cum unum cir-

1) Ed. Pr. capulam — ex hoc intrandi e. ut opportunitatem etc. legit.

cuitum peregisset, dicebat: sufficiat vobis unus circuitus, jam propter Deum alios dimittamus, et sic per talem modum puellas a vanitatibus temperabat. Vestimentorum lascivos usus semper abhorruit et omnem in his honestatem dilexit. Certum quoque sibi numerum orationum indixerat, quem si quando aliqua occupatione praeventa non potuisset perficere et ab ancillis lectum ingredi cogeretur, eum coelesti sponso vigilias vigilanter solvebat; dies quoqu sollemnes puella nobilis tanta devotione colebat, ut etiam manicas sibi consui nulla ratione pateretur, antequam missarum *sollemnia* complerentur. Chirothecarum etiam usus ante meridiem in diebus dominicis sibi interdixit, volens in hoc et sacrae deferre sollemnitati et suae satisfacere devotioni. Propter quod solita erat ad haec et similia se per votum adstringere, ne quis eam posset aliquibus suasionibus a suo proposito revocare. Officium ecclesiasticum audiebat cum tanta reverentia, ut, cum sacra *legerentur* evangelia vel sacra hostia conficeretur, manicas, *si forte* consutae essent, solveret, monilia deponeret et caetera capitis ornamenta in imo locaret. At ubi gradum virginalem prudenter rexit et innocenter percurrit, conjugalem gradum intrare compellitur, utpote quae ad hoc [1]) paterno imperio urgebatur, fructum perceptura tricesimum, quae fidem trinitatis servavit [2]) cum decalogo praeceptorum. Consensit igitur licet invita in copulam conjugalem, non ut libidini consentiret, sed ne patris praeceptum contemneret et ut filios educandos ad Dei servitium procrearet. Quamvis enim fuerit legi tori conjugalis adstricta, nulli tamen delectationi fuit subjecta. Quod inde manifeste constat, quoniam in manibus magistri Conradi votum emisit, quod, si viro suo eam supervivere contingeret, *continentiam* perpetuam observaret. Fuit ergo lantgravio Thuringiae sociata conjugio, prout regalis [3]) exigebat magnificentia et dispositio ordinavit divina, ut scilicet ibidem multos ad Dei amorem adduceret et incultos homines edoceret. Licet autem mutaverit statum mentis, non tamen mutavit mentis affectum. Quantae autem fuerit devotionis et humiliationis ad Deum, quantae austeritatis et abstinentiae ad se ipsam, quantae largitatis et misericordiae ad pauperes, ex his, quae subjecta sunt, apertius declaratur. Nam in oratione tanti exstitit fervoris, ut etiam ancillas ad ecclesiam gradu concito praeveniret, ut quasi quibusdam clandestinis orationibus aliquam Dei

1) Ed. Pr. praemittit throno. 2) Ed. Pr. legit in. 3) Alii: exhibebat.

gratiam impetraret. In nocte ad orationem saepe surgebat, rogante eam marito, ut sibi parceret et quieti alicui corpus donaret. Ordinavit autem cum quadam domicella sibi inter caeteras magis familiari, ut, si forte somno depressa non surgeret, eam pede tangens excitaret. Quadam vero vice pedem dominae tangere voluit et casu in pedem mariti impegit, qui subito excitatus rem, ut erat, didicit et patienter sufferens prudenter dissimulavit. Et ut orationum suarum Deo pingue redderet sacrificium, saepe ipsum irrigabat abundantia lacrymarum; quas quidem lacrymas fundebat jucunde et sine aliqua indecenti vultus permutatione, ita ut semper cum dolore fleret et de dolore gauderet et hoc quadam vultus laetitia venustaret. Tantae humilitati se subjecit, ut propter Dei amorem vilia et abjecta non sperneret et hoc cum devotione nimia exerceret. Nam infirmum quendam vultu deformem, capitis foetore horribilem in sinu proprio reclinavit et horridum crinem tondens ejus caput ancillis ridentibus lavit. In rogationibus semper processionem nudis pedibus induta laneis sequebatur et in praedicationum stationibus inter pauperculas tamquam pauper et humilis residebat, in purificatione post partum nequaquam se ut caeterae gemmis ornabat vel vestibus deauratis tegebat, sed exemplo intemeratae puerperae filium propriis gestans in ulnis ipsum ad altare cum agno et candela humiliter offerebat, ut ex his et seculi pompam contemnendam ostenderet et se illibatae puerperae conformaret. Deinde domum rediens vestimenta ipsa, cum quibus ad ecclesiam processerat, alicui pauperi mulieri tribuebat. Accidit quoque ad suae humilitatis praeconium, quod ipsa libertate praecellens et dignitate sublimis cujusdam viri, scilicet magistri Conradi pauperis et medici, sed tamen scientia et religione praecipui, salvo jure matrimonii et consentiente marito, obedientiae adeo se subjecit, ut, quidquid praeciperet, ipsa cum reverentia et multo gaudio adimpleret, ut ex hoc obedientiae perciperet meritum et domini salvatoris, qui factus est obediens usque ad mortem, imitaretur exemplum. Quadam autem vice ad quandam praedicationem ab ipso vocata, superveniente marchionissa Misenensi impedita non venit. Quod ille aegre ferens tantam ejus inobedientiam relaxare noluit, donec usque ad camisiam exspoliatam cum quibusdam ancillis suis, quae culpabiles fuerant, fortiter verberari fecit. Sibi quoque tantam abstinentiam et rigorem imponebat, ut corpus suum vigiliis, disciplinis et jejuniis maceraret. Nam saepe a viri toro

abstinens noctes ducebat insomnes, ut orationibus posset insistere et in abscondito patrem coelestem orare, cumque somni interpellaret necessitas, super strata tapetia dormiebat, sed cum maritus abesset, cum sponso coelesti in orationibus pernoctabat. Saepe etiam per manus ancillarum faciebat se in cubiculo fortiter verberari, ut salvatori flagellato vicem rependeret et [1]) carnem ab omni lascivia coerceret. Tantam autem in cibo et potu temperantiam exhibebat, ut in mensa mariti inter diversa ferculorum genera interdum pane simplici esset contenta. Magister enim Conradus sibi interdixit, ne de cibis mariti quidquam contingeret, de quibus sanam conscientiam non haberet. Quod ipsa tanta diligentia observavit, ut aliis diversis deliciis abundantibus ipsa cum ancillis suis cibis grossioribus uteretur. Saepe tamen ad mensam sedebat et cibos manu contrectabat et dividebat, ut ex hoc comedere videretur, ne superstitionis notam incurreret, sed urbanitate *tali cunctos* convivas laetificaret. Quadam vice, cum longi *itineris fuisset* labore depressa, et marito et sibi fuissent cibi diversi oblati, qui [2]) non credebantur de justis laboribus acquisiti, omnino abstinuit et nigrum panem et durum in aqua calida madefactum cum suis ancillis patienter comedit. Ob hoc quosdam reditus justos vir suus sibi assignaverat, de quibus cum quibusdam ancillis suis, quae sibi ad haec omnia consentiebant, vivebat. Saepe autem cibos curiae respuit et aliquorum bonorum virorum cibaria requisivit. Haec autem vir suus omnia cum patientia supportabat, asserens, quod haec et ipse libenter faceret, si turbationem suae familiae non timeret. Statum quoque paupertatis in summa gloria constituta summopere affectabat, ut et Christo pauperi vicem rependeret et mundus in ea nil proprium haberet. Quapropter interdum, cum sola esset cum ancillis, vestimentis vilibus induens se et despecto velo caput suum operiens dicebat: taliter incedam, cum ad statum venero paupertatis. Licet autem sibi abstinentiae frenum imposuerit, tanta tamen liberalitate se ad pauperes effundebat, ut nullum aliqua premi inedia pateretur, sed omnibus adeo largissime subveniebat, ut omnes eam matrem pauperum acclamarent. [3])Septem enim misericordiae operibus tota vigilantia insudabat, ut regnum perpetuum perpetuo regnatura perciperet et paternam benedictionem cum benedictis ad dextram possideret. Ipsa namque nudos vestiebat, si-

---

1) Ed. Pr. addit carcere. 2) Ed. Pr. particulam ut loco negationis exhibet. 3) Alii: sex.

quidem vestimenta impendebat nudis peregrinorum et pauperum corporibus sepeliendis et pueris baptizandis, quos quidem pueros saepe de sacro fonte levabat et propriis manibus eorum vestimenta suebat, ut compaternitate contracta iis liberius subveniret. Accidit autem, ut cuidam pauperculae quoddam satis bonum tribueret vestimentum, illa autem videns donum tam magnificum, tam ingenti gaudio est perfusa, ut ad terram cadens mortua crederetur. Quod beata Elizabeth videns doluit, se sibi tanta dedisse, timens, ne sibi fieret causa mortis, sed tamen pro ea oravit et ipsa sanata surrexit. Saepe autem ipsa cum ancillis propriis manibus lanam filabat et inde vestimenta fieri faciebat, ut ex hoc bonorum laborum gloriosum reciperet fructum et exemplum verae humilitatis praeberet et de proprii corporis laboribus elemosinam daret Deo. Ipsa esurientes pascebat, pauperibus enim alimenta praebebat, adeo ut lantgravio viro suo profecto ad curiam Friderici imperatoris, quae tunc erat [1])Cremonae, ipsa omnem annonam de suis grangiis collegit et congregatis undecunque pauperibus quotidie iis necessaria ministrabat eo, quod tunc [2])charistia et valida fames imminebat. Saepe autem, cum pecunia iis deficeret, ornamenta vendebat, ut pauperibus subveniret: multa enim sibi et suis ancillis consuevit subtrahere et pauperibus reservare. Ipsa sitientes potabat. Quadam autem vice cerevisiam pauperibus distribuens, cum unicuique sufficienter dedisset, inventum est, quod vas nullam habuit deminutionem, sed eandem, quam prius, mensuram servavit. Ipsa hospitio peregrinos et pauperes suscipiebat, domum enim maximam sub altissimo castro construxit, in qua infirmorum magnam multitudinem refovebat, quos diebus singulis non obstante difficultate ascensus vel descensus visitans et iis omnia necessaria ministrabat et verbis excitatoriis ad patientiam inducebat, et licet omnem corruptionem aëris semper aegre portaverit, infirmorum tamen corruptiones propter Dei amorem etiam tempore aestivo non abhorruit, sed remedia adhibuit, velo proprii capitis tersit et manibus propriis contrectavit, licet ancillae talia [3])graviter tolerarent. In eadem quoque domo puerulos pauperum feminarum nutriri cum summa diligentia faciebat, quibus se tam dulcem et humilem exhibebat, ut eam omnes matrem vocarent et intrantem domum cuncti tamquam matrem filii sequerentur et ante eam catervatim cum summo studio colloca-

1) Ed. Pr. legit: Tremmoniae. 2) Ed. Pr. legit: eucharistia.
3) Ed. Pr. non negationem pro adverbio graviter offert.

rentur. Ipsa vero et olliculas et annulos vitreos et quaedam alia vitrea emi fecerat, ut pueri ludos pueriles in talibus exercerent. Quae dum in pallio proprio equitans in castrum deferret, de rupe altissima super lapides ceciderunt, sed nulla in iis laesio est inventa. Ipsa infirmos visitabat, miserorum enim compassio adeo ejus animum vindicabat, quod eorum hospitia frequenter perquirens eos sollicite visitabat, eorum camerulas familiariter et devote subintrans nec difficultate viae pertenta nec longitudine lacessita, quibus subveniebat in necessariis, et verba exhibebat consolationis. Propter quod ex quintuplici consideratione remunerationem accepit, scilicet ex dignatione visitationis, ex labore itineris, ex affectu compassionis, ex affatu consolationis et ex largitione muneris. Ipsa sepulturas pauperum frequentabat, mente namque devota pauperum currebat ad funera et vestes, quas propriis manibus fecerat, eorum corporibus coaptabat adeo, ut semel velum suum linteum magnum in partes concideret et cujusdam pauperis corpus involveret. Eorum etiam funera propriis manibus contrectabat et in ipsorum obsequiis devota manebat. Inter haec laudanda est devotio viri sui, qui licet negotiis multis esset implicitus, in Dei tamen obsequio erat devotus et quia ipse talibus personaliter intendere non valebat, uxori suae potestatem concesserat agendi omnia, quae Dei honorem respicerent et animae suae salutem afferrent. Cupiens vero beata Elizabeth, ut vir suus in fidei defensionem [1]) potentiae suae arma converteret, ipsum salubri exhortatione induxit, ut ad terram sanctam pergeret visitandam. Ubi dum esset, ipse lantgravius princeps fidelis, devotus et inclytus fide integra et devotione sincera Deo reddidit spiritum, suorum operum fructum recipiens gloriosum. Et sic ipsa vidualem statum cum devotione amplectitur, ne vidualis continentiae praemio fraudaretur, sed fructum [2]) sexagesimum sic perciperet, utpote quae decalogum praeceptorum cum [3]) septem misericordiae operibus observaret. Verum cum mors viri sui per totam fuisset Thuringiam divulgata, de patria ipsa tamquam dissipatrix et prodiga a quibusdam vasallis viri sui turpiter et totaliter est ejecta, ut ex hoc ejus patientia claresceret et paupertatis diu conceptum desiderium obtineret. Adveniente igitur nocte in domo cujusdam tabernarii in loco, ubi porci jacuerant, se recepit Deo gratias multas agens. Hora vero matutinali ad domum

---

1) Haec Ed. Pr. ita exhibet: ut potentiae suae arma salutem afferrent, converteret. 2) Ed. Pr. omittit sexagesimum. 3) Alii sex.

fratrum minorum pergens rogavit, ut pro sua tribulatione Deo gratias agerent et te Deum laudamus cantarent. Sequenti die domum cujusdam sui aemuli cum suis parvulis jussa est ingredi, arto sibi loco ibidem admodum assignato. Quae dum ab hospite et hospita plurimum gravaretur, parietibus valefecit dicens: libenter hominibus valefacerem, si beneficos invenirem. Compulsa igitur ad locum priorem rediit et parvulos suos ad loca diversa alendos transmisit. Dum vero per quandam viam strictam luto profundo plenam super quosdam lapides ibidem positos pergeret et vetula quaedam, cui jam multa beneficia obtulerat, super eosdem lapides transiens eidem cedere recusaret, ipsa in lutum profundum cecidit et surgens vestimenta sua gaudens et ridens abstersit. Post hoc autem abbatissa ejus matertera ipsius nimium paupertati compatiens ad episcopum Babenbergensem ipsius avunculum eam duxit, qui eam honeste suscipiens caute retinuit, intendens ipsam secundis nuptiis copulare. Quod cum ancillae, quae secum continentiam voverant, didicissent et ex hoc se multis lacrymis affligerent, beatae Elizabeth cum gemitu hoc retulerunt, quae eas confortans ait: confido in domino, pro cujus amore continentiam vovi perpetuam, qui meum propositum firmum custodiet et omnem violentiam conteret et consilium humanum dissolvet, et si forte avunculus meus voluerit me alicui copulare, animo dissentiam et verbis pariter contradicam, et si nullum aliud mihi evadendi superesset remedium, nasum mihi proprium detruncarem, ut me sic deformem quilibet exhorreret. Cum igitur de mandato ipsius episcopi ad quoddam castrum invita fuisset deducta moratura ibidem, donec in conjugium tenderetur, et ipsa suam castitatem domino cum lacrymis commendasset, ecce domino disponente ossa viri sui de ultramarinis partibus deferuntur. Jussa est igitur ab episcopo reduci, ut ossibus viri sui devota occurrat. Ipsa ergo ossa ab episcopo cum honorabili processione et ab ipsa cum multa devotione et lacrymarum effusione suscepta sunt. Quae conversa ad dominum dixit: gratias tibi ago, domine, quia in susceptione ossium viri mei dilecti tui me miseram consolari dignatus es; tu scis, domine, quia, licet ipsum te amantem multum amaverim, tamen ob tui amorem ejus praesentia carui et in sanctae terrae tuae subsidium destinavi, et quamvis delectabile mihi esset adhuc cum eo vivere tali conditione, ut cum ipso per totum mundum paupercula mendicarem, tamen te teste contra tuam voluntatem uno crine ipsum non redimerem nec ad vitam mortalem

rentur. Ipsa vero et ollieulas et annulos vitreos et quaedam alia vitrea emi fecerat, ut pueri ludos pueriles in talibus exercerent. Quae dum in pallio proprio equitans in castrum deferret, de rupe altissima super lapides ceciderunt, sed nulla in iis laesio est inventa. Ipsa infirmos visitabat, miserorum enim compassio adeo ejus animum vindicabat, quod eorum hospitia frequenter perquirens eos sollicite visitabat, eorum camerulas familiariter et devote subintrans nec difficultate viae pertenta nec longitudine lacessita, quibus subveniebat in necessariis, et verba exhibebat consolationis. Propter quod ex quintuplici consideratione remunerationem accepit, scilicet ex dignatione visitationis, ex labore itineris, ex affectu compassionis, ex affatu consolationis et ex largitione muneris. Ipsa sepulturas pauperum frequentabat, mente namque devota pauperum currebat ad funera et vestes, quas propriis manibus fecerat, eorum corporibus coaptabat adeo, ut semel *velum suum* linteum magnum in partes concideret et cujusdam pauperis corpus involveret. Eorum etiam funera propriis manibus contrectabat et in ipsorum obsequiis devota manebat. Inter haec laudanda est devotio viri sui, qui licet negotiis multis esset implicitus, in Dei tamen obsequio erat devotus et quia ipse talibus personaliter intendere non valebat, uxori suae potestatem concesserat agendi omnia, quae Dei honorem respicerent et animae suae salutem afferrent. Cupiens vero beata Elizabeth, ut vir suus in fidei defensionem [1]) potentiae suae arma converteret, ipsum salubri exhortatione induxit, ut ad terram sanctam pergeret visitandam. Ubi dum esset, ipse lantgravius princeps fidelis, devotus et inclytus fide integra et devotione sincera Deo reddidit spiritum, suorum operum fructum recipiens gloriosum. Et sic ipsa vidualem statum cum devotione amplectitur, ne vidualis continentiae praemio fraudaretur, sed fructum [2]) sexagesimum sic perciperet, utpote quae decalogum praeceptorum cum [3]) septem misericordiae operibus observaret. Verum cum mors viri sui per totam fuisset Thuringiam divulgata, de patria ipsa tamquam dissipatrix et prodiga a quibusdam vasallis viri sui turpiter et totaliter est ejecta, ut ex hoc ejus patientia claresceret et paupertatis diu conceptum desiderium obtineret. Adveniente igitur nocte in domo cujusdam tabernarii in loco, ubi porci jacuerant, se recepit Deo gratias multas agens. Hora vero matutinali ad domum

1) Haec Ed. Pr. ita exhibet: ut potentiae suae arma salutem afferrent, converteret. 2) Ed. Pr. omittit sexagesimum. 3) Alii sex.

fratrum minorum pergens rogavit, ut pro sua tribulatione Deo gratias agerent et te Deum laudamus cantarent. Sequenti die domum cujusdam sui aemuli cum suis parvulis jussa est ingredi, arto sibi loco ibidem admodum assignato. Quae dum ab hospite et hospita plurimum gravaretur, parietibus valefecit dicens: libenter hominibus valefacerem, si beneficos invenirem. Compulsa igitur ad locum priorem rediit et parvulos suos ad loca diversa alendos transmisit. Dum vero per quandam viam strictam luto profundo plenam super quosdam lapides ibidem positos pergeret et vetula quaedam, cui jam multa beneficia obtulerat, super eosdem lapides transiens eidem cedere recusaret, ipsa in lutum profundum cecidit et surgens vestimenta sua gaudens et ridens abstersit. Post hoc autem abbatissa ejus matertera ipsius nimium paupertati compatiens ad episcopum Babenbergensem ipsius avunculum eam duxit, qui eam honeste suscipiens caute retinuit, intendens ipsam secundis nuptiis copulare. Quod cum ancillae, quae secum continentiam voverant, didicissent et ex hoc se multis lacrymis affligerent, beatae Elizabeth cum gemitu hoc retulerunt, quae eas confortans ait: confido in domino, pro cujus amore continentiam vovi perpetuam, qui meum propositum firmum custodiet et omnem violentiam conteret et consilium humanum dissolvet, et si forte avunculus meus voluerit me alicui copulare, animo dissentiam et verbis pariter contradicam, et si nullum aliud mihi evadendi superesset remedium, nasum mihi proprium detruncarem, ut me sic deformem quilibet exhorreret. Cum igitur de mandato ipsius episcopi ad quoddam castrum invita fuisset deducta moratura ibidem, donec in conjugium tenderetur, et ipsa suam castitatem domino cum lacrymis commendasset, ecce domino disponente ossa viri sui de ultramarinis partibus deferuntur. Jussa est igitur ab episcopo reduci, ut ossibus viri sui devota occurrat. Ipsa ergo ossa ab episcopo cum honorabili processione et ab ipsa cum multa devotione et lacrymarum effusione suscepta sunt. Quae conversa ad dominum dixit: gratias tibi ago, domine, quia in susceptione ossium viri mei dilecti tui me miseram consolari dignatus es; tu scis, domine, quia, licet ipsum te amantem multum amaverim, tamen ob tui amorem ejus praesentia carui et in sanctae terrae tuae subsidium destinavi, et quamvis delectabile mihi esset adhuc cum eo vivere tali conditione, ut cum ipso per totum mundum paupercula mendicarem, tamen te teste contra tuam voluntatem uno crine ipsum non redimerem nec ad vitam mortalem

iterum revocarem, ipsum autem et me tuae gratiae recommendo. Verum ne fructum centesimum perderet, qui perfectionem evangelicam servantibus datur, qui de sinistra miseriae ad dextram gloriae transferuntur, religiosum habitum induit, vestes scilicet grisias humiles et abjectas, continentiam post mortem viri perpetuam servans, obedientiam perfectam custodiens et voluntariam paupertatem complectens, [1])mendicando quoque ire ostiatim voluit, sed magister Conradus non permisit. Fuit autem ejus habitus tam despectus, ut deferret pallium griseum panno coloris alterius prolongatum, manicas etiam tunicae ruptas alterius coloris panno habuit emendatas. Pater vero suus, rex Ungariae, audiens, filiam suam ad tantam devenisse inopiam, comitem quendam ad eam misit, ut ipsam ad paterna limina reducere procuraret. Qui videns eam tali habitu ornatam cernensque sedentem humiliter et filantem prae confusione et admiratione exclamans dixit: nunquam filia regis tam vili *induta habitu* apparuit nec lanam aliquam filare visa fuit. Cum vero pro sua reductione vehementer institisset, nullatenus acquievit, cum pauperibus malens in paupertate degere, quam divitiis multis cum divitibus abundare. Ut vero ejus animus in Deum totus transiret et intenta ejus devotio nullum impedimentum haberet, rogavit dominum, ut omnium temporalium contemtum sibi infunderet et filiorum dilectionem a suo corde evelleret et contra omnes contumelias contemtum et constantiam largiretur. Fusa vero oratione audivit dominum sibi dicentem: exaudita est oratio tua. Quae dixit ancillis: exaudivit dominus vocem meam, quia et omnia temporalia ut stercora reputo et de filiis meis non plus quam de aliis proximis curo et mei contemtum et opprobria parvi pendo nihilque aliud jam *diligere* videor nisi Deum. Magister quoque Conradus saepe sibi molesta et contraria imponebat et quos amplius diligere videbatur, ab ejus consortio separabat, adeo ut duas fideles ancillas et praedilectas, quae a juventute sua secum fuerant enutritae, ab ea removerit, multis effusis lacrymis hinc et inde. Hoc faciebat autem vir sanctus, ut ejus voluntatem frangeret et ut ipsa suum affectum ad Deum totaliter erigeret et ne aliqua de ancillis pristinam gloriam ad ejus memoriam revocaret. In his autem omnibus inveniebatur et velox ad obedientiam et constans ad patientiam, ut per patientiam animam suam possideret et per obedientiam victoria

---

1) Ed. Pr. verba: mendicando — permisit omittit.

decoraretur. Dicebat quoque: propter Deum tantum timeo hominem mortalem, quantum timere debeo judicem coelestem; ideo autem magistro Conrado pauperi et mendico, non alicui episcopo obedientiam facere voluit, ut omnem occasionem temporalis consolationis a me penitus abdicaret. Quadam vice dum claustrum quarundam sanctimonialium ab iis obnixe rogata intrasset, non habita licentia a suo magistro, fecit eam tam graviter verberari, ut post tres hebdomades in ea vestigia verberum apparerent. Dicebat autem suis ancillis se et illas consolans: sicut gramen fluvio inundante deprimitur et decrescente erigitur, sic nos aliqua afflictione adveniente debemus per humilitatem submitti, cessante vero ad Deum per spiritualem laetitiam elevari. Tantae se humilitati deprimebat, ut nullatenus pateretur, quod ancillae eam dominam appellarent, sed singulari tantum ad eam numero loquerentur, eo modo scilicet, quo inferioribus loqui solemus. Scutellas insuper aliaque coquinae utensilia lavabat et, ne ab ancillis prohiberetur, eas ad loca alia transmittebat. Dicebat etiam: si vitam aliam magis despectam invenissem, ipsam potius elegissem. Caeterum, ut cum Maria optimam partem possideret, sedulae contemplationi vacabat. In qua quidem contemplatione specialem gratiam habuit lacrymas fundere, coelestes visiones crebro videre et ad amorem alios inflammare. Quandoquidem magis jucunda videbatur, tunc jucundae devotionis lacrymas emittebat, ita ut lacrymae de vultu ejus jucundae tanquam de fonte serenissimo effluere viderentur, ut simul flens videretur et gaudens, nunquam in deformitatem vel rugas vultum ex fletu convertens. Dicebat enim de his, qui vultum in fletu deformant: videntur quasi dominum deterrere; dent enim Deo, quod habent, cum jucunditate et hilaritate. Visiones coelestes in ipsa sui oratione et contemplatione saepe videbat. Quadam vero die sacro quadragesimali tempore in ecclesia exsistens sic ad altare oculis defixis intenta manebat, ac si ibidem Dei praesentiam miraretur, ubi per magnum spatium consolata divina est revelatione refecta. Deinde domum reversa, dum se prae debilitate in ancillae gremium appodiasset et illa per fenestram oculos ad coelum defixos attolleret, tanta hilaritate vultus ejus perfunditur, ut etiam risus mirabilis sequeretur. Quae cum diu tota jucunda visione laetificata fuisset, subito in lacrymas est conversa. Rursus oculos aperiens pristina jucunditate perfruitur oculosque claudens pristinis [1]) lacrymis

1) Ed. Pr. offert: gaudiis.

irrigatur et sic usque ad completorium talibus est divinis consolationibus immorata. Cum vero diu tacens nullum verbum emisisset penitus, tandem prorumpens locuta est dicens: ita, domine, tu vis esse mecum et ego tecum et nunquam volo a te separari. Postmodum cum ab ancillis rogaretur, ut ad Dei honorem et ipsarum aedificationem, quid viderit, indicaret, illa ipsorum importunitate devicta ait: vidi coelum apertum et Jesum se ad me benignissime inclinantem vultumque ad me sincerissimum ostendentem, ego vero de sua visione ineffabili jucunditate perfusa de suo recessu remanebam multo moerore dejecta. Qui mei misertus iterum me sui vultus ostensione laetificans ait: si tu vis esse mecum, ero tecum. Cui ego respondi, prout me loquentem audivistis. Cumque rogaretur, ut etiam visionem, quam juxta altare vidit, exponeret, illa respondit: quae ibi vidi, non expedit enarrare, ibi tamen in gaudio fui multo et Dei miranda conspexi. [1]) *Saepe quoque, dum in oratione consisteret, facies ejus mire splendebat et ex ejus oculis instar solis radii prodibant.* Saepe autem ejus oratio tanti fervoris inveniebatur, ut etiam alios inflammaret. Juvenem namque quendam seculariter indutum ad se vocans ait: videris nimis dissolute vivere, cum deberes creatori tuo servire, vellesne, quod pro te Deum orarem? Et ille: volo et id vehementer exposco. Cum igitur orationi se dedisset et juvenem similiter pro se orationi incumbere monuisset, juvenis alta voce clamavit dicens: cessate, domina, ab oratione, jam cessate. Sed cum illa attentius oraret, juvenis altius clamans dixit: cessate, domina, quia totus deficio et comburor. Ipse enim tanto calore fuerat succensus, ut totus sudans et fumans corpus et brachia velut amens jactaret, adeo ut plerique occurrentes ipsumque tenentes vestes ejus prae nimio sudore madidas invenirent et aestum ejus ferre non possent, ipse vero clamante et dicente: totus ardeo et consumor. Ut vero beata Elizabeth orationem complevit, juvenis aestuare cessavit, qui rediens ad se ipsum et divina gratia illustratus ordinem fratrum minorum ingressus est. Illa autem inflammatio sic ostensa fervorem orationum suarum igneum demonstrabat, qui tam validus exstitit, quod etiam frigidum inflammavit. Sed ille carnalibus assuetus et spiritualibus nondum idoneus talia capere non valebat. Ad summum vero cumulum perfectionis propter Mariae contempla-

---

1) Ed. Pr. verba omittit: saepe — prodibant.

tionis otium non deseruit Marthae officium laboriosum, sicut supra in [1]) septem operibus misericordiae est ostensum. Nihilominus tamen, postquam religiosum habitum induit, sedulae pietatis operibus deservivit. Nam cum pro dote sua [2]) duo millia marcarum recepisset, partem in pauperes distribuit et de reliquo in Marpurg magnum hospitale construxit. Propter quod omnes eam reputabant dissipatricem et prodigam et cuncti eam appellabant insanam, et quia omnes injurias noverat gaudenter accipere, improperabant ei, quod nimis cito memoriam viri sui a corde abjecerat, quae taliter exsultabat. Postquam autem hospitale construxerat, servitiis pauperum se tamquam ancillam humilem mancipavit, nam pauperibus sollicita administrabat, ut eos etiam balnearet et in lectis collocans operiret, adeo ut ancillis gratulabunda diceret: quam bene nobiscum agitur, quia dominum sic balneamus et tegimus. In ipso autem pauperum obsequio sic humiliter se habuit, quod puerulum quendam monoculum et scabie perfusum una nocte [3]) septem vicibus propriis brachiis ad locum necessitatis detulit et pannos ipsius foedatos libenter lavit. Quandam etiam mulierem horribiliter leprosam saepe abluens in lectulo collocavit ulcera tergens et ligans, medicamenta adhibens unguesque praecidens, ejus etiam pedibus prostrata corrigias calceamentorum solvens. Ipsos autem infirmos ad confessionem et communicationem inducens vetulam quandam penitus renuentem verbere castigatam induxit. Cum vero a pauperum vacabat officio, filabat lanam de quodam monasterio sibi missam et pretium, quod inde accipiebat, pauperibus dividebat. Cum autem post multam paupertatem quingentas marcas pro dote sua receptas pauperibus divideret et omnibus ordinate locatis ipsa succincta transiens ministraret, posita est lex, ut, si quis [4]) in aliorum pauperum praejudicium locum mutaret, ut iterum acciperet, capillorum suorum detruncationem aliquam sustineret. Et ecce quaedam puella nomine Radegundis, quae mira capillorum pulchritudine pollebat, inde transitura advenit, non ad elemosinam, sed ut quandam sororem suam infirmam visitaret. Quae cum tamquam legis praevaricatrix ad beatam Elizabeth adducta fuisset, ejus capillos protinus detruncari mandavit, ipsa flente et plurimum reluctante. Cum vero quidam de adstantibus eam innocentem assererent, illa ait: saltem de caetero non poterit cum tanta capillorum ambitione ad choreas accedere, nec cum illis

---

1) Alii: sex. 2) Ed. Pr. legit: duas marcas. 3) Alii sex legunt. 4) Ed. Pr. verba in — iterum omittit.

vanitates aliquas exercere. Interrogata vero puella a beata Elizabeth, utrum aliquando salubris vitae propositum concepisset, respondit, quod jamdiu habitum religionis assumsisset, nisi tanta fuisset in ea delectatio in capillis. Et illa: carius est mihi, quod capillos perdideris, quam si filius meus fuisset in imperium sublimatus. Continuo igitur puella habitum religionis induit et in hospitali cum beata Elizabeth degens laudabilem vitam duxit. Cum quaedam paupercula filiam peperisset, beata Elizabeth filiam de sacro fonte levavit et nomen suum, [1]) scilicet Elizabeth, eidem imposuit et matri necessaria ministravit, ita ut de pellicio ancillae suae manicas auferens ad involvendum puellam sibi tribueret et calceos proprios eidem donaret. Post tres autem septimanas mulier dimissa puella latenter cum viro suo aufugit. Quod cum sanctae Elizabeth nuntiatum fuisset, in orationem se dedit et vir et mulier ultra progredi non valentes ad ipsam coacti redierunt et ab ea veniam postulantes. *Quos*, ut justum erat, de ingratitudine redarguens, eis puellam nutriendam tradidit et de necessariis iis providit. Appropinquante vero tempore, quo dominus dilectam suam de mundi ergastulo vocare disposuit, ut, quae contemserat regnum mortalium, regnum perciperet angelorum, [2]) Christus sibi apparuit dicens: veni, dilecta mea, in praeparata tibi aeterna tabernacula. Dum igitur febre correpta decumberet et ad parietem faciem versam teneret, audita est a circumstantibus dulcissimam promere melodiam. Quae cum ab una ancillarum, quidnam hoc esset, percunctata fuisset, illa respondit: avicula quaedam inter me et parietem se ponens tam suaviter cecinit, quod me ad canendum similiter provocavit. In ipsa autem sui aegritudine semper hilaris exstitit et nunquam ab oratione cessavit, ultima vero *die* ante ejus transitum dixit iis: quid acturae essetis, si dyabolus ad vos adveniret? Post paululum vero alta voce quasi dyabolum licentians: fuge, tribus vicibus exclamavit. Deinde dixit: ecce appropinquat media nox, in qua hora Christus nasci voluit et in praesepio requievit. Appropinquante vero hora sui transitus ait: jam tempus instat, in quod omnipotens Deus eos, qui amici sunt, ad coelestes nuptias evocavit. Post paululum vero anno domini MCCXXVI ad extremam horam veniens dormivit in pace. Licet autem ejus venerabile corpus inhumatum quatuor diebus jacuisset, nullus tamen foetor ex eo prodibat, sed quidam odor aromaticus cunctos reficiens

1) Ed. Pr. legit: suum ecclesiae imp. — proprios ecclesiae donaret. 2) Ed. Pr. omittit verba: Christus — tabernacula.

exhalabat. Tunc autem visae sunt aviculae multae super cacumen ecclesiae congregatae, quas nunquam aliquis prius viderat, quae tam suavi modulatione cantabant et tanta varietate modos cantandi formabant, ut cunctos in admirationem adducerent, eo quod ejus exsequias quodammodo agere viderentur. Multus autem ibi fuit clamor pauperum, multa devotio populorum, ita ut alii capillos capitis detruncarent, alii particulas pannorum inciderent et pro summis reliquiis reservarent. Ejus autem corpus in monumento est positum, quod postmodum redundare oleo repertum est. Manifestum est igitur in ejus transitu, quantae ipsa beata Elizabeth fuerit sanctitatis, et hoc quo ad aviculae modulationem et daemonis expulsionem. Illam autem aviculam, quae inter ipsam et parietem se posuit et tam dulciter cecinit, quod etiam ipsam ad cantandum induxit, credimus fuisse ejus angelum, qui fuerat ad ejus custodiam deputatus, qui eidem aeternum gaudium nuntiavit. Sicut enim reprobis interdum ante suum transitum revelatur aeterna sui damnatio ad majorem sui confusionem, sic electis interdum revelatur aeterna sui salvatio ad majorem sui consolationem. Ille autem cantus, quem ipsa protulit, fuit immensum gaudium, quod ex tali revelatione concepit, quod quidem tam immensum exstitit, quod in corde totaliter capi non potuit, sed se per suavitatis vocem manifestavit. Dyabolus insuper, si forte aliquid jus habeat, ad sanctos etiam morientes accedit, sed quia in beata Elizabeth nil juris habuit, ideo turpiter licentiatus aufugit. Per hoc igitur intelligi datur, quantae fuerit munditiae et puritatis, et hoc quo ad odoris exhalationem. Quia enim corpus ejus omni munditia et castitate in vita nituit, ideo in morte odoris suavitate fragravit. Manifestum est tertio, quantae fuerit excellentiae et dignitatis, et hoc quo ad avium jubilationem. Illas enim aves, quae in cacumine ecclesiae jubilantes et cantantes apparuerunt, credimus fuisse angelos, qui a Deo missi fuerunt, ut ejus animam in coelum deferrent et corpus coelestibus jubilationibus honorarent. Sicut ad reprobos morientes multitudo convenit daemonum, ut eos terroribus crucient et eorum animas ad tartara rapiant, sic ad electos decedentes multitudo confluit angelorum, ut eos confortent et eorum animas ad coelestia regna perducant. Manifestum est quarto, quantae fuit misericordiae et pietatis, et hoc quo ad olei emanationem. De ejus enim corpore oleum emanavit, quia in vita misericordiae operibus tota redundavit. O quantus pietatis visceribus ejus nunc affluit spi-

ritas, cujus profundi oleo inventum est in pulvere jacens corpus. Manifestum est quinto, quantae sit apud Deum potestatis et meriti, et hoc multiplici miraculorum operatione. Postquam enim de corpore transiit, Deus eam multiplici miraculorum gloria illustravit, quorum quaedam inferius sunt posita, multa vero brevitatis gratia intermissa. — — — 1. In partibus siquidem Saxoniae monasterio quodam Hildesiensis dyoecesis monachus ordinis Cisterciensis, Heinricus nomine, tanta fuit infirmitate depressus et gravibus doloribus circumdatus, ut omnes ad compassionem induceret et clamoribus inquietaret. Quadam igitur nocte apparuit sibi quaedam venerabilis domina vestibus albis amicta, quae eum admonuit, ut, si sanitatem recipere cuperet, beatae Elizabeth se devoveret. Sequenti nocte similia persuadens apparuit. Ille autem, cum abbas et prior deessent, de consilio superioris votum emisit. Tertia nocte eidem apparens signum crucis super eum edidit et ille continuo sanitatem recepit. Cum autem abbas et prior redeuntes haec audivissent, mirari quidem de ejus sanitate coeperunt, sed de voti adimpletione plurimum dubitarunt, cum nulli monacho liceat aliqua vota emittere nec se ad talia obligare. Adjecit quoque prior, monachos saepe ad hujusmodi illicita sub specie boni daemonum apparitione deludi, et ideo esset illi monacho consulendum, ut mentem suam instabilem confessione firmaret. Sequenti igitur nocte eadem persona, quae prius, sibi apparens dixit: infirmus semper eris, donec impleas, quod vovisti. Statim ergo eadem infirmitas ipsum arripuit et iisdem doloribus torqueri coepit. Quod cum abbas audivisset, ipsum statim licentiavit et ceram pro imagine facienda dari praecepit. Qui mox sanitate recepta votum suum adimplere studuit et illius infirmitatis nihil postmodum passus fuit. — — — 2. Puella quaedam, nomine Benigna, Moguntiensis dyoecesis cum ab ancilla potum petiisset, illa commota potum porrexit dicens: accipe et dyabolum bibe, visumque est puellae, ut ardens titio per ejus guttur descenderet, adeo ut se in collo pati clamaret. Continuo igitur venter ejus instar utris intumuit et quiddam in ejus ventre per singula membra discurrere visum est. Illa vero gemitus miserabiles faciens et voces insanas emittens obsessa a daemone fore credebatur. In statu vero tali per biennium mansit. Deducta igitur ad tumulum sanctae Elizabeth et ibidem pro ea voto emisso, dum super tumbam posita fuisset, velut exanimis ibidem apparuit, sed dum modicum panis ad manducandum et aquam benedictam ad

bibendum super eandem tumbam eidem obtulissent, mox cunctis stupentibus et mirantibus sana surrexit. — — — 4. Vir quidam de dyoecesi Trajectensi, Gedericus nomine, cum una manu contractus ejus usum penitus amisisset et sepulchrum beatae Elizabeth bis visitans curationem minime recepisset, tertio illuc cum uxore sua cum multa devotione accessit. Quo dum tenderet, senem quendam reverendi aspectus habuit obvium, qui ab eo salutatus et, unde venisset, requisitus dixit, se de Marpurg, ubi corpus sanctae Elizabeth requiescit, venire, ubi Deus multa miracula operatur. Cum autem vir suam infirmitatem exposuisset eidem, ille manu elevata benedixit eum dicens: securus perge, quia sanitatem recipies, dummodo manum infirmam ad caput sepulchri in quadam fovea ibi facta sub lapide miseris; quam quanto profundius miseris, tanto citius sanitatem obtinebis. Tunc autem sanctum Nicolaum in memoria habeas, quod sanctae Elizabeth tamquam comes et socius in suis miraculis comparatur eidem. Adjecit etiam stultos esse, qui projectis oblationibus statim discedunt, cum sanctis placeat, ut cum perseverantia eorum suffragia postulentur. Moxque senex ab iis disparuit nec ultra ipsum videre potuerunt, super quo plurimum admirati pergebant, plenam sanitatis recuperandae fiduciam obtinentes. Vir igitur juxta senis praedicti consilium manum sub lapide monumenti posuit et ipsam continuo retraxit omnino sanatam. — — — 5. Quidam de dyoecesi Coloniensi, Hermannus nomine, dum in carcere a judice teneretur, ad Deum se totaliter contulit et beatam Elizabeth et magistrum Conradum in sui adjutorium devotione, qua poterat, invocabat. Sequente autem nocte ambo insimul cum multo lumine sibi apparuerunt, multipliciter eum consolantes. Tandem sententia in eum data suspenditur et ad spatium unius milliaris Teutonici in patibulo detinetur. Judex autem concessit parentibus, ut ipsum deponerent et in tumulo sepelirent. Praeparata igitur fovea, cum esset depositus, pater et patruus coeperunt pro mortuo beatae Elizabeth patrocinia invocare, et ecce mirantibus et stupentibus universis, qui fuerat mortuus, surrexit visus. — — — 6. Scholaris quidam de dyoecesi Moguntinensi Onitardus nomine, dum piscationi minus cautus insisteret, in flumen lapsus cecidit. Magno autem temporis spatio interjecto, dum ejus corpus esset extractum, adeo sine sensu et motu et rigidum est repertum, quod nullo in eo signo vitae invento vere mortuus ab hominibus est judicatus. Tunc beatae Elizabeth implorantur merita et cunctis

videntibus et admirantibus sibi restituitur salus et vita. — — — 7. Juvenis quidam tres annos et dimidium habens de dyoecesi Moguntinensi, Hugolinus nomine, dum spiritum emisisset et cor ejus per spatium quatuor milliarium teutonicorum rigidum et exanime jacuisset, mater ad invocandam sanctam Elizabeth tota devotione se contulit et puerum vivum et sanum recepit. — — — 8. Puer quidam quatuor annorum dum in puteum cecidisset, casu quidam veniens aquam haurire animadvertit puerum submersum intus jacere. Quem postquam cum difficultate extraxit, ipsum mortuum deprehendit. Cujus quidem mortis erant indicia temporis diuturnitas, corporis rigiditas, oris et oculorum horribilis apertio, denigratio cutis, ventris inflatio et omnimoda motus et sensus privatio. Pro ipso igitur suscitando ad beatam Elizabeth votum emittitur et continuo vitae pristinae restauratur. Quaedam etiam puella in flumine submersa, dum fuisset extracta, beatae Elizabeth meritis protinus est vitae restituta. — — — 9. Vir quidam nomine Fridericus de dyoecesi Moguntinensi in arte natandi valde peritus, dum se in quadam aqua balnearet, et, pauperem quendam per beatam Elizabeth illuminatum deridens, in ejus faciem aquam contemtibiliter spargeret, ille provocatus dixit: domina illa sancta, quae mihi gratiam praestitit, de te me vindicet, ita ut hic non exeas nisi mortuus et submersus. Ille autem imprecationem pauperis parvi pendens et in aquam se lascive immittens viribus penitus destitutus se juvare non potuit, sed in profundum quasi lapis descendit. Post multum vero temporis requisitus de aqua mortuus est delatus, cumque magnus planctus fieret super eum, quidam ejus propinqui coeperunt pro eo ad beatam Elizabeth votum facere et ejus suffragia devotissime implorare. Statim igitur in eum spiritus rediit et vivus et sanus surrexit. — — — 10. Quidam nomine Johannes de dyoecesi Moguntinensi cum quodam fure innocenter deprehensus et suspendio cum ipso adjudicatus cunctos rogavit, ut beatam Elizabeth orarent, ut secundum sua merita juvaretur. Cum esset suspensus, audivit vocem super se dicentem: confide et in sanctam Elizabeth fiduciam habe et liberaberis, statimque alio remanente ipso fune fracto de loco alto gravissime cecidit, nullam tamen laesionem incurrit, licet nova, qua indutus erat, camisia rumperetur. Qui exhilaratus ait: sancta Elizabeth, tu me liberasti et in stratum molle me cadere fecisti. Cum enim aliqui dicerent, ipsum iterum suspendendum, judex ait: quem Deus liberavit, denuo suspendi non

permittam. — — — 11. Conversus quidam fuit in quodam monasterio dyoecesis Moguntinensis, [1]) Volemarus nomine, admodum religiosus, qui carnem suam sic afflixit, ut circa annos viginti loricam ad carnem portaret et inter lapides et ligna jaceret. Hujus manum, dum in molendino esset, lapis molaris casu apprehensam sic contrivit, ut carnem ab utraque parte avelleret, ossa et nervos contereret, ita ut in quodam mortario contrita quodammodo videretur. Qui tanto doloris aculeo urgebatur, ut rogaret, quod manus sibi praecideretur. Cum igitur beatam Elizabeth crebro in sui auxilium invocaret, quae etiam in vita sua sibi familiaris exstiterat, quadam nocte sibi apparuit dicens: vis sanus fieri? Qui cum responderet: libenter, illa manum apprehendens nervos sanavit, ossa integravit et carnem ab utraque parte restituit et pristinae sanitati donavit, mane autem facto perfecte sanatum se reperit et toti conventui ipsam manum cunctis stupentibus sanatam ostendit. — — — 12. Quidam puer quinquennis, Discretus nomine, Moguntinae dyoecesis, cum caecus natus esset, meritis beatae Elizabeth lumen recepit. Pellis siquidem integra sine pilis palpebrarum vel aliquà pellis divisio oculis superinduta fuerat adeo, ut totaliter oculos tegeret nec substantiae oculorum ullum indicium appareret. Mater ejus igitur ad sepulchrum beatae Elizabeth ipsum ducens de terra sepulchri oculos ejus linivit et super eum beatae Elizabeth merità invocavit, et ecce pellis integra per medium scinditur et ejus oculi parvissimi turbulenti et sanguinolenti videntur, sicque puer beatae Elizabeth meritis suffragantibus visus beneficio est potitus. — — — 13. Puella quaedam ejusdem dyoecesis, Beatrix nomine, cum diu magnis et diversis fuisset infirmitatibus molestata, tandem gibbo in dorso et struma in pectore excrescentibus sic est toto corpore incurvata, ut nulla se ratione erigeret, sed manibus super genua positis corpus suum taliter sustentaret. Cum igitur mater in quadam sporta eam ad tumulum sanctae Elizabeth deportasset et per decem dies commorantes ibidem nullam potuissent sanitatis remedium invenire, irata mater ejus contra beatam Elizabeth murmuravit dicens: omnibus beneficia impendis et me miseram non exaudis? reveriens igitur omnes, quos potero, a visitatione tui avertere procurabo. Cum igitur irata recederet et jam milliare et dimidium peregisset et ejus filia doloribus cruciata lugeret, tandem ipsa puella obdormiens vidit quandam pulcherrimam dominam cum facie

1) Ed. Pr. Valemajus.

refulgenti, quae corpus ejus in dorso et pectore liniens dixit ei: surge et ambula. Evigilans puella et se ab omni deformitate et curvitate penitus sanatam inveniens visionem matri retulit et gaudium et laetitiam generavit. Redeuntes igitur ad sepulchrum sanctae Elizabeth Deo et sibi gratias egerunt et ibidem sportam, in qua puella portata fuerat, dimiserunt. — — — **14.** Mulier quaedam, Gertrudis nomine, ejusdem dyoecesis per multos annos utroque crure contracta et toto corpore curva in somnis admonetur, ut ad sanctum Nicolaum proficiscens ejus debeat merita implorare. Quae ad ecclesiam sancti Nicolai portari se fecit et in uno crure sanitatem invenit. Tandem ad sepulchrum beatae Elizabeth perducta [1]) et super ejus tumulum posita, gravissimis doloribus stimulata et velut amens effecta sana et incolumis exsurrexit. — — — **15.** Mulier quaedam, Scintrudis nomine, ejusdem dyoecesis, cum per annum integrum penitus caeca mansisset et aliorum semper auxilio duceretur, ad rogandum sanctam Elizabeth tota devotione se contulerat et amissum lumen recepit. — — — **16.** Vir quidam Heinricus Moguntinensis dyoecesis, cum lumine oculorum penitus esset privatus, sepulchrum sanctae Elizabeth visitans plenae curationis beneficium reportavit. Postmodum vero idem vir fluxu sanguinis adeo est gravatus, ut moriturus a familia crederetur. Accipiens vero de terra sepulchri sanctae Elizabeth et ipsam conficiens aqua commiscuit et bibens plenam sanitatem recepit. — — — **17.** Puella quaedam, Mechtildis nomine, Trevirensis dyoecesis, dum visu et auditu privata esset et loquendi et ambulandi potentiam amisisset, pater suus et mater ad beatam Elizabeth eam devoverunt et perfecte sanatam Dei et Elizabeth laudantes magnalia receperunt. — — — **18.** Mulier quaedam, nomine Helibingis, Trevirensis dyoecesis, cum per annum caeca penitus exstitisset et pro sua curatione beatae Elizabeth merita invocasset, ad tumulum ejus duci se faciens unius oculi lumen recepit, quae ad propria reversa in alio graviter torqueri se sensit. Cum vero iterum ejus merita implorasset, apparuit ei dicens: accedens ad altare fac cum corporali tuos oculos ventilari et sic recipies sanitatem. Quae cum jussa complevisset, sanitatem recepit. — — — **19.** Vir quidam, Theodericus nomine, Moguntinensis dyoecesis, in genibus et cruribus diu gravissime infirmatus, ita ut non posset pergere, nisi ab aliis portaretur, votum fecit, quod sepulchrum sanctae Elizabeth cum oblationibus

1) Verba et — stimulata omittit Ed. Pr.

visitaret, et cum locus ejus a tumulo tantum per decem milliaria distaret, vix in octo diebus potuit pervenire. Cum vero ibidem per quatuor septimanas mansisset et nullum remedium impetrasset, domum redibat, cumque in loco quodam juxta alium infirmum decumbens quiesceret, vidit in somnis quendam ad se venientem et aqua totaliter perfundentem. Qui evigilans contra socium iratus ait: quare me aqua totaliter perfudisti? Qui ait: ego te non perfudi, sed credo, quod illa perfusio erit tibi causa salutis. Ille igitur surgens et se sanatum totaliter inveniens baculos super humerum posuit et ad tumulum sanctae Elizabeth rediens et gratias agens laetus ad propria remeavit.

CAP. CLXIX. (164.)
De sancta Caecilia.

Caecilia quasi coeli lilia cel caecis via vel a coelo et lya. Vel Caecilia quasi caecitate carens. Vel dicitur a coelo et leos, quod est populus. Fuit enim coeleste lilium per virginitatis pudorem; vel dicitur lilium, quia habuit candorem munditiae, virorem conscientiae, odorem bonae famae. Fuit enim caecis via per exempli informationem, coelum per jugem contemplationem, lya per assiduam operationem. Vel dicitur coelum, quia, sicut dicit Ysidorus, coelum philosophi volubile, rotundum et ardens esse dixerunt. Sic et ipsa fuit volubilis per operationem sollicitam, rotunda per perseverantiam, ardens per caritatem succensam; fuit caecitate carens per sapientiae splendorem, fuit et coelum populi, quia in ipsa tamquam in coelo spirituali populus ad imitandum intuetur coelum, solem, lunam et stellas, id est sapientiae perspicacitatem, fidei magnanimitatem et virtutum varietatem.

Caecilia virgo praeclarissima ex nobili Romanorum genere exorta et ab ipsis cunabilis in fide Christi nutrita absconditum semper evangelium Christi gerebat in pectore et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat suamque virginitatem conservari a domino exorabat. Cum autem cuidam juveni, nomine Valeriano, desponsata fuisset et dies nuptiarum instituta esset, illa subtus ad carnem cilicio erat induta et desuper deauratis vestibus tegebatur et cantautibus organis illa in corde soli domino

decantabat dicens: fiat, domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar, et biduanis et triduanis jejuniis orans commendabat domino, quod timebat. Venit autem nox, in qua suscepit una cum sponso suo cubiculi secreta silentia, et ita eum alloquitur: o dulcissime atque amantissime juvenis, est mysterium, quod tibi confitear, si modo tu juratus asseras, tota te illud observantia custodire. Jurat Valerianus, se illud nulla necessitate detegere, nulla prodere ratione. Tunc illa ait: angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Hic si *vel leviter* senserit, quod tu me polluto amore contingas, statim feriet te et amittes florem tuae gratissimae juventutis, si autem cognoverit, quod me sincero amore diligas, ita quoque diliget te sicut me et ostendet tibi gloriam suam. Tunc Valerianus nutu Dei correctus ait: si vis, ut credam tibi, ipsum angelum mihi *ostende, et si* vere probavero, quod angelus sit, faciam, quod *hortaris, si autem* virum alium diligis, te et illum gladio feriam. Cui Caecilia dixit: si in Deum verum credideris et te baptizari promiseris, ipsum videre valebis. Vade igitur in tertium milliarium ab urbe via, quae Appia nuncupatur, et pauperibus, quos illic invenies, dices: Caecilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum senem Urbanum, quoniam ad ipsum habeo secreta mandata, quae perferam. Hunc dum tu videris, indica ei omnia verba mea, et postquam ab eo purificatus fueris et redieris, angelum ipsum videbis. Tunc Valerianus perrexit et secundum signa, quae acceperat, sanctum Urbanum episcopum intra sepulchra martirum latitantem invenit, cumque ei omnia verba Caeciliae dixisset, ille manus ad *coelum* expandens cum lacrymis ait: domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Caecilia seminasti, domine Jesu Christe, pastor bone, Caecilia famula tua quasi apis tibi argumentosa deservit; nam sponsum, quem quasi leonem ferocem accepit, ad te quasi agnum mansuetissimum destinavit. Et ecce subito apparuit senex quidam niveis vestibus indutus, tenens librum aureis litteris scriptum. Quem videns Valerianus prae nimio timore quasi mortuus cecidit et a sene levatus sic legit: unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis. Cumque haec legisset, dixit ei senior: credis ita esse an adhuc dubitas? Tunc exclamavit dicens: non est aliud, quod verius credi possit, sub coelo. Statimque illo disparente Valerianus a sancto Urbano baptisma

suscepit et rediens Caeciliam cum angelo loquentem in cubiculo invenit. Angelus autem duas coronas ex rosis et liliis in manu habebat et unam Caeciliae et alteram Valeriano tradidit dicens: istas coronas immaculato corde et mundo corpore custodite, quia de paradiso Dei eas àd vos attuli, nec unquam marcescent nec odorem amittent nec ab aliis, nisi quibus castitas placuerit, videri poterunt. Tu autem, Valeriane, quia utili consilio credidisti, pete, quodcumque volueris, et consequeris. Cui Valerianus: nihil mihi in hac vita exstitit dulcius, quam unicus fratris mei affectus, peto igitur, ut et veritatem ipse mecum agnoscat. Cui angelus: placet domino petitio tua et ambo cum palma martirii ad dominum venietis. Post hoc ingressus Tiburtius frater Valeriani, cum nimium rosarum sensisset odorem, dixit: miror, hoc tempore roseus hic odor et liliorum unde respiret; nam si ipsas rosas vel lilia in manibus meis tenerem, nec sic poterant odoramenta tantae mihi suavitatis infundere; confiteor vobis, ita sum refectus, ut putem me totum subito immutatum. Cui Valerianus: coronas habemus, quas tui oculi videre non praevalent, floreo colore et niveo candore vernantes, et sicut me interpellante odorem sensisti, sic et, si credideris, videre valebis. Cui Tiburtius: in somnis hoc audio an in veritate ista tu loqueris, Valeriane? Cui Valerianus: in somnis usque modo fuimus, sed jam nunc in veritate manemus. Ad quem Tiburtius: unde hoc nosti? Et Valerianus: angelus domini me docuit, quem tu videre poteris, si tu purificatus fueris et omnibus ydolis abrenuntiaveris. Huic miraculo de coronis rosarum Ambrosius attestatur in praefatione sic dicens: sancta Caecilia sic coelesti est dono repleta, ut martirii palmam assumeret; ipsum mundum est cum thalamis exsecrata; testis est Valeriani conjugis et Tiburtii provocata confessio, quos, domine, angelica manu odoriferis floribus coronasti, viros virgo duxit ad gloriam, mundus agnovit, quantum valeat devotio castitatis. Haec Ambrosius. Tunc Caecilia evidenter ostendit ei, omnia ydola esse insensibilia et muta, ita ut Tiburtius responderet ac diceret: qui ista non credit, pecus est. Tunc Caecilia osculans pectus ejus dixit: hodie te fateor meum esse cognatum, sicut enim amor Dei fratrem tuum mihi conjugem fecit, ita te mihi cognatum contemtus faciet ydolorum. Vade igitur cum fratre tuo, ut purificationem accipias et angelicos vultus videre valeas. Dixitque Tiburtius fratri suo: obsecro te, frater. ut mihi dicas, ad quem me ducturus es. Cui Valerianus: ad Urbanum

episcopum. Cui Tiburtius: de illo Urbano dicis, qui totiens damnatus est et adhuc in latebris commoratur? hic, si inventus fuerit, cremabitur et nos in illius flammis pariter involvemur, et dum quaerimus divinitatem latentem in coelis, incurremus furorem exurentem in terris. Cui Caecilia: si haec sola esset vita, juste hanc perdere timeremus; est autem alia melior, quae nunquam amittitur, quam nobis Dei filius enarravit. Omnia enim, quae facta sunt, filius ex patre genitus condidit, universa autem, quae condita sunt, ex patre procedens spiritus animavit. Hic igitur filius Dei in mundum veniens verbis et miraculis aliam vitam *esse nobis* monstravit. Cui Tiburtius: certe unum Deum esse asseris, et quomodo nunc tres esse testaris? Respondit Caecilia: sicut in una hominis sapientia sunt tria, scilicet ingenium, memoria et intellectus, sic et in una divinitatis essentia tres personae *esse* possunt. Tunc coepit ei de adventu filii Dei et passione praedicare *et multas* congruitates ipsius passionis ostendere. Nam *ideo*, inquit, filius Dei est tentus, ut genus humanum dimittatur peccato detentum; benedictus maledicitur, ut homo maledictus benedictionem consequatur; illudi se patitur, ut homo ab illusione daemonum *liberetur*; spineam coronam accepit in capite, ut a nobis sententiam auferat capitalem; fel suscipit amarum, ut sanaret hominis dulcem gustum; exspoliatur, ut parentum nostrorum nuditatem operiat; in ligno suspenditur, ut ligni praevaricationem tollat. Tunc Tiburtius fratri suo dixit: miserere mei et perduc me ad hominem Dei, ut purificationem accipiam. Ductus igitur et purificatus angelos Dei saepe videbat et omnia, quae postulabat, protinus obtinebat. Valerianus igitur et Tiburtius elemosinis insistebant et sanctorum corpora, quos Almachius praefectus occidebat, sepulturae tradebant. Quos Almachius ad se vocans, cur pro suis sceleribus damnatos sepelirent, inquisivit. Cui Tiburtius: utinam illorum servi essemus, quos tu damnatos appellas! Qui contemserunt illud, quod videtur esse et non est, et invenerunt illud, quod non videtur esse et est. Cui praefectus: quidnam est illud? Et Tiburtius: quod videtur esse et non est, est omne, quod in hoc mundo est, quod hominem ad non esse perducit; quod vero non videtur esse et est, est vita justorum et poena malorum. Cui praefectus: non puto, quod mente tua loquaris. Tunc jubet adstare Valerianum dicens ei: quoniam non est sani capitis frater tuus, tu saltem poteris sapienter dare responsum; constat plurimum vos errare, qui gaudia respuitis et

omnia inimica gaudiis affectatis. Tunc Valerianus se vidisse ait glaciali tempore otiosos jocantes et operarios agricolas deridentes, sed aestivo tempore, dum advenissent gloriosi fructus laborum, gaudentibus illis, qui putabantur vani, coeperunt flere, qui videbantur urbani. Sic et nos nunc quidem sustinemus ignominiam et laborem, in futuro autem recipiemus gloriam et aeternam mercedem. Vos autem nunc transitorium habetis gaudium, in futuro autem invenietis aeternum luctum. Cui praefectus: ergo nos invictissimi principes aeternum habebimus luctum et vos personae vilissimae perpetuum possidebitis gaudium? Cui Valerianus: homuntiones estis, non principes, tempore nostro nati, citius morituri et Deo rationem plus omnibus reddituri. Dixit autem praefectus: quid verborum circuitu immoramur? offerte Diis libamina et illaesi abscedite. Sancti responderunt: nos Deo vero quotidie sacrificium exhibemus. Quibus praefectus: quod est nomen ejus? Cui Valerianus: nomen ejus invenire non poteris, etiamsi pennis volaveris. Praefectus dixit: ergo Jupiter nomen Dei non est? Cui Valerianus: nomen homicidae et stupratoris est. Ad quem Almachius: ergo totus mundus errat et tu cum fratre tuo verum Deum nosti? Valerianus respondit: nos soli non sumus, sed innumerabilis multitudo hanc sanctitatem recepit. Traduntur igitur sancti in custodiam Maximi. Quibus ille ait: o juventutis flos purpureus, o germanus fraternitatis affectus, quomodo ad mortem quasi ad epulas festinatis? Cui Valerianus ait, quod, si crediturum se promitteret, gloriam animarum eorum post mortem videret. Et Maximus: fulminibus igneis consumar, si non illum solum Deum confitear, quem adoratis, si contingat, quod dicitis. Ipse igitur Maximus et omnis ejus familia et universi carnifices crediderunt et ab Urbano, qui illuc occulte venit, baptisma susceperunt. Igitur dum aurora nocti finem daret, Caecilia exclamavit dicens: eia milites Christi, abjicite opera tenebrarum et induimini arma lucis. Quarto igitur milliario ab urbe sancti ad statuam Jovis ducuntur et dum sacrificare nollent, pariter decollantur. Tunc Maximus cum jurejurando asseruit, se in hora passionis eorum angelos vidisse fulgentes et animas eorum quasi virgines de thalamo exeuntes, quas in gremio suo in coelum angeli detulerunt. Almachius vero audiens Maximum christianum effectum, eum plumbatis tamdiu caedi fecit, quousque spiritum excussit. Cujus corpus sancta Caecilia juxta Valerianum et Tiburtium sepelivit. Tunc Almachius facultates amborum coepit inquirere et Caeciliam tam-

quam Valeriani conjugem coram se fecit adstare jussitque, ut ydolis immolaret aut sententiam mortis incurreret. Cum autem ad hoc ab apparitoribus urgeretur et illi vehementer flerent, eo quod puella tam decora et nobilis ultro se morti traderet, dixit ad eos: hoc, boni juvenes, non est juventutem perdere, sed mutuare, dare lutum et accipere aurum, dare vile habitaculum et accipere pretiosum, dare brevem angulum et accipere forum pellucidum. Si quis pro nummo solidos daret, nonne velocius festinaretis? Deus autem, quod accepit simplum, reddet centuplum. Creditis his, quae dico? Et illi: credimus, Christum verum esse Deum, qui talem possidet famulam. Vocato igitur Urbano episcopo CCCC et amplius baptizati sunt. Tunc Almachius sanctam Caeciliam ad se vocans ait: cujus conditionis es? Et illa: ingenua sum et nobilis. Cui Almachius: ego te de religione interrogo. Cui Caecilia: interrogatio tua stultum sumit initium, quae duas responsiones una putat inquisitione concludi. Cui Almachius: unde tibi tanta praesumtio respondendi? At illa: de conscientia bona et fide non ficta. Cui Almachius: ignoras, cujus potestatis sim? Et illa: potestas vestra est quasi uter vento repletus, quem si acus pupugerit, omnis protinus rigor pallescit et quidquid in se rigidum habere cernitur, incurvatur. Cui Almachius: ab injuriis coepisti, et in injuriis perseveras. Caecilia respondit: injuria non dicitur nisi quod verbis fallentibus irrogatur; unde aut injuriam doce, si falsa locuta sum, aut te ipsum corripe calumniam inferentem, sed nos scientes sanctum Dei nomen omnino negare non possumus, melius est enim feliciter mori, quam infeliciter vivere. Cui Almachius: [1]) ad quid cum tanta superbia loqueris? Et illa: non est superbia, sed constantia. Cui Almachius: infelix, ignoras, quia vivificandi et mortificandi mihi tradita est potestas? Et illa: contra veritatem publicam probo te nunc esse mentitum, vitam enim viventibus tollere potes, [2]) mortuis autem dare non potes; es igitur minister mortis, non vitae. Cui Almachius: jam depone amentiam et sacrifica Diis. Cui Caecilia: nescio, ubi oculos amiseris; nam, quos tu Deos dicis, omnes nos saxa esse videmus; mitte igitur manum et tangendo disce, quod oculis non vales videre. Tunc iratus Almachius jussit eam ad domum suam reduci ibique tota nocte et die jussit eam in bulliente balneo concremari. Quae quasi in loco frigido mansit nec modicum saltem sudoris persensit. Quod cum audivisset Almachius, jussit eam in

1) Vulgo: ut quid legitur. 2) Verba: mortuis — potes omittit Ed. Pr.

ipso balneo decollari. Quam spiculator tribus ictibus in collo percussit, sed tamen caput ejus amputare non potuit, et quia decretum erat, ne quartam percussionem decollandus acciperet, eam semivivam cruentus carnifex dereliquit. Per triduum autem supervivens omnia, quae habebat, pauperibus tradidit et omnes, quos ad fidem converterat, Urbano episcopo commendavit dicens: triduanas mihi inducias postulavi, ut nos tuae beatitudini commendarem et hanc domum meam in ecclesiam consecrares. Sanctus autem Urbanus corpus ejus inter episcopos sepelivit et domum suam in ecclesiam, ut rogaverat, consecravit. Passa est autem circa annos domini CC et XXIII tempore Alexandri imperatoris. Alibi autem legitur, quod passa sit tempore Marci Aurelii, qui imperavit circa annos domini CCXX.

CAP. CLXX. (165.)
De sancto Clemente.

Clemens dicitur a cleos, quod est gloria, et mens, quasi gloriosa mens. Habuit enim gloriosam mentem, scilicet purgatam ab omni sorde, ornatam omni virtute et decoratam nunc omni felicitate; quae felicitas consistit in hoc, sicut dicit Augustinus in libro de trinitate, quia ibi esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habebit errorem, amare nostrum non habebit offensionem. Vel dicitur a clementia, quia clemens et misericors valde fuit. Vel, sicut dicitur in glossario, Clemens dicitur dulcis, justus, maturus, pius. Justus in actione, dulcis in sermone, maturus in conversatione, pius in intentione. Ejus vitam ipse in suo itinerario inseruit maxime usque ad illum locum, in quo, qualiter beato Petro in pontificatu successit, ostenditur. Caetera ex ejus gestis, quae communiter habentur, sumuntur.

Clemens episcopus ex nobili Romanorum prosapia ortus est. Pater ejus Faustinianus, mater vero ejus Macidiana nuncupata est, habuitque duos fratres, quorum unus Faustinus, alter Faustus dicebatur. Cumque Macidiana mater ejus mira corporis pulchritudine polleret, frater viri sui libidinoso amore in eam vehementer exarsit. Cum autem eam quotidie molestaret et ipsa sibi nullatenus assentire vellet viroque suo hoc revelare timeret, ne inter duos fratres ini-

micitias suscitaret, cogitavit per aliquod tempus se a patria absentare, donec illicitus amor conquiesceret, quem adspectus presentiae inflammaret. Ut autem hoc a viro suo obtinere posset, somnium valde confinxit callide, quod in hunc modum viro retulit dicens: ecce quidam mihi per visum adstitit mihi praecipiens, ut confestim cum duobus geminis, scilicet Faustino et Fausto, ex urbe discederem et tamdiu abessem, donec ipse mihi reditum imperaret, quod si non facerem, simul cum duobus liberis interirem. Quod vir audiens vehementer expavit ac uxorem cum duobus *liberis* et familia multa Athenas misit, ut et ibi maneret et *filios faceret* erudiri, minorem autem filium, scilicet Clementem, cum esset annorum quinque, sibi pater in solatium retinuit. Cum autem mater cum filiis navigaret, nocte quadam navis naufragium pertulit et mater sine filiis a fluctibus ejecta super quoddam saxum evasit, quae duos natos periisse considerans prae nimio *dolore in maris* fundum se praecipitasset, nisi quia eorum cadavera se reperturam sperabat. At vero, ubi nec vivos nec mortuos se reperire posse cognovit, clamores et ululatus maximos dabat, manus suas morsibus lacerabat nec ullam consolationem ab aliquo recipere volebat. Cumque multae mulieres adstarent, quae sua infortunia eidem narrarent et illa ex hoc consolationem non reciperet, affuit quaedam mulier inter caeteras, quae virum suum adolescentem et nautam in mari periisse asseruit et ob hoc sui amorem postmodum nubere recusavit. Recepta igitur qualicumque consolatione apud ipsam manebat et quotidianum victum suis manibus acquirebat, sed non multo post manus ejus, quas crebris morsibus laceraverat, sine sensu et [1])motu adeo sunt effectae, ut cum ipsis nullatenus *operari* posset. Illa autem, quae eam susceperat, paralisin incurrit et de lecto surgere non valebat sicque Macidiana mendicare compellitur et ipsa cum hospita ex his, quae invenire poterat, pascebatur. Completo igitur anno, quo Macidiana cum liberis discessit e patria, misit Athenas nuntios vir ejus, ut ipsos requirerent et, quid agerent, intimarent. Sed illi, qui missi fuerant, nullatenus redierunt. Denique cum alios misisset et illi revertentes se nullum inde vestigium reperisse narrarent, Clementem filium suum sub tutoribus dereliquit et [2])ipse ad quaerendum uxorem cum filiis navem conscendit, sed minime rediit. Viginti igitur annis Cle-

---

1) Alii: mortuae, 2) Ed. Pr. haec pessime ita invertit: ipsi — navem rediit. Viginti igitur annis conscendit, sed minime, Clem. etc.

mens orbatus stetit nec de patre vel de matre vel de fratribus aliquod indicium invenire potuit. Ipse autem Clemens studio litterarum se contulit et summum philosophiae apicem apprehendit. Desiderabat autem vehementer et studiose quaerebat, qualiter sibi animae immortalitas persuaderi posset. Ob hoc philosophorum scholas semper adibat et siquidem, quod immortalis esset, obtinebatur, gaudebat, si quando vero, quod mortalis esset, concludebatur, tristis discedebat. Denique cum Barnabas Romam venisset et fidem Christi praedicaret, philosophi eum tamquam insanum et amentem deridebant. Unde et quidam, qui secundum quosdam fuit Clemens philosophus, qui eum primo sicut alii deridebat et ejus praedicationem contemnebat, talem quaestionem pro derisu Barnabae fecit dicens: cum culex animal sit exiguum, quid est, quod sex pedes habet et insuper alas possidet, elephas autem, cum sit immane animal, nec alas possidet et tantum quatuor pedes habet? Cui Barnabas: stulte, tuae quaestioni respondere perfacile possem, si veritatis causa discendae quaerere videreris, sed nunc de creaturis vobis dicere aliquid absurdum est, cum a vobis creaturarum conditor ignoretur; quia enim creatorem non cognoscitis, justum est, ut in creaturis erretis. Hoc verbum cordi Clementis philosophi valde inhaesit, ita quod fidem Christi instructus a Barnaba recepit et in Judaeam ad Petrum postmodum properavit, quem ille de fide Christi instruxit et animae immortalitatem evidenter edocuit. Eo tempore Symon magus duos discipulos habebat, scilicet Aquilam et Nicetam, qui ejus fallacias agnoscentes eum reliquerunt et ad Petrum confugerunt et ejus discipuli sunt effecti. Cum autem Petrus Clementem de sua interrogasset progenie, ille, quid matri et fratribus et patri acciderit, per ordinem enarravit addens, quod credebat, quod mater cum fratribus in mari periissent, pater vero aut moerore aut similiter naufragio interiisset. Quod audiens Petrus lacrymas continere non potuit. Quadam autem vice Petrus cum discipulis suis [1])Antandrum et inde ad insulam per sex milliaria distantem, in qua Macidiana mater Clementis morabatur, venit, ubi quaedam columnae [2])vitreae mirae magnitudinis erant. Quas cum Petrus cum caeteris miraretur, videns ipsam mendicantem, cur non potius suis manibus operaretur, increpavit. Quae respondit: speciem tantum, domine, habeo manuum, quae meis sic sunt debilitatae

---

1) Ed. Pr. legit: cum discipulis suis Antaradis et Jubae ad etc. Alii loco vocis Antandrum offerunt: Antaradum. 2) Hoc adj. omittit Ed. Pr.

morsibus, ut omnino sint insensibiles effectae, atque utinam me in mare praecipitassem, ut ultra non viverem. Cui Petrus: quid est, quod loqueris? nescis, quia animae eorum, qui se interimunt, graviter puniuntur? Cui illa: utinam hoc mihi certum fieret, quod animae post mortem vivant, libenter enim me ipsam occiderem, ut saltem una hora dulces meos natos videre possem. Cumque Petrus ab ea causam tantae tristitiae interrogasset et illa ei ordinem gestae rei narrasset, ait Petrus: est quidam adolescens apud nos, nomine Clemens, qui haec, quae refers, matri et fratri asserit accidisse. Quod illa audiens nimio stupore percussa *corruit*, cumque ad semet ipsam rediisset, cum lacrymis ait: ego sum adolescentis mater, et procidens ad pedes Petri rogare eum coepit, ut sibi filium suum festinanter ostendere dignaretur. Cui Petrus: cum adolescentem videris, paululum dissimula, quousque ab insula cum navi egrediamur. Quod cum illa se facturam *promisisset*, tenens Petrus manum ejus ipsam ad navem, ubi erat *Clemens*, ducebat. Videns vero Clemens Petrum manu mulierem ducentem ridere coepit. Mox autem, ut mulier juxta Clementem fuit, se continere non potuit, sed statim in amplexus ejus ruit et crebro osculari coepit. Quam ille tamquam insanientem mulierem cum indignatione repellebat et adversus Petrum indignatione non modica movebatur. Cui Petrus: quid agis, o fili Clemens? noli repellere matrem tuam. Quod cum audivisset Clemens, lacrymis infusus super matrem jacentem concidit et eam recognoscere coepit. Tunc ad praeceptum Petri hospita sua, quae paralitica jacebat, adducitur et ab eo continuo liberatur. Tunc mater Clementem de patre interrogavit. Cui ille: ad te quaerendum ivit et ultra non *rediit*. At illa audiens solummodo suspiravit, grande enim pro filio invento gaudium habens reliquos consolabatur moerores. Interea cum Nicetas et Aquila deessent et redeuntes mulierem cum Petro vidissent, quaenam sit haec mulier, percunctantur. Quibus Clemens ait: mater mea est, quam mihi Deus redonavit per dominum meum Petrum. Post haec Petrus omnia iis per ordinem enarravit. Quae cum audivissent Nicetas et Aquila, subito surrexerunt et obstupefacti conturbari coeperunt dicentes: dominator domine Deus, verane sunt haec an somnium est, quod audivimus? Tunc Petrus: fili, non, inquit, nos insanimus, sed haec vera sunt. At illi faciem confricantes ajunt: nos sumus Faustinus et Faustus, quos mater nostra aestimat in mari interiisse. Et accurrentes in complexus

matris ruunt et eam crebrius osculantur. At illa ait: quid vult hoc esse? Ad quam Petrus: isti sunt filii tui Faustinus et Faustus, quos in mari periisse putabas. Haec audiens mater prae nimio gaudio velut amens effecta corruit et post ad se reversa ait: obsecro vos, dulcissimi filii, narrate mihi, quomodo evasistis. Qui responderunt: cum navis fuisset resoluta et nos super quandam tabulam veheremur, quidam piratae nos invenientes in suam naviculam posuerunt ac mutatis nominibus cuidam nos honestae viduae, Justinae nomine, vendiderunt, quae tamquam filios nos habuit et liberalibus artibus nos erudiri fecit; tandem philosophiae operam dedimus et Symoni cuidam mago nobiscum educato adhaesimus, cumque ejus fallaciam cognovissemus, ipsum omnino deseruimus et Petri discipuli per Zachaeum effecti sumus. Sequenti autem die assumtis Petrus tribus fratribus, scilicet Clemente, Aquila et Niceta, ad quendam secretiorem locum orationis gratia descendit. Quos venerandus quidam senex, sed tamen pauper alloqui coepit dicens: misereor vestri, fratres, quia sub specie pietatis vos graviter errare considero, neque enim Deus est neque cultus hic aliquis est nec providentia in mundo, sed fortuitus casus et genesis omnia agunt, sicut et ego ex me ipso manifeste comperi, in disciplina mathesis prae caeteris eruditus; nolite ergo errare, sive enim oretis sive non, quod vestra genesis continet, vobis erit. Clemens autem in eum respiciens animo pulsabatur et sibi se eum alias vidisse videbatur. Cumque de mandato Petri Clemens, Aquila et Nicetas cum eo diutius disputassent et providentiam apertis rationibus ostendissent eumque ob reverentiam crebro patrem vocarent, dixit Aquila: quid necesse est, ut eum patrem vocemus, cum in mandatis habeamus neminem super terram patrem vocare? Et post hoc respiciens ad senem ait: non injuriose accipias, pater, quod fratrem meum culpavi, quia te patrem vocavit; habemus enim tale mandatum, ne aliquem nomine isto vocemus. Cumque Aquila hoc dixisset, risit omnium adstantium coetus una cum sene et Petro, et cum ille causam risus inquireret, dixit ad eum Clemens: quia facis id, de quo alios culpas, senem patrem vocando. At ille negabat dicens: vere nescio, si eum patrem vocaverim. Verum cum satis de providentia disputatum esset, dixit senex: crederem utique, providentiam esse, sed a propria conscientia prohibeor, huic fidei accommodare consensum; novi enim meam et conjugis meae genesin et scio ea, quae unicuique nostrum dictabat genesis,

accidisse; audite igitur conjugis meae thema et invenietis schema, cujus exitus accidit. Habuit namque [1]) Martem cum Venere super centrum, lunam vero in occasu in domo Martis et finibus Saturni; quod scilicet schema adulteras facit et servos proprios amare et peregre proficisci et in aquis defungi, quod et factum est. Incidit namque in amorem servi et periculum atque opprobrium metuens cum ipso aufugit et in mari periit. Nam, sicut frater meus retulit, ipsum primo adamavit, sed cum ipse assentire sibi nollet, in servum suae libidinis amorem retorsit, nec tamen ei imputandum est, quia eam genesis hoc facere compulit. Narravitque, quomodo somnium finxerit et quomodo cum liberis Athenas vadens naufragio perierit. Cumque filii vellent in eum irruere et rem aperire, prohibuit Petrus dicens: quiescite, quoadusque mihi placuerit. Dixitque ei Petrus: si hodie conjugem tuam castissimam cum tribus filiis tuis consignavero, credes, quia genesis nihil sit? Cui ille: sicut impossibile est te exhibere, quod promisisti, ita et impossibile est, extra genesin aliquid fieri. Dixitque ei Petrus: ecce iste est filius tuus Clemens et hi duo gemini tui Faustinus et Faustus. Tunc senex resolutis membris cecidit et exanimis factus est. Filii autem irruentes in eum osculabantur verentes, ne spiritum revocare posset. Tandem ad se rediens omnia, ut acciderant, per ordinem audivit. Tunc subito uxor advenit et cum lacrymis clamare coepit: ubi est vir meus et dominus meus? Haec cum illa quasi amens clamaret, senex cucurrit et cum multis lacrymis amplecti et stringere eam coepit. Dum igitur simul manerent, advenit quidam nuntians Apionem et Ambionem Faustiniani amicissimos cum Symone mago hospitari. De quorum adventu Faustinianus valde gavisus ad eos visitandos ivit et ecce nuntius venit, qui diceret, ministrum Caesaris Antiochiam advenisse, ut magos omnes quaereret et morte puniret. Tunc Symon magus in odium filiorum, qui ipsum reliquerant, vultus sui similitudinem in Faustinianum impressit, ut non Faustinianus, sed Symon magus ab omnibus putaretur. Hoc autem fecit, ut a ministris Caesaris loco sui teneretur et occideretur. Ipse autem Symon de partibus illis abscessit. Cum autem Faustinianus ad Petrum et filios rediisset, expaverunt filii vultum Symonis, in eum intuentes, vocem autem patris sui audientes. Solus autem Petrus erat, qui vultum ejus naturalem videbat, cumque filii ejus et uxor

---

1) Ed. Pr. male matrem legit.

eum refugerent et exsecrarentur, dicebat iis: cur exsecramini et refugitis patrem vestrum? Qui responderunt, quod ideo eum fugerent, quia in eo vultus Symonis magi appareret. Confecerat enim Symon quoddam unguentum et faciem ejus perunxerat et vultum suum arte magica impresserat in eum. Ipse igitur lamentabatur et dicebat: quid mihi misero accidit, ut una die recognitus ab uxore et filiis laetari non potuerim cum iis? Uxor vero ejus sparsis crinibus et filii plurimum flebant. Symon autem magus, dum adhuc esset Antiochiae, Petrum plurimum infamaverat, magum maleficum et homicidam eum dicendo, denique in tantum adversus Petrum populum concitaverat, ut ipsum invenire plurimum affectarent, ut carnes ejus dentibus laniarent. Dixit ergo Petrus Faustiniano: quoniam quidem Symon magus esse videris, perge Antiochiam, coram omni populo me excusa ac ea, quae de me dixit Symon, ex persona sui retracta; post haec ego Antiochiam veniam et alienum hunc vultum a te effugabo et proprium vultum coram omnibus reddam. Hoc tamen nullo modo credendum est, quod beatus Petrus mentiri mandaverit, cum Deus non indigeat nostro mendacio. Ideo itinerarium Clementis, in quo haec scripta sunt, liber apocryphus est nec, ut quibusdam placet, suscipiendus in talibus. Verumtamen dici potest, quod Petrus, si diligenter verba sua considerentur, non sibi dixit, ut Symonem magum esse se diceret, sed ut populo effigiem faciei superinductam ostendens Petrum ex persona Symonis commendaret et mala, quae dixerat, revocaret. Et ille dixit, se esse Symonem, non quantum ad veritatem, sed quantum ad apparentiam, unde quod dixit infra Faustinianus: ego Symon etc., sic debet accipi: id est, quantum ad apparentiam, videor esse Symon. Fuit ergo Symon, supple: putativus. Perrexit ergo Faustinianus pater Clementis Antiochiam et populum convocans dixit: ego Symon annuntio vobis et confiteor omnia fefellisse de Petro, nequaquam enim est seductor vel magus, sed ad salutem mundi missus. Quapropter, si de caetero aliquid contra ipsum dixero, tamquam seductorem et maleficum repellatis; nunc enim poenitentiam ago, quia male me dixisse cognosco. Moneo igitur vos, ut ipsi credatis, ne vos et civitas vestra insimul pereatis. Cumque haec omnia, quae Petrus jusserat, complevisset et jam in amorem Petri populum incitasset, Petrus ad eum venit et oratione facta effigiem vultus Symonis ab eo penitus effugavit, populus autem Antiochenus Petrum benigne et cum multo honore recepit et ipsum in cathedra sublimavit. Quod au-

dicens Symon illuc perrexit et populum convocans ait: miror, quod, cum vos salubribus praeceptis instruxerim et a seductore Petro vos cavere monuerim, vos ipsum non solum audivistis, sed etiam episcopali cathedra sublimastis. Tunc omnes cum furore adversus eum dixerunt: monstro nobis similis es, nudius tertius te poenituisse dicebas et nunc te et nos praecipitare conaris, et impetum in eum facientes cum ignominia eum protinus expulerunt. Haec omnia Clemens in libro suo de se ipso narrat et hanc hystoriam ibidem inseruit. Post haec autem Petrus, cum Romam venisset et suam passionem imminere videret, Clementem post se episcopum ordinavit. *Mortuo* igitur principe apostolorum Petro Clemens vir providus praecavens in futurum, ne scilicet per hoc exemplum quilibet vellet sibi in ecclesia successorem statuere et hereditate sanctuarium domini possidere, Lino cessit et postmodum Cleto. *Nonnulli asserunt,* quod Linus et Cletus non fuerunt summi pontifices, *sed tantum* Petri apostoli coadjutores, propter quod in *catalogo* pontificum meruerunt annumerari. Post hos autem Clemens eligitur et praesidere compellitur, qui ita morum ornamento pollebat, ut Judaeis et gentilibus et omnibus christianis populis complaceret. *Singularum* inopes provinciarum nominatim scriptos habebat, et quos baptismi sanctificatione mundaverat, non sinebat publicae fieri mendicitati subjectos. Cum itaque Domicillam virginem, neptem Domitiani imperatoris, sacro velamine consecrasset et Theodoram uxorem Sisinnii amici imperatoris ad fidem convertisset et in castitatis proposito manere promitteret, Sisinnius zelo ductus ecclesiam post uxorem suam occulte intravit, scire volens, propter quod illa sic ecclesiam frequentaret. At vero a sancto Clemente oratio fusa est et a populo responsum est. Tum Sisinnius caecus et surdus penitus effectus est, qui statim pueris suis dixit: cito me tollite et foras educite. Pueri autem per totam ecclesiam eum girabant, sed et ad januas pervenire non poterant. Quos cum vidisset Theodora sic errantes, primo quidem ab iis declinavit, putans, quod vir suus eum cognoscere posset, postmodum autem, quidnam hoc esset, eos interrogavit, qui dixerunt: dominus noster, dum vult videre et audire, quae non licet, caecus et surdus factus est. Tunc illa in orationem se dedit deprecans, ut vir suus inde exire posset, et post orationem dixit pueris: ite modo et perducite dominum vestrum ad domum. Cumque abiissent, sancto Clementi Theodora, quid acciderit, indicavit. Tunc sanctus rogatu Theodorae ad eum venit et ipsum invenit

apertis oculis nil videntem et nihil penitus audientem, cumque Clemens pro eo orasset et ille auditum et lumen recepisset, videns Clementem juxta uxorem suam stantem amens efficitur et se illusum magicis artibus suspicatur praecepitque servis suis, ut tenerent Clementem, dicens: ut ingrederetur ad uxorem meam, magicis artibus me excaecavit. Praecepitque ministris, ut Clementem ligarent et ligatum traherent. At illi ligantes columnas jacentes et saxa putabant, sicut etiam Sisinnio videbatur, quod sanctum Clementem cum suis clericis traherent et ligarent. Tunc Clemens Sisinnio ait: quia saxa Deos dicis, saxa trahere meruisti. Ille autem vere cum ligatum existimans ait: ego te interfici faciam. Clemens autem inde abscedens Theodoram rogavit, ne ab oratione cessaret, donec virum suum dominus visitaret. Oranti igitur Theodorae Petrus apostolus apparuit dicens: per te vir tuus salvabitur, ut impleatur, quod dixit frater meus Paulus, salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem, et hoc dicens abscessit. Statimque Sisinnius uxorem suam ad se vocavit obsecrans, ut pro se oraret et sanctum Clementem ad se vocaret. Qui cum venisset, ipsum in fide instruxit et eum cum CCCXIII de domo sua baptizavit. Per hunc autem Sisinnium multi nobiles et amici Nervae imperatoris domino crediderunt. Tunc comes sacrorum pecuniam multis dedit et contra sanctum Clementem seditionem maximam excitavit. Tunc Mamertinus urbis praefectus populi seditionem maximam non ferens ad se Clementem adduci fecit. Quem cum redargueret et ad se inclinare attentaret, ille ait: optarem te ad rationem accedere, nam si canes multi contra nos latraverint et morsibus attrectaverint, nunquam hoc nobis auferre possunt, quod nos sumus rationabiles homines et ipsi sunt irrationabiles canes, seditio autem ab imperitis exorta ostendit se nihil habere certum vel verum. Tunc Mamertinus de eo Trajano imperatori scribens responsum accepit, quod aut sacrificaret aut trans pontum maris in eremo, quod adjacet civitati [1]) Tersonae, ipsum in exsilium mitteret. Tunc praefectus Clementi cum lacrymis ait: Deus tuus, quem pure colis, ipse te adjuvet. Praefectus autem ei navem tribuit et omnia necessaria ministravit, multi autem clerici et laici ipsum in exsilium sunt secuti. Profectus autem in insulam invenit ibi plus quam duo millia christianorum ibidem jamdudum ad secanda marmora damnatorum, qui sanctum Clementem videntes statim in fletum et lacrymas proruperunt. Quos ille con-

1) Ed. Pr. Crisonae legit.

solans ait: non meis meritis ad vos me misit dominus vestrae coronae principem me fieri. Et cum ab iis didicisset, quod a sexto milliario aquam suis humeris deportarent, dixit iis: oremus omnes dominum nostrum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontem in isto loco ac venas aquae aperiat, et qui percussit petram in deserto Syna et fluxerunt aquae in abundantia, ipse nobis laticem affluentem impertiatur, ut de ejus beneficiis gratulemur. Cumque oratione facta hinc inde circumspiceret, vidit agnum stantem, qui pede [1])erecto quasi locum episcopo ostendebat. Et intelligens dominum Jesum Christum esse, quem solus ipse videbat, perrexit ad locum et dixit: in nomine patris et filii et spiritus sancti in isto loco percutite. Sed cum nullus in isto loco, in quo agnus steterat, contingeret, ipse accepto brevi sarculo levi ictu locum sub pede agni percussit et statim maximus fons erupit et in fluvium crevit. Tunc universis gaudentibus sanctus Clemens ait: *fluminis impetus laetificat civitatem Dei.* Ad hanc famam multi confluxerunt et una die quingenti et amplius ab eo baptisma susceperunt et ydolorum templa destruentes per totam provinciam intra annum unum LXXV ecclesias aedificaverunt. Post tres autem annos Trajanus imperator, qui coeperat anno domini CVI, hoc audiens quendam ducem illuc misit, qui, cum omnes libenter mori conspiceret, multitudini cessit et solum Clementem ligata ad collum ejus ancora in mare praecipitavit dicens: jam non poterunt ipsum pro Deo colere [2])christiani. Stante autem omni multitudine ad littus maris Cornelius et Phoebus discipuli ejus omnes orare praeceperunt, ut dominus corpus sui martiris iis monstraret, statimque mari per tria milliaria recedente omnes per siccum ingressi invenerunt in modum templi marmorei habitaculum a Deo paratum et ibi in archa corpus sancti Clementis et ancoram juxta eum. Revelatum est autem discipulis ejus, ne inde tollerent corpus ejus. Omni autem anno tempore passionis ejus per septem dies ad tria milliaria mare recedit et siccum iter advenientibus tribuit. In una autem sollemnitatum mulier cum filio suo parvulo ad locum accessit. Completis autem festivitatis sollemniis cum puer obdormiret, sonus inundantium aquarum subito factus est, mulier autem territa et filii sui oblita cum reliqua multitudine ad ripam aufugit. Quae postmodum filii memor cum ejulatu maximo flebat et usque ad coelum lamentabiles voces dabat ac per littora clamans et ejulans discurrebat, si forte filii corpus a littoribus

1) Ed. Pr. dextro legit. 2) Vocem: christiani omittit Ed. Pr.

ejectum videret, sed cum in ea spes omnis deficeret, ad domum rediit et totum illum annum in fletu et moerore duxit. Post annum igitur aperto mari omnes anticipans ad locum concita venit, si de filio forte aliquod vestigium invenire posset. Cum ergo ante tumulum sancti Clementis se in orationem dedisset, surgens vidit infantem in loco, ubi eum reliquerat dormientem. Aestimans autem eum esse defunctum, accessit propius, quasi collectura corpus exanime, sed cum eum dormientem cognovisset, excitatum velociter spectantibus populis incolumem in ulnis levavit et, ubinam per illum annum fuerit, requisivit. Ille autem se nescire respondit, si annus integer praeterierat, sed tantum unius noctis spatio se suaviter dormivisse putabat. Ambrosius in praefatione sic ait: cum iniquissimus persecutor beatum Clementem poenis afficere a dyabolo cogeretur, non ei tormentum intulit, sed triumphum; jactatur ergo martir in fluctibus, ut mergeretur, et ex hoc pervenit ad praemium, unde Petrus magister ejus pervenit ad coelum. [1]) Amborum ergo in fluctibus Christus approbans mentes Clementem ad palmam victoriae de profundo revocat, Petrum ad coelestia regna, in eodem elemento ne mergeretur, elevat. Refert Leo Ostiensis episcopus, quod tempore, quo Michael imperator [2]) novae Romae regebat imperium, sacerdos quidam nomine Philosophus, qui ob summum ingenium a pueritia fuerat sic vocatus, cum Tersonam pervenisset et de his, quae narrantur in hystoria Clementis, habitatores interrogasset, quia advenae potius quam indigenae erant, se nescire professi sunt. Siquidem miraculum marini recessus ob culpam inhabitantium jamdiu cessaverat et ob incursum barbarorum tempore marini recessus venientium templum destructum fuerat et archa cum corpore marinis fluctibus obruta erat, exigentibus culpis inhabitantium. Super quo miratus Philosophus et accedens ad civitaculam, nomine Georgiam, cum episcopo et clero et populo accessit ad quaerendum sacras reliquias ad insulam, in qua aestimabant esse corpus martiris. Cum hymnis et orationibus fodientes divina revelatione invenerunt corpus et ancoram, cum qua fuerat in mare projectum, et deportaverunt Tersonam. Deinde praedictus Philosophus cum corpore sancti Clementis Romam venit et multis ostensis miraculis in ecclesia, quae nunc dicitur sancti Clementis, honorifice corpus collocatum fuit. In quadam chronica autem le-

1) Ed. Pr. male Ambrosius loco amborum offert. 2) Ed. Pr. male: nomine.

gitur, quod mari ab illo loco exsiccato a beato Cyrillo [1]) Moravorum episcopo Romam translatum est.

CAP. CLXXI. (166.)
De sancto Crisogono.

Crisogonus jussu Dyocletiani in carcere recluditur, ubi sanctae Anastasiae alimoniis fovebatur. Cum ergo Anastasiam vir ejus in artissimam custodiam posuisset, Crisogono, qui eam erudierat, talia scripta direxit. Sancto confessori Christi Crisogono Anastasia. Sacrilegi jugum mariti suscepi, cujus Deo miserante torum mentita infirmitate declinans die noctuque domini nostri *Jesu Christi* amplector vestigia. Cum iste patrimonium meum, ex quo illustratur, cum indignatione ac turpibus ydololatris exhauriat, me quoque velut magam atque sacrilegam custodiae tam gravissimae mancipavit, ut me vitam temporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisi ut amisso spiritu morti succumbam. In qua morte licet glorier, tamen mea mens valde conteritur, quia opes meae, quas Deo devoveram, a turpibus consumuntur. Vale, vir Dei, mementoque mei. Cui Crisogonus respondit: vide, quod non conturberis in hoc, quod tibi pie viventi inferantur adversa, non enim deciperis, sed probaris; cito ad te placitum tempus [2])Christus convertet et quasi post noctis tenebras floridum Dei lumen *adspicies* et post glaciei frigus aurea tibi tempora ac serena succedent. Vale in domino et ora pro me. Denique cum beata Anastasia sic in custodia artaretur, ut vix ei panis quadrans daretur, existimans se morituram, sancto Crisogono epistolam in haec verba scripsit. Confessori Christi Crisogono Anastasia. Finis venit corporis mei, ut egredientem animam ipse suscipiat, pro cujus amore ista sustineo, quae ex ore hujus vetulae recognoveris. Cui ille rescripsit: superest, ut lumen tenebrae antecedant: sic etiam post infirmitatem salus revertitur et vita post mortem promittitur. Uno fine concluduntur et adversa hujus mundi et prospera, ne vel tristibus desperatio vel laetis elatio dominetur. Unum mare est, in quo

---

1) Vulgo: Moranorum legitur. 2) Nomen: Christus omittit Ed. Pr.

naviculae corporis nostri velificant et sub uno corporis gubernatore animae nostrae nautico funguntur officio. Quorundam igitur naves fortissimis [1]) catenarum nexibus solidatae crebros aequoris concitatos fluctus illaesae praetereunt, quorundam vero fragiles juncturae lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt cursum. Tu autem, o Christi famula, crucis tropaeum tota mente constringe et te ipsam praepara ad opus Dei. Igitur Dyocletianus Aquilejae partibus positus caeteros christianos occidens sanctum Crisogonum sibi praesentari jussit. Cui cum diceret: accipe potestatem praefecturae tuae et consulatum generis tui et sacrifica Diis, respondit Crisogonus: unum Deum in coelis adoro et dignitates tuas quasi lutum contemno. Data igitur super eum sententia ad quendam locum ducitur et ibidem protinus decollatur circa annos domini CCLXXXVII. Cujus corpus cum capite sanctus Zelus presbiter sepelivit.

CAP. CLXXII. (167.)
De sancta Catherina.

Catherina dicitur a catha, quod est universum, et ruina, quasi universalis ruina; omne enim aedificium dyaboli in ea universaliter corruit. Nam in ea corruit aedificium superbiae per humilitatem, quam habuit, carnalis concupiscentiae per virginitatem, quam servavit, cupiditatis mundanae, quia omnia mundana despexit. Vel Catherina quasi catenula; ipsa enim sibi per bona opera quandam catenam fecit, per quam usque ad coelum adscendit. Quae quidem catena sive scala quatuor gradus habet, qui sunt innocentia operis, munditia cordis, despectio vanitatis et locutio veritatis, quos propheta per ordinem ponit dicens: quis adscendet in montem domini etc. Et respondet: innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, neque juravit in dolo proximo suo. Qualiter autem isti quatuor gradus in beata Catherina fuerunt, patet ex legenda sua.

Catherina Costi regis filia omnibus liberalium artium studiis erudita fuit. Cum autem Maxentius imperator omnes tam divites

1) Alii: carinarum legunt.

quam pauperes ad Alexandriam convocaret, ut ydolis immolarent, et christianos immolare nolentes puniret, Catherina, cum esset annorum decem et octo et in palatio divitiis et pueris pleno sola remansisset, audiens animalium diversorum mugitus et cantantium plausus misso illuc nuntio inquiri jussit celeriter, quid hoc esset. Quod cum didicisset, assumtis aliquibus de palatio signo crucis se muniens illuc accessit ibique multos christianos metu mortis ad sacrificia duci conspexit. Quae vehementi dolore cordis sauciata ad imperatorem audacter se ingessit et sic ait: salutationem tibi proferre, imperator, et ordinis dignitas et rationis via praemonebat, si creatorem coelorum agnosceres et a Diis animum revocares. Stansque ante januam templi per varias conclusiones syllogismorum allegorice et [1]) metaphorice, diserte et mystice multa cum Caesare disputavit. Deinde rediens ad commune colloquium dixit: haec tibi tanquam sapienti proferre curavi, nunc autem quare incassum *congregasti hanc* multitudinem ad colendam stultitiam ydolorum? Miraris hoc templum manu artificum operatum, miraris ornamenta pretiosa, quae velut pulvis ante faciem venti erunt. Mirare potius coelum et terram, mare et omnia, quae in iis sunt; mirare ornamenta coelorum, solem videlicet et lunam et stellas; mirare famulatum eorum, qualiter a mundi initio usque ad finem nocte et die currunt ad occidentem et redeunt ad orientem nec unquam fatigantur, et cum haec animadverteris, interroga et disce, quis sit eorum potentior; cum autem ipsum ipso donante intellexeris nec similem illi invenire valueris, ipsum adora, ipsum glorifica, ipse enim est Deus Deorum et dominus dominantium. Cumque de filii incarnatione sapienter plurima disputasset, stupefactus Caesar non valuit ad hoc respondere, tandem ad se reversus dixit ad eam: sine, o mulier, sine nos finire sacrificium et post hoc tibi responsa reddemus. Praecepit igitur, eam ad palatium duci et cum diligentia custodiri, admirans nimium ejus prudentiam et corporis pulchritudinem. Erat enim speciosa valde et incredibili pulchritudine omnium oculis admirabilis videbatur et gratiosa. Veniens igitur Caesar ad palatium dixit Catherinae: audivimus tuam eloquentiam et mirati sumus tuam prudentiam, sed in Deorum sacrificiis occupati omnia plene intelligere nequivimus, nunc autem ab initio progeniem tuam requirimus. Et sancta Catherina ad hoc: scriptum est, nec te collaudes nec te culpaveris

---

1) Alii: metonymice legunt.

ipse; hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. Confiteor tamen meam progeniem non tumore jactantiae, sed humilitatis amore, ego enim sum Catherina Costi regis unica filia, quae, quamvis in purpura nata et liberalibus disciplinis non mediocriter instructa, haec tamen omnia contemsi et ad dominum Jesum Christum confugi. Dii autem, quos colis, nec te nec alios juvare possunt. O igitur infelices talium ydolorum cultores, quibus advocata in necessitate non adsunt, in tribulatione non succurrunt, in periculo non defendunt! Cui rex: si ita est, ut dicis, totus mundus errat et tu sola verum dicis; cum tamen omne verbum in ore duorum vel trium testium confirmetur, si angelus esses, si coelica virtus, adhuc tibi nemo credere deberet, quanto minus, cum femina fragilis esse probaris! Cui illa: ne, obsecro, Caesar a furore tuo te vinci permittas, ut in sapientis animo non stet turbatio dira. Sic namque poeta ait: tu si animo rexeris, rex eris, si corpore, servus. Et rex: ut video, pestifera calliditate nos illaqueare disponis, dum per exempla philosophorum sermonem protrahere niteris. Videns autem Caesar, quod ejus sapientiae obviare non posset, mandavit occulte per litteras, ut omnes grammatici et rhetores ad praetorium Alexandriae festinanter venirent immensa munera recepturi, si concionatricem virginem suis assertionibus superarent. Adducti sunt igitur de diversis provinciis L oratores, qui omnes mortales in omni mundana sapientia excellebant. Quibus interrogantibus, cur de tam remotis partibus evocati fuissent, Caesar respondit: est apud nos quaedam puella sensu et prudentia incomparabilis, quae omnes sapientes confutat et Deos omnes daemones esse affirmat. Quam si superaveritis, cum honore magno ad propria redibitis. Ad haec unus indignatus stomachanti voce respondit: o magnum imperatoris consilium, qui ob unius degenerem puellae conflictum sapientes mundi de remotis partibus advocavit, cum unus ex nostris clientulis eam poterat levissime confutare. Et rex: poteram quidem hanc vi ad sacrificandum impellere aut poenis exstinguere, sed melius judicavi, ut vestris argumentis penitus confutetur. Cui illi dixerunt: adducatur coram nobis puella, ut sua temeritate convicta nunquam se sapientes vidisse cognoscat. Sed cum virgo certamen, quod sibi imminebat, didicisset, totam se domino commendavit et ecce angelus domini adstitit sibi et, ut constanter staret, admonuit asserens, quod non solum ab his vinci non poterit, sed insuper illa ipsos conversos ad palmam martirii destinabit. Cum ergo coram orato-

ribus adducta fuisset, dixit imperatori: quali judicio contra unam puellam quinquaginta oratores opponis, quos et pro victoria remunerandos promittis, et me sine spe mercedis pugnare compellis? Erit tamen merces mihi dominus Jesus Christus, qui est spes et corona pro se certantium. Verum cum oratores Deum fieri hominem aut pati impossibile dicerent, virgo etiam hoc a gentilibus praedictum esse ostendit. Nam Plato adstruit Deum circumrotundum et decurtatum. Sibilla quoque sic ait: felix ille Deus, ligno qui pendet ab alto. Cum igitur virgo cum oratoribus sapientissime disputaret et eos apertis rationibus confutaret, obstupefacti illi et, quid dicerent, non invenientes muti penitus sunt effecti. Tunc imperator contra eos nimio furore repletus increpare eos coepit, cur ab una puella tam turpiter se vinci permitterent. Tunc unus magister aliorum sic ait: noveris, imperator, quod nullus unquam ante nos stare potuit, quin continuo vinceretur, haec autem puella, in qua spiritus Dei loquitur, sic nos in admirationem convertit, ut contra Christum aliquid dicere aut omnino nesciamus aut penitus formidemus; unde, imperator, constanter fatemur, quod, nisi probabiliorem sententiam de Diis, quos usque modo coluimus, protuleris, ecce omnes ad Christum convertimur. Audiens haec tyrannus nimio furore succensus omnes in medio civitatis concremari jussit, at virgo ipsos confortans ad martirium constantes effecit et de fide diligenter instruxit. Et cum dolerent, quod sine baptismo decederent, virgo respondit: ne timeatis, quia effusio vestri sanguinis vobis baptismus reputabitur et corona. Cum ergo signo crucis muniti fuissent flammis injecti, ita animas domino reddiderunt, ut nec capilli nec vestimenta eorum ab igne in aliquo laederentur. Cum autem a christianis fuissent sepulti, tyrannus virgini loquitur dicens: o virgo generosa, juventuti tuae consule et post reginam in palatio meo secunda vocaberis et imagine tua in medio civitatis fabricata a cunctis velut Dea adoraberis. Cui virgo: desine talia dicere, quae scelus est etiam cogitare; ego me Christo sponsam tradidi, ille gloria mea, ille amor meus, ille dulcedo et dilectio mea, ab ejus amore nec blandimenta nec tormenta me poterunt revocare. Tunc ille furore repletus jussit eam spoliatam scorpionibus caedi et caesam in obscurum carcerem tradi ibique diebus duodecim fame cruciari. Rege autem pro quibusdam causis instantibus extra regionis confinia procedente, regina ejus nimio amore succensa cum principe militum, nomine Porphyrio, media nocte ad carcerem vir-

ginis properavit. Quo cum regina introiisset, vidit carcerem inaestimabili claritate fulgentem et angelos plagas virginis perungentes, incipiensque virgo aeterna ei gaudia praedicavit et ad fidem convertens martirii coronam eidem praedixit sicque usque ad mediam noctem sermonem protraxerunt. Quae cum omnia Porphyrius audivisset, ad pedes virginis procidit et cum ducentis militibus fidem Christi recepit. Quia vero per duodecim dies sine cibo tyrannus esse eam jusserat, Christus per hos dies, missa de coelo candida columba, coelesti eam cibo refovebat. Deinde dominus cum multitudine angelorum et virginum eidem apparuit dicens: agnosce, filia, creatorem tuum, pro cujus nomine laboriosum subiisti conflictum, constans esto, quia tecum sum. Rediens igitur imperator eam sibi praesentari jussit et videns eam splendidiorem, quam tanto jejunio aestimabat afflictam, putavit, quod eam aliquis in carcere sustentasset, et furore repletus custodes torqueri praecepit. Illa vero ait: ego cibum ab homine non accepi, sed Christus me per angelum enutrivit. Cui imperator: reconde, oro, quod moneo, in corde tuo et noli dubiis respondere sermonibus; non te quasi famulam possidere cupimus, sed regina potens et electa decore in regno meo triumphabis. Cui virgo: attende et tu, obsecro, et judicii examine veridica sanctione decerne, quem magis eligere debeo, an potentem, aeternum, gloriosum et decorum vel infirmum, mortalem, ignobilem et deformem. Tunc imperator indignatus ait: e duobus unum tibi elige, aut sacrifica, ut vivas, aut exquisita tormenta subi, ut pereas. Et illa: quaecumque tormenta potes cogitare, ne differas, quia carnem et sanguinem meum Christo offerre desidero, sicut et ipse pro me se ipsum obtulit; ipse enim Deus meus, amator meus, pastor et sponsus unicus meus. Tunc quidam praefectus furenti regi suasit, ut intra triduum quatuor rotas serris ferreis et clavis acutissimis circumseptas praepararet, ut eam tam horribile tormentum dissecaret et caeteros christianos tam dirae mortis exemplum terreret, ordinatumque est, ut duae uno ordine volverentur, duae autem contrario impetu agerentur, ut illae deorsum lacerando contraherent, illae repugnantes sursum devorando impingerent. Tunc virgo beata dominum exoravit, ut ad laudem sui nominis et conversionem populi circumstantis ipsam machinam dissiparet. Et ecce angelus domini molam illam cum tanto impetu divellendo concussit, quod quatuor millia gentilium interemit. Regina autem, quae desuper hoc adspiciebat et usque tunc se

celaverat, statim descendens imperatorem de tanta saevitia durius increpavit. Rex autem furore repletus, cum regina sacrificare contemneret, jussit eam extractis prius mamillis decollari. Quae cum ad martirium duceretur, Catherinam rogavit, ut pro se dominum precaretur. Quae respondit: ne timeas, a Deo dilecta regina, quia tibi hodie pro transitorio regno commutabitur aeternum et pro mortali sponso tibi immortalem acquires. Tunc illa constans effecta tortores hortabatur, ne, quod jussi fuerant facere, morarentur. Ministri igitur extra civitatem eam ducentes ferreis hastilibus mammillas ejus evellunt et post caput ejus praecidunt, cujus corpus Porphyrius rapiens sepelivit. Sequente die, cum de corpore reginae quaestio fieret et multos ex hoc ad supplicium tyrannus protrahi juberet, Porphyrius prorumpens in medium exclamavit: ego sum, qui Christi famulam sepelivi et Christi fidem recepi. Tunc Maxentius amens effectus rugitum terribilem emittens exclamavit: o me miserum et omnibus miserandum, ecce Porphyrius, qui erat unicus animae meae custos et totius laboris solatium, deceptus est! Quod cum suis militibus referret, illi protinus responderunt: et nos christiani sumus et mori parati sumus. Tunc Caesar furore ebrius praecepit omnes cum Porphyrio decollari et corpora eorum canibus dimitti. Deinde Catherinam advocans ait: quamvis arte magica reginam mori feceris, si tamen [1]) resipueris, prima in palatio meo eris; hodie igitur aut Diis sacrificia offeres aut caput amittes. Cui illa: fac, quaecumque animo concepisti, paratam enim me videbis ad omnia sustinenda. Data igitur super eam sententia decollari jubetur. Quae cum ad locum deducta fuisset, erectis in coelum oculis oravit dicens: o spes et salus credentium, o decus et gloria virginum! Jesu, rex bone, obsecro te, ut, quicumque passionis meae memoriam egerit seu in exitu animae vel in quacunque necessitate me invocaverit, tuae propitiationis consequatur effectum. Factaque est vox ad eam dicens: veni, dilecta mea, sponsa mea, ecce tibi coeli janua est aperta, nam et his, qui passionem tuam devotis mentibus celebraverint, optata praesidia promitto de coelis. Deinde cum decollata fuisset, de ejus corpore pro sanguine lac emanavit, angeli autem corpus accipientes ab illo loco ad montem Synai itinere plus quam dierum viginti deduxerunt et ibidem honorifice sepelierunt. Ex cujus ossibus indesinenter oleum emanat,

---

1) Ed. Pr. pessime praefert: respueris, patria in etc.

quod cunctorum debilium membra sanat. Passa est autem sub Maxentio sive Maximino tyranno, qui coepit circa annos domini CCCX. Qualiter autem Maxentius pro hoc scelere et aliis, quae commisit, punitus fuerit, in hystoria de inventione crucis habetur. Dicitur, quod quidam monachus Rothomagensis ad montem Synai perrexit ibique per septem annos in servitio beatae Catherinae devotus permansit. Quam cum instantius exoraret, ut aliquid de corpore suo habere mereretur, subito irrupit [1]) de manu illius unus digitorum. Qui donum Dei laetus accepit et ad suum monasterium deportavit. Fertur quoque, quod, dum quidam beatae Catherinae devotus exsisteret et eam crebro in sui adjutorium invocaret, per processum temporis mentis incuria resolutus et devotionem mentis perdidit et ab ipsius invocatione cessavit. Qui in oratione positus vidit multitudinem virginum ante se transeuntium, inter quas una erat, quae caeteris splendidior videbatur. Quae cum sibi appropinquasset, faciem suam operuit et sic ante ipsum facie velata transivit. Cujus splendorem cum ille nimium miraretur et, quae esset, interrogaret, una ex iis ei respondit: haec est Catherina, quam olim cognoscere solitus eras, nunc autem, quia eam cognoscere non videris, coram te sic velata facie tamquam a te incognita pertransivit. Notandum, quod beata Catherina mirabilis apparet in V: primo in sapientia, secundo in eloquentia, tertio in constantia, quarto in munditia castitatis, quinto in privilegio dignitatis. Primo admirabilis apparet in sapientia; in ipsa enim fuit omnis species philosophiae. Philosophia enim sive sapientia dividitur in theoricam, practicam et logicam. Theorica dividitur secundum quosdam in tres partes, scilicet in intellectualem, naturalem et mathematicam. Habuit igitur beata Catherina sapientiam intellectualem in cognitione divinorum, qua maxime usa est in disputatione contra rhetores, quibus unum solum Deum verum esse probavit et Deos omnes falsos esse convicit. Secundo naturalem in cognitione omnium inferiorum, qua maxime usa est in disputatione contra imperatorem, sicut patet ibidem. Tertio mathematicam in contemtu terrenorum; haec enim scientia secundum Boethium speculatur formas sine materia in abstractione. Hanc beata Catherina habuit, quando animum suum ab omni materiali amore abstraxit. Hanc enim se habere ostendit, cum imperatori inter-

1) Ed. Pr. omittit praepositionem, sed recent. libri pro verbis: unus digitorum offerunt: unus articulus digitorum. Item omittit Ed. Pr. verba: et — deportavit.

roganti respondit: ego enim sum Catherina Costi regis filia, quae, quamvis in purpura nata etc. Hac maxime usa est cum regina, quam ad contemtum mundi et despectum sui et desiderium regni aeterni animavit. Practica autem dividitur in tres partes, scilicet in ethicam, oeconomicam et publicam sive politicam. Prima docet mores informare et se virtutibus exornare et pertinet ad homines, secunda docet familiam bene componere et pertinet ad patresfamilias, tertia docet urbes et populos et rempublicam bene regere et pertinet ad rectores urbium. Hanc etiam triplicem scientiam *habuit* beata Catherina. Primam enim habuit, cum se omni morum honestate composuit; secundam, cum familiam suam, quae sibi magna relicta fuit, laudabiliter rexit; tertiam, cum imperatorem sapienter instruxit. Logica dividitur in tres partes, scilicet in demonstrativam, probabilem et sophisticam. Prima pertinet ad philosophos, secunda ad rhetores et dialecticos, tertia ad sophistas. *Hanc etiam* triplicem scientiam habuisse videtur, cum de ea scribitur: per varias conclusiones syllogismorum allegorice et [1]) metaphorice, diserte et mystice multa cum Caesare disputavit. Secundo fuit admirabilis in eloquentia, habuit enim eloquentiam facundissimam in praedicando, sicut patet in suis praedicationibus; disertissimam in rationem reddendo, sicut patet, cum dicebat imperatori: miraris hoc templum manu artificum fabricatum; suavissimam in attrahendo, sicut patet in Porphyrio et in regina, quos eloquii sui suavitate ad fidem attraxit; efficacissimam in convincendo, sicut patet in rhetoribus, quos tam potenter convicit. Tertio in constantia; fuit enim constantissima in minis illatis, quia ipsas contemsit, *unde* imperatori sibi minanti respondit: quaecumque tormenta *potes* cogitare, ne differas, quia carnem et sanguinem meum Christo offerre desidero; item: fac, quaecunque animo concepisti, paratam enim me videbis ad omnia sustinenda. Secundo in donis oblatis, quia ea respuit, unde, cum imperator sibi promitteret, quod eam in palatio secundam haberet, respondit: desine talia dicere, quae scelus est etiam cogitare etc. Tertio in suppliciis irrogatis, quia ea superavit, sicut patet, cum fuit posita in carcere et super rotam. Quarto in munditia castitatis; servavit enim castitatem inter ea, inter quae castitas periclitari solet. Quinque enim sunt, in quibus castitas periclitatur, scilicet affluentia resolvens, opportunitas inducens, juventus lasciviens, libertas effrenans, pulchritudo alliciens.

1) Alii: metonymice legunt.

Inter haec beata Catherina castitatem servavit. Habuit enim maximam affluentiam rerum, utpote quae tam ditissimis parentibus successit. Habuit opportunitatem, utpote quae sicut domina tota die inter suos famulos versabatur. [1])Habuit iterum aetatem juvenilem; item sui libertatem, quia sola et libera in palatio remansit. De his quatuor dicitur supra: Catherina, cum esset annorum XVIII, in palatio divitiis et pueris pleno sola remansit. Habuit etiam pulchritudinem, unde dicitur: quia erat speciosa valde et incredibili pulchritudine omnium oculis admirabilis videbatur. Quinto in privilegio dignitatis, quaedam enim privilegia specialia fuerunt in aliquibus sanctis, dum decederent, ut Christi visitatio, quae fuit in Johanne evangelista; olei emanatio, quae fuit in beato Nicolao; lactis effusio, quae fuit in beato Paulo; sepulchri praeparatio, [2])quae fuit in beato Clemente; petitionum exauditio, quae fuit in beata Margaretha, quando oravit pro agentibus sui memoriam. Haec autem omnia fuerunt in beata Catherina, sicut patet in legenda. Dubitationem autem habent aliqui apud aliquos, utrum a Maxentio vel a Maximino martirizata sit. Tunc enim tres imperium tenebant, scilicet Constantinus, qui ex successione paterna imperium sumsit, Maxentius Maximiani filius a praetorianis militibus Romae Augustus appellatus et Maximinus in orientis partibus Caesar effectus. Secundum autem chronicas Maxentius Romae, Maximinus vero in oriente contra christianos tyrannidem exercebat. Videtur ergo, ut aliquibus placet, quod vitio scriptoris sit factum, ut pro Maximino Maxentius poneretur.

CAP. CLXXIII. (168.)

De sancto Saturnino, [3])Perpetua, Felicitate et aliis sociis.

Saturninus ab apostolorum discipulis [4])episcopus ordinatus in urbem Tolosanam directus est. Cum autem ipso ingrediente daemones a responsis cessarent, unus gentilium dixit, quod, nisi Saturninum occiderent, a Diis suis nil penitus obtinerent. Appre-

1) Ed. Pr. omittit verba: Habuit — juvenilem. 2) Ed. Pr. omittit verba: quae — exauditio. 3) Rec. omittunt nomina: Perpetua etc. 4) Vocem: episcopus omittit Ed. Pr.

hendentes igitur Saturninum nolentem sacrificare ad pedes tauri ligaverunt eumque cum stimulis agitantes a summa arce per gradus capitolii praecipitaverunt sicque capite confracto et cerebro excusso martirium feliciter consummavit. Cujus corpus duae feminae rapientes in profundo loco propter metum gentilium condiderunt, quod postea successores ejus ad locum reverentiorem transtulerunt. Fuit alius Saturninus, quem Romae praefectus diu in carcere maceratum in equuleum levari et nervis, fustibus et scorpionibus caedi fecit, deinde lateribus adustis depositum ab equuleo decollari praecepit circa annos domini CCLXXXVI sub Maximiano. Fuit et alius Saturninus apud Africam, frater sancti Satyri, qui cum praedicto fratre suo et Revocato et Felicitate sorore dicti Revocati necnon et cum Perpetua genere nobili martirium passus est, quorum passio alio tempore potissimum recolitur. Cum ergo proconsul iis dixisset, ut ydolis immolarent et illi nullatenus assentirent, in carcerem missi sunt. Quod videns pater Perpetuae ad carcerem flens cucurrit dicens: filia, quid fecisti? dehonestasti genus tuum; nunquam aliquis de genere tuo in carcerem missus fuit. Cum autem audivisset, quod christiana esset, in eam cum impetu digitis irruit in oculos et ei oculos eruere voluit et exclamans egressus est. Vidit autem beata Perpetua hujusmodi visionem, quam in crastino sociis enarravit dicens: vidi scalam auream mirabili altitudine usque ad coelum erectam, quae adeo angusta erat, ut nonnisi unus et parvus adscendere posset. In dextra vero et laeva erant fixi cultri et gladii ferrei limati et exacuti, ita ut adscendens circa vel infra se nullatenus respicere posset, sed semper ad coelum eum erectum stare oportebat. Sub ea draco teterrimus et ingentis formae jacebat et prae timore quilibet adscendere formidabat. Vidit etiam Satyrum per eam adscendentem usque sursum et respicientem ad nos et dicentem: ne timeatis hunc draconem, sed securi adscendite, ut mecum esse possitis. Haec audientes omnes gratias egerunt, quia se vocatos ad martirium cognoverunt. Praesentati igitur judici cum sacrificare nollent, fecit Saturninum cum aliis viris a mulieribus separari et dixit Felicitati: habes virum? Et illa: habeo, sed contemno. Cui ille: miserere tui, puella, ut vivas, maxime cum infantem in utero habeas. Ad quem ait: fac de me, quidquid vis, quia ad tuam voluntatem nunquam me trahere valebis. Parentes autem beatae Perpetuae cum viro accurrentes infantem parvulum beatae Perpetuae, qui adhuc lacta-

batur, adduxerunt et videns eam pater stantem ante praefectum, cadens in faciem dixit: filia mea dulcissima, miserere mei et hujus moestissimae matris tuae et hujus miserrimi viri tui, qui post te vivere non valebit. Perpetua vero immobilis stabat. Tunc pater filium ad collum ejus jactavit et ipse et mater et maritus ejus manus tenentes et flentes osculabantur eam dicentes: miserere nostri, filia, et vive nobiscum. At illa projiciens parvulum et illos repellens ait: discedite a me, inimici Dei, quia non novi vos. Videns vero praefectus eorum constantiam diutissime verberatos in carcere posuit, sancti vero, dum plurimum moesti essent de Felicitate, quae octo mensibus jam praegnans erat, pro ea exoraverunt et dolores partus subito in eam irruerunt peperitque filium vivum. Quidam vero de custodibus dixit ad eam: quid facies, cum ante praefectum veneris, si nunc tam graviter cruciaris? Respondit Felicitas: hic ego pro me patior, ibi pro me Deus patietur. Extracti igitur de carcere ligatis post tergum manibus et nudatis natibus per plateas ducuntur et dimissis bestiis Satyrus et Perpetua a leonibus devorantur, Revocatus et Felicitas a leopardis comeduntur, beatus vero Saturninus gladio capite truncatur circa annos domini CCLVI sub Valeriano et Gallieno imperatoribus.

CAP. CLXXIV. (169.)
De sancto Jacobo interciso.

Jacobus martir cognomento intercisus nobilis genere, sed fide nobilior ex regione Persarum et civitate Elape oriundus fuit. Hic ex christianissimis parentibus ortus est et uxorem christianissimam habuit eratque notissimus regi Persarum et inter optimates primus. Accidit autem, ut a principe nimio amore seduceretur et ad colendum ydola flecteretur. Haec autem mater et uxor audientes protinus sibi scripserunt dicentes: obediendo mortali deseruisti eum, cum quo vita est, placendo futurae cito putredini deseruisti sempiternum odorem, veritatem in mendacium commutasti et mortali obtemperans vivorum ac mortuorum judicem reliquisti; noveris ergo nos amodo a te futuras extraneas nec tecum de caetero aliquatenus moraturas. Cum autem has litteras Jacobus legisset,

amare flens ait: si mater mea, quae me genuit, et uxor mea a me extraneae factae sunt, quanto magis a me extraneus factus est Deus meus! Cum ergo pro errore suo se plurimum afflixisset, nuntius venit ad principem, qui diceret, Jacobum christianum esse, quem princeps advocans ait: dic mihi, si Nazarenus es. Cui Jacobus: etiam, Nazarenus sum. Et ille: ergo magus es. Cui Jacobus: absit a me magum esse. Cum ergo ei multa supplicia minaretur, dixit Jacobus: non me conturbant minae tuae, quia tamquam ventus flans super petram furor tuus aures meas cito pertransit. Cui princeps: noli imprudenter agere, ne gravi morte pereas. Cui Jacobus: hoc non mors, sed somnus potius est dicendum, cum post modicum resurrectio tribuatur. Cui princeps: non te seducant Nazareni dicentes mortem esse somnum, quia magni imperatores timent eam. Cui Jacobus: nos mortem non timemus, quia de morte ad vitam transire speramus. *Tunc princeps* de consilio amicorum hanc super Jacobum tulit sententiam, ut ad terrorem aliorum membratim Jacobus puniatur. Cum autem quidam ex compassione super eum flerent, ille ait: nolite super me flere, sed super vos ipsos plangite, quia ego ad vitam pergo et vobis supplicia aeterna debentur. Tunc carnifices pollicem manus ejus dextrae absciderunt et exclamans Jacobus ait: liberator Nazarene, suscipe ramum arboris misericordiae tuae, nam a cultore vineae sarmentum absciditur vitis, ut potius germinet et uberius coronetur. Cui carnifex: si assentire vis, adhuc tibi parco et medicamentum adhibeo. Cui Jacobus: nonne prospexisti stipitem vitis? quia, cum amputantur sarmenta, ille nodus, qui remanet, in suo tempore, cum terra calescere incipit, per singula abscisionis loca producit germina; si ergo vitis putatur vicissitudine temporis, ut germinet, quanto magis fidelis homo, qui in vera vite Christo compactus est! Tunc accedens carnifex secundum abscidit digitum, beatus autem Jacobus dixit: suscipe duos ramos, quos plantavit dextera tua, domine. Abscidit et tertium et dixit Jacobus: de triplici tentatione liberatus benedicam patri et filio et spiritui sancto et cum tribus ereptis de camino pueris confitebor tibi, domine, et in choro martirum psallam nomini tuo, Christe. Abscisus est et quartus et Jacobus dixit: protector filiorum Israel, qui in quarta benedictione pronuntiatus es, suscipe a servo tuo confessionem quarti digiti tanquam in Juda benedicti. Absciso quinto ait: completum est gaudium meum. Tunc carnifices dixerunt ei: parce jam nunc animae

tuae, ne pereas, nec contristeris, si unam manum amiseris, quoniam multi sunt unam manum tantum habentes et multis divitiis et honoribus abundantes. Beatus Jacobus dixit: quando pastores incipiunt pecora tondere, numquid dextrum tantum vellus auferunt et sinistrum dimittunt, si ergo pecus, quod animal brutum est, totum vult vellus amittere, quanto magis et ego homo rationalis non dedignabor pro Deo occidi? Accedentes igitur impii ad sinistram manum digitum minimum inciderunt et Jacobus dixit: tu, domine, cum magnus esses, minimus et parvus pro nobis fieri voluisti et idcirco reddo tibi corpus et animam, quam creasti et proprio sanguine tuo redemisti. Absciditur septimus digitus et ait: septies in die laudem dixi domino. Absciditur octavus et dixit: octavo die circumcisus est Jesus et Hebraeus circumciditur octavo die, ut transeat ad legales caerimonias et mens servi tui, domine, transeat ab his incircumcisis et coinquinatum habentibus praeputium, ut veniam et conspiciam faciem tuam, domine. Inciditur etiam nonus digitus et ait: hora nona tradidit Christus in cruce spiritum, unde et ego, domine, in dolore noni digiti tibi confiteor et gratias ago. Inciditur decimus et ait: decimus numerus est in praeceptis et Jota prima littera est nominis Jesu Christi. Tunc quidam de adstantibus dixerunt: o dilectissime quondam noster, profitere Deum tantum coram consule, ut vivere valeas; licet enim abscisae sunt manus tuae, sunt tamen peritissimi medici, qui tuis doloribus valeant subvenire. Quibus Jacobus dixit: absit a me hujusmodi nefanda simulatio, nemo enim mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. Tunc indignati carnifices accesserunt et pollicem pedis dextri absciderunt et Jacobus dixit: pes Christi perforatus est et sanguis exivit. Absciditur secundus pedis digitus et ait: magna mihi dies haec est prae omnibus diebus; hodie quippe ad Deum fortem conversus ibo. Absciderunt et tertium et ante ipsum projecerunt et subridens Jacobus dixit: vade, tertie digite, ad socios tuos et quemadmodum granum tritici multum fructum affert, ita et tu in novissimis diebus cum sociis tuis requiesces. Absciditur quartus et ait: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? spero in Deum, quoniam adhuc confitebor illi, salus vultus mei et Deus meus. Absciditur quintus et ait: nunc incipiam dicere ad dominum, quoniam dignum me fecit socium servis suis. Tunc accedentes ad pedem sinistrum digitum parvum absciderunt et dixit Jacobus: digite parve, confortare, quia magnus et parvus unam habent resurrectionem, ca-

pillus capitis non peribit, quanto minus a sociis tuis, minime separaberis? Absciditur secundus et Jacobus ait: destruite veterem domum, quia splendidior paratur. Absciditur tertius; ait Jacobus: tunsionibus firmatur [1]) incus. Absciditur et quartus et ait: conforta me, Deus veritatis, quoniam in te confidit anima mea et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Absciditur et quintus et ait: ecce me tibi, domine, immolo vicies. Tunc accedentes pedem dextrum absciderunt et dixit Jacobus: nunc offeram munus coelesti regi, pro cujus amore haec patior. *Absciderunt* et pedem sinistrum et beatus Jacobus dixit: tu es, qui *facis* mirabilia, exaudi me, domine, et salva me. Absciderunt dextram manum et ait: misericordiae tuae, domine, adjuvent me. Ad sinistram ait: tu es Deus, qui facis mirabilia. Absciderunt dextrum brachium et ait: lauda, anima mea, dominum, laudabo dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero. *Absciderunt et* brachium sinistrum et ait: circumdederunt me dolores mortis, in nomine domini vindicabor in iis. Tunc accedentes absciderunt suram dextri cruris, scindentes usque ad femur. Tunc beatus Jacobus ineffabili dolore gravatus exclamans ait: domine Jesu Christe, adjuva me, quia circumdederunt me gemitus mortis. Et ait carnificibus: carne nova me dominus induet, quam vestra vulnera maculare nequibunt. Jam carnifices defecerant, eo quod a prima hora diei usque ad [2]) nonam in ejus incisione sudassent. Tunc iterum accedentes sinistri cruris suram abscidendo usque ad femur extraxerunt. Tunc exclamans beatus Jacobus dixit: dominator domine, exaudi me semivivum, vivorum et mortuorum dominus; digitos, domine, non habeo, ut ipsos ad te porrigam, nec manus, ut eas ad te extendam, pedes mei truncati et genua demolita, ut tibi genua flectere non valeam, et sum velut casura domus ablatis, quibus sustentatur, columnis; exaudi me, domine Jesu Christe, et educ de carcere animam. Haec cum dixisset, unus de carnificibus accessit et caput ejus amputavit. Christiani igitur occulte accesserunt et corpus ejus rapientes honorifice sepelierunt. Passus est autem V calend. Decembres.

---

1) Ed. Pr. legit: mens. 2) Alii legunt: novam.

CAP. CLXXV. (170.)
De sancto Pastore.

Sanctus Pastor in eremo multis annis in abstinentia magna se affligens multa sanctitate et religione pollebat. Cum autem mater ejus ipsum et fratres desideraret videre, sed non posset, observavit diem et illis ad ecclesiam euntibus, protinus se iisdem obtulit. At illi fugientes et cellam intrantes in ejus faciem clauserunt ostium. Illa autem ante ostium stans cum nimio fletu clamabat, Pastor autem ad ostium veniens dixit ei: quid sic clamas, o vetula? Quae audiens vocem ejus amplius clamabat flens et dicens: volo vos videre, filii mei. Quid enim, si videam vos? Numquid non ego sum mater vestra, quae lactavi vos, et jam canis tota sum plena? Cui filius: hic nos vis videre aut in alio seculo? Quae respondet: si non videro vos hic, videbo vos illic, filii. Qui ait: si aequanimiter ferre vales, ut nos hic non videas, illic procul dubio nos videbis. Quae discessit gaudens et dicens: si vos visura sum illic, nolo vos videre hic. Judex provinciae cum abbatem Pastorem videre cuperet, sed nequiret, filium sororis suae tamquam malefactorem tenuit et in carcere posuit dicens: si Pastor venerit et pro eo intercesserit, eum dimittam. Mater igitur pueri ad ostium senis plorans, dum ille sibi nil respondit, ait: et si viscera ferrea habes et nulla compassione moveris, saltem miseratio sanguinis tui flectat te, et quod unigenitus mihi exsistit. Ille autem mandavit ei: Pastor filios non generavit [1]) et idcirco non dolet. Qua cum dolore discedente, dixit ei judex: saltem verbo jubeat et ego eum dimittam. Ille autem ei remandavit dicens: examina causam secundum legem et, si dignus morte habetur, protinus moriatur, [2]) si non autem, quomodo placet tibi, fac. Docebat autem fratres sic dicens: custodire et se ipsum considerare et discretionem habere, operationes sunt animae; paupertas, tribulatio et discretio sunt operationes solitariae vitae. Scriptum est enim: si fuerint hi tres viri Noe, Job et Daniel etc. Noe personam habet nihil possidentium, Job tribulatorum, Daniel discretorum. Si duas res oderit monachus, potest ab hoc mundo liber esse. Et quaerenti fratri,

1) Verba: et — dolet omittit Ed. Pr. 2) Vulgo: sin.

quae essent, dixit: carnalis repausatio et vana gloria. Si vis requiem invenire in hoc saeculo et in futuro, in omni causa dic: quis ego sum? et: non judices quemquam. Cum quidam frater de congregatione offendisset, abbas de consilio cujusdam solitarii eum expulit. Qui cum quasi flendo desperaret, abbas Pastor eum ad se adduci fecit, quem benigne consolans misit ad illum solitarium dicens: audiens de te videre te desidero, fatiga igitur te usque ad me. Qui cum venisset, dixit Pastor: duo homines erant, qui ambo habebant mortuos suos; reliquit autem unus mortuum suum *et abiit* plorare mortuum alterius. Quod solitarius audiens et *intelligens* in sermone ejus compunctus est. Cum quidam frater Pastori dixisset, se perturbatum esse et locum velle deserere, eo quod quaedam verba de quodam fratre audivisset, quae eum non aedificaverant. dixitPastor, ne haec verba crederent, quia vera non essent. *Ille vero* vera esse asserebat, quia frater Fidelis ea sibi *retulit. Cui Pastor*: non est fidelis, qui tibi dixit, quia, si fidelis esset, nequaquam sibi talia diceret. Et ille: ego vidi oculis meis. Ille autem interrogatus de festuca et de trabe, quid essent, respondit de festuca, quod festuca esset, de trabe, quod trabs esset. Et Pastor: pone in corde tuo, quia peccata tua sunt sicut haec trabs, illius autem velut haec parva festuca. Frater quidam, qui peccatum grande fecerat, volens poenitere triennio interrogavit Pastorem, si multum esset. Qui dixit: multum est. Et quaesitus, si annum juberet, ait: multum est. Adstantes autem dicebant usque ad XL dies et ille: multum est. Et adjecit: puto, quod, si ex toto corde homo poenituerit et peccatum non iteraverit, et poenitentiam triduanam suscipiet dominus. Interrogatus de illo verbo: qui irascitur fratri suo sine causa etc., ait: ex omni re, qua te gravare voluerit frater tuus, ne irascaris adversus eum, donec oculum dextrum *tibi* extrahat, et si aliter feceris, sine causa sibi irasceris; si autem aliquis te voluerit separare a Deo, pro hoc irascere ei. Dixit iterum Pastor: qui querulosus est, monachus non est; qui malitiam in corde suo tenuerit, monachus non est; qui iracundus est, monachus non est; qui malum pro malo reddit, monachus non est; qui elatus et verbosus est, monachus non est; qui vero vere est monachus, semper est humilis, mansuetus, caritate plenus et timorem Dei semper et ubique prae oculis habet, ut non peccet. Dixit iterum, quod, si sunt tres in unum, ex quibus unus bene quiescat, alius autem infirmetur et gratias agat, tertius vero mi-

nister ejus sit ex sincera voluntate, hi tres similes sunt, velut sint unius operis. Cum quidam frater sibi conquereretur, quod multas cogitationes habens in ipsis periclitaretur, eum sub aëre nudo ejecit dicens: expande sinum et apprehende ventum. Qui ait: non possum. Et ille: nec cogitationes prohibere potes, ne introeant, sed tuum est resistere iis. Interrogatus a quodam fratre, quid de hereditate sibi dimissa faceret, dixit, ut post tres dies ad se rediret. Qui cum rediisset, ait illi: si dixero, da eam [1])clericis, facient inde convivia; si dixero, da eam parentibus, non est tibi merces; si dicam, da eam pauperibus, securus eris. Quicquid ergo vis, fac, ego causam non habeo. Haec in [2])vitis patrum.

CAP. CLXXVI. (171.)

De sancto Johanne abbate.

Johannes abbas, cum Episius per annos quadraginta in eremo habitasset, interrogavit eum, quantum ex hoc profecisset. Et dixit [3])Johannes: ex quo coepi solitarius esse, nunquam me vidit sol manducantem. Et [4])ille: nec me irascentem. Simile vero legitur ibidem, quod, cum Epiphanius episcopus abbati Hilarioni daret carnes, ille ait: ignosce mihi, quia, ex quo accepi habitum hunc, non manducavi quidquid occisum. Cui episcopus: ex quo accepi habitum hunc, non dimisi aliquem dormire, qui adversum me aliquid haberet, nec dormivi habens aliquid adversus aliquem. Cui ille: ignosce mihi, quia melior es, quam ego. Volens Johannes ad similitudinem angelorum nihil operari, sed Deo sine intermissione vacare, se ipsum exspoliavit et unam hebdomadem in eremo fuit. Cum autem fame periclitaretur et aculeis muscarum et vesparum totus vulneraretur, reversus ad ostium fratris sui pulsabat. Ad quem ille: quis es tu? Et ille: ego sum Johannes. Frater autem dixit: nequaquam; Johannes enim angelus factus est et inter homines ultra non est. Et ille: ego vere sum. Et non aperiens ei dimisit eum affligi usque mane. Postea aperiens dixit:

---

1) Ed. Pr. praefert: ecclesiae. 2) Vulgo et hic et in sequentibus capp. legitur: vitas. 3) Ed. Pr. praefert: ille. 4) Ed. Pr. praefert: Johannes.

si homo es, opus habes iterum operari, ut pascaris et vivas; si autem angelus es, quid quaeris intrare cellam? Et ille dixit: ignosce mihi, frater, quod peccavi. Cum autem moreretur, rogaverunt eum fratres, ut aliquod verbum salutare et compendiosum loco hereditatis sibi relinqueret. Qui ingemiscens ait: nunquam feci propriam voluntatem nec aliquid docui, quod prius ipse non fecerim. Haec in vitis patrum.

CAP. CLXXVII. (172.)
De sancto Moyse abbate.

Moyses abbas dixit fratri petenti a se sermonem: *sede in cella tua et docebit te universa.* Cum quidam senex infirmatus *in* Aegyptum ire vellet, ne fratres nimis gravaret, dixit ei abbas Moyses: non vadas, quoniam in fornicationem casurus es. Qui contristatus dixit: mortuum est corpus meum, et tu mihi ista dicis? Cum ergo ivisset et quaedam virgo ex devotione sibi serviret, ille convalescens eam violavit. Quae cum filium peperisset, senex puerum in ulnis accipiens in die magnae festivitatis, quae erat in Sixti ecclesia, coram multitudine fratrum intravit. Cum autem omnes flerent, dixit: videtis infantem hunc? filius est inobedientiae; cavete ergo vobis, fratres, quia in senectute hoc feci, et orate pro me. Et pergens ad cellam ad pristinum statum reversus est. Alius quoque senex cum dixisset alteri: mortuus sum, ille dixit: non confidas in te, donec exeas de corpore, nam si dicis, quia mortuus es, Sathanas tamen mortuus non est. Cum frater peccasset, miserunt ad abbatem Moysen, qui accepta sporta plena arena venit ad eos. Quem cum fratres, quidnam hoc esset, interrogarent, dixit: peccata mea sunt post me currentia et non video ea et veni hodie aliena judicare peccata. Illi autem hoc audientes fratri pepercerunt. Simile legitur de abbate Priori. Nam cum fratres de quodam fratre culpabili loquerentur, ille tacebat. Cum ergo accepisset sacculum plenum arena retro et de eadem arena modicum ante se ferret, interrogatus, quid hoc esset, dixit: multa arena sunt peccata mea, quae post me ferens ipsa non considero nec pro iis doleo, modica vero arena sunt peccata fratris ante me posita, quae semper

considero et ipsum judico, cum tamen peccata mea ante me semper portare deberem et de ipsis cogitare et pro ipsis Deum rogare. Cum abbas Moyses factus fuisset clericus et imposuissent ei superhumerale, dixit ei episcopus: abbas factus est candidatus. Et ille: [1]a foris, domine, purpura, utinam intus! Volens autem episcopus eum probare, dixit clericis suis, ut, quando ad altare accederet, ipsum cum injuria expellerent, deinde eum sequentes, quidquid loqueretur, audirent. Projicientes autem eum foras dixerunt: bene tibi fecerunt cineratae et [2]caccabatae, quia, cum homo non sis, quare te in medio hominum dare praesumsisti? Haec in vitis patrum.

CAP. CLXXVIII. (163.)
De sancto Arsenio [3]abbate.

Arsenius cum adhuc in palatio consisteret et, ut ad salutem dirigeretur, oraret, audivit: fuge homines et salvaberis. Accedens igitur ad monachalem vitam et ibidem orans audivit: Arseni, fuge, tace, quiesce. Legitur enim ibidem de hac quiete appetenda, quod, tres fratres cum facti fuissent monachi, unus elegit discordantes ad pacem reducere, secundus infirmos visitare, tertius in solitudine quiescere. Primus igitur laborans propter lites hominum non potuit omnibus placere et taedio victus venit ad secundum, quem invenit animo deficientem et mandatum perficere non valentem. Et concordantes ad tertium, qui erat in solitudine, venerunt. Cui cum tribulationes suas narrassent, ille missa aqua in scypho dixit: attendite in aquam, et erat commota et turbulenta. Et rursus dixit: attendite modo, quomodo quieta et limpida facta est. Qui cum intenderent et vultus suos viderent, ait: sic, qui in medio hominum consistunt, prae turba non vident peccata sua, cum autem quieverint, tunc peccata sua videre valebunt. Quidam etiam cum invenisset quendam in eremo velut bestiam herbas manducantem et nudum, currebat post ipsum fugientem dicens: exspecta me, quia propter Deum sequor te. Et ille: et ego propter Deum fugio te. Cum autem vestem projecisset, exspectavit eum dicens: quoniam

1) Ed. Pr. offert: aut foris, domine papa, aut intus? 2) Ed. Pr. cacabotae offert. 3) Hoc epitheton omittit Ed. Pr.

materiam mundi projecisti a te, exspectavi te. Cui ille: dic mihi, quomodo salvus efficiar. Qui respondens ait: fuge homines et tace. Matrona quaedam nobilis et senex venit, ut abbatem Arsenium ex devotione videret, qui rogatus a Theophilo archiepiscopo, ut se videri permitteret, nullatenus acquievit. Tandem illa ad ejus cellam properans ipsum foris ante ostium cellae invenit et se ad ejus pedes prostravit. Ille autem cum indignatione nimia elevavit eam dicens: si faciem meam videre vis, vide. Illa autem faciem ejus prae confusione et verecundia non consideravit. Cui senex: quomodo, cum mulier sis, tantam navigationem facere praesumsisti? ecce enim Romam redibis et, quod abbatem Arsenium videris, aliis mulieribus enarrabis et illae similiter venient, ut videant me. Et illa: si Deo dante Romam rediero, nullam huc venire permittam, sed saltem obsecro, ut ores pro me et mei memor sis semper. Cui ille: oro Deum, ut deleat memoriam tuam de corde meo. Et illa audiens turbata nimium venit in civitatem et prae tristitia febricitare coepit. Quod archiepiscopus audiens ad eam consolandam accessit, illa autem dicebat: ecce ego contristata morior. Cui archiepiscopus: nescis, quod mulier es et inimicus per mulieres sanctos impugnat? et propterea senex hoc dixit; nam pro anima tua semper orat. Sic consolatione recepta cum gaudio ad propria remeavit. De quodam alio patre legitur, quod, cum discipulus ejus sibi diceret: senuisti, abbas, accedamus parum juxta mundum, ille ait: ubi non est mulier, ibi eamus. Dixit discipulus: et ubi est locus non habens mulierem, nisi forte solitudo? Et ille: ergo in solitudinem me tolle. Alius etiam frater cum matrem suam vetulam trans fluvium portare deberet, ille manus suas pallio involvit. Cui illa: [1])ad quid operuisti manus tuas, fili? Et ille: corpus mulieris ignis est et ex eo, quod te contingebam, aliarum feminarum memoria in meo animo veniebat. Arsenius autem per totum tempus vitae suae ad opus sedens manuum suarum pannum habebat in sinu propter lacrymas, quae crebro de oculis ejus currebant. Totam noctem insomnem ducebat, mane autem facto, cum propter naturae lassitudinem dormire vellet, dicebat somno: veni, serve male, et subripiebat parum somni sedendo et statim surgebat. Dicebat quoque: sufficit monacho, si dormierit una hora, si est tamen pugnator. Cumque pater sancti Arsenii nobilissimus

1) Vulgo: ut quid.

senator vitam finiens et testamentum faciens magnam hereditatem Arsenio dimisisset, Magistrianus praedictum testamentum ad ipsum detulit, quod ille accipiens voluit scindere. Magistrianus autem ejus pedibus provolutus rogavit, ne hoc faceret, quia caput ejus praecideretur. Cui Arsenius: prius mortuus sum quam ille; ipse igitur, cum modo mortuus sit, quomodo me fecit heredem? Et remisit testamentum nihil accipere volens. Quadam vice facta est vox ad eum dicens: veni et ostendam tibi opera hominum. Et eduxit eum in quendam locum. Ostendit quoque ei Aethiopem incidentem ligna et facientem sarcinam grandem, quam portare non poterat. Deinde iterum ligna incidebat et ad sarcinam addebat et hoc faciebat diutius. Ostenditque ei rursus hominem haurientem aquam de lacu et effundentem aquam in cisternam pertusam, quae aquam refundebat in lacum, et ipsam cisternam implere volentem. Et ostendit ei iterum templum et duos viros in equis portantes lignum transversum; volentes autem introire in templum, non poterant eo, quod lignum in transverso portarent. Et exposuit dicens: hi sunt, qui portant quasi jugum justitiae cum superbia et non humiliantur, propter quod remanent foris a regno Dei. Qui ligna incidit, homo est in peccatis multis et pro eo, ut agat poenitentiam, non subtrahit de peccatis, sed addit iniquitates iniquitatibus; qui autem aquam haurit, homo est bona opera faciens, sed quia cum iis sunt permixta mala, perdidit bona opera sua. Vespere sabbati veniente die dominico relinquebat post se solem et extendebat manus suas ad coelum, donec mane die dominico sol ascendens faciem ejus illustrabat, et sic residebat. Haec in vitis patrum.

CAP. CLXXIX. (174.)
De Agathon abbate.

Agathon abbas per triennium lapidem in os suum mittebat, donec taciturnitatem disceret. Alius quoque frater, cum intrasset congregationem, dixit intra se: tu et asinus unum esto; sicut ergo asinus vapulat et non loquitur, injuriam patitur et non respondet, sic et tu. Alius quoque frater a mensa expulsus nihil respondit; postmodum super hoc interrogatus ait: posui in corde meo, quod

aequalis sum cani, qui, cum sectatur, foras egreditur. Interrogatus Agathon, quae virtus plus haberet laboris, respondit: puto non esse talem laborem, qualem orare Deum; nam inimici ejus semper laborant ejus orationem destruere, nam in caeteris laboribus homo aliquam requiem possidet, orator autem opus habet magni certaminis. Interrogatus Agathon a quodam fratre, quomodo cum fratribus habitare deberet, ait: sicut in prima die, et non assumas fiduciam, non est enim pejor passio quam fiducia, genitrix est enim omnium passionum. Dixit iterum: iracundus, si mortuos suscitet, non placet alicui vel Deo propter iracundiam suam. Frater quidam iracundus intra se ait: si solus habitarem, ad iram non cito moverer. Quadam vice, cum urceolum aqua impleret, versatus est; secundo implevit et iterum versatus est; tertio implevit et versatus est, qui commotus furore fregit vasculum. In se autem reversus cognovit, quod ab eodem daemone *iracundiae* sit illusus, et dixit: ecce solus sum et tamen *ira me vicit*; revertar ergo in congregationem, quia ubique labor et ubique patentia et adjutorio Dei opus est. E contra erant duo fratres, qui multis annis invicem conversantes nunquam ad iracundiam poterant *provocari*. Quadam vice dixit unus alteri: faciamus et nos litem, sicut homines de mundo faciunt. Et ille respondit: nescio, qualiter fiat lis. Et dixit frater: pono in medio laterculum et dico, meum est, tu autem dic, non, sed meum est, et inde fiet litis initium. Posita est ergo testa in medio. Dixit unus: meum est hoc, et alter dixit: non, sed meum est. Et ille respondit: etiam, tuum est, tolle ergo et vade. Et discesserunt nec inter se contendere potuerunt. Erat autem abbas Agathon sapiens ad intelligendum, impiger ad laborandum, parcus *in cibo* atque vestimento. Dixit autem: secundum voluntatem meam nunquam dormivi retinens in corde adversus quemquam dolorem, non dimisi dormire alium habentem adversum me aliquid. Moriturus quoque Agathon tribus diebus mansit immobilis apertos tenens oculos. Qui cum pulsaretur a fratribus, respondit: in conspectu divini judicii assisto. Dicunt ei: et tu times? Et ille: in custodiendis mandatis Dei virtute, qua potui, laboravi; sed homo sum et nescio, utrum placuerunt opera mea domino. Dicunt ei: et non confidis de operibus tuis, quod secundum Deum sunt? Et ille: non praesumo, donec venero ante illum, aliter enim sunt judicia Dei et aliter judicia hominum. Cum autem eum adhuc interrogare vellent, ait: ostendite caritatem et nolite mecum loqui, quia occupatus sum.

Quo dicto statim spiritum cum gaudio emisit. Videbant enim eum colligentem spiritum, quemadmodum si quis salutet amicos suos dilectos. Haec in vitis patrum.

CAP. CLXXX. (175.)
De sanctis Barlaam et Josaphat.

Baarlaam, cujus hystoriam Johannes Damascenus diligenti studio compilavit, operante in eo divina gratia sanctum Josaphat regem ad fidem convertit. Etenim cum universa India christianis et monachis plena esset, surrexit rex quidam praepotens, nomine Auennir, qui christianos et praecipue monachos plurimum persequebatur. Accidit autem, ut quidam regis amicus et in palatio suo primus divina commonitus gratia regiam aulam relinqueret et monasticum ordinem introiret. Quod rex audiens prae ira insaniens eum per quaeque deserta inquiri fecit et vix inventum ad se adduci mandavit, vidensque eum vili tunica coopertum et fame maceratum, qui splendidis vestimentis ornabatur et multis divitiis affluere consueverat, dixit ei: o stulte et mentis perdite, cur honorem in contumeliam commutasti? Ecce, ludum puerorum te fecisti. Cui ille: si hujus a me rationem audire desideras, inimicos tuos procul a te abjicias. Rege autem, qui essent hujusmodi inimici, quaerente ait: ira et concupiscentia; haec enim impediunt, ne veritas videatur, assideant autem ad audientiam dicendorum prudentia et aequitas. Cui rex: fiat, ut loqueris. Et ille: insipientes ea, quae sunt, despiciunt, quasi non sint, ea vero, quae non sunt, quasi sint, apprehendere moliuntur. Qui autem non gustaverit eorum, quae sunt, dulcedinem, non poterit eorum, quae non sunt, addiscere veritatem. Multa autem illo de mysterio incarnationis et fidei prosequente rex ait: nisi tibi in principio promisissem, quod de medio consilii iram removerem, nunc utique igni carnes tuas traderem; surge igitur et fuge ex oculis meis, ne ultra te videam et male te perdam. Vir Dei autem tristis abscessit eo, quod martirium perpessus non esset. Interea dum rex liberos non haberet, puer ei pulcherrimus nascitur et Josaphat appellatur. Congregante autem rege infinitam multitudinem, ut

Diis pro ortu pueri immolarent, [1]) sexaginta astrologos convocavit, a quibus, quid futurum esset filio suo, diligenter quaesivit. Cunctis autem respondentibus, eum magnum in potentia et divitiis futurum, unus sapientior ex ipsis dixit: puer iste, qui natus est tibi, o rex, non in tuo erit regno, sed in alio incomparabiliter meliori, nam illius, quam persequeris, christianae religionis, ut aestimo, futurus est cultor. Hoc autem non a semet ipso, sed a Deo inspirante dixit. Audiens hoc rex et plurimum expavescens in civitate seorsum palatium speciosissimum construi fecit et ibi puerum ad habitandum posuit ibique secum juvenes pulcherrimos collocavit, praecipiens illis, ut nec mortem nec senectutem nec infirmitatem vel paupertatem nec aliquid, quod posset sibi afferre tristitiam, ei nominarent, sed omnia jucunda ei proponerent, quatenus mens ejus laetitiis occupata nil de futuris cogitare posset. Si quem vero ministrantium infirmari contingeret, hunc protinus rex praecipiebat ejici et alium loco ejus incolumem subrogari, praecepitque, ne sibi de Christo aliquam facerent mentionem. Eodem tempore erat cum rege vir quidam christianissimus, sed occultus, qui inter nobiles regis principes primus erat. Hic cum aliquando cum rege ad venandum ivisset, hominem quendam pauperem, pedem laesum a bestia habentem et in terra jacentem, invenit, a quo rogatur, ut se suscipere debeat, quia sibi in aliquo forsitan prodesse posset. Cui miles dixit: ego quidem te libenter suscipio, sed in quo utilis inveniaris, ignoro. Et ille dixit: ego homo medicus sum verborum; si enim aliquis in verbis laedatur, congruam scio adhibere medelam. Miles autem, quod ille dicebat, pro nihilo computavit, propter Deum tamen ipsum suscipiens ejus curam egit. Viri autem quidam invidi et malitiosi videntes, praedictum principem in tanta gratia esse regis, ipsum apud regem accusaverunt, quod non solum ad christianorum fidem declinasset, sed insuper regnum conabatur sibi surripere turbam sollicitans et sibi concilians. Sed si hoc, inquiunt, ita esse, o rex, scire desideras, ipsum secreto advoca et vitam hanc cito finiendam commemora et idcirco gloriam regni te velle derelinquere et monachorum habitum assumere asseras, quos tamen ignoranter hactenus fueras persecutus, et tunc videbis, quid tibi responderit. Quod cum rex omnia, ut illi susserant, fecisset, ille doli ignarus perfusus lacrymis propositum regis

1) Alii legunt: quinquaginta quinque.

laudavit et vanitatem mundi rememorans quantocius hoc adimplendum consuluit. Quod rex audiens et verum esse, quod dixerant, credens furore repletus est, nihil tamen sibi respondit, vir autem perpendens, quod rex graviter verba sua acceperat, tremens abscessit et medicum verborum se habere recolens omnia sibi narravit. Cui ille: notum sit tibi, quod rex suspicatur, ut propter hoc dixeris, quod ejus regnum velis invadere; surge igitur et comam tuam tonde et vestimenta abjiciens cilicium indue et summo diluculo ad regem ingredére, cumque rex, quid sibi hoc velit, interrogaverit, respondebis: ecce, rex, paratus sum sequi te, nam etsi via, per quam cupis ire, difficilis sit, tecum tamen exsistenti facilis mihi erit, sicut enim socium me habuisti in prosperis, sic habebis pariter in adversis; nunc igitur praesto sum, quid moraris? Quod cum ille per ordinem fecisset, rex obstupuit et falsarios arguens virum ampliore honore ditavit. Filius autem ejus in palatio educatus ad aetatem adultam pervenit et in omni sapientia plene edoctus fuit. Admirans autem, cur pater sic eum reclusisset, unum de servis sibi familiariorem secreto de hac re interrogavit dicens, se in multa moestitia positum pro eo, quod sibi foras egredi non liceret, adeo ut nec cibus sibi saperet nec potus. Quod pater audiens et dolens equos idoneos parari fecit et choros plaudentes ante eum mittens, ne quid sibi foedum occurreret, diligenter prohibuit. Praedicto igitur juvene taliter procedente quadam vice unus leprosus et unus caecus sibi obviaverunt. Quos ille videns et stupens, qui sint et quidnam habeant, inquisivit et ministri dixerunt: passiones istae sunt, quae hominibus accidunt. Et ille: omnibus hominibus hoc contingere solet? Negantibus illis respondet: noti sunt igitur, qui hoc pati debeant, an sic indefinite proveniunt? Et illi: quis hominum futura scire valet? Valde igitur anxius esse coepit pro inconsuetudine rei. Alia autem vice quendam valde senem, rugosam habentem faciem et dorsum incurvatum et cadentibus dentibus balbutiendo loquentem invenit. Stupefactus igitur discere cupit visionis miraculum, cumque didicisset, quod propter annorum multitudinem ad talem statum venisset, ait: et quis est hujus finis? Dicunt ei: mors. Et ille: omniumne mors vel aliquorum? Cumque didicisset, omnes mori debere, interrogavit: et quot annis haec superveniunt? Et ille: in octoginta vel centum annis senectus inducitur, deinde mors ipsa subsequitur. Haec igitur juvenis frequenter in corde suo recogitans in multa desola-

tione erat, sed coram patre laetitiam protendebat, plurimum desiderans in hujusmodi dirigi et doceri. Igitur quidam monachus vita et opinione perfectus habitans in deserto terrae Sennaar, nomine Barlaam, hic, quae circa filium regis agebantur, per spiritum cognovit et mercatoris habitum sumens ad civitatem illam devenit accedensque paedagogo filii regis locutus est: ego, cum negotiator sim, lapidem pretiosum venalem habeo, qui caecis lumen tribuit, surdis aures aperit, mutos loqui facit, insipientibus sapientiam infundit; nunc igitur duc me ad filium regis et hunc sibi tradam. Cui ille: videris homo maturae prudentiae, sed verba tua prudentiae non concordant, verumtamen cum lapidum notitiam habeam, ipsum lapidem mihi ostende et, si talis, ut asseris, fuerit comprobatus, a filio regis honores maximos consequeris. Ad quem ille: lapis meus insuper hanc habet virtutem, quia, qui non habet sanam oculorum aciem et qui non servat *integram castitatem*, si forte illam adspexerit, ipsam virtutem, quam *habet* [1]) visibilem, perdit; ego autem medicinalis artis non expers video te sanos oculos non habere, filium autem regis audivi pudicam esse et oculos pulcherrimos habere et sanos. Cui ille: sic si est, noli mihi ostendere, quia et oculos sanos non habeo et in peccatis sordesco. Nuntians igitur filio regis ipsum ad eum quantocius introduxit. Cum ergo introductus fuisset et rex eum reverenter suscepisset, ait Barlaam: in hoc, rex, bene fecisti, quia de foris [2]) parvitati apparenti non attendisti, nam rex quidam magnus in curru deaurato precedens, cum quibusdam attritis vestibus indutis et macie attenuatis obviasset, continuo de curru exsiliens ad pedes procidens ipsos adoravit et surgens in oscula eorum ruit, proceres autem ejus indigne hoc ferentes, sed regem super hos arguere formidantes fratri ejus retulerunt, quomodo rex magnificentiae regali indigna fecisset, frater autem regem super hoc redarguit. Erat autem regi consuetudo, quod, quando aliquis morti traditus erat, rex ante ejus januam praeconem cum tuba ad hoc deputata mittebat. Vespere igitur veniente ante fratris januam tubam sonari fecit. Quod ille audiens et de sua salvatione desperans totam noctem insomnem duxit et testamentum fecit, mane autem facto indutus nigris vestibus cum uxore et filiis ad fores palatii lugens accessit. Quem rex ad se ingredi faciens dixit: o stulte, si praeconem fra-

1) Ed. Pr. insensibilem offert. 2) Ed. Pr. pravitati legit.

tris tui, cui nihil te deliquisse cognoscis, adeo timuisti, quomodo praecones domini mei, in quem adeo peccavi, timere non debeam, qui sonabilius tuba mihi mortem significant et terribilem judicis adventum mihi denuntiant? Deinde quatuor capsas fieri jussit et duas earum extrinsecus auro undique operiri et ossibus mortuorum putridis impleri, duas vero pice liniri et gemmis et margaritis pretiosis impleri fecit, vocansque illos magnates, quos sciebat querimoniam apud fratrem deposuisse, quatuor illas capsas ante eos posuit et, quae pretiosiores essent, inquisivit. Illi vero duas deauratas magni esse pretii, reliquas vero vilis pretii esse judicaverunt. Praecepit igitur rex deauratas aperiri et continuo inde foetor intolerabilis emanavit. Quibus rex: hae illis similes sunt, qui gloriosis vestibus sunt amicti, intus vero immunditia vitiorum pleni. Deinde alias aperiri fecit et ecce odor mirabilis inde exhalavit. Quibus rex: istae illis pauperrimis, quos honoravi, similes sunt, qui, etsi vilibus vestimentis operiantur, intus tamen omni virtutum odore resplendent; vos autem solum, quae de foris sunt, attenditis et quae de intus sunt, non consideratis. Secundum igitur illum regem tu quoque fecisti bene suscipiens me. Incipiensque igitur Barlaam coepit et de mundi creatione et hominis praevaricatione ac filii Dei incarnatione, passione et resurrectione longum sermonem contexere necnon et de die judicii et de retributione bonorum et malorum multa proferre et servientes ydolis plurimum exprobrare ac de eorum fatuitate tale exemplum ponere dicens. Sagittarius quidam aviculam parvam, nomine philomenam, capiens cum vellet eam occidere, vox data est philomenae et ait: quid tibi proderit, o homo, si me occideris? neque enim ventrem tuum de me implere valebis, sed, si me dimittere velles, tria tibi mandata darem, quae si diligentius conservares, magnam inde utilitatem consequi posses. Ille vero ad ejus loquelam stupefactus promisit, quod eam dimitteret, si haec sibi mandata proferret. Et illa: nunquam rem, quae apprehendi non potest, apprehendere studeas; de re perdita irrecuperabili nunquam doleas; verbum incredibile nunquam credas; haec tria custodi et bene tibi erit. Ille autem, ut promiserat, eam dimisit, philomena igitur per aëra volitans dixit ei: vaeh tibi, homo, quod malum consilium habuisti et quod magnum thesaurum hodie perdidisti, est enim in meis visceribus margarita, quae struthionis ovum sua vincit magnitudine. Quod ille audiens valde contristatus est, quod eam dimiserit, et eam apprehendere cona-

batur dicens: veni in domum meam et omnem tibi humanitatem exhibebo et honorifice te dimittam. Cui philomena: nunc pro certo cognovi te fatuum esse, nam ex his, quae tibi dixi, nullum profectum habuisti, quia et de me perdita et irrecuperabili doles et me tentas capere, cum nequeas meo itinere pergere, et insuper margaritam tam grandem in meis visceribus credidisti esse, cum ego tota ad magnitudinem ovi struthionis non valeam pertingere. Sic ergo stulti sunt illi, qui confidunt in ydolis, quia plasmatos a se adorant et custoditos a se custodes suos appellant. Coepitque contra fallacem mundi delectationem et vanitatem multa disputare et plura ad hoc exempla adducere dicens. Qui corporales delectationes desiderant et animas suas fame mori permittunt, similes sunt cuidam homini, qui, dum a facie unicornis, ne ab eo devoraretur, velocius fugeret, in quoddam barathrum magnum cecidit, dum autem caderet, manibus arbustulam apprehendit *quandam et in base* quadam lubrica et instabili pedes fixit. *Respiciens* vero vidit duos mures, unum album et unum nigrum, incessanter radicem arbustulae, quam apprehenderat, corrodentes et jam prope erat, ut ipsam abscinderent. In fundo autem barathri vidit draconem *terribilem* spirantem ignem et aperto ore ipsum devorare cupientem, super basem vero, ubi pedes tenebat, vidit quatuor aspidum capita inde prodeuntia. Elevans autem oculos vidit exiguum mellis de ramis illius arbustulae stillans oblitusque periculi, in quo undique positus erat, se ipsum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Unicornis autem mortis tenet figuram, quae hominem semper persequitur et apprehendere cupit, barathrum vero mundus est omnibus malis plenus. Arbustula uniuscujusque vita est, quae *per horas* diei et noctis quasi per murem album et nigrum incessanter consumitur et incisioni appropinquat. Basis vero aspidum quatuor corpus ex quatuor elementis compositum, quibus inordinatis corporis compago dissolvitur. Draco terribilis os inferni cunctos devorare cupiens, dulcedo ramusculi delectatio fallax mundi, per quam homo seducitur, ut periculum suum minime intueatur. Addidit quoque dicens: similes sunt iterum mundi amatores homini, qui tres amicos habuit, quorum unum plus quam se, secundum tantum quantum se, tertium minus quam se et quasi nihil dilexit. In magno itaque periculo positus et a rege citatus cucurrit ad primum amicum, ejus auxilium quaerens et, qualiter eum dilexerit, semper commemorans. Cui ille: nescio, quis sis, o homo, habeo alios

amicos, cum quibus me hodie laetari oportet, quos et amicos amodo possidebo, praebeo tamen tibi duo cilicioła, ut habeas, quibus valeas operiri. Confusus igitur ad secundum venit et similiter ejus auxilium postulavit. Cui ille: non vacat mihi tecum subire agonem; curis etenim multis circumdor, modicum tamen usque ad ostium palatii te sociabo et statim domum revertar propriis vacans negotiis. Tristis igitur et desperans ad tertium amicum perrexit sibique facie demissa dixit: non habeo os loquendi ad te, quoniam non, ut debui, amavi te, sed in tribulatione circumdatus et ab amicis destitutus rogo, ut mihi auxilium feras et mihi veniam praebeas. Et ille hilari vultu dixit: certe amicum carissimum fateor te esse et tui, licet modici, beneficii non immemor praecedam te et apud regem interveniam pro te, ne in manibus te tradat inimicorum. Primus igitur amicus est divitiarum possessio, pro quibus homo multis periculis subjacet, veniente vero mortis termino nihil ex omnibus nisi viles accipit ad sepeliendum panniculos. Secundus amicus est uxor, filii et parentes, qui tantum usque ad monumentum secum pergentes protinus revertuntur suis vacantes curis; tertius amicus est fides, spes et caritas et elemosina et caetera bona opera, quae nos, cum eximus de corpore, possunt praecedere et pro nobis apud Deum intervenire et ab inimicis daemonibus nos liberare. Hoc insuper addidit dicens. In quadam magna civitate consuetudo fuit, quod hominem extraneum et ignotum omni anno in principem eligebant, cui omni potestate accepta, quidquid volebat facere, licitum erat et sine omni constitutione terram regebat. Illo igitur in omnibus deliciis permanente et semper sibi sic esse existimante, repente cives in eum insurgebant et per totam civitatem nudum trahentes in remotam insulam exsulem transmittebant, ubi nec cibum nec vestimentum inveniens fame et frigore urgebatur. Tandem quidam alius sublimatus in regno, cum illorum civium consuetudinem didicisset, infinitos thesauros ad insulam illam praemisit, ubi post annum in exsilium relegatus caeteris fame deficientibus ille immensis deliciis abundabat. Civitas haec mundus iste est; cives tenebrarum principes, qui nos falsa mundi delectatione alliciunt, nobisque insperantibus mors supervenit et in locum tenebrarum demergimur; divitiarum vero ad aeternum locum praemissio fit manibus egenorum. Igitur cum Barlaam perfecte filium regis docuisset et ipse eum jam relicto patre sequi vellet, dixit Barlaam: si hoc feceris, cuidam juveni similis eris, qui, cum quan-

dam nobilem nollet desponsare uxorem, ipse renuens aufugit et in quendam locum deveniens virginem quandam, cujusdam senis pauperis filiam, laborantem et ore Deum laudantem vidit. Ad quam ille: quid est, quod agis, mulier? cum enim ita pauper sis, gratiam tamen agis Deo, ac si magna recepisses ab eo. Ad quem illa: sicut parva medicina saepe a magno languore liberat, sic gratiarum actio in parvis donis magnorum efficitur auctrix donorum; haec tamen, quae extrinsecus sunt, nostra non sunt, sed ea, quae in nobis sunt et nostra sunt, a Deo magna accepi, quia me ad suam imaginem fecit, intellectum mihi dedit, ad suam me gloriam vocavit et januam regni sui jam mihi aperuit; pro tantis ergo et tam magnis donis ipsum laudare convenit. Videns juvenis ejus prudentiam eam a patre suo in uxorem petiit. Cui ille: filiam meam accipere non vales, quia divitum et nobilium filius es, ego autem pauper sum. Sed cum ille omnino instaret, ait senex: non possum eam tibi dare, ut in domum patris tui ducas eam, cum unica mihi sit. Et ille: apud vos manebo et vobis me in omnibus conformabo. Deponens igitur pretiosum ornamentum habitum senis induit et apud eum manens ipsam in uxorem accepit. Postquam autem senex diutius eum probavit, in thalamum eum duxit et immensum pondus divitiarum, quantum nunquam viderat, sibi ostendit et omnia sibi dedit. Dixit autem Josaphat: convenienter me ista tangit narratio et a te hoc dictum esse de me existimo, sed dic mihi, pater, quot annorum es et ubi conversaris, quia a te nunquam volo separari. Et ille: annorum sum XLV in desertis terrae Sennaar degens. Ad quem Josaphat: amplius pater mihi appares LXX annorum. Et ille: si a nativitate mea omnes annos meos quaeris discere, bene eos existimasti, sed nullo modo a me in mensura vitae computantur, quotquot in vanitate mundi expensi sunt; tunc enim in interiori homine mortuus eram et annos mortis nunquam vitae nominabo. Cum igitur Josaphat eum in desertum sequi vellet, dixit Barlaam: si hoc feceris, et tuo consortio carebo et persecutionis fratribus meis auctor exsistam, sed, cum opportunum tempus videris, ad me venies. Barlaam igitur filium regis baptizans et in fide optime instruens eum osculatus est et ad locum suum reversus est. Postquam autem rex filium christianum factum audivit, in dolore nimio positus est. Quem quidam amicus suus, nomine Arachis, consolans ait: cognosco, rex senex, quendam eremitam, qui de nostra secta est, qui per omnia Barlaam similis est; hic igitur

Barlaam se simulans primo christianorum fidem defendet, deinde se superari permittet et omnia, quae docuerat, revocabit et sic filius regis ad nos redibit. Assumto igitur praedicto principe magno exercitu ad quaerendum Barlaam ivit et cremitam illum capiens se Barlaam cepisse dixit. Quod filius regis audiens, captum scilicet magistrum amare flevit, sed postmodum per Dei revelationem hunc non esse cognovit. Ingressus igitur pater ad filium ait: fili mi, in tristitia magna me posuisti et meam canitiem inhonorasti et lumen oculorum meorum abstulisti; quare, fili, hoc fecisti et Deorum meorum cultum reliquisti? Cui ille: tenebras, pater, fugi, ad lumen cucurri et errorem deserui et veritatem agnovi, noli autem frustra laborare, quoniam nunquam a Christo me poteris revocare, sicut enim tibi impossibile est, altitudinem coeli manu tangere aut maximum siccare pelagus, sic et istud esse cognosce. Tunc rex ait: et quis horum mihi auctor est malorum, nisi ego, qui tam magnifica tibi feci, quae nunquam aliquis patrum fecit filio? Quapropter pravitas voluntatis tuae et contentio effrenata adversus caput meum te insanire fecit. Merito astrologi in nativitate tua dixerunt te arrogantem et parentibus inobedientem futurum; nunc vero, nisi mihi acquieveris, a mea discedes filiatione et pro patre inimicus effectus illa tibi faciam, quae nec hostibus adhuc feci. Cui Josaphat: cur, rex, tristaris, quia bonorum particeps effectus sum? Quis unquam pater in filii sui prosperitate tristis apparuit? Non ergo jam patrem te vocabo, sed, si mihi adversaberis, sicut a serpente fugiam a te. Rex igitur ab eo cum ira discedens Arachi amico notam fecit filii duritiam, qui sibi consuluit, ut non asperis verbis cum eo uteretur, quia blandis et lenibus puer melius traheretur. Sequente igitur die rex ad filium venit et circumplectens osculabatur eum dicens: fili dulcissime, honora canitiem patris tui, verere, fili, patrem tuum; an nescis, quale bonum est, patri obedire et eum laetificare, sicut econtra malum est, ipsos exacerbare? Quotquot enim fecerunt, male perierunt. Cui Josaphat: tempus amandi et tempus obediendi, tempus pacis et tempus belli; nullo enim modo avertentibus nos a Deo obedire debemus, sive sit mater, sive sit pater. Videns igitur pater ejus constantiam ait: ex quo video tuam pertinaciam nec mihi obedire vis, saltem veni et ambo pariter veritati credamus, Barlaam enim, qui te seduxit, a me vinctus tenetur; nostri igitur et vestri cum Barlaam conveniant et praeconem mittam, ut omnes Galilaei sine timore veniant, et disputatione incepta, si vester

Barlaam obtinuerit, vobis credemus, si autem nostri, nobis consentietis. Quod cum regis filio placuisset et illi cum simulato Barlaam ordinassent, quomodo prius deberet simulare, se fidem christianorum defendere et postea se promittere superari, omnes insimul convenerunt. Conversus igitur Josaphat ad Nachor dixit: nosti, o Barlaam, qualiter me docuisti; si igitur fidem, quam me docuisti, defenderis, in doctrina tua usque ad finem vitae permanebo, si autem superatus fueris, statim in te meam contumeliam vindicabo et cor tuum et linguam manibus extrahens dabo canibus, ne alii amplius praesumant, filios regum in errorem mittere. *His* auditis Nachor tristis et pavidus vehementer factus est, videns se ipsum in foveam, quam fecit, decidisse et laqueo suo comprehensum esse. Animadvertens igitur cognovit melius esse, filio sui regis adhaerere, ut periculum mortis evadere posset. Rex autem sibi palam dixerat, ut fidem suam sine timore defenderet. *Unus* ergo rhetorum surgens dixit: tu es Barlaam, qui *filium* regis seduxisti? Et ille: ego sum Barlaam, qui filium regis in errorem non misi, sed ab errore liberavi. Et rhetor: cum eximii et mirabiles viri Deos nostros adoraverunt, quomodo tu adversus eos audes insurgere? Et ille respondens ait: Chaldaei, Graeci et Aegyptii errantes creaturas Deos esse dixerunt, nam Chaldaei elementa Deos esse arbitrati sunt, cum creata sint ad utilitatem hominum, ut eorum dominationi subjaceant et multis passionibus corrumpantur. Graeci quoque nefandos homines Deos putant, sicut Saturnum, quem ajunt filios suos comedisse et virilia sibi abscidisse et in mare projecisse et Venerem inde natam esse, a filio quoque suo Jove alligatum et in tartarum projectum esse. Jupiter quoque rex aliorum Deorum esse describitur, quem tamen in animalia transformatum saepe dicunt, ut adulteria committeret. Venerem quoque Deam adulteram esse dicunt, nam aliquando habuit moechum Martem, aliquando Adonidem. Aegyptii autem animalia coluerunt, scilicet ovem, vitulum, porcum et hujusmodi. Christiani autem filium altissimi colunt, qui de coelo descendit et carnem assumsit. Coepit igitur Nachor fidem christianorum evidenter defendere et rationibus communire, ita quod rhetores illi muti effecti nihil omnino respondere sciverunt. Josaphat igitur vehementer exsultabat, eo quod dominus per inimicum veritatis veritatem defendisset, rex autem furore repletus est. Jussit igitur consilium dissolvi, quasi de his sequenti die denuo tractaturus, dixitque Josaphat patri: aut magistrum

meum permitte mecum hac nocte manere, ut simul de responsionibus fiendis crastino conferamus, et tu tuos tecum assumas et cum iis conferas, aut tuis mecum permissis accipe meum, alioquin non justitiam, sed violentiam exercebis. Quapropter Nachor sibi concessit, spem adhuc habens, quod eum seduceret. Cum igitur filius regis cum Nachor domum rediisset, dixit ei Josaphat: ne putes me ignorare, quis sis; scio te non esse Barlaam, sed Nachor astrologum, incipiensque Josaphat viam salutis ei praedicavit et ad fidem convertens mane ad eremum misit, ubi baptismum suscipiens eremiticam vitam duxit. Magus autem quidam, nomine Theodas, haec, quae gerebantur, audiens ad regem venit et, quod filium suum ad leges patris redire faceret, promisit. Cui rex: si hoc feceris, statuam auream tibi erigam et ipse sicut Diis sacrificium offeram. Et ille: a filio tuo cunctos remove et mulieres decoras et ornatas introduci praecipe, ut semper cum eo sint et ministrent et conversentur et morentur cum eo; ego autem unum de spiritibus meis ad eum dirigam, qui eum ad libidinem inflammabit, nihil enim juvenes sic potest seducere, sicut facies mulierum. Rex enim quidam cum filium vix habuisset, dixerunt peritissimi medici, quod, si infra decem annos solem vel lunam viderit, lumine oculorum privabitur. Rex igitur in quadam petra spelunca excisa filium ibi usque ad annos decem manere fecit. Quibus finitis jussit rex, ut omnium rerum genera ante eum adducerentur, ut omnium nomina et notitiam posset habere. Adductis igitur ante eum auro et argento, lapidibus pretiosis, vestibus splendidis, equis regalibus et omnium rerum generibus, cum de uniuscujusque rei nomine interrogaret, ministri omnium sibi nomina indicabant. Cum autem nomen mulierum discere anxie quaereret, spatharius regis ludendo dixit, daemones eas esse, quae homines seducant. Rege autem interrogante filium, quid de omnibus, quae viderat, plus amaret: quid, inquit, pater, aliud, quam daemones illos, qui seducunt homines? in nullo enim, sicut in his, sic exarsit anima mea. Non igitur aliter putes te filium tuum superare, nisi hoc modo. Rex igitur omnibus ministris ejectis puellas decoras ei sociavit, quae eum semper ad libidinem provocabant, nec habebat alium, ad quem respiceret, aut cum quo loqueretur vel cum quo vesceretur. Malignus vero spiritus a mago missus in juvenem irruit et magnum intus caminum ignis accendit. Malignus igitur spiritus intus inflammabat, puellae autem exterius dirum excitabant ardorem. Qui se tam fortiter vexari sentiens

turbabatur et Deo se totum recommendans divinam consolationem recepit et omnis tentatio abscessit. Deinde quandam puellam pulcherrimam cujusdam regis filiam, sed patre orbatam ad eum misit. Cui cum vir Dei praedicaret, illa respondit: si me ab ydolorum cura salvare desideras, conjungere mihi nuptiarum copula, nam et christiani conjugia non abhorrent, sed laudant, quia patriarchae eorum et prophetae et Petrus eorum apostolus conjuges habuerunt. Ad quam ille: inaniter, mulier, ista mihi prosequeris; permittitur quidem christianis uxores ducere, sed non his, qui promiserunt Christo virginitatem servare. Et illa: sit ita, ut vis; sed, si animam meam salvare desideras, unam minimam petitionem mihi perfice, concumbe mecum tantum hac nocte et promitto tibi, quod summo diluculo efficiar christiana. Nam si, ut dicitis, gaudium est angelis in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, ipsi autori conversionis nonne magna merces debetur? semel tantum mihi acquiesce et sic me ipsam salvabis. Illa igitur turrim animae illius fortiter concutere coepit. Quod daemon videns sociis suis ait: videtis, quomodo puella ista concussit, quae nos non potuimus concutere; venite ergo et in eum fortiter irruamus, ex quo congruum tempus invenimus. Cernens igitur sanctus juvenis, se tam fortiter captivatum, quia et concupiscentia incitabat et salus unius puellae, dyabolo suggerente, ipsum commovebat, lacrymis infusus orationi se dedit. In qua oratione obdormiens vidit se duci in quoddam pratum decoris floribus exornatum, ubi folia arborum dulcem sonum reddebant aura quadam grata agitata, et odorem mirificum emanabant, ubi fructus visu speciosissimi et gustu desiderabiles, ubi sedes positae erant auro et gemmis fabricatae, lecti lucidi cum pretiosissimis ornamentis, aquae limpidissimae praeterfluentes. Dehinc in civitatem ipsum introduxerunt, cujus muri ex auro [1])obrizo erant, quod claritate mirabili refulgebat, ubi aetherei quidam exercitus cantantes canticum, quod auris mortalium non audivit, dictumque est ei: iste est locus beatorum. Cum autem viri vellent eum reducere, rogabat, ut eum ibi manere permitterent. Qui dixerunt: cum labore multo adhuc venies huc, si tamen tibi vim inferre poteris. Deinde ad loca teterrima ipsum duxerunt omni foeditate plena dictumque est: iste est locus injustorum. Cum autem evigilasset, pulchritudo illius puellae et caeterarum stercore

---

1) Ed. Pr. legit: auro et obriso.

foetidior ei videbatur. Verum cum maligni spiritus ad Theodam rediissent et ipse eos exprobraret, dixerunt: priusquam signo crucis signaretur, super ipsum irruentes fortiter ipsum conturbavimus; ut autem se ipsum signo crucis munivit, nos persecutus est cum ira. Tunc Theodas cum rege ad eum intravit sperans, quod ei persuadere posset. Sed praedictus magus captus est ab eo, quem capere voluit, et ab eo conversus baptisma suscepit et laudabilem vitam duxit. Rex igitur desperans dimisit ei de consilio amicorum medium regni sui. Ille autem licet desertum tota mente desideraret, tamen propter fidei dilatationem ad tempus ipsum regnum suscepit ac in suis civitatibus templa et cruces erexit et omnes ad Christum convertit. Pater autem tandem filii rationibus et praedicationibus assensum praebens fidem Christi recepit et baptismum suscipiens et totum regnum filio suo dimittens ipse misericordiae operibus vacabat et post hoc laudabiliter vitam finivit. Josaphat autem Barachiam regem pronuntians pluries fugere voluit, sed semper a populo captus vix tandem evasit. Cum ergo per desertum pergeret, cuidam pauperi regalem habitum dedit et ipse in pauperrima veste remansit, dyabolus autem multas ei insidias parabat. Aliquando enim gladio evaginato in eum irruebat et eum percutere minabatur, nisi desisteret, aliquando in forma ferarum sibi apparebat frendens et dirum mugitum emittens. Ille autem dicebat: dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo. Duobus igitur annis in eremo Josaphat vagabundus mansit nec Barlaam invenire potuit, tandem autem speluncam invenit et ante ostium stans dicebat: benedic, pater, benedic. Cujus vocem Barlaam audiens foras exsiliit et osculantes ferventissime sese alterutrum amplexibus constringebant nec satiari poterant. Retulit autem Josaphat Barlaam omnia, quae ei acciderant, et ille immensas gratias egit Deo. Mansit autem Josaphat ibidem multis annis in abstinentia mirabili et virtute, tandem completis diebus Barlaam in pace quievit circa annos domini CCCLXXX. Josaphat igitur in anno XXV regnum deserens triginta quinque annis eremiticum laborem subiit et sic multis clarus virtutibus in pace quievit et cum corpore Barlaam positus fuit. Quod audiens rex Barachias illuc cum multo exercitu venit et corpora reverenter assumens in civitatem suam transtulit, ad quorum tumulum miracula multa fiunt.

CAP. CLXXXI. (176.)
De sancto Pelagio papa.

1. Pelagius papa multae sanctitatis fuit ac in pontificatu laudabiliter se gerens tandem plenus bonis operibus in pace quievit. Nec fuit autem iste Pelagius praedecessor sancti Gregorii, sed alius ante ipsum. Huic enim Pelagio successit Johannes tertius, Johanni successit Benedictus, Benedicto Pelagius, Pelagio Gregorius. Tempore igitur primi Pelagii Longobardi in Italiam venerunt et quia multi hujus hystoriam ignorare probantur, ideo eam hic inserendam decrevi, prout in hystoria Longobardorum, quam Paulus Longobardorum hystoriographus compilavit, et in diversis chronicis explanata habetur. Gens enim quaedam erat Germanica plurimum populosa, quae de littoribus Oceani parte septentrionali egressa, cum de insula Scandinaria per bellorum multa certamina diversarumque terrarum circuitus tandem in Pannoniam devenisset, ultra non audens procedere sedem sibi in ea perpetuae habitationis instituit. Hi primo [1]) Winuli, postea Longobardi sunt appellati. Dum autem adhuc in Germania residerent, [2]) Agilmud rex Longobardorum VII pueros in piscina a meretrice ad necandum projectos invenit, quos uno partu dicta meretrix ediderat. Quos dum rex casu repertos cum hasta admirans revolveret, unus eorum hastam regis manu tenuit. Quem rex videns et stupens nutriri fecit et Lamissionem vocavit, magnum eum futurum esse pronuntians. Qui tantae probitatis exstitit, quod mortuo rege eum Longobardi regem fecerunt. Per idem fere tempus, scilicet anno ab incarnatione domini CCCCLXXX, dum quidam episcopus Arianus, ut ait Eutropius, quendam nomine Barbam baptizare volens diceret: baptizo te, Barba, in nomine patris per filium in spiritu sancto, filium et spiritum sanctum minorem patre per hoc ostendere volens, subito aqua disparuit et baptizandus ad ecclesiam confugit. Per idem fere tempus floruerunt sancti Medardus et Gildardus fratres uterini uno die nati, uno die episcopi consecrati, uno die mortui, uno die a Christo assumti. Ante vero hoc tempus, ut in quadam chronica dicitur, circa annum domini CCCCL, dum intra Gallias Ariana haeresis

---

1) Ed. Pr. Invernuli offert, alii Uvinuli legunt. 2) Alii: Agilmundus.

pullularet, unitas [1]) substantiae trium personarum evidenti miraculo demonstratur, ut ait [2]) Sigibertus. Dum enim in urbe Vasacensi missam episcopus celebraret, vidit tres guttas clarissimas aequalis magnitudinis super altare emissas, quae simul defluentes in unum conjunctae gemmam pulcherrimam effecerunt. Quam cum in medio cujusdam crucis aureae posuisset, aliae gemmae, quae ibi erant, de ipsa protinus ceciderunt. Addidit quoque, quod impiis obscura et mundis clara videbatur, et quod infirmis dabat sanitatem et adorantibus crucem augebat devotionem. Post hoc autem Longobardis his quidam rex praeerat, nomine Albuinus, vir quidem fortis et strenuus, qui cum rege Gobidaniorum proelium gerens ejus exercitum contrivit et regem interfecit. Quapropter filius praedicti regis occisi, qui sibi in regnum successerat, in ultionem patris sui contra Albuinum manu armata fortiter processit. Contra quem Albuinus exercitum suum movit et ipsum superans interfecit filiamque suam, nomine Rosimundam, captivam ducens in uxorem accepit, sed et de capite ipsius regis sibi cupam paravit, quam argento circumducens inde bibebat. In illis autem diebus Justinus minor imperium gubernabat, qui quendam [3]) eunuchum principem habebat, qui dicebatur Narses, virum quendam nobilem et strenuum, qui contra Gothos, qui totam Italiam invaserant, procedens ipsos superavit et regem [4]) Gothorum occidit et universam Italiam pacatam reddidit, qui pro magnis beneficiis magnam invidiam pertulit a Romanis. Quapropter apud imperatorem falso accusatus a praefato imperatore depositus est. Uxor quoque imperatoris, nomine [5]) Sophia, hanc contumeliam sibi misit, quod eum cum ancillis suis faceret filare et lanarum pensa dividere. Ad haec verba Narses respondit: et ego talem telam tibi ordiri procurabo, quam, donec vixeris, deponere non valebis. Neapolim igitur Narses secedens Longobardis mandavit, ut pauperrima Pannoniae rura desererent et ad Italiae fertile solum possidendum confluerent. Quod Albuinus audiens Pannoniam deseruit et anno ab incarnatione domini quingentesimo sexagesimo octavo cum Longobardis Italiam intravit. Erat autem consuetudo eorum longas valde barbas portare. Unde cum quadam vice, ut ajunt, exploratores ad eos venire deberent, praecepit Albuinus, ut omnes mulieres solutos crines circa mentum circumducerent, ut

---

1) Ed. Pr. pro voce: substantiae offert specie. 2) Ed. Pr. Sigillibertus. 3) Vocem: eunuchum omittit Ed. Pr. 4) Alii legunt: eorum Attilam. 5) Alii: Saphina.

barbati homines ab exploratoribus crederentur, et inde Longobardi a longis barbis postmodum sunt vocati, barda enim in eorum lingua barbam sonabat. Alii dicunt, quod, cum Winuli cum Wandalis pugnaturi essent, et ad quendam, qui habebat spiritum prophetiae accessissent, ut pro eorum victoria exoraret et iis benediceret, de consilio uxoris juxta fenestram, in qua mane ad orientem orabat, se posuerunt et mulieres circa mentum capillos circumducere de ejusdem consilio praeceperunt. Cum ergo ille fenestram aperiens eos vidisset, exclamavit: qui sunt isti Longobardi? et uxor sua adjunxit, ut, quibus nomen dederat, victoriam condonaret. Ingressi igitur Italiam omnes paene civitates ceperunt cunctis habitatoribus interfectis, Papiam autem tribus annis obsessam tandem ceperunt. Rex autem Albuinus juraverat, se omnes christianos occisurum. Unde, cum Papiam intrare deberet et equus ejus ante portam civitatis genua figens, quantumcunque calcaribus urgeretur, surgere non valebat, quousque ad admonitionem cujusdam christiani rex juramentum mutavit. Mediolanum ergo Lombardi ingressi totam paene Italiam intra breve temporis spatium subjugarunt, praeter Romam et Romaniliam, quae Romanilia est vocata, quia altera Roma, ex eo scilicet, quod Romae semper adhaesisset. Cum igitur rex Albuinus Veronae esset et quoddam magnum convivium praeparasset et scyphum suum, quem de capite regis fecerat, afferri faciens ex eo bibit et uxorem suam, nomine Rosimundam, de eo bibere fecit dicens: bibe cum patre tuo. Quod cum Rosimunda didicisset, odium magnum contra regem concepit. Erat autem regi dux quidam, qui quandam domicellam reginae carnaliter cognoscebat, at regina absente rege quadam nocte ancillae suae cubiculum intrans praedicto duci ex persona ipsius ancillae mandavit, ut ad se illa nocte deberet accedere. Qui cum venisset, regina praedicto duci vice ancillae se supposuit et postmodum dixit ei: scis, quae sum? Cui cum se esse talem amicam suam diceret, illa ait: nequaquam, sed sum Rosimunda; certe talem rem perpetrasti hodie, quod aut Albuinum occides aut Albuini gladio interibis; volo igitur, ut de ipso viro meo, qui patrem meum occidit et de ejus capite cupam sibi faciens me in ea bibere fecit, me debeas vindicare. Cui ille non acquiescens alium se invenire promisit, qui hoc negotium perpetraret. Unde illa arma subtrahens, spatham illius, quae erat ad lectuli caput, ne tolli aut evaginari posset, fortiter colligavit. Dum ergo rex in strato dormiret, homicida ejus cubi-

culum intrare conatur. Quod rex sentiens de stratu exsiliit et spatham arripiens, sed extrahere non valens cum scabello se viriliter defendere coepit, sed ille, cum optime esset armatus, in regem invaluit et occidit. Accipiens igitur universos thesauros palatii cum Rosimunda Ravennam (ut dicitur) aufugit, sed cum Rosimunda quendam juvenem pulcherrimum praefectum, scilicet Ravennae, vidisset, ipsum in virum habere desiderans venenum viro in calice propinavit, cujus amaritudinem ille praesentiens jubet uxori, ut residuum bibat. Quod cum recusaret, ille evaginato gladio eam bibere coegit et sic ambo ibidem perierunt. Tandem rex quidam Longobardorum, nomine Adalaoth, baptizatus est et fidem Christi suscepit. Sed et Theudelina Longobardorum regina, christianissima et devota apud Modoetiam pulcherrimum oratorium constituit. Ad quam reginam Gregorius libros dyalogorum transmisit. Quae virum suum Agisulpham primo ducem Taurinensem, sed postmodum Longobardorum regem ad fidem convertit et cum Romano imperio et ecclesia cum pacem habere fecit, sicque in festo sanctorum Gervasii et Protasii facta est pax inter Romanos et Longobardos et ideo Gregorius in eodem festo cantare instituit in officio missae: loquetur dominus pacem etc. In nativitate quoque sancti Johannis baptistae praedictorum pax et conversio amplius confirmata fuit. Theudelina vero in beatum Johannem specialem devotionem habebat, cujus meritis gentis suae conversionem adscribens praedictum oratorium apud Modoetiam fabricavit ejusque gentis Johannem patronum et defensorem esse cuidam viro sancto revelatum fuit. Mortuo Gregorio successit ei Sabinus et Sabino Bonifacius tertius et Bonifacio tertio Bonifacius quartus, ad cujus preces Phocas imperator donavit ecclesiae Christi Pantheon circa annos domini DCX et ad preces tertii Bonifacii prius statuit sedem Romanam esse caput omnium ecclesiarum, nam ecclesia Constantinopolis se primam omnium ecclesiarum scribebat. — — — **2.** Hujus Bonifacii tempore mortuo Phoca et regnante Heraclio circa annum domini DCX Magumeth pseudopropheta et etiam magus Agarenos sive Ismaelitas, id est Saracenos, hoc modo decepit, sicut legitur in quadam hystoria ipsius et in quadam chronica. Clericus quidam valde famosus, cum in Romana curia honorem, quem cupiebat, assequi non potuisset, indignatus ad partes ultramarinas confugiens sua simulatione innumerabiles ad se attraxit inveniensque Magumeth dixit ei, quod ipsum illi populo praeficere vellet, nutriensque columbam grana et alia hujusmodi in-

auribus Magumeth ponebat. Columba autem supra ejus humeros stans de auribus ejus cibum sibi sumebat sicque jam adeo assuefacta erat, quod, quandocumque Magumeth videbat, protinus super humeros ejus prosiliens rostrum in ejus aure ponebat. Praedictus igitur vir populum convocans dixit, se illum sibi velle praeficere, quem spiritus sanctus in specie columbae monstraret, statimque columbam secrete emisit et illa super humeros Magumeth, qui cum aliis adstabat, evolans rostrum in ejus aure apposuit. Quod populus videns spiritum sanctum esse credidit, qui super eum descenderet ac in ejus aure verba Dei inferret, et sic Magumeth Saracenos decepit, qui sibi adhaerentes regnum Persidis ac orientalis imperii fines usque ad Alexandriam invaserunt. Hoc quidem vulgariter dicitur, sed verius est, quod infra habetur. Magumeth igitur proprias leges confingens ipsas a spiritu sancto in specie columbae, *quae saepe* vidente populo super eum volabat, se recepisse *mentiebatur, in quibus* quaedam de utroque testamento inseruit. Nam *cum* in prima aetate mercimonia exerceret et apud Aegyptum et Palaestinam cum camelis pergeret, cum christianis et Judaeis saepe conversabatur, a quibus tam novum quam vetus didicit testamentum. Unde secundum ritum Judaeorum circumciduntur Saraceni, carnes porcinas non comedunt. Cujus rationem cum vellet Magumeth assignare, dixit, quod ex fimo cameli porcus post diluvium fuerit procreatus et ideo tamquam immundus a mundo populo est vitandus. Cum christianis autem conveniunt, quod credunt unum solum Deum omnipotentem omnium creatorem. Asseruit etiam pseudopropheta, vera quaedam falsis immiscens, quod Moyses fuit magnus propheta, sed Christus major est, summus prophetarum natus ex Maria virgine *virtute Dei* absque semine hominis. Ait quoque in suo alchorano, quod Christus, dum adhuc puer esset, de limo terrae volucres procreavit, sed venenum immiscuit, quia Christum non vere passum nec vere resurrexisse dixit, sed alium quendam hominem sibi similem hujusmodi egisse vel passum esse docuit. Quaedam autem matrona, nomine Cadigan, quae praeerat cuidam provinciae, nomine Corocanica, videns hominem Judaeorum et Saracenorum contubernio vallari, existimabat in illo majestatem divinam latere, et cum esset vidua, ipsum in maritum accepit et sic Magumeth totius illius provinciae obtinuit principatum, ille autem suis praestigiis non solum praedictam dominam, sed etiam Judaeos et Saracenos demum adeo dementavit, ut se Messiam in lege promissum publice

fateretur. Post hoc vero Magumeth coepit frequenter cadere in epileptica passione. Quod Cadigan cernens plurimum tristabatur eo, quod impurissimo homini et epileptico nupsisset. Quam ille placare desiderans talibus eam sermonibus demulcebat dicens: Gabrielem archangelum frequenter mecum loquentem contemplor et non ferens splendorem vultus ejus in me deficio et tabesco. Quod sic esse mulier et caeteri crediderunt. Alibi tamen legitur, quod fuit quidam monachus, qui Magumethum instruxit, nomine Sergius, qui in errorem Nestorii incidens, dum a monachis fuisset expulsus, in Arabiam venit et Magumetho adhaesit, licet alibi legatur, quod fuit archidiaconus in partibus Antiochiae degens et fuit (ut asserunt) Jacobita, qui circumcisionem praedicant Christumque non Deum, sed hominem tantum justum et sanctum, de spiritu sancto conceptum et de virgine natum affirmant. Quae omnia Saraceni affirmant et credunt. Praedictus igitur Sergius Magumethum de novo et veteri testamento (ut tradunt) plura edocuit. Magumethus enim utroque parente orbatus sub patrui sui cura pueritiae annos agebat multoque tempore cum universa gente sua Arabum ydolorum cultui deservivit, quemadmodum in alchorano suo testatur Deum sibi dixisse: orphanus fuisti et suscepi te, in errore ydololatriae diu mansisti et inde eduxi te, pauper eras et ego locupletavi te. Universa enim gens Arabum cum Magumetho Venerem pro Dea colebat et inde est, quod adhuc sexta feria apud Saracenos in magna veneratione habetur, sicut apud Judaeos sabbatum et apud christianos dies dominica colitur. Magumethus igitur praedictae Cadigan locupletatus divitiis in tantam prorupit mentis audaciam, ut regnum Arabum sibi usurpare cogitaret. Sed cum videret, se per violentiam hoc assequi non valere, maxime cum a contribulibus suis, qui eo majores fuerant, despiceretur, prophetam se fingere voluit, ut, quos non poterat subjugare per potentiam, saltem per sanctitatem attraheret simulatam, praedictique Sergii viri valde prudentis consiliis adhaerebat. Ipsum enim abscondite manere faciebat et ab eo omnia requirebat et populo referebat ac Gabrielem archangelum eum nominabat, et sic Magumeth totius gentis illius prophetam se simulando obtinuit principatum omnesque sibi sponte vel timore gladii crediderunt; et istud verius est, quam illud, quod dictum est de columba, et sic est tenendum. Praedictus igitur Sergius, cum monachus esset, voluit, ut Saraceni monachali habitu uterentur, scilicet cucula sine capucio, et ut instar monachorum multas et

ordinatas genuflexiones facerent et ordinate valde orarent, et quia Judaei versus occidentem et christiani versus orientem orabant, voluit, ut sui versus meridiem orarent. Quae omnia adhuc Saraceni observant. Multas autem leges Magumethus promulgavit, quas praedictus Sergius eum docuit, quarum multas de Mosayca lege accepit. Saepe namque Saraceni se lavant et maxime, cum orare debent, [1])verenda sua, manus, brachia, faciem et os et omnia membra corporis abluunt, ut mundius orare possint. Orantes autem unum confitentur Deum, qui nullum aequalem *vel similem* habeat, ejusdemque Magumethum prophetam. In anno quoque integrum mensem jejunant, jejunantes autem nocturno tempore comedunt, diurno vero jejunant, ita ut ab ea hora diei, qua nigrum ab albo distinguere possunt, usque ad solis occasum comedere vel bibere aut se uxoris commixtione foedare nemo audeat. Post solis occubitum usque ad sequentis diei *crepusculum semper* licet iis cibo et potu et propriis uxoribus *uti*, infirmi autem ad hoc non obligantur. Semel autem per singulos annos causa recognitionis ad domum Dei, quae est in Mecha, ire praecipiuntur et ibi adorare eamque inconsutilibus tegumentis circuire et lapides per media [2])foramina pro dyabolo lapidando jactare, quam domum dicunt Adam construxisse omnibusque filiis ejus et Abraham et Ismaeli locum orationis fuisse, demum Magumethum eam domum sibi cunctisque gentibus suis tradidisse affirmant. Omnes carnes praeter porcinas, sanguinem et morticinum comedere possunt. Quatuor legitimas uxores insimul habere iis licet et quamlibet usque tertio repudiare et rursus recipere, ita tamen, ut quaternarium numerum non transscendant. Emtitias vero atque captivas, quot volunt, habere licitum est et eas vendere possunt, cum velint, nisi earum aliquam impraegnassent. Conceditur iis de propria cognatione habere uxores, ut sanguinis proles accrescat et fortius inter eos amicitiae vinculum astringatur. Circa possessiones repetendas observant, ut actor testibus probet et reus juramento se comprobet innocentem. Cum adultera deprehensus cum ea pariter lapidatur, cum alia autem fornicatus octoginta verberibus plectitur. Magumethus tamen dixit sibi a domino angelo Gabriele nuntiante fuisse concessum, quod ad aliorum uxores accedere posset, ut viros virtutis et prophetas generaret. Quidam autem servus ejus, cum

1) Vulgo: ferenda. 2) Ed. Pr. male femora offert; cf. Pocock: Spec. Arab. p. 316.

pulchram uxorem haberet et sibi, ne cum domino suo loqueretur, interdixisset, quadam die ipsam cum eo loquentem invenit et protinus eam a se rejecit. Quam Magnmeth recipiens inter alias suas mulieres connumeravit, timens vero ex hoc murmur populi chartam de coelo sibi delatam confinxit, qua continebatur, quod, si aliquis uxorem repudiaret, ejus esset uxor, qui eam suscepisset, quod Saraceni usque hodie pro lege observant. Fur prima et secunda vice verberibus plectitur, tertia manus ei praeciditur, quarta pedis truncatione punitur. A vino semper abstinere jubentur. Servantibus haec et alia mandata promisit Deus, ut asserunt, paradisum, id est hortum deliciarum aquis praeterfluentibus irrigatum, in quo sedes habebunt perpetuas nec frigore aut aestu aliquo affligentur, omnibus ciborum generibus vescentur, quidquid autem petierint, coram iis statim invenient, sericis vestimentis omnicoloribus induentur et virginibus speciosissimis conjugentur, in deliciis omnibus accubabunt. Quibus angeli pincernarum more cum vasis aureis et argenteis deambulabunt, in aureis lac, in argenteis vinum afferentes et dicentes: comedite et bibite in laetitia. Tria flumina, scilicet lactis, mellis et vini optimi aromatici eos habere dicit Magumethus in paradiso, et quod angelos pulcherrimos sunt visuri et adeo magnos, quod ab uno oculo angeli usque ad alium sit spatium unius diei. Non credentibus vero Deo nec Magumetho erit, ut asserunt, infernalis poena sine fine. Quibuscunque autem peccatis quilibet obligatus fuerit, si in die mortis Deo et Magumetho credidit, in die judicii Magumetho interveniente, ut asserunt, salvus erit. Hunc pseudoprophetam Saraceni tenebris involuti spiritum prophetiae super omnes habuisse affirmant et decem angelos sibi faventes et eum custodientes eum habuisse praedicant. Addunt quoque, quod, antequam Deus coelum et terram creasset, nomen Magumethi in conspectu Dei adstabat et nisi ipse Magumethus futurus fuisset, nec coelum nec terra nec paradisus fuisset. Mentiuntur quoque de eo, quod luna ad eum accessit, quam ille in sinu recipiens in partes duas divisit et iterum conjunxit. Venenum insuper sibi in carne agnina oblatum fuisse dicunt. Agnus autem ei locutus est dicens: cave, ne me sumas, quia in me habeo venenum. Et tamen post plures annos veneno sibi dato interiit. — — —

3. Sed jam nunc ad Longobardorum hystoriam prosequendam stylus se vertat. Longobardi igitur Romano imperio plurimum molesti erant, licet fidem Christi recepissent. Post hoc autem

Pipinus princeps major regiae domus Francorum defunctus est, cui successit Carolus filius ejus, qui Tutides appellabatur, qui multas victorias faciens reliquit duos ejusdem aulae regiae principes, scilicet Carolum et Pipinum. Sed Carolus magnus relicta saeculi pompa Casinensis monachus est effectus, Pipinus autem aulam regiam strenue gubernabat. Sed cum Childericus rex esset inutilis et remissus, consuluit Pipinus Zachariam papam, an ille deberet esse rex, qui solo nomine regio erat contentus. Cui papa respondit, illum debere regem vocari, qui bene rempublicam gereret. Qua responsione Franci animati Childericum in monasterio recluserunt et Pipinum regem creaverunt, circa annos domini quingentesimo ducentesimo quadragesimo. Verum cum Arstulphus rex Longobardorum ecclesiam Romanam suis possessionibus et dominio spoliasset, Stephanus papa, qui Zachariae successerat, ad Pipinum regem Franciae contra Longobardos auxilium petiturus accessit, Pipinus autem copiosum exercitum congregans in Italiam venit et Arstulphum regem obsedit, a quo quadraginta obsides accepit, ut ecclesiae Romanae omnia praedia, quae abstulerat, redderet et ipsam amplius non inquietaret. Sed recedente Pipino Arstulphus totum, quod promiserat, irritum fecit, qui tamen post modicum, dum venatum pergeret, subito exspiravit et Desiderius eidem successit. Per idem tempus, dum Theodericus rex Gothorum jussu imperatoris Italiam regeret et Ariana haeresi depravatus esset et Boethius philosophus consularis patricius cum Symmacho patricio, cujus gener erat, rempublicam illustraret et auctoritatem Romani senatus contra Theodericum defensaret, idem Theodericus Boethium Papiae in exsilium trusit, ubi librum de consolatione composuit, et tandem eum exstinxit. Ejus uxor, Elpes nomine, hymnum apostolorum Petri et Pauli, qui sic incipit: felix per omnes festum mundi cardines, edidisse fertur. Epitaphium quoque suum ipsa composuit ita dicens:

> Elpes dicta fui, Siciliae regionis alumna,
> Quam procul a patria conjugis egit amor;
> [1])Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco,
> Judicis aeterni testificata thronum.

Theodericus autem subito defunctus a quodam sancto eremita visus est a Johanne papa et Symmacho, quos ipse occiderat, nudus et discalceatus in ollam Vulcani demergi, sicut ait Gregorius in dyalogo.

1) Ed. Pr. male Boethius praefert.

Circa annum domini DCLXXVII Dagobertus rex Francorum, ut in quadam chronica habetur, qui longe ante Pipinum regnaverat, a sui pueritia sanctum Dionysium in magna veneratione habere coepit, nam et, quando Lotharii patris sui iram metuebat, ad ecclesiam sancti Dionysii confugiebat. Cum ergo factus jam rex mortuus fuisset, cuidam sancto viro in visione monstratum est, quod anima ejus ad judicium rapta fuit et multi sancti suarum ecclesiarum exspoliationem objiciebant eidem. Cum ergo mali angeli jam ad poenas rapere eam vellent, affuit beatus Dionysius et ejus interventu liberatus est et poenam evasit. Forte enim ejus anima ad corpus rediit et ibi poenitentiam egit. Clodoveus rex corpus sancti Dionysii minus religiose discooperiens os brachii ejus fregit et cupide rapuit, qui mox in amentiam versus est. — — — 4. Circa annum domini DCLXXXVII Beda Venerabilis presbiter et monachus in Anglia claruit, qui, licet in catalogo sanctorum computetur, tamen ab ecclesia non sanctus, sed venerabilis appellatur, et hoc duplici de causa. Prima est, quia, cum prae nimia senectute ejus oculi caligassent, habebat, ut ajunt, quendam ductorem, a quo per villas et castella se duci faciebat et ubique verbum domini praedicabat. Quadam vice, dum per quandam vallem magnis lapidibus plenam transirent, ejus discipulus derisionis causa eidem dixit, quod ibi esset magnus populus congregatus, qui ejus praedicationem silenter et avide exspectaret. Tunc ille ferventer praedicare incipiens, cum in fine per omnia secula seculorum conclusisset, mox, ut ajunt, alta voce clamaverunt: amen, venerabilis pater. Quia igitur venerabilem eum miraculose lapides vocaverunt, ideo venerabilis pater appellatur, vel, ut alii asserunt, ei angeli responderunt: bene, venerabilis pater, dixisti. Secunda causa est, quia post ejus mortem quidam clericus sibi devotus quendam versum edere cupiebat, quem in ejus tumulum facere sculpi volebat, ita incipiens: hac sunt in fossa, volens versum taliter terminare: Bedae sancti ossa. Sed quia talem finem versus congruitas non patiebatur et sedula mente revolveret nec congruum finem videret, dum quadam nocte multum super hoc cogitans mane ad tumulum properasset, manibus angelicis versum taliter sculptum reperit et finitum: hac sunt in fossa Bedae venerabilis ossa. In die autem ascensionis cum morti appropinquaret, ad altare se portari faciens: amen, o rex gloriae virtutum, usque ad finem devote dixit, qua finita in pace dormivit tantusque odor omnes perfudit, ut in paradiso

se existimarent. Ejus corpus cum devotione congrua colitur apud Januam. Per idem tempus, scilicet circa annum domini DCC Rachordus rex Frixonum, cum baptizari deberet et jam unum pedem in lavacro intinxisset, alterum retrahens interrogavit, ubinam plures majorum suorum essent, in inferno an in paradiso, et audiens plures esse in inferno, intinctum pedem retrahens: sanctius est, inquit, plures quam pauciores sequi, et ita ludificatus a daemone promittente, quod tertia die abhinc incomparabilia bona sibi daret, ipse quarta die subita et aeterna morte periit. In Campania Italiae frumentum et hordeum et legumina instar pluviae de coelo cecidisse refertur. Per idem tempus, scilicet circa annum domini DCCXL, cum corpus sancti Benedicti de monte Cassino ad monasterium Floriacense et corpus sanctae Scholasticae sororis ejus apud Ceromanas fuisset translatum, Carolus monachus Cassinensis corpus sancti Benedicti ad castrum Cassinum transferre volebat, sed miraculis a Deo ostensis et Francis resistentibus prohibitus fuit. Eo tempore circa annum domini septingentesimum quadragesimum terrae motus magnus factus est, quo urbes aliae sunt subversae, aliae a montanis ad subjecta campestria cum muris et habitatoribus suis integre et salve ultra sex milliaria transmigrarunt, ut dicitur. Corpus sanctae Petronellae Petri apostoli filiae transfertur, in cujus sepulchro marmoreo ipsius Petri manu scriptum legebatur: aureae Petronellae dilectissimae filiae. Haec ait Sigebertus. Eo tempore Tyrii Armeniam infestant, in quorum patria cum olim pestilentia fuisset, suasu christianorum in modum crucis sua capita totonderunt, et quia per hoc signum salus reddita est, hunc tondendi retinuerunt ritum. Pipino tandem post multos triumphos defuncto Carolus Magnus ejus filius eidem in regnum successit, cujus tempore in Romana sede Adrianus pontifex praesidebat, qui ad Carolum Magnum legatos misit postulans ab eo auxilium contra Desiderium regem Longobardorum, qui more patris sui Arstulphi ecclesiam plurimum infestabat. Cui Carolus obediens magno congregato exercitu per montem Senisium Italiam intravit et Papiam civitatem regiam potenter obsedit et ibi Desiderium capiens cum uxore, filiis et principibus ad Gallias in exsilium misit et omnia jura ecclesiae, quae Longobardi abstulerant, sibi restituit. Erant tunc in exercitu Caroli Amicus et Amelius strenuissimi milites Christi, quorum miri actus leguntur, qui apud Mortariam, ubi Longobardos Carolus

superavit, ceciderunt, et hic terminatum est regnum Longobardorum, nam deinceps illum regem habebant, quem Caesares sibi dabant. Proficiscente Carolo Romam papa synodum CLIV episcoporum congregavit, in qua synodo papa jus eligendi pontificem Romanum et ordinandi apostolicam sedem Carolo dedit, archiepiscopos quoque et episcopos per singulas provincias ante consecrationem ab ipso investituram accipere definivit, filii quoque ejus Romae in reges unguntur, scilicet Pipinus super Italiam, Ludovicus super Aquitaniam. Alcuinus magister Caroli tunc florebat. Pipinus Caroli filius de conjuratione contra patrem convictus in monachum tonsuratur. Circa annum domini DCCLXXX, tempore scilicet Irenae imperatricis et filii sui nomine Constantini, homo quidam in longis muris Thraciae fodiens, sicut in quadam chronica legitur, invenit archam lapideam. Quam cum expurgasset et revelasset, virum jacentem ibi reperit et litteras taliter continentes: Christus nascetur ex Maria virgine et credo in eum, sub Constantino et Irene imperatoribus o sol iterum me videbis. Defuncto Adriano Leo in Romanam sedem sublimatus est, vir per omnia reverendus, cujus sublimationem propinqui Adriani aegre ferentes, cum litanias majores ageret, contra eum populo concitato ei oculos eruerunt et linguam praeciderunt. Sed Deus miraculose linguam sibi et visum restituit, qui dum ad Carolum confugisset, ipse eum in sede sua collocavit et reos punivit. Romani igitur suadente papa anno domini DCCLXXXIV relicto imperio Constantinopolitano, uno omnium consensu imperatorias laudes Carolo acclamant, cumque per manum Leonis imperatorem coronant Caesarem et Augustum appellant. Post Constantinum enim Magnum imperialis sedes apud Constantinopolim habebatur pro eo, quod praedictus Constantinus Romanam sedem vicariis beati Petri reliquit et apud praedictam urbem sedem sibi ordinavit. Verumtamen propter dignitatem imperatores Romani nuncupati sunt usque ad illud tempus, quo imperium Romanum ad reges Francorum translatum est. Postea vero illi Graecorum sive Constantinopolitani, isti vero Romanorum imperatores vocati sunt. Hoc autem de tanto imperatore valde mirabile fuit, quod nullam filiarum suarum, quamdiu vixit, voluit conjugio copulare. Dicebat enim se earum contubernio non posse carere et, ut Alcuinus ejus magister de eo scribit, licet alias felix esset, in hoc adversae fortunae malignitatem expertus est satis declarans, quid super hoc dicere vellet. Quod tamen

ita imperator dissimulavit, ac si de eo nulla suspicio haberetur, quamvis de hoc multus sermo fieret. Unde et, quocumque ibat, semper eas secum ducebat. Hujus Caroli tempore officium Ambrosianum maxime dimissum est et Gregorianum sollemniter divulgatum, imperiali auctoritate ad hoc plurimum adjuvante. Ambrosius namque, ut testatur Augustinus in libro confessionum, cum a *Justina* imperatrice, Ariana perfidia depravata, persecutionem pateretur et intra ecclesiam cum plebe catholica insidiis urgeretur, *instituit* hymnos et psalmos, sed more orientalium, decantari, *ne populus* moeroris taedio contabesceret. Quod per omnes fuit postmodum *ecclesias* derivatum. Verum Gregorius postmodum superveniens plura mutavit, addidit et detruncavit. Sancti enim patres non statim omnia ad decorem officii pertinentia videre potuerunt, sed diversi diversa ordinaverunt. Nam et missae inceptio tres *varietates* habet, olim enim a lectione inchoabatur, sicut adhuc *in sabbato sancto* fit. Postmodum Coelestinus papa psalmos ad *introitum* missae cantari instituit, Gregorius vero introitum missae cum cantu ordinavit et unum versum de illo psalmo, qui totus cantabatur, retinuit. Psalmos olim circa aram in modum coronae circumstantes concorditer concinebant et inde chorus dicitur, sed Flavianus et Theodorus, quod alternatim cantarentur, instituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui super hoc divinitus fuit edoctus. Hieronymus quoque psalmos, epistolas, evangelia et ex magna parte officia diurna et nocturna praeter cantum ordinavit, Ambrosius, Gelasius et Gregorius orationes et cantus addiderunt et cum lectionibus et cum evangeliis coaptaverunt; gradualia, tractus et alleluja Ambrosius *et* Gelasius et Gregorius ad missam cantari instituerunt; *Hilarius* vel secundum quosdam Symmachus papa vel secundum alios Telesphorus papa addidit ad gloria in excelsis: laudamus te, et caetera, quae sequuntur. Nocherus abbas sancti Galli sequentias pro neumis ipsius alleluja primus composuit, sed Nicolaus papa ad missas eas cantari concessit. Hermannus Contractus Teutonicus fecit: rex omnipotens, sancti spiritus assit nobis gratia, ave Maria, et antiphonam: alma redemtoris mater et Symon baryona. Petrus vero de Compostella episcopus fecit: salve regina. Sigibertus tamen dicit, quod Robertus rex Francorum fecit sequentiam: sancti spiritus nobis assit gratia etc. Carolus (ut refert Turpinus archiepiscopus) erat corpore decorus, sed visu ferus, statura ejus pedum octo et facies ejus palmam et dimidium in longitudine

possidebat, barba vero palmam, frons erat unius pedis, militem super equum armatum sedentem a vertice simul cum equo uno ictu cum spatha scindebat, quatuor ferraturas equorum simul facile manibus extendebat. Militem armatum recte stantem super manum suam a terra usque ad caput suum sola manu velociter elevabat, leporem integrum aut duas gallinas vel anserem edebat, modicum vinum et lymphatum bibebat, tam parcus in bibendo erat, quod semper in coena raro plus quam ter bibere solebat. Coenobia multa construxit ac laudabiliter vitam finivit et in fine rerum suarum Christum haeredem fecit. Cui in imperium successit Ludovicus ejus filius vir clementissimus circa annos domini DCCCXV, cujus tempore episcopi et clerici cingula auro texta et exquisitas vestes et alia ornamenta secularia deposuerunt. Theodulphus Aurelianensis episcopus falso apud imperatorem accusatus ab eodem est custodiae Andegavis mancipatus. Cum autem (ut in quadam chronica habetur) in die palmarum processio juxta domum, in qua custodiebatur, transiret, ille aperta fenestra factoque silentio pulcherrimos illos versus a se editos, scilicet: gloria, laus et honor tibi sit rex Christe redemtor etc. praesente imperatore cantavit, qui in tantum imperatori placuerunt, quod ipsum a vinculis mox absolvit et in suam sedem restituit. Legati Michaelis imperatoris Constantinopolitani inter caetera munera detulerunt Ludovico filio Caroli Magni libros Dionysii de hierarchia de graeco in latinum translatos, qui cum gaudio sunt recepti, et XIX infirmi in ipsa nocte in ecclesia ejus sunt curati. Mortuo Ludovico Lotharius imperium tenuit, cui fratres ejus, scilicet Carolus et Ludovicus, bellum indicentes, tanta utrimque facta est strages, ut nulla aetas meminerit tantam aliquando fuisse in regno Francorum. Tandem pacto inito Carolus regnat in Francia, Ludovicus in Germania, Lotharius in Italia et parte Franciae, quae ab ipso Lotharingia dicta est. Qui postmodum Ludovico ejus filio imperium derelinquens habitum monachalem accepit. Hujus tempore, ut in alia quadam chronica dicitur, erat papa Sergius natus Romanus, qui primo os porci dictus est, sed mutato nomine vocatus est Sergius. Ab illo tempore ordinatum est, ut omnes papae nomina mutent, tum quia dominus his, quos in apostolatum elegit, nomen mutavit, tum quia sicut mutantur in nomine, sic mutari debent in vitae perfectione, tum ne ille, qui ad tam decorum officium eligitur, aliquo nomine indecoro turpetur. Hujus Ludovici tempore, scilicet anno domini DCCCLVI, ut in chronica quadam

habetur, in parochia Moguntina malignus spiritus parietes domorum quasi malleis pulsando et manifeste loquendo et discordias seminando adeo homines infestabat, ut, quocumque intrasset, statim illa domus exurebatur. Presbiteris autem litanias agentibus et aquam benedictam spargentibus inimicus lapides jactabat et multos cruentabat. Tandem aliquando conquiescens confessus est se, quando aqua spargebatur, sub cappa talis sacerdotis quasi familiaris sui latuisse, accusans eum, quod cum filia procuratoris in peccatum lapsus fuerit. Per idem tempus rex Bulgarorum cum gente sua ad fidem conversus tantae perfectionis fuit, ut majore filio in regnum ordinato ipse habitum monachalem accepit, sed cum ejus filius juveniliter agens ad gentilitatis cultum redire vellet, resumta militia persecutus ipsum cepit effossisque oculis in carcerem trusit et in regnum statuto filio juniore habitum sacrum resumsit. In Italia apud Brixiam tribus diebus et tribus noctibus sanguis de coelo pluisse narratur. Per idem tempus locustae innumerabiles in Galliis apparuerunt, senas habentes alas, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores, ut castrorum acies turmatim volantes spatium diurni itineris quatuor aut quinque milliaribus extendentes, omnia viridia in herbis et arboribus vastantes, quae usque ad mare Britannicum pervenientes tandem flatu ventorum in profundo maris demersae sunt, sed aestu Oceani ad littus rejectae ex putredine sua aërem corruperunt. Unde mortalitas maxima et fames praevalida est secuta, ut fere tertia pars hominum interiret. Denique primus Otto imperavit, scilicet anno domini DCCCCXXXVIII. Dum autem in paschali sollemnitate dictus Otto principibus convivium praeparasset, antequam sederent, cujusdam principis filius more puerili ferculum de mensa accepit, quem dapifer fuste prostravit. Quod cernens paedagogus pueri ipsum dapiferum mox peremit. Quem cum sine audientia Caesar condemnare vellet, ille Caesarem ad terram dejecit et suffocare coepit, qui, cum de ejus manibus vix erutus fuisset, ipsum reservari jussit, se culpabilem clamans, quod festo honorem non detulit. Unde ipsum libere abire permisit. Ottoni primo successit Otto secundus. Hic, dum Italici pacem saepe violarent, Romam venit et omnibus proceribus, magnatibus et pontificibus apud gradum ecclesiae convivium grande fecit. Quibus epulantibus latenter omnes cingi fecit armatis, deinde de violata pace querimoniam movens jubet in scriptis culpabiles recitari, quos statim ibidem decollari fecit, alios vero epulari satagebat.

Huic successit Otto tertius circa annum domini DCCCCLXXXIV. Iste cognominabatur mirabilia mundi. Hic, ut in quadam chronica dicitur, quandam uxorem habuit, [1]) quae cuidam comiti se prostituere voluit. Sed cum ille nollet tantum facinus perpetrare, illa indignata praedictum comitem apud imperatorem adeo infamavit, quod eum imperator sine audientia decollari fecit. Qui, antequam decollaretur, rogavit uxorem suam, ut judicio candentis ferri post mortem eum comprobet innocentem. Adest dies, in quo Caesar pupillis et viduis se asserit judicium facturum, affuit et vidua mariti caput secum suis portans in ulnis. Tunc quaesivit ab imperatore, qua morte dignus esset, qui injuste aliquem occidisset. Qui cum privatione capitis dignum cum assereret, illa intulit dicens: tu es ille vir, qui maritum meum ad suggestionem uxoris tuae innocenter occidi mandasti, et ut me verum dicere comprobes, hoc candentis ferri judicio comprobabo. Quod Caesar videns obstupuit et in manu feminae puniendum se dedit. Interventu tamen pontificum et procerum inducias decem dierum, deinde octo, tertio septem, quarto sex a vidua accepit. Tunc imperator causa examinata, veritate cognita uxorem vivam concremavit et pro redemtione sui quatuor castra viduae dedit. Quae castra sunt in episcopatu [2]) Leviensi et vocantur ab induciis dierum X, VIII, VII, VI. Post hunc beatus Heinricus, qui fuit dux Bavariae, anno domini MII imperium sumsit. Qui Stephano regi Ungariae adhuc gentili sororem suam nomine Galam in uxorem dedit et tam ipsum regem quam totam ejus gentem ad fidem Christi convertit. Qui Stephanus tantae religionis fuit, ut multorum miraculorum gloria Deus ipsum illustrem redderet. Hic Heinricus et uxor ejus Cunegundis virgines permanserunt et caelibem vitam ducentes in pace quieverunt. Huic successit Conradus quidam dux Francorum, qui neptem sancti Heinrici duxit uxorem. Hujus tempore visa est in coelo trabs ignea mirae magnitudinis super solem jam ad occasum vergentem currere et ad terram cadere. Hic quosdam episcopos de Italia in vincula conjecit et quia Mediolanensis archiepiscopus de vinculis fugit, suburbia Mediolani incendit. Die vero pentecostes, cum imperator in parva ecclesia secus urbem coronaretur, ad missam tam gravia tonitrua fulguraque fuerunt, ut aliqui mente exciderent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero episcopus, qui missam

---

1) Ed. Pr. male legit: qui cuidam comitissae prost. 2) Ed. Pr. Lunensi, alii: Liviensi legunt.

cantabat, et secretarius imperatoris cum aliis dixerunt, se inter missarum sollemnia vidisse sanctum Ambrosium imperatori comminantem Hujus Conradi tempore, scilicet anno domini MXXV comes Lupoldus, ut in quadam chronica dicitur, iram regis metuens cum uxore sua in insulam fugiens in quodam tugurio latitabant. In qua sylva dum Caesar venaretur, nocte superveniente in eodem tugurio ipsum oportuit hospitare. Cui hospita praegnans vicinaque partui decenter, ut potuit, stravit et necessaria ministravit. Eadem nocte mulier filium peperit et vocem tertio ad se venientem Caesar audivit: Conrade, hic puer modo progenitus gener tuus erit. Mane ille surgens duos armigeros sibi secretarios ad se vocavit dicens: ite et puerulum illum de manibus matris violenter auferte et ipsum per medium scindentes cor ejus mihi portate. Conciti illi euntes de gremio matris puerum rapuerunt. Quem videntes elegantissimae formae misericordia commoti ipsum super quandam arborem, ne a feris devoraretur, reposuerunt, et leporem scindentes cor ejus Caesari detulerunt. Eodem die dum quidam dux inde transiret et puerum vagientem audiret, eum ad se duci fecit et, dum filium non haberet, uxori attulit, et nutriri eum faciens a se de uxore sua genitum esse finxit et Heinricum vocavit. Cum igitur jam crevisset, erat corpore pulcherrimus, ore facundus et omnibus gratiosus. Quem Caesar tam decorum et prudentem videns a patre ipsum petiit et in curia sua manere fecit, sed cum videret puerum omnibus gratiosum et ab omnibus commendari, dubitare coepit, ne post se regnaret et ne iste sit ille, quem occidi mandaverat. Volens igitur esse securus litteras manibus suis scriptas per eum uxori dirigit in hunc modum: in quantum est tibi cara vita tua, mox, ut litteras istas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam ecclesia hospitatus fuisset et fessus super bancum quiesceret et bursa, in qua erant litterae, dependeret, sacerdos curiositate ductus bursam aperuit et litteras sigillo regis munitas videns ipsas salvo sigillo aperuit et legens scelus abhorruit et radens subtiliter, quod dicebatur: istum necabis, scripsit: filiam nostram isti in uxorem dabis. Cumque regina litteras sigillo imperatoris munitas videret et de manu imperatoris scriptas esse cognosceret, convocatis principibus celebravit nuptias et filiam suam eidem in uxorem dedit. Quae nuptiae Aquisgrani celebratae sunt. Cum autem Caesari a dicentibus narraretur, quod sollemniter fuissent filiae suae nuptiae celebratae, ille obstupefactus a duobus

armigeris et duce et sacerdote veritate comperta Dei ordinationi resistendum non esse vidit et ideo pro puero mittens eum esse suum generum approbavit et post se regnare instituit. In loco autem, ubi puer Heinricus natus fuit, nobile monasterium aedificatum est, quod usque hodie Ursania nominata est. Iste Heinricus omnes joculatores a curia sua removit et quae his dare consueverat, pauperibus erogabat. Hujus tempore tantum schisma in ecclesia fuit, ut tres in summos pontifices electi essent. A quodam tamen presbitero, nomine Gratiano, magna illis data pecunia eidem cesserunt et ipse papatum obtinuit. At Heinricus dum pro sedando schismate Romam pergeret, Gratianus ei obvians auream coronam sibi obtulit, ut propitium sibi haberet. Ille autem cuncta dissimulans synodo convocata Gratianum de simonia convicit et alium subrogavit. In libro tamen [1])Bonizi, quem misit ad comitissam [2])Mechtildim, dicitur, quod, cum presbiter simplicitate ductus pontificatum sibi per pecuniam acquisierit, ut schismati obviaret, ipse postmodum errorem suum cognoscens se ipsum suadente imperatore deposuit. Post hunc Heinricum tertius Heinricus imperat. Hujus tempore Bruno in papam eligitur et Leo vocatur, qui, dum ad capessendam sedem apostolicam Romam pergeret, audivit voces angelorum canentium: dicit dominus, ego cogito cogitationes pacis etc. Hic de multis sanctis cantus composuit. Hoc tempore per Berengarium turbata fuit ecclesia, qui asserebat corpus et sanguinem Christi non vere, sed figurative esse in altari. Contra quem scripsit egregie Lanfrancus prior Betensis natione Papiensis, qui fuit magister Anselmi Cantuariensis. Deinde quartus Heinricus imperat anno domini MLVII, cujus tempore maxime floruit Lanfrancus. Ad cujus eximiam doctrinam convolavit de Burgundia Anselmus vir postmodum multa virtute et sapientia adornatus, et ei in prioratu monasterii Betensis successit. Sub hoc tempore Jerusalem a Saracenis capta a fidelibus recuperata est. Ossa beati Nicolai apud Baronsem urbem translata sunt. De quo inter caetera legitur, quod, dum in quadam ecclesia, quae dicitur sancta crux, subjecta sanctae Mariae de caritate nondum beati Nicolai nova hystoria cantaretur, fratres priorem, ut eam sibi cantare liceret, instantius exorabant. Qui nullatenus acquiescens dixit, incongruum esse, morem pristinum de novitatibus immutare. Cum adhuc fratres instarent, ille indignatus respondit: recedite, fra-

1) Ed. Pr. Boneti legit. 2) Ed. Pr. Matilam offert.

tres, nunquam a me licentia concedetur, ut nova cantica, imo jeculatoria quaedam in mea ecclesia decantentur. Adveniente vero festivitate ejusdem fratres cum quadam tristitia matutinarum vigilias peregerunt, cumque omnes se in lectis recepissent, ecce Nicolaus priori visibiliter apparuit terribilis, quem per capillos a lecto abstrahens dormitorii pavimento collisit incipiensque antiphonam: o pastor aeterne, per singulas vocum differentias virgis, quas in manu tenebat, gravissimos ictus super dorsum prioris ingeminans per ordinem morose canendo antiphonam ad finem usque perduxit. Qui cum omnes suis clamoribus excitasset, semivivus *ad lectum* deportatur. Tandem ad se rediens ait: ite et hystoriam novam sancti Nicolai amodo decantate. Hoc tempore ex Molismensi coenobio XXI monachi cum abbate suo Roberto Cistercii solitudinem adeuntes, ut ibi regulae suae professionem districtius *observarent*, novum ordinem ex veteri instituerunt. Hildebrandus *prior Cluniacensis* factus papa Gregorius est vocatus. Hic, *dum in minoribus* constitutis legatione fungeretur, apud Lugdunum archiepiscopum [1]) Ebronensem de simonia convicit miraculosa. Nam dum idem archiepiscopus omnes accusatores suos corrumperet et convinci non posset, legatus, ut: gloria patri et filio et spiritui sancto diceret, imperavit. Ille: gloria patri et filio, expedite dicebat, spiritui sancto vero dicere non poterat, quippe quia in spiritum sanctum peccaverat. Qui peccatum suum confitens mox, ut depositus est, clara voce spiritum sanctum nominavit. Hoc miraculum recitat Bonizo in libro ad comitissam Mechtildim. Mortuo Heinrico quarto Spirae et cum aliis regibus sepulto in ejus epitaphio versus iste fuit inscriptus: filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic. Huic successit Heinricus quintus anno domini MCVII, qui papam cum cardinalibus cepit et eos dimittens investituram episcoporum et abbatum per annulum et baculum pastoralem accepit. Sub hoc tempore Bernardus cum fratribus suis Cistercium ingreditur. In parochia Legiensi porca porcellum faciem hominis habentem enixa est; pullus gallinae quadrupes natus est. Lotharius successit Heinrico, cujus tempore mulier quaedam in Hispania monstrum bis gemini corporis enixa est aversis vultibus et corporibus sibi cohaerens. Ante quidem effigies erat hominis integro corporis membrorumque ordine distincta, retro vero facies canis, corporis et membrorum proprietate integra.

---

1) Ed. Pr.: Ebracensem.

Post hunc regnavit Conradus anno domini MCXXXVIII. Eo tempore Hugo de sancto Victore doctor excellentissimus et in omni scientia summus et religione devotus obiit. De quo referunt, quod, cum infirmitate ultima laboraret et nullum cibum retinere posset, corpus tamen dominicum sibi dari cum multa instantia postulabat. Tunc fratres ejus turbationem sedare volentes simplicem hostiam instar corporis dominici sibi detulerunt. Quod ille per spiritum recognoscens ait: misereatur vestri dominus, fratres, cur me deludere voluistis? Iste enim non est dominus meus, quem deportastis. Mox illi stupefacti cucurrerunt et sibi corpus domini detulerunt, sed ille videns, quod recipere non valeret, elevatis in coelum manibus sic oravit: adscendat filius ad patrem et spiritus ad Deum suum, qui fecit illum. Et inter haec verba spiritum exhalavit et corpus domini ibidem disparuit. Eugenius abbas sancti Anastasii papa constituitur, qui ab urbe expulsus eo, quod senatores alium creaverant, in Gallias venit et Bernardum ante se misit, qui viam domini praedicabat et multa miracula faciebat. Gilbertus Porretanus florebat. Fridericus nepos Conradi imperavit anno domini MCLIV. Eo tempore floruit magister Petrus Lombardus episcopus Parisiensis, qui librum sententiarum, glossam psalterii et epistolarum Pauli utiliter compilavit. Eo tempore tres lunae in coelo visae sunt et in medio signum crucis nec multo post visi sunt tres soles. Tunc Alexander in papam canonice est electus, contra quem Octavianus Johannes Cremensis tituli sancti Calixti et Johannes Strumensis successive in papam eliguntur et favore imperatoris fulciuntur. Duravit hoc schisma annis XVIII, infra quod tempus Teutonici, qui apud Tusculanum pro imperatore morabantur, Romanos apud montem Portum invadunt et tot a nona usque ad vesperas occiderunt, ut nunquam ex Romanis tot millia sint occisa, licet tempore Hannibalis tot occisi sint, ut tres cophinos annulorum, quos de digitis procerum occisorum [1])idem Hannibal extrahi fecerat, Carthaginem destinaverit. [2])Quorum multi apud sanctum Stephanum et sanctum Laurentium sepulti sunt et habent hoc epitaphium: mille decem decies sex decies quoque seni. Imperator Fridericus, dum terram sanctam visitasset et in flumine quodam lavaretur, ibidem necatus periit, vel ut alii asserunt, equo suo impingente in aquam cecidit ibique interiit. Huic successit Heinricus filius ejus anno domini MCXC.

---

1) Ed. Pr. addit ante pronomen: abstulerant, impleverunt. 2) Ed. Pr. omittit verba: Quorum — seni.

ita imperator dissimulavit, ac si de eo nulla suspicio haberetur, quamvis de hoc multus sermo fieret. Unde et, quocumque ibat, semper eas secum ducebat. Hujus Caroli tempore officium Ambrosianum maxime dimissum est et Gregorianum sollemniter divulgatum, imperiali auctoritate ad hoc plurimum adjuvante. Ambrosius namque, ut testatur Augustinus in libro confessionum, cum a Justina imperatrice, Ariana perfidia depravata, persecutionem pateretur et intra ecclesiam cum plebe catholica insidiis urgeretur, instituit hymnos et psalmos, sed more orientalium, decantari, *ne populus* moeroris taedio contabesceret. Quod per omnes fuit postmodum *ecclesias* derivatum. Verum Gregorius postmodum superveniens plura mutavit, addidit et detruncavit. Sancti enim patres non statim omnia ad decorem officii pertinentia videre potuerunt, sed diversi diversa ordinaverunt. Nam et missae inceptio tres *varietates habet*, olim enim a lectione inchoabatur, sicut adhuc *in sabbato sancto* fit. Postmodum Coelestinus papa psalmos ad *introitum* missae cantari instituit, Gregorius vero introitum missae cum cantu ordinavit et unum versum de illo psalmo, qui totus cantabatur, retinuit. Psalmos olim circa aram in modum coronae circumstantes concorditer concinebant et inde chorus dicitur, sed Flavianus et Theodorus, quod alternatim cantarentur, instituerunt, ab Ignatio hoc habentes, qui super hoc divinitus fuit edoctus. Hieronymus quoque psalmos, epistolas, evangelia et ex magna parte officia diurna et nocturna praeter cantum ordinavit, Ambrosius, Gelasius et Gregorius orationes et cantus addiderunt et cum lectionibus et cum evangeliis coaptaverunt; gradualia, tractus et alleluja Ambrosius et Gelasius et Gregorius ad missam cantari instituerunt; *Hilarius* vel secundum quosdam Symmachus papa vel secundum alios Telesphorus papa addidit ad gloria in excelsis: laudamus te, et caetera, quae sequuntur. Nocherus abbas sancti Galli sequentias pro neumis ipsius alleluja primus composuit, sed Nicolaus *papa* ad missas eas cantari concessit. Hermannus Contractus Teutonicus fecit: rex omnipotens, sancti spiritus assit nobis gratia, ave Maria, et antiphonam: alma redemtoris mater et Symon baryona. Petrus vero de Compostella episcopus fecit: salve regina. Sigibertus tamen dicit, quod Robertus rex Francorum fecit sequentiam: sancti spiritus nobis assit gratia etc. Carolus (ut refert Turpinus archiepiscopus) erat corpore decorus, sed visu ferus, statura ejus pedum octo et facies ejus palmam et dimidium in longitudine

possidebat, barba vero palmam, frons erat unius pedis, militem super equum armatum sedentem a vertice simul cum equo uno ictu cum spatha scindebat, quatuor ferraturas equorum simul facile manibus extendebat. Militem armatum recte stantem super manum suam a terra usque ad caput suum sola manu velociter elevabat, leporem integrum aut duas gallinas vel anserem edebat, modicum vinum et lymphatum bibebat, tam parcus in bibendo erat, quod semper in coena raro plus quam ter bibere solebat. Coenobia multa construxit ac laudabiliter vitam finivit et in fine rerum suarum Christum haeredem fecit. Cui in imperium successit Ludovicus ejus filius vir clementissimus circa annos domini DCCCXV, cujus tempore episcopi et clerici cingula auro texta et exquisitas vestes et alia ornamenta secularia deposuerunt. Theodulphus Aurelianensis episcopus falso apud imperatorem accusatus ab eodem est custodiae Andegavis mancipatus. Cum autem (ut in quadam chronica habetur) in die palmarum processio juxta domum, in qua custodiebatur, transiret, ille aperta fenestra factoque silentio pulcherrimos illos versus a se editos, scilicet: gloria, laus et honor tibi sit rex Christe redemtor etc. praesente imperatore cantavit, qui in tantum imperatori placuerunt, quod ipsum a vinculis mox absolvit et in suam sedem restituit. Legati Michaelis imperatoris Constantinopolitani inter caetera munera detulerunt Ludovico filio Caroli Magni libros Dionysii de hierarchia de graeco in latinum translatos, qui cum gaudio sunt recepti, et XIX infirmi in ipsa nocte in ecclesia ejus sunt curati. Mortuo Ludovico Lotharius imperium tenuit, cui fratres ejus, scilicet Carolus et Ludovicus, bellum indicentes, tanta utrimque facta est strages, ut nulla aetas meminerit tantam aliquando fuisse in regno Francorum. Tandem pacto inito Carolus regnat in Francia, Ludovicus in Germania, Lotharius in Italia et parte Franciae, quae ab ipso Lotharingia dicta est. Qui postmodum Ludovico ejus filio imperium derelinquens habitum monachalem accepit Hujus tempore, ut in alia quadam chronica dicitur, erat papa Sergius natus Romanus, qui primo os porci dictus est, sed mutato nomine vocatus est Sergius. Ab illo tempore ordinatum est, ut omnes papae nomina mutent, tum quia dominus his, quos in apostolatum elegit, nomen mutavit, tum quia sicut mutantur in nomine, sic mutari debent in vitae perfectione, tum ne ille, qui ad tam decorum officium eligitur, aliquo nomine indecoro turpetur. Hujus Ludovici tempore, scilicet anno domini DCCCLVI, ut in chronica quadam

habetur, in parochia Moguntina malignus spiritus parietes domorum quasi malleis pulsando et manifeste loquendo et discordias seminando adeo homines infestabat, ut, quocumque intrasset, statim illa domus exurebatur. Presbiteris autem litanias agentibus et aquam benedictam spargentibus inimicus lapides jactabat et multos cruentabat. Tandem aliquando conquiescens confessus est se, quando aqua spargebatur, sub cappa talis sacerdotis quasi familiaris sui latuisse, accusans eum, quod cum filia procuratoris in peccatum lapsus fuerit. Per idem tempus rex Bulgarorum cum gente sua ad fidem conversus tantae perfectionis fuit, ut majore filio in regnum ordinato ipse habitum monachalem accepit, sed cum ejus filius juveniliter agens ad gentilitatis cultum redire vellet, resumta militia persecutus ipsum cepit effossisque oculis in carcerem trusit et in regnum statuto filio juniore habitum sacrum resumsit. In Italia apud Brixiam tribus diebus et tribus noctibus sanguis de coelo pluisse narratur. Per idem tempus locustae innumerabiles in Galliis apparuerunt, senas habentes alas, sex pedes, duos dentes lapidibus duriores, ut castrorum acies turmatim volantes spatium diurni itineris quatuor aut quinque milliaribus extendentes, omnia viridia in herbis et arboribus vastantes, quae usque ad mare Britannicum pervenientes tandem flatu ventorum in profundo maris demersae sunt, sed aestu Oceani ad littus rejectae ex putredine sua aërem corruperunt. Unde mortalitas maxima et fames praevalida est secuta, ut fere tertia pars hominum interiret. Denique primus Otto imperavit, scilicet anno domini DCCCCXXXVIII. Dum autem in paschali sollemnitate dictus Otto principibus convivium praeparasset, antequam sederent, cujusdam principis filius more puerili ferculum de mensa accepit, quem dapifer fuste prostravit. Quod cernens paedagogus pueri ipsum dapiferum mox peremit. Quem cum sine audientia Caesar condemnare vellet, ille Caesarem ad terram dejecit et suffocare coepit, qui, cum de ejus manibus vix erutus fuisset, ipsum reservari jussit, se culpabilem clamans, quod festo honorem non detulit. Unde ipsum libere abire permisit. Ottoni primo successit Otto secundus. Hic, dum Italici pacem saepe violarent, Romam venit et omnibus proceribus, magnatibus et pontificibus apud gradum ecclesiae convivium grande fecit. Quibus epulantibus latenter omnes cingi fecit armatis, deinde de violata pace querimoniam movens jubet in scriptis culpabiles recitari, quos statim ibidem decollari fecit, alios vero epulari satagebat.

Huic successit Otto tertius circa annum domini DCCCCLXXXIV. Iste cognominabatur mirabilia mundi. Hic, ut in quadam chronica dicitur, quandam uxorem habuit, [1]) quae cuidam comiti se prostituere voluit. Sed cum ille nollet tantum facinus perpetrare, illa indignata praedictum comitem apud imperatorem adeò infamavit, quod eum imperator sine audientia decollari fecit. Qui, antequam decollaretur, rogavit uxorem suam, ut judicio candentis ferri post mortem eum comprobet innocentem. Adest dies, in quo Caesar pupillis et viduis se asserit judicium facturum, affuit et vidua mariti caput secum suis portans in ulnis. Tunc quaesivit ab imperatore, qua morte dignus esset, qui injuste aliquem occidisset. Qui cum privatione capitis dignum eum assereret, illa intulit dicens: tu es ille vir, qui maritum meum ad suggestionem uxoris tuae innocenter occidi mandasti, et ut me verum dicere comprobes, hoc candentis ferri judicio comprobabo. Quod Caesar videns obstupuit et in manu feminae puniendum se dedit. Interventu tamen pontificum et procerum inducias decem dierum, deinde octo, tertio septem, quarto sex a vidua accepit. Tunc imperator causa examinata, veritate cognita uxorem vivam concremavit et pro redemtione sui quatuor castra viduae dedit. Quae castra sunt in episcopatu [2]) Leviensi et vocantur ab induciis dierum X, VIII, VII, VI. Post hunc beatus Heinricus, qui fuit dux Bavariae, anno domini MII imperium sumsit. Qui Stephano regi Ungariae adhuc gentili sororem suam nomine Galam in uxorem dedit et tam ipsum regem quam totam ejus gentem ad fidem Christi convertit. Qui Stephanus tantae religionis fuit, ut multorum miraculorum gloria Deus ipsum illustrem redderet. Hic Heinricus et uxor ejus Cunegundis virgines permanserunt et caelibem vitam ducentes in pace quieverunt. Huic successit Conradus quidam dux Francorum, qui neptem sancti Heinrici duxit uxorem. Hujus tempore visa est in coelo trabs ignea mirae magnitudinis super solem jam ad occasum vergentem currere et ad terram cadere. Hic quosdam episcopos de Italia in vincula conjecit et quia Mediolanensis archiepiscopus de vinculis fugit, suburbia Mediolani incendit. Die vero pentecostes, cum imperator in parva ecclesia secus urbem coronaretur, ad missam tam gravia tonitrua fulguraque fuerunt, ut aliqui mente exciderent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero episcopus, qui missam

1) Ed. Pr. male legit: qui cuidam comitissae prost. 2) Ed. Pr. Lunensi, alii: Liviensi legunt.

cantabat, et secretarius imperatoris cum aliis dixerunt, se inter missarum sollemnia vidisse sanctum Ambrosium imperatori comminantem Hujus Conradi tempore, scilicet anno domini MXXV comes Lupoldus, ut in quadam chronica dicitur, iram regis metuens cum uxore sua in insulam fugiens in quodam tugurio latitabant. In qua sylva dum Caesar venaretur, nocte superveniente in eodem tugurio ipsum oportuit hospitare. Cui hospita praegnans vicinaque partui decenter, ut potuit, stravit et necessaria ministravit. Eadem nocte mulier filium peperit et vocem tertio ad se venientem Caesar audivit: Conrade, hic puer modo progenitus gener tuus erit. Mane ille surgens duos armigeros sibi secretarios ad se vocavit dicens: ite et puerulum illum de manibus matris violenter auferte et ipsum per medium scindentes cor ejus mihi portate. Conciti illi euntes de gremio matris puerum rapuerunt. Quem videntes elegantissimae formae misericordia commoti ipsum super quandam arborem, ne a feris devoraretur, reposuerunt, et leporem scindentes cor ejus Caesari detulerunt. Eodem die dum quidam dux inde transiret et puerum vagientem audiret, cum ad se duci fecit et, dum filium non haberet, uxori attulit, et nutriri eum faciens a se de uxore sua genitum esse finxit et Heinricum vocavit. Cum igitur jam crevisset, erat corpore pulcherrimus, ore facundus et omnibus gratiosus. Quem Caesar tam decorum et prudentem videns a patre ipsum petiit et in curia sua manere fecit, sed cum videret puerum omnibus gratiosum et ab omnibus commendari, dubitare coepit, ne post se regnaret et ne iste sit ille, quem occidi mandaverat. Volens igitur esse securus litteras manibus suis scriptas per eum uxori dirigit in hunc modum: in quantum est tibi cara vita tua, mox, ut litteras istas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam ecclesia hospitatus fuisset et fessus super bancum quiesceret et bursa, in qua erant litterae, dependeret, sacerdos curiositate ductus bursam aperuit et litteras sigillo regis munitas videns ipsas salvo sigillo aperuit et legens scelus abhorruit et radens subtiliter, quod dicebatur: istum necabis, scripsit: filiam nostram isti in uxorem dabis. Cumque regina litteras sigillo imperatoris munitas videret et de manu imperatoris scriptas esse cognosceret, convocatis principibus celebravit nuptias et filiam suam eidem in uxorem dedit. Quae nuptiae Aquisgrani celebratae sunt. Cum autem Caesari a dicentibus narraretur, quod sollemniter fuissent filiae suae nuptiae celebratae, ille obstupefactus a duobus

Cap. CLXXXI. [illegible]

armigeris et duce et [illegible] resistendum non esse vidit et [illegible] generum approbavit et post se [illegible] ubi puer Heinricus natus fuit, [illegible] quod usque hodie Ursania nominata est. [illegible] culatores a curia sua removit et quae [illegible] peribus erogabat. Hujus tempore tantum [illegible] ut tres in summos pontifices electi essent. [illegible] bitero, nomine Gratiano, magna illis data [illegible] et ipse papatum obtinuit. At Heinricus dum [illegible] Romam pergeret, Gratianus ei obvians auream [illegible] ut propitium sibi haberet. Ille autem cuncta [illegible] convocata Gratianum de simonia convicit et [illegible] libro tamen [1])Bonizi, quem misit ad comitissam [2])[illegible] quod, cum presbiter simplicitate ductus pontificatum [illegible] niam acquisierit, ut schismati obviaret, ipse postmodum [illegible] suum cognoscens se ipsum suadente imperatore deposuit. [illegible] hunc Heinricum tertius Heinricus imperat. Hujus tempore [illegible] papam eligitur et Leo vocatur, qui, dum ad capessendam sedem apostolicam Romam pergeret, audivit voces angelorum canentium: dicit dominus, ego cogito cogitationes pacis etc. Hic de multis sanctis cantus composuit. Hoc tempore per Berengarium turbata fuit ecclesia, qui asserebat corpus et sanguinem Christi non vere, sed figurative esse in altari. Contra quem scripsit egregie Lanfrancus prior Betensis natione Papiensis, qui fuit magister Anselmi Cantuariensis. Deinde quartus Heinricus imperat anno domini MLVII, cujus tempore maxime floruit Lanfrancus. Ad cujus eximiam doctrinam convolavit de Burgundia Anselmus vir postmodum multa virtute et sapientia adornatus, et ei in prioratu monasterii Betensis successit. Sub hoc tempore Jerusalem a Saracenis capta a fidelibus recuperata est. Ossa beati Nicolai apud Barensem urbem translata sunt. De quo inter caetera legitur, quod, dum in quadam ecclesia, quae dicitur sancta crux, subjecta sanctae Mariae de caritate nondum beati Nicolai nova hystoria cantaretur, fratres priorem, ut eam sibi cantare liceret, instantius exorabant. Qui nullatenus acquiescens dixit, incongruum esse, morem pristinum de novitatibus immutare. Cum adhuc fratres instarent, ille indignatus respondit: recedite, fra-

---

1) Ed. Pr. Boneti legit. 2) Ed. Pr. Matilam offert.

cantabat, et secretarius imperatoris cum aliis dixerunt, se inter missarum sollemnia vidisse sanctum Ambrosium imperatori comminantem Hujus Conradi tempore, scilicet anno domini MXXV comes Lupoldus, ut in quadam chronica dicitur, iram regis metuens cum uxore sua in insulam fugiens in quodam tugurio latitabant. In qua sylva dum Caesar venaretur, nocte superveniente in eodem tugurio ipsum oportuit hospitare. Cui hospita praegnans vicinaque partui decenter, ut potuit, stravit et necessaria ministravit. Eadem nocte mulier filium peperit et vocem tertio ad se venientem Caesar audivit: Conrade, hic puer modo progenitus gener tuus erit. Mane ille surgens duos armigeros sibi secretarios ad se vocavit dicens: ite et puerulum illum de manibus matris violenter auferte et ipsum per medium scindentes cor ejus mihi portate. Conciti illi euntes de gremio matris puerum rapuerunt. Quem videntes elegantissimae formae misericordia commoti ipsum super quandam arborem, ne a feris devoraretur, reposuerunt, et leporem scindentes cor ejus Caesari detulerunt. Eodem die dum quidam dux inde transiret et puerum vagientem audiret, eum ad se duci fecit et, dum filium non haberet, uxori attulit, et nutriri eum faciens a se de uxore sua genitum esse finxit et Heinricum vocavit. Cum igitur jam crevisset, erat corpore pulcherrimus, ore faeundus et omnibus gratiosus. Quem Caesar tam decorum et prudentem videns a patre ipsum petiit et in curia sua manere fecit, sed cum videret puerum omnibus gratiosum et ab omnibus commendari, dubitare coepit, ne post se regnaret et ne iste sit ille, quem occidi mandaverat. Volens igitur esse securus litteras manibus suis scriptas per eum uxori dirigit in hunc modum: in quantum est tibi cara vita tua, mox, ut litteras istas receperis, puerum hunc necabis. Dum igitur pergens in quadam ecclesia hospitatus fuisset et fessus super bancum quiesceret et bursa, in qua erant litterae, dependeret, sacerdos curiositate ductus bursam aperuit et litteras sigillo regis munitas videns ipsas salvo sigillo aperuit et legens scelus abhorruit et radens subtiliter, quod dicebatur: istum necabis, scripsit: filiam nostram isti in uxorem dabis. Cumque regina litteras sigillo imperatoris munitas videret et de manu imperatoris scriptas esse cognosceret, convocatis principibus celebravit nuptias et filiam suam eidem in uxorem dedit. Quae nuptiae Aquisgrani celebratae sunt. Cum autem Caesari a dicentibus narraretur, quod sollemniter fuissent filiae suae nuptiae celebratae, ille obstupefactus a duobus

armigeris et duce et sacerdote veritate comperta Dei ordinationi resistendum non esse vidit et ideo pro puero mittens eum esse suum generum approbavit et post se regnare instituit. In loco autem, ubi puer Heinricus natus fuit, nobile monasterium aedificatum est, quod usque hodie Ursania nominata est. Iste Heinricus omnes joculatores a curia sua removit et quae his dare consueverat, pauperibus erogabat. Hujus tempore tantum schisma in ecclesia fuit, ut tres in summos pontifices electi essent. A quodam tamen presbitero, nomine Gratiano, magna illis data pecunia eidem cesserunt et ipse papatum obtinuit. At Heinricus dum pro sedando schismate Romam pergeret, Gratianus ei obvians auream coronam sibi obtulit, ut propitium sibi haberet. Ille autem cuncta dissimulans synodo convocata Gratianum de simonia convicit et alium subrogavit. In libro tamen [1])Bonizi, quem misit ad comitissam [2])Mechtildim, dicitur, quod, cum presbiter simplicitate ductus pontificatum sibi per pecuniam acquisierit, ut schismati obviaret, ipse postmodum errorem suum cognoscens se ipsum suadente imperatore deposuit. Post hunc Heinricum tertius Heinricus imperat. Hujus tempore Bruno in papam eligitur et Leo vocatur, qui, dum ad capessendam sedem apostolicam Romam pergeret, audivit voces angelorum canentium: dicit dominus, ego cogito cogitationes pacis etc. Hic de multis sanctis cantus composuit. Hoc tempore per Berengarium turbata fuit ecclesia, qui asserebat corpus et sanguinem Christi non vere, sed figurative esse in altari. Contra quem scripsit egregie Lanfrancus prior Betensis natione Papiensis, qui fuit magister Anselmi Cantuariensis. Deinde quartus Heinricus imperat anno domini MLVII, cujus tempore maxime floruit Lanfrancus. Ad cujus eximiam doctrinam convolavit de Burgundia Anselmus vir postmodum multa virtute et sapientia adornatus, et ei in prioratu monasterii Betensis successit. Sub hoc tempore Jerusalem a Saracenis capta a fidelibus recuperata est. Ossa beati Nicolai apud Barensem urbem translata sunt. De quo inter caetera legitur, quod, dum in quadam ecclesia, quae dicitur sancta crux, subjecta sanctae Mariae de caritate nondum beati Nicolai nova hystoria cantaretur, fratres priorem, ut eam sibi cantare liceret, instantius exorabant. Qui nullatenus acquiescens dixit, incongruum esse, morem pristinum de novitatibus immutare. Cum adhuc fratres instarent, ille indignatus respondit: recedite, fra-

1) Ed. Pr. Boneti legit. 2) Ed. Pr. Matilam offert.

tres, nunqnam a me licentia concedetur, ut nova cantica, imo joculatoria quaedam in mea ecclesia decantentur. Adveniente vero festivitate ejusdem fratres cum quadam tristitia matutinarum vigilias peregerunt, cumque omnes se in lectis recepissent, ecce Nicolaus priori visibiliter apparuit terribilis, quem per capillos a lecto abstrahens dormitorii pavimento collisit incipiensque antiphonam: o pastor aeterne, per singulas vocum differentias virgis, quas in manu tenebat, gravissimos ictus super dorsum prioris ingeminans per ordinem morose canendo antiphonam ad finem usque perduxit. Qui cum omnes suis clamoribus excitasset, semivivus ad lectum deportatur. Tandem ad se rediens ait: ite et hystoriam novam sancti Nicolai amodo decantate. Hoc tempore ex Molinensi coenobio XXI monachi cum abbate suo Roberto Cistercii solitudinem adeuntes, ut ibi regulae suae professionem districtius observarent, novum ordinem ex veteri instituerunt. Hildebrandus prior Cluniacensis factus papa Gregorius est vocatus. Hic, dum in minoribus constitutis legatione fungeretur, apud Lugdunum archiepiscopum [1]) Ebronensem de simonia convicit miraculosa. Nam dum idem archiepiscopus omnes accusatores suos corrumperet et convinci non posset, legatus, ut: gloria patri et filio et spiritui sancto diceret, imperavit. Ille: gloria patri et filio, expedite dicebat, spiritui sancto vero dicere non poterat, quippe quia in spiritum sanctum peccaverat. Qui peccatum suum confitens mox, ut depositus est, clara voce spiritum sanctum nominavit. Hoc miraculum recitat Bonizo in libro ad comitissam Mechtildim. Mortuo Heinrico quarto Spirae et cum aliis regibus sepulto in ejus epitaphio versus iste fuit inscriptus: filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic. Huic successit Heinricus quintus anno domini MCVII, qui papam cum cardinalibus cepit et eos dimittens investituram episcoporum et abbatum per annulum et baculum pastoralem accepit. Sub hoc tempore Bernardus cum fratribus suis Cistercium ingreditur. In parochia Legiensi porca porcellum faciem hominis habentem enixa est; pullus gallinae quadrupes natus est. Lotharius successit Heinrico, cujus tempore mulier quaedam in Hispania monstrum bis gemini corporis enixa est aversis vultibus et corporibus sibi cohaerens. Ante quidem effigies erat hominis integro corporis membrorumque ordine distincta, retro vero facies canis, corporis et membrorum proprietate integra.

---

1) Ed. Pr.: Ebracensem.

Post hunc regnavit Conradus anno domini MCXXXVIII. Eo tempore Hugo de sancto Victore doctor excellentissimus et in omni scientia summus et religione devotus obiit. De quo referunt, quod, cum infirmitate ultima laboraret et nullum cibum retinere posset, corpus tamen dominicum sibi dari cum multa instantia postulabat. Tunc fratres ejus turbationem sedare volentes simplicem hostiam instar corporis dominici sibi detulerunt. Quod ille per spiritum recognoscens ait: misereatur vestri dominus, fratres, cur me deludere voluistis? Iste enim non est dominus meus, quem deportastis. Mox illi stupefacti cucurrerunt et sibi corpus domini detulerunt, sed ille videns, quod recipere non valeret, elevatis in coelum manibus sic oravit: adscendat filius ad patrem et spiritus ad Deum suum, qui fecit illum. Et inter haec verba spiritum exhalavit et corpus domini ibidem disparuit. Eugenius abbas sancti Anastasii papa constituitur, qui ab urbe expulsus eo, quod senatores alium creaverant, in Gallias venit et Bernardum ante se misit, qui viam domini praedicabat et multa miracula faciebat. Gilbertus Porretanus florebat. Fridericus nepos Conradi imperavit anno domini MCLIV. Eo tempore floruit magister Petrus Lombardus episcopus Parisiensis, qui librum sententiarum, glossam psalterii et epistolarum Pauli utiliter compilavit. Eo tempore tres lunae in coelo visae sunt et in medio signum crucis nec multo post visi sunt tres soles. Tunc Alexander in papam canonice est electus, contra quem Octavianus Johannes Cremensis tituli sancti Calixti et Johannes Strumensis successive in papam eliguntur et favore imperatoris fulciuntur. Duravit hoc schisma annis XVIII, infra quod tempus Teutonici, qui apud Tusculanum pro imperatore morabantur, Romanos apud montem Portum invadunt et tot a nona usque ad vesperas occiderunt, ut nunquam ex Romanis tot millia sint occisa, licet tempore Hannibalis tot occisi sint, ut tres cophinos annulorum, quos de digitis procerum occisorum [1])idem Hannibal extrahi fecerat, Carthaginem destinaverit. [2])Quorum multi apud sanctum Stephanum et sanctum Laurentium sepulti sunt et habent hoc epitaphium: mille decem decies sex decies quoque seni. Imperator Fridericus, dum terram sanctam visitasset et in flumine quodam lavaretur, ibidem necatus periit, vel ut alii asserunt, equo suo impingente in aquam cecidit ibique interiit. Huic successit Heinricus filius ejus anno domini MCXC.

---

1) Ed. Pr. addit ante pronomen: abstulerant, impleverunt. 2) Ed. Pr. omittit verba: Quorum — seni.

Eo tempore tantae pluviae cum tonitruis et fulminibus et tempestatibus factae sunt, quantas nulla meminit hominum antiquitas. Lapides enim in quantitate ovorum quadranguli mixti cum pluvia de coelo cadentes arbores, vineas et segetes destruxerunt et multos homines occiderunt. Corvi quoque et quamplures aves per aëra in hac tempestate volantes visi sunt carbones vivos in rostris portare et domos incendere. Contra Romanam ecclesiam semper tyrannidem Heinricus exercuit et ideo eo mortuo Innocentius tertius, ne frater ejus Philippus promoveretur, se opposuit et Ottoni filio ducis Saxoniae adhaesit et eum Aquisgrani in regem Alemanniae coronari fecit. Eo tempore, dum plures barones Franciae pro liberatione terrae sanctae ultra mare pergerent, Constantinopolim ceperunt. His temporibus ordines praedicatorum et omnium fratrum orti sunt. Innocentius quartus legatos ad Philippum regem Francorum misit, ut terram Albigensium invaderet et haereticos deleret, qui omnes capiens concremari fecit. Denique Innocentius *Ottonem* imperatorem coronavit et, ut jura ecclesiae salvaret, ab eo juramentum exegit, qui statim ipso die contra juramentum fecit et Romipetas exspoliari jussit. Unde papa eum excommunicavit et ab imperio deposuit. Eo tempore fuit sancta Elizabeth filia regis Ungariae, quae fuit uxor landgravii Thuringiae, quae inter alia innumera miracula plures, id est, XVI mortuos, ut scribitur, suscitavit et caecum natum illuminavit, de cujus corpore usque hodie oleum fluere perhibetur. Ottone deposito Fridericus, Heinrici filius, eligitur et ab Honorio coronatur. Leges optimas pro libertate ecclesiae et contra haereticos edidit. Hic super omnes divitiis et gloria abundavit, sed iis in superbia abusus fuit, nam tyrannidem contra ecclesiam exercuit, duos cardinales vinculavit, praelatos, quos Gregorius IX. ad concilium convocaverat, capi fecit et ideo ab ipso excommunicatur. Denique Gregorius multis tribulationibus pressus moritur et Innocentius quartus natione Januensis, concilium apud Lugdunum convocans ipsum imperatorem deposuit. Quo deposito et defuncto sedes imperii usque hodie vacat.

CAP. CLXXXII. (177.)
De dedicatione ecclesiae.

Dedicatio ecclesiae inter alias festivitates ab ecclesia celebratur et quoniam duplex est ecclesia sive templum, scilicet materiale et spiritnale, ideo de hujus templi duplicis dedicatione hic breviter est agendum. Circa dedicationem autem templi materialis tria videnda sunt; primo quare dedicatur sive consecratur, secundo qualiter consecratur, tertio per quos profanatur. Et quia in templo duo sunt, quae consecrantur, scilicet altare et ipsum templum, ideo primum videndum est, quare consecratur altare, secundo quare templum. Altare autem consecratur ad tria, primo ad sacramentum domini offerendum, Genes. VIII: aedificavit Noe altare domino et tollens de cunctis volucribus et pecoribus mundis obtulit super altare. Hoc autem sacramentum est corpus et sanguis Christi, quae in memoriam passionis dominicae immolamus, juxta quod nobis praecepit dicens: hoc facies in meam commemorationem. Habemus enim triplex memoriale dominicae passionis, unum in scripto, scilicet passio Christi imaginibus figurata, et hoc habet fieri quantum ad visum. Ipsa enim crucifixi imago et aliae imagines in ecclesia fiunt propter rememorationem excitandam, devotionem et instructionem, quia sunt quasi libri laycorum. Secundum in verbo, scilicet passio Christi praedicata, et hoc habet fieri quantum ad auditum. Tertium in sacramento, scilicet passio in hoc sacramento tam signanter expressa, in quo corpus et sanguis Christi veraciter continetur et nobis offertur et hoc memoriale habet fieri quantum ad gustum. Si ergo affectum nostrum accendit passio Christi descripta et amplius praedicata, multo fortius inflammare debet in hoc sacramento tam signanter expressa. Secundo ad nomen domini invocandum, Genes. XII: aedificavit Abraham altare domino, qui apparuerat ei, et invocavit ibi nomen domini. Haec autem invocatio secundum apostolum prima ad Timoth II. habet fieri aut per obsecrationes, quae fiunt cum adjuratione pro malis removendis, aut per postulationes, quae fiunt pro bonis cumulandis, aut per gratiarum actiones, quae fiunt pro bonis habitis conservandis. Invocatio autem, quae fit super altare, proprie dicitur

missa eo, quod coelestis missus, scilicet Christus, a patre mittitur, qui ipsam hostiam consecrat, et per eundem a nobis patri mittitur, ut pro nobis intercedat. Unde Hugo: ipsa hostia sacra missa vocari potest, quia transmissa est; primo a patre nobis per incarnationem, secundo a nobis patri per passionem. Similiter in sacramento primo a patre nobis per sanctificationem, qua nobiscum esse incipit, postea a nobis patri per oblationem, qua pro nobis intercedit. Et nota, quod missa in tribus linguis canitur, *scilicet* graeca, hebrayca et latina, ad repraesentandum titulum *dominicae* passionis, qui scriptus erat graece, hebrayce et latine. *Item etiam* in tribus linguis canitur ad notandum, quod omnis lingua debet Deum laudare, quae per hanc triplicem linguam *intelligitur*. Latina autem sunt evangelia, epistolae, orationes et cantus, graeca sunt Kyrie eleison, Christe eleison, quae novem vicibus *cantantur*, ut ad societatem novem ordinum angelorum perveniamus, *hebrayca* sunt alleluja, amen, sabaoth et osanna. Tertio ad cantandum, Ecclesiast. XLVII: dedit illi contra inimicos potentiam et stare fecit contra altare cantores et in sono eorum fecit dulces modulos. Et dicit modulos in plurali, quia secundum Hugonem de sancto Victore tres sunt species sonorum, quae faciunt tres modulos. Fit enim sonus pulsu, flatu et cantu. Ad citharam pertinet pulsus, ad organum flatus, ad vocem cantus. Assignari potest haec consonantia sonorum concordiae morum, si referatur ad pulsum citharae manuum operatio, ad flatum organi mentis devotio, ad cantum vocis sermonis exhortatio; et infra: quid prodest dulcedo oris sine dulcedine cordis? Frangis vocem, frange et voluntatem, *servas consonantiam* vocum, serva concordiam morum, ut per *exemplum* concordes proximo, per voluntatem domino, per obedientiam magistro. Hoc igitur triplex genus musicorum refertur ad triplicem differentiam officii ecclesiae, sicut dicitur in mitrali de officio, nam ipsum officium ecclesiae consistit in psalmis, in cantu et in lectionibus. Primum igitur genus musicorum est, quod fit pulsu digitorum, ut in psalterio et in similibus, et ad illud pertinet psalmodia; Psalm.: laudate eum in psalterio et cithara. Secundum est, quod fit cantu, sicut in voce, et ad istud pertinent lectiones. Psalm.: psallite ei in vociferatione. Tertium est, quod fit flatu, sicut in tuba, et ad istud pertinet cantus, Psalm.: laudate eum in sono tubae. Templum autem seu ecclesia consecratur quintuplici ratione. Primo, ut inde dyabolus et ejus potestas expellatur. Ut

refert Gregorius in dyalogo, quod, cum quaedam ecclesia Arianorum fidelibus reddita consecraretur et reliquiae sancti Sebastiani et beatae Agathae illuc delatae fuissent, populus ibidem congregatus porcum subito intra suos pedes huc illuc discurrere senserunt, qui fores ecclesiae repetens a nullo videri potuit omnesque in admirationem commovit. Quod idcirco dominus ostendit, ut cunctis patefieret, quod de loco eodem immundus habitator exiret. Sequenti autem nocte magnus in ejusdem ecclesiae tectis strepitus factus est, ac si in hoc aliquis errando discurreret. Secunda iterum nocte gravior sonus increvit, tanto vero terrore tertia insonuit, ac si omnis illa ecclesia a fundamentis fuisset eversa. Statimque recessit nec amplius illa antiqui hostis inquietudo apparuit, sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, a loco, quem diu tenuerat, quam coactus exibat. Haec Gregorius. Secundo consecratur, ut ad eam fugientes salventur. Unde aliquae ecclesiae post dedicationem a principibus privilegiantur, ut, qui ad eam confugerint, salventur. Unde dicit canon: reos sanguinis defendet ecclesia, ne vitam perdant et membra, et ob hoc Joab in tale tabernaculum confugit et cornu altaris apprehendit. Tertio consecratur, ut ibidem orationes exaudiantur, quod signatum est III. Reg. VIII., ubi Salomon dedicato templo ait: quicunque rogaverit in loco isto, exaudies in loco habitaculi tui in coelo, et cum exaudieris, propitius eris. Adoramus autem in ipsis ecclesiis ad orientem, quod fit triplici ratione secundum Damascenum L. IV. c. V. Primo, ut patriam nostram nos requirere ostendamus, secundo, ut ad Christum crucifixum respiciamus, tertio, ut venientem judicem nos exspectare monstremus. Ait enim sic: Deus paradisum in Edem ad orientem plantavit, unde hominem egressum exsulem fecit et ante paradisum ex occidente habitare fecit. Antiquam igitur patriam exquirentes et ad ipsam adspicientes Deum ad orientem adoramus. Sed et dominus crucifixus ad occidentem respiciebat et ita adoramus ad ipsum respicientes et assumtus ad orientem sursum ferebatur et ita ipsum apostoli adoraverunt et ita veniet, quomodo viderunt euntem in coelum. Ipsum igitur exspectantes ad orientem adoramus. Haec Damascenus. Quarto consecratur, ut ibidem laudes Deo reddantur. Quod quidem fit in septem horis canonicis sive matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera et completorio. Et licet in qualibet hora diei Deus esset laudandus, tamen, quia ad hoc infirmitas nostra non sufficit, ordinatum est, ut his horis

specialiter Deum laudemus eo, quod hae horae ab aliis privilegiatae sunt in aliquibus. Nam in nocte media, qua matutinae celebrantur, Christus natus est, captus et illusus a Judaeis fuit. In hac iterum hora infernum spoliavit. Dicitur enim in mitrali, quod in media nocte infernum spoliavit large accipiendo. Scilicet ante lucem mane surrexit, hora prima apparuit; in media etiam nocte ad judicium venturus asseritur. Unde Hieronymus: reor, inquit, traditionem apostolicam permansisse, ut die vigiliarum paschae ante noctis medium dimittere non liceat populos exspectantes adventum Christi, et postquam advenerit illud tempus, securitate praesumta festum cunctos agere diem. In hac igitur hora laudes Deo cantamus; ut ei de ejus nativitate, captione et patrum liberatione gratias agamus et ejus adventum solliciti exspectemus. Addantur etiam matutinales laudes, quia in mane Aegyptios in mare submersit, mundum creavit et resurrexit. In hac ergo hora laudes Deo *reddimus*, ne in mari hujus mundi cum Aegyptiis demergamur, ut pro nostra creatione et ejus resurrectione gratias Deo reddamus. In hora prima Christus ad templum maxime conveniebat et populus ibidem ad eum manicabat, id est, ad eum mane festinabat, ut dicitur Luc. XXI, Pylato praesentatus fuit. In hac etiam hora resurgens mulieribus primo apparuit. Haec est etiam prima hora diei. Ideo ergo in hac hora in ecclesia Deo laudes exsolvimus, ut Christum imitemur et sibi resurgenti et apparenti gratias agamus, et ut Deo tamquam omnium principio ipsius diei primitias solvamus. In hora tertia Christus linguis Judaeorum crucifixus est, a Pylato ad columnam flagellatus est et adhuc, ut dicitur in hystoriis, columna, ubi ligatus fuit, vestigia cruoris ostendit et hac eadem hora spiritus sanctus missus est. In sexta in cruce clavis confixus est, tenebrae per universum mundum factae sunt, ut in morte domini sui sol lugens se vestibus nigris contegeret et ne dominum crucifigentibus lumen praeberet. Et in hac hora in die ascensionis cum discipulis discubuit. In nona hora Christus spiritum emisit, miles latus ejus aperuit, coetus apostolorum ad orandum convenire consuerit et Christus in coelum adscendit. Propter has praerogativas Deum in his horis laudamus. In vespera Christus in coena sacramentum corporis et sanguinis instituit, pedes discipulorum lavit, de cruce depositus in sepulchro collocatus fuit, discipulis in habitu peregrini se manifestavit, et pro his omnibus in hac hora ecclesia Christo gratias agit. In completorio Christus sanguineas guttas sudavit, monumento

ejus custodia deputata fuit et ibidem quievit, resurgens pacem discipulis nuntiavit, et pro his gratias Deo reddimus. Has autem laudes qualiter Deo exsolvere debeamus, dicit Bernardus: fratres mei, immolantes hostiam laudis jungamus verbis sensum, sensui affectum, affectui exsultationem, exsultationi maturitatem, maturitati humilitatem, humilitati libertatem. Quinto consecratur, ut ibidem sacramenta ecclesiastica ministrentur. Unde ipsa ecclesia efficitur quasi ipsa taberna Dei, in qua sacramenta continentur et ministrantur. Quaedam enim ministrantur et dantur intrantibus, ut baptismus; quaedam exeuntibus, scilicet extrema unctio; quaedam commorantibus, et horum quidam sunt ministrantes, his datur ordo; quidam pugnantes, et horum quidam pugnae succumbunt, his datur poenitentia; quidam insistunt, et his confertur audacia animi, ut roborentur, et hoc per confirmationem; datur cibus, ut sustententur, et hoc per eucharistiae sumtionem; fit remotio impedimenti, ne dejiciantur, et hoc per matrimonii conjunctionem. Secundo videndum est, qualiter consecratur, sed primo de altari, secundo de ecclesia. Ad consecrationem autem altaris plura concurrunt. Primo enim quatuor cruces de aqua benedicta in quatuor cornibus altaris configurantur, secundo ipsum septies circuitur, tertio aqua benedicta cum ysopo septies adspergitur, quarto incensum in ipso crematur, quinto chrismate inungitur, sexto mundis pannis operitur. Haec autem repraesentant ea, quae debent habere illi, qui ad altare accedunt. Debent enim primo habere caritatem quadruplicem per crucem acquisitam, ut scilicet diligant Deum, se ipsos, amicos et inimicos. Et haec signantur per quatuor cruces in quatuor cornibus altaris factas. Et de his quatuor cornibus caritatis dicitur in Genes. XXVIII: dilataberis ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem. Vel ideo quatuor cruces in quatuor cornibus fiunt ad significandum, quod Christus per crucem quatuor mundi partes salvavit. Vel ideo ad significandum, quod crucem domini quatuor modis debemus portare, scilicet in corde per meditationem, in ore per confessionem, in corpore per mortificationem, in facie per assiduam impressionem. Secundo debent habere curam et vigilantiam; quod significatur per circuitus. Unde tunc cantatur: invenerunt me vigiles etc. Debent enim solliciti vigilare super gregem suum. Unde negligentiam praelati ponit Gilbertus inter ridiculosa dicens: ridiculosa an magis periculosa res est speculator coecus, praecursor claudus, negligens praelatus, doctor nescius,

praeco mutus. Vel per septem circuitus circa altare significantur septem meditationes et considerationes, quas circa septemplicem virtutem humilitatis Christi habere debemus et per ipsas frequenter circuire. Prima virtus est, quod, cum dives esset, factus est pauper; secunda, quod in praesepio positus; tertia, quod parentibus subditus; quarta, quod sub manu servi caput inclinavit; quinta, quod discipulum furem et proditorem sustinuit; sexta, quod ante iniquum judicem mansuetus tacuit; septima, quod pro crucifixoribus clementer oravit. Vel per septem illos circuitus significantur septem viae Christi. Prima fuit de coelo in uterum, secunda *de utero* in praesepium, tertia de praesepio in mundum, quarta de mundo in patibulum, quinta de patibulo in sepulchrum, sexta de sepulchro in limbum, septima de limbo resurgens in coelum. *Tertio* debent habere dominicae passionis memoriam; quod significatur *per aspersionem* aquae. Septem enim aquae aspersiones sunt *septem sanguinis* Christi effusiones, quarum prima fluxit in *circumcisione*, secunda in oratione, tertia in corporis flagellatione, quarta in capitis coronatione, quinta in manuum perforatione, sexta in pedum affixione, septima in lateris apertione. Hae autem sanguinis aspersiones factae fuerunt cum ysopo humilitatis et inaestimabilis caritatis. Ysopus enim est herba humilis et calida. Vel ideo septies adspergitur ad significandum, quod in baptismo septem dona spiritus sancti dantur. Quarto debent habere orationem ferventem et devotam, quod significatur per concremationem thuris. Thus enim habet virtutem ascendendi ex fumi levitate, consolidandi ex sua qualitate, constringendi ex conglutinitate, confortandi ex aromaticitate. Sic oratio adscendit in Dei memoriam; animam *consolidat*, quantum ad culpam praeteritam, impetrando medelam; constringit, quantum ad futuram, impetrando cautelam; confortat, quantum ad praesentem, impetrando tutelam. Vel potest dici, quod devota *oratio* per thus significatur, quia habet ad Deum ascendere, Eccles. XXXV: oratio humiliantis se nubes penetrat; odorem Deo reddere, Apocal. V: habentes singuli citharas et phialas suas plenas odoramentorum etc; ex corde inflammato procedere, Apocal. VIII: data sunt illi incensa multa etc., et infra: accepit angelus thuribulum et implevit illud de igne al. etc. Quinto debent habere nitorem conscientiae et odorem bonae famae, quod significatur per chrisma, quod conficitur ex oleo et balsamo. Debent enim habere puram conscientiam, ut possint dicere cum apostolo: gloria nostra haec est

testimonium conscientiae nostrae; bonam famam, I. Timoth. III: oportet illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. Chrysostomus: clerici nullam debent habere maculam nec in verbo nec in cogitatu nec in facto nec in opinione, quia ipsi sunt pulchritudo et virtus ecclesiae; et si mali fuerint, totam deturpant ecclesiam. Sexto debent habere munditiam operationis bonae. Quod significatur per pannos albos et mundos, quibus altare operitur. Usus enim vestimentorum inventus est ad tegendum, calefaciendum et ornandum. Sic bona opera tegunt animae nuditatem, Apocal. III: vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae. Ornant animam ad honestatem, Roman. XIII: induamur arma lucis etc. Calefaciunt inflammando ad caritatem, Job. XXXVII: nonne vestimenta tua calida sunt etc.? Modicum enim valeret accedenti ad altare, si haberet dignitatem summam et vitam infimam, Bernard.: monstruosa res est sedes prima et vita ima, gradus supremus et status infimus, vultus gravis, actus levis, sermo multus, fructus nullus, ingens auctoritas et animi instabilitas. Secundo videndum est, qualiter ecclesia consecratur, et ad hoc plura concurrunt. Episcopus enim ipsam ecclesiam ter circuit et qualibet vice veniens ad ecclesiam januam percutit baculo pastorali dicens: aperite portas principes vestras etc. Interius et exterius aqua benedicta ipsa ecclesia irrigatur, in pavimento fit crux de cinere et sabulo ex transverso angulo orientis usque ad angulum occidentis et ibi litteris graecis ac latinis scribitur alphabetum, in parietibus ecclesiae cruces depinguntur et ipsae cruces illuminantur et chrismate inunguntur. Primum ergo, scilicet triplex circuitus, signat triplicem circuitum, quem fecit Christus propter ipsius ecclesiae sanctificationem. Primus fuit, quod de coelo venit in mundum, secundus, quod de mundo descendit ad limbum, tertius, quod de limbo rediens et resurgens ascendit in coelum. Vel triplex circuitus fit ad ostendendum, quod illa ecclesia consecratur ad honorem trinitatis. Vel triplex circuitus signat triplicem statum salvandorum de ecclesia, qui sunt virgines continentes et conjugati. Haec etiam designantur in dispositione materialis ecclesiae, sicut ostendit Richardus de sancto Victore. Nam sanctuarium signat ordinem virginum, chorus ordinem continentium, corpus conjugatorum. Strictius est sanctuarium quam chorus et chorus quam corpus, quia pauciores sunt virgines quam continentes et continentes quam conjugati. Sanctior est etiam

locus sanctuarii quam chorus et chorus quam corpus, quia dignior est ordo virginum quam continentium et continentium quam conjugatorum. Haec Richardus. Secundum, scilicet trina ad ostium percussio, signat triplex jus, quod habet Christus in ecclesia, quare sibi debet aperiri. Est enim sua creatione, redemtione et glorificationis permissione. De hoc triplici jure dicit Anselmus: certe, domine, quia me fecisti, debeo amori tuo me ipsum totum, quia me redemisti, debeo amori tuo me ipsum totum, quia tanta promittis, debeo me ipsum totum, imo tamen debeo amori tuo plus quam me ipsum, quantum tu es major me ipso, pro quo dedisti te ipsum et cui promittis te ipsum. Trina autem proclamatio: attollite portas principes vestras, significat trinam ejus potentiam, scilicet in coelo, in mundo et in inferno. Tertio interius et exterius aqua benedicta aspergitur, quod fit triplici de causa. Primo propter daemonis expulsionem. Aqua enim benedicta habet propriam virtutem expellendi ipsum dyabolum. Unde in exorcismo aquae dicitur: ut sis aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici et ipsum inimicum eradicare etc. Ista autem aqua benedicta fit ex quatuor, scilicet ex aqua, vino, sale et cinere, quia videlicet quatuor sunt, quae maxime inimicum expellunt, scilicet lacrymarum effusio, quae per aquam, spiritualis exsultatio, quae per vinum, matura discretio, quae per sal et profunda humiliatio, quae per cinerem designatur. Secundo propter ipsius ecclesiae expiationem; omnia enim terrena haec propter peccatum corrupta sunt et foedata, et ideo locus ipse aqua benedicta aspergitur, ut ab omni foeditate et immunditia liberetur, purgetur, expietur. Hinc est etiam, quod in lege omnia paene per aquam mundabantur. Tertio propter omnem removendam maledictionem. Terra enim a principio cum fructu suo maledictionem accepit ex eo, quod ex ejus fructu deceptio facta fuit, aqua vero nulli maledictioni subjacuit. Hinc est, quod dominus comedit piscem, sed non legitur comedisse carnem nominatim, nisi forte de agno paschali propter praeceptum legis, in exemplum scilicet abstinendi aliquando a licitis et aliquando eadem comedendi. Ut ergo omnis maledictio removeatur et benedictio introducatur, ideo aqua benedicta adspergitur. Quarto in pavimento alphabetum scribitur, quod quidem repraesentat conjunctionem utriusque populi, scilicet gentilis et Judaei, vel paginam utriusque testamenti vel articulos nostrae fidei. Illud enim alphabetum ex litteris graecis et latinis in cruce factis

repraesentat unionem in fide populi gentilis et Judaei per crucem Christi factam. Unde et illa crux ex transverso angulo orientis usque ad angulum occidentis ducitur, ad significandum, quod ille, qui prius erat dexter, factus est sinister, et qui erat in capite, factus est in cauda, et e converso. Secundo repraesentat paginam utriusque testamenti, quod per crucem Christi adimpletum est. Unde moriens dixit: consummatum est. Et crux ex transverso ducitur, quia unum testamentum in alio continetur, quia rota erat in rota. Tertio repraesentat articulos fidei, ecclesiae enim pavimentum est nostrae fidei fundamentum, elementa, quae inscribuntur, sunt articuli fidei, quibus rudes et neophyti de utroque populo in ecclesia erudiuntur, qui se pulverem et cinerem reputare debent juxta illud, quod dixit Abraham Genes. XVIII: loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Quinto cruces in ecclesia depinguntur, quod quidem fit triplici ratione. Primo propter daemonum terrorem, ut scilicet daemones, qui inde expulsi sunt, videntes signum crucis terreantur et illuc ingredi non praesumant. Timent enim valde signum crucis, unde Chrysostomus: ubicumque daemones signum dominicum viderint, fugiunt timentes baculum, quo plagam acceperunt. Secundo propter triumphi ostensionem: cruces enim sunt vexilla Christi et signa ejus triumphi, unde, ut ostendatur, quod locus ille Christi dominio subjugatus est, ideo ibidem cruces depinguntur. Nam et apud imperialem magnificentiam observatur, ut, quando aliqua civitas ei traditur, imperiale vexillum in ea erigitur. In hujus figuratione dicitur Genes. XXVIII, quod Jacob lapidem, quem supposuerat capiti suo, erexit in titulum, videlicet in titulum praeconialem, memorialem et triumphalem. Tertio propter apostolorum repraesentationem, nam illa XII luminaria ante cruces posita significant XII apostolos, qui per fidem crucifixi totum mundum illuminaverunt. Hac igitur cruces illuminantur et chrismate unguntur, quoniam et apostoli fide passionis Christi totum mundum illuminaverunt ad cognitionem, inflammaverunt ad amorem, unxerunt ad conscientiae nitorem, quod per oleum, et ad bonae vitae odorem, quod per balsamum intelligitur. De tertio, scilicet per quos profanatur, sciendum, quod ipsam domum Dei per tres profanatam legimus, scilicet per Jerobeam, per Nabuzardam et per Antiochum. Jerobeam enim, sicut legitur III Reg. XII, duos vitulos fecit ponens unum in Dan et alium in Bethel, quae dicitur domus Dei; et hoc propter avaritiam fecit,

ne scilicet regnum ad Roboam rediret. Per hoc significatur, quod avaritia clericorum multum ecclesiam Dei contaminat, quae in ipsis clericis multum regnat, Jerem. IV: a minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur, Bernardus: quem dabis mihi de numero praelatorum, qui non magis invigilet subditorum evacuandis marsupiis quam vitiis exstirpandis? Vituli sunt nepotuli, quos in Bethel, id est domo Dei, ponunt. Ecclesia etiam per Jerobeam profanatur, si ex avaritia usurariorum vel raptorum aedificatur. Unde legitur, quod, cum quidam usurarius ecclesiam quandam de rapinis et usuris construxisset, episcopum ad ejus dedicationem multis precibus invitavit. Cum igitur episcopus cum suo clero officium consecrationis ageret, vidit post altare dyabolum stantem in cathedra in habitu episcopali. Qui dixit episcopo; quare ecclesiam meam consecras, cessa jam, quia ad me ejus jurisdictio pertinet, quia de usuris et rapinis aedificata est. *Cum ergo episcopus* inde cum clericis territus fugeret, dyabolus *continuo* ipsam ecclesiam cum grandi strepitu destruxit. Nabuzardam autem similiter, ut legitur IV. Reg. XXV, domum Dei combussit. Nabuzardam autem princeps coquorum significat illos, qui gulae et luxuriae dediti sunt, qui de ventre suo Deum suum fecerunt, secundum quod dicit apostolus: quorum Deus venter est etc. Qualiter autem venter Deus dicatur, ostendit Hugo de sancto Victore in suo claustrali dicens: solent Diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolare pecudes carnes coctae, fumus incensorum odor saporum. Rex Antiochus, qui fuit superbissimus et *ambitiosus*, domum Dei polluit et profanavit, sicut legitur I. *Macc. I*: per quem significatur, quod superbia et ambitio, quae vigent in clericis, qui non appetunt prodesse, sed praeesse, multum ecclesiam Dei contaminat. De quorum superba ambitione dicit Bernardus: honorati incedunt de bonis domini, cui tamen domino honorem non deferunt, inde his, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus, aurum in frenis et sellis et calcaribus, plus calcaria quam altaria fulgent, et sicut per tres profanata exstitit, ita per alios tres dedicata et consecrata fuit. Dedicationem enim primo fecit Moyses, secundo Salomon, tertio Judas Maccabaeus; per quod insinuatur, quod in dedicatione ecclesiae debemus habere

humilitatem, quae fuit in Moyse, sapientiam et discretionem, quae fuerunt in Salomone, verae fidei commissionem, quae in Juda designatur. Secundo videndum est de consecratione sive dedicatione templi spiritualis, quod templum sumus nos, scilicet congregatio omnium fidelium, quod construitur ex lapidibus vivis, I. Petr. II: tanquam lapides vivi superaedificati etc.; ex lapidibus politis, unde cantatur: tunsionibus pressuris expoliti lapides etc.; ex lapidibus quadris, quatuor enim latera lapidis spiritualis sunt fides, spes, caritas et operatio, quae aequalia sunt, quia, ut dicit Gregorius, quantum credis, tantum speras, quantum credis et speras, tantum diligis, quantum credis, speras et diligis, tantum operaris. In hoc quidem templo altare est cor nostrum, super quod altare tria debent Deo offerri. Primum est ignis dilectionis perpetuae, Levit. VI: ignis scilicet dilectionis erit perpetuus et nunquam deficit in altari scilicet cordis; secundum incensum orationis odoriferae, I. Paral. VI: Aaron et filii ejus adolebunt incensum super altare holocaustomatis et thymiamatis. Tertium est sacrificium justitiae, quod sacrificium consistit in oblatione poenitentiae et in holocausto dilectionis perfectae, et in vitulo carnis mortificatae; de his Psalm.: tunc acceptabis sacrificium justitiae oblationes et holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos. Templum autem spirituale, quod sumus nos, ad similitudinem templi materialis consecratur. Primo enim summus pontifex, scilicet Christus, ostium cordis clausum inveniens ter circuit, dum peccatum oris, cordis et operis ad memoriam ejus reducit. De hoc triplici circuitu dicitur Ysaias XXIII; sume citharam, quo ad primum, circui civitatem cordis, scilicet quo ad secundum, meretrix oblivioni tradita, quo ad tertium. Secundo ipsum ostium cordis clausum ter percutit, ut sibi aperiatur. Percutit enim ipsum cor ictu beneficii, consilii et flagelli. De qua triplici percussione dicitur Proverb. I quantum ad malos, extendi manum meam etc. Hoc quantum ad collata beneficia; despexistis omne consilium meum, hoc quantum ad inspirata consilia; et increpationes meas neglexistis, hoc quantum ad illata flagella. Vel ter percutit, dum rationalem movet ad peccati cognitionem, concupiscibilem ad dolorem, irascibilem ad peccati vindictam et detestationem. Tertio ipsum templum spirituale ter aqua intus et extra debet irrigari. Haec autem trina irrigatio est trina lacrymarum interiorum vel aliquando exteriorum effusio. Mens enim

sancti viri, ut dicit Gregorius, dolore afficitur considerando, ubi fuit, ubi erit, ubi est et ubi non est. Ubi fuit, inquit: in peccato; ubi erit: in judicio; ubi est: in miseria; ubi non est: in gloria. Quando ergo interiores vel exteriores lacrymas fundit, considerando scilicet, quia fuit in peccato, et de ipso rationem reddet in judicio, tunc istud templum jam semel aqua aspergitur. Quando autem pro miseria, in qua est, ad fletum compungitur, tunc secundo irrigatur. Quando pro gloria, in qua non est, lacrymas fundit, tunc tertiam aquam spargit. Huic autem aquae admiscentur vinum, sal et cineres, quia cum his lacrymis debemus habere vinum *spiritualis* exsultationis, sal maturae discretionis et cineres profundae humiliationis. Vel per vinum lymphatum intelligitur humilitas Christi, quam habuit in carnis susceptione. Vinum enim lymphatum est verbum humanatum, per sal intelligitur sanctitas *suae vitae*, quae est omnibus condimentum religionis. Per cinerem *intelligitur* ejus passio. His igitur tribus cor nostrum debemus *aspergere*, scilicet beneficio incarnationis, per quod provocemur ad humilitatem, exemplo suae conversationis, per quod informemur ad sanctitatem, et memoria passionis, per quod incitemur ad caritatem. Quarto scribitur in hoc templo cordis spirituale alphabetum, id est spiritualis scriptura. Haec autem scriptura, quae ibi scribitur, triplex est, scilicet dictamina faciendorum, testimonia divinorum beneficiorum, accusatio propriorum delictorum. De his tribus Rom. II: cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ecce primum testimonium reddente illis conscientia ipsorum, ecce *secundum* et inter invicem se cogitationem accusantium vel etiam defendentium, ecce tertium. Quinto debent pingi cruces, id est assumi poenitentiae austeritates, scilicet quae quidem debent inungi et igne illustrari, quia non solum ferendae sunt patienter, sed etiam libenter, quod significatur per unctionem, et ardenter, quod significatur per ignem. Unde Bernardus: qui moratur in timore, crucem Christi portat patienter, qui proficit in spe, portat libenter, sed qui consummatur in caritate, amplectitur jam ardenter. Item: multi vident cruces nostras, sed non vident unctiones nostras. Qui ergo in se haec habebit, vere templum ad honorem Dei dedicatum erit. Dignus plane, in quo Christus habitet per gratiam, ut tan-

dem in eo habitare dignetur per gloriam. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. [1]) Amen.

[2])Explicit Legenda aurea sive Lombardica historia Jacobi de Voragine ordinis praedicatorum episcopi Januensis.

---

1) Hoc verbum omittit Ed. Pr. 2) Desunt haec in Ed. Pr.

SEQUUNTUR QUAEDAM LEGENDAE A QUIBUSDAM ALIIS SUPERADDITAE.

CAP. CLXXXIII. (178.)

De decem millibus martirum.

Passio et memoria decem millium martirum veneratur et colitur X calendas Julias. Qui omnes una die pro Christi nomine passi sunt sub Hedriano imperatore aliisque VI regibus, qui venerunt in adjutorium. Hi sancti martires, cum ab imperatore ad sacrificandum ydolis compellerentur, dixerunt: sacrificium vivum et immaculatum offerimus nosmet ipsos domino nostro Jesu Christo, qui pro humano genere nasci dignatus est et descendere de coelis, multis malis affligi, et ad ultimum voluit etiam pro nobis crucifigi, quem tu, miser, ignoras. Tunc iratus imperator jussit eos diu torqueri et ad ultimum crucifigi et omnia tormenta, quae passus est dominus noster Jesus Christus, forti animo et fide firmissima pro domino sustinuerunt. Locus igitur, ubi passi sunt beati martires, mons est magnus et vocatur 1) Arrabe et distat ab Alexandria civitate CCCCC quasi stadiis. A quibus autem passi sunt, fuerunt exercitus regum, qui illi venerant in adjutorium, XXX millia. Hora vero sexta illius diei terrae motus factus est magnus, petrae scissae sunt, sol obscuratus est et omnia signa, quae in passione domini visa fuerant, ecce ibi visa sunt. Tunc sancti martires fundentes orationem ad dominum dixerunt: domine Deus, memento nostri in hoc patibulo crucis et suscipe petitionem nostram et ea, quae a te exposcimus, nobis concedere digneris, ut quicumque memoriam nostri corde et ore cum jejunio et devotione celebraverint, mereantur a te assequi fructuosam mercedem, tribuendo iis sanitatem corporum, medicamen animae, et in domibus eorum intus et foris bonorum omnium ubertatem concede. Et si in proelio fuerint, non iis nocere praevaleant inimici visibiles et invisibiles te expugnante, sed, sicut placet tibi, armis tuis eos protege diesque unius diei nostri passionis unum poenitentiarum annum compleat observantibus se devoto corde. Et hoc, dominator domine, a te poscimus, dissipa omnem occupationem et omnem immundum spiritum omnemque infirmitatem eorum expelle, quia gloriosum et laudabile est nomen tuum per omnia saecula saeculorum. Et respondentibus omnibus amen facta est vox de coelo dicens: quae petiistis, dilectissimi mei, scitote vos impetrasse. Gaudete quoque et laetamini, quia orationes vestrae coram Christo et immortali rege veraciter sunt exauditae. Et his dictis in confessione emiserunt spiritum veraciter percepturi praemia regni coelorum.

---

1) Alii: Ararat legunt.

CAP. CLXXXIV. (182.)
De sancto Jodoco.

Beatus Jodocus fuit Judaheli regis Britonum filius habuitque fratrem majorem natu, beatum videlicet Judahelum, qui successit patri in regno. Isti duo fratres, imo duae gemmae coelestes contemporaneae fuerunt regis Francorum Dagoberti, cum quo post graves inimicitias ad invicem pacificatus est ipse rex Britonum Judahelus et magnis ab ipso muneribus honoratus. Regressus itaque in Britanniam cogitavit regnum terrenum pro coelesti regno relinquere et vitam monachicam ducere. Fratrem suum Jodocum juniorem coram se conveniri fecit de suscipiendo regni gubernaculo, ut suum posset adimplere propositum et frui cohabitatione monachorum. Beatus autem Jodocus non minus fervens in Dei dilectione, deliberandi inducias VIII dierum vix a fratre impetravit. Interim die noctuque anxius cogitare coepit, quomodo posset effugere regnum similiter et patriam et fratris sui circa se studium declinare. Ipso igitur in monasterio quodam, ubi litteras didicerat, commorante et orationi frequentius incumbente contigit IX illuc peregrinos venire, qui causa devotionis limina apostolorum Petri et Pauli visitare desiderabant. His secreto associatus Parisios venit cum iis ac utrum ulterius cum iisdem procederet, dubitavit. Consilium tandem a spiritu sancto consecutus, qui gressus ejus in omnibus dirigebat, ab hoc itinere et a sociis itineris declinavit et ad Pontinii confinia, quae antiquis plena nemoribus erant et feris ac animalibus solum habitabilia, festinavit. Delectatus itaque loci illius vasta solitudine disposuit habitationem ibi facere super fluvium Alzeiam, sed a duce Heimone illius terrae domino per VII annos ab hoc proposito retardatus est. Inter quos annos litteras magis didicit et sacros ordines suscepit. Tandem sacerdos effectus jam dicti ducis filium, qui eum in maxima veneratione habebat, de sacro fonte suscepit. Elapso septennio ad vitam solitariam transiens in loco Alzeiae fluminis rivulis undique circumdato ibidem ecclesia et domuncula aedificatis praeter ea, quae per eum dominus operatus est miracula. Hic est considerandum, quod volucres et pisces diversi generis ad sacram ejus manum palpabiles receptis ab eo alimentis veniebant et recedebant quasi domestici. Quadam die, dum ad victum quotidianum non haberet nisi panem modicum, sibi et discipulo suo dominus in specie pauperis venit elemosinam petens. Vir Dei Jodocus panem dividi jussit in quatuor partes et pauperi petenti unam partem de quatuor erogari. Vix egressus erat et ecce dominus revertitur in forma egeni deficientis inedia, et secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni. Nec mora, regressus quasi esuriens et deficiens fame, donata est ei etiam pars panis tertia. Consequenter visus est dominus in altera pauperis effigie rogaturus elemosinam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Viro itaque domini Jodoco et hunc erogare jubente ejus minister: visne, ait, ut nobis aliquid remaneat? Nolo, inquit sanctus, totum tribue esurienti, quia potens est dominus etiam hodie nostrae providere necessitati. Vix recessit dominus et interea dum consolaretur servus Dei discipulum de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visae sunt et inventae in alveo fluminis quatuor naviculae onustae victualibus, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo illae devenerint, postquam fuerunt victualibus exoneratae, usque in hodiernum diem ignoratur. Haec et alia, quae per eum dominus ibidem miracula demonstrare dignatus est, longe lateque patriam ad ejus visitationem ad impetranda ejus suffragia commoverunt. Cumque ibidem VIII annis elapsis populi frequentiam nequiret sustinere, ad alterius desertum domino duce processit constructoque ibi oratorio in

1) Hoc caput in nonnullis codicibus et editionibus omittitur.

honore beati Martini et mansiuncula, ibidem plurimas ab hoste antiquo passus est insidias per XIV annos, quibus illic est commoratus. Eo in loco signo crucis facto propria manu aquilam de sublimi prostravit, quae gallum suum abstulit et XI gallinas sigillatim gallumque suum incolumem suscepit. Non longe post dyabolus in horribilem mutatus colubrum graviter ipsum momordit in pede. Qua laesione per sanctum edoctus spiritum, ut ad alium locum transiret, adjuncto sibi duce Heimone vastam circuibat eremum, ut inveniret habitationis locum. Inquirendo autem cum ibidem gravi dux torqueretur sitis inopia, prae lassitudine et siti obdormivit. Interim servus Dei Jodocus orationi incubuit surgensque baculo, quo innitebatur, terrae infixo sicut alter Moyses aquam produxit et fontem inde largiter effluentem. Quo exhilarati dux et ejus familia suae sitis exstinxerunt ardorem et transeuntibus adhuc aquam administrat sufficientem. Progressus inde versus mare in umbrosa valle clivum adscendit perparvum. Quo delectatus: haec est, inquit, cathedra, haec requies mea in saeculum. Duce itaque reverso ad propria vir Dei propria manu duo ibidem construxit oratoria, unum Petro apostolorum principi, alterum Paulo gentium doctori. Profectus est etiam postmodum Romam vocatus a beatissimo Martino tunc Romanae sedis antistite. Quia multo tempore concupierat videre eum et a sanctissimo ejus colloquio sanari, receptus est ab eo cum honore debito et tractatus. Ibidem a spiritu sancto doctus est, quem in omnibus custodem et magistrum habuit, ut ad eremum suam reverteretur, quam in *terris sibi elegit* habitationem, inde in brevi exiturus et transmigraturus ad *consortium angelorum*. Post sacra et multa de aeternitate colloquia et mutua *orationum suffragia* inter ipsum et summum pontificem habita pretiosissimis a domino papa sibi collatis sanctorum reliquiis reversus est cum totius patriae gaudio ad Pontinii confinia, ubi in monte habitationis suae, in qua modo requiescit corpus sancti Jodoci, proposito parentum consilio adducta est sibi puella absque oculis nata, quae, sicut docta fuerat in visione, faciem et loca, ubi oculi debebant esse, lavit de aqua illa, qua vir sanctus manus abluerat, et mox receptis oculis clare coepit videre. Duce itaque Heimone praesente cum innumera Dei plebisque turba in occursum beati Jodoci congregata sanctissimis, quas attulerat, reliquiis cum omni, qua decuit, veneratione repositis in nova beati Martini ecclesia, in qua nunc sacrum corpus ejus requiescit, tunc de novo facta lapidea a praefato duce, ipse vir beatus praeparavit se ad divina mysteria celebranda casula indutus ad modum nivis alba. Qui cum adstaret altari III Idus Junii et ministraret cum devotione maxima, divina manus apparuit super eum visibiliter inter sacrosancta missarum sollemnia suumque sacerdotem. Ei locum illum assignavit et confirmavit benedictione perpetua cum promissione tali et voce *mirabili* coelitus subsecuta: quia contemsisti divitias terrenas et refutasti paterni *regni* culmina et elegisti pauper esse et latere abjectus in terra ista *deserta*, praeparavi tibi coronam inter agmina angelorum eroque luci hujus, in quo resolveris, defensor ac jugis custodia, universique hunc locum visitaturi in perpetuum cum devotione et pura cordis intentione pro tui nominis memoria divina in terris gratia non defraudabuntur et post ad gaudia pervenient sempiterna. Sequenti itaque tempore beatus Jodocus in carne praeter carnem vivendo non homo, sed angelus videbatur. Idus Decembris obdormivit in domino ipso domino praesente et angelorum obsequiis; domini praesentiam ostendit intolerabilis claritas splendoris et incomparabilis dulcedo divini odoris. Corpus etiam ejus, quia virgo fuerat et immunis a carnalis commixtionis contagio, ita sanum permansit et integrum usque ad annos XL in tumulo, ac si spiritus vitae foret in eo, et a custodibus corporis sibi ungues manuum et pedum et capilli capitis et barbae, quasi viveret, excrescentes incidebantur et radebantur omni sabbato, quoadusque successor Heimonis minus reverenter et praesumtiose immemor scripturae dicentis: non tentabis domini sacrarium, violenter irrupit cum satellitibus suis et intravit, ubi repositum erat corpus sanctissimum, visoque miraculo statim caecitate percussus versus est in amentiam exclamans: ha ha sancte Jodoce, surdus permansit et mutus, quoadusque diem clausit extremum.

Prolixitatem autem miraculorum, quae per ipsum dominus exhibere dignatus est suis fidelibus, in nostris temporibus vidimus, sicut de pluribus a morte resuscitatis vel suspendio vel alio mortis genere defunctis sive in aqua suffocatis, sive etiam ipsius beneficia quo ad multiplicationem bonorum temporalium nec calamo scribere nec sermone enarrare sufficimus. Cujusdam devoti sibi filium in cunabulis jacentem, cum esset incendium undique in domo circa, puerum beatus Jodocus miraculose conservavit, pannis, quibus involutus fuit, et ipsis cunabulis, cum puer levatus esset, in favillam et cinerem penitus resolutis, ut omnibus pateret, quod edacitas flammae, quae lignorum ac lapidum potuit duritiam consumere, tenerum infantem beati Jodoci custodiae traditum non licuit laedere. Qui postmodum filius in monasterio sancti Jodoci monachus factus est. Quot surdos, claudos, paraliticos et alios infirmos curavit, non est numero colligere. Unde est, quod de regio fastigio sibi voluit post mortem retinere, ne in loco, ubi sacrum ejus corpus requiescit, alius ardeat liquor nisi liquor cerae. Quod in infortunio suo experti sunt tres monachi, qui in ecclesia, ubi corpus ejus fuit delatum, de sevo lucernas tentaverunt accendere nec aliquatenus potuerunt. Contigit autem in signum temeritatis suae duos ipsorum in continenti decedere, tertium vero oris contractione puniri, ac ita permansit omnibus diebus vitae suae. Sunt autem hae festivitates beati Jodoci. Prima videlicet in die beati Barnabae, quando infra missarum sollemnia manus domini super eum apparuit. Quod etiam miraculum saepius per alios sanctos ostensum virtus divina ad veritatem illius veri et sanctissimi sacrificii comprobandam in cordibus fragilium misericorditer demonstravit. Secunda est in die sancti Jacobi apostoli fratris sancti Johannis evangelistae de inventione sacri corporis ejus. Tertia est de morte ejus in die sanctae Luciae virginis.

CAP. CLXXXV. (183.)

De sancto Othmaro.

Othmarus in provincia Alemanniae natus atque nutritus est. Dum esset puer, a fratre suo in curiam perducitur et litteris imbuitur. Virtutibus tamen plus vel aeque ut scientiae studuit, juxta illud Sapientiae: quae in juventute non congregasti, quomodo invenies ea in senectute? Victori comiti ejusdem regionis factus adolescens servivit. Per cujus providentiam ac dilectionem integram ad ipsum, quia vidit in eo indolem bonam, ad sacerdotium promovetur titulo sancti Florini. Cogente praefato comite praelatus ibi positus est propter suam religionem, scientiam, famam volantem de munditia vitae suae. Waltramus, qui ex jure hereditario dominus fuit eremi illius, in quo beatus Gallus cellam sibi construxerat, obtinuit a praefato comite, ut Othmarus praeesset illi cellae in omnibus, quae ad ipsum pertinere videbantur. Insuper duxit eum ad Pipinum regem, ut auctoritate regia concedente ipsum ejusdem loci abbatem confirmaret. Cujus petitioni tanquam justus rex consensum praebuit et per manum regis Othmaro confirmato in abbatem Waltramus omnia bona sua seu possessiones libere et integraliter resignavit. Mandavit itaque rex ac proprio ore jussit ibidem vitam instituere regularem. Rediens igitur Othmarus locum reformavit et infra annos paucos tam in possessionibus quam in religione valde dives effectus est et in aedificiis pluribus confirmatus. Beatus igitur Othmarus abbas, cum vidisset possessiones temporales suo monasterio ex Dei bonitate accrescere in immensum, timens suae personae virtutum incrementa decrescere a se ipso incepit et parsimoniae vehementius insistebat, ita ut etiam in praecipuis jeju-

sancti viri, ut dicit Gregorius, dolore afficitur considerando, ubi fuit, ubi erit, ubi est et ubi non est. Ubi fuit, inquit: in peccato; ubi erit: in judicio; ubi est: in miseria; ubi non est: in gloria. Quando ergo interiores vel exteriores lacrymas fundit, considerando scilicet, quia fuit in peccato, et de ipso rationem reddet in judicio, tunc istud templum jam semel aqua aspergitur. Quando autem pro miseria, in qua est, ad fletum compungitur, tunc secundo irrigatur. Quando pro gloria, in qua non est, lacrymas fundit, tunc tertiam aquam spargit. Huic autem aquae admisceatur vinum, sal et cineres, quia cum his lacrymis debemus habere vinum spiritualis exsultationis, sal maturae discretionis et cineres profundae humiliationis. Vel per vinum lymphatum intelligitur humilitas Christi, quam habuit in carnis susceptione. Vinum enim lymphatum est verbum humanatum, per sal intelligitur sanctitas suae vitae, quae est omnibus condimentum religionis. Per cinerem intelligitur ejus passio. His igitur tribus cor nostrum debemus aspergere, scilicet beneficio incarnationis, per quod provocemur ad humilitatem, exemplo suae conversationis, per quod informemur ad sanctitatem, et memoria passionis, per quod incitemur ad caritatem. Quarto scribitur in hoc templo cordis spirituale alphabetum, id est spiritualis scriptura. Haec autem scriptura, quae ibi scribitur, triplex est, scilicet dictamina faciendorum, testimonia divinorum beneficiorum, accusatio propriorum delictorum. De his tribus Rom. II: cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ecce primum testimonium reddente illis conscientia ipsorum, ecce secundum et inter invicem se cogitationem accusantium vel etiam defendentium, ecce tertium. Quinto debent pingi cruces, id est assumi poenitentiae austeritates, scilicet quae quidem debent inungi et igne illustrari, quia non solum ferendae sunt patienter, sed etiam libenter, quod significatur per unctionem, et ardenter, quod significatur per ignem. Unde Bernardus: qui moratur in timore, crucem Christi portat patienter, qui proficit in spe, portat libenter, sed qui consummatur in caritate, amplectitur jam ardenter. Item: multi vident cruces nostras, sed non vident unctiones nostras. Qui ergo in se haec habebit, vere templum ad honorem Dei dedicatum erit. Dignus plane, in quo Christus habitet per gratiam, ut tan-

dem in eo habitare dignetur per gloriam. Quod ipse nobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. [1]) Amen.

[2])Explicit Legenda aurea sive Lombardica historia Jacobi de Voragine ordinis praedicatorum episcopi Januensis.

---

1) Hoc verbum omittit Ed. Pr. 2) Desunt haec in Ed. Pr.

SEQUUNTUR QUAEDAM LEGENDAE A QUIBUSDAM ALIIS SUPERADDITAE.

CAP. CLXXVIII. (178.)

De decem millibus martirum.

Passio et memoria decem millium martirum veneratur et colitur X calendas Julias. Qui omnes una die pro Christi nomine passi sunt sub Hadriano imperatore aliisque VI regibus, qui venerunt in adjutorium. Hi sancti martires, cum ab imperatore ad sacrificandum ydolis compellerentur, dixerunt: sacrificium vivum et immaculatum offerimus nosmet ipsos domino nostro Jesu Christo, qui pro humano genere nasci dignatus est et descendere de coelis, multis malis affligi, et ad ultimum voluit etiam pro nobis crucifigi, quem tu, miser, ignoras. Tunc iratus imperator jussit eos diu torqueri et ad ultimum crucifigi et omnia tormenta, quae passus est dominus noster Jesus Christus, forti animo et fide firmissima pro domino sustinuerunt. Locus igitur, ubi passi sunt beati martires, mons est magnus et vocatur 1) Arrahe et distat ab Alexandria civitate CCCCC quasi stadiis. A quibus autem passi sunt, fuerunt exercitus regum, qui illi venerant in adjutorium, XXX millia. Hora vero sexta illius diei terrae motus factus est magnus, petrae scissae sunt, sol obscuratus est et omnia signa, quae in passione domini visa fuerant, ecce ibi visa sunt. Tunc sancti martires fundentes orationem ad dominum dixerunt: domine Deus, memento nostri in hoc patibulo crucis et suscipe petitionem nostram et ea, quae a te exposcimus, nobis concedere digneris, ut quicumque memoriam nostri corde et ore cum jejunio et devotione celebraverint, mereantur a te assequi fructuosam mercedem, tribuendo iis sanitatem corporum, medicamen animae, et in domibus eorum intus et foris bonorum omnium ubertatem concede. Et si in proelio fuerint, non iis nocere praevaleant inimici visibiles et invisibiles te expugnante, sed, sicut placet tibi, armis tuis eos protege diesque unius diei nostri passionis unum poenitentiarum annum compleat observantibus se devoto corde. Et hoc, dominator domine, a te poscimus, dissipa omnem occupationem et omnem immundum spiritum omnemque infirmitatem eorum expelle, quia gloriosum et laudabile est nomen tuum per omnia saecula saeculorum. Et respondentibus omnibus amen facta est vox de coelo dicens: quae petiistis, dilectissimi mei, scitote vos impetrasse. Gaudete quoque et laetamini, quia orationes vestrae coram Christo et immortali rege veraciter sunt exauditae. Et his dictis in confessione emiserunt spiritum veraciter percepturi praemia regni coelorum.

1) Alii: Ararat legunt.

CAP. CLXXXIV. (182.)

De sancto Jodoco.

Beatus Jodocus fuit Judaheli regis Britonum filius habuitque fratrem majorem natu, beatum videlicet Judahelum, qui successit patri in regno. Isti duo fratres, imo duae gemmae coelestes contemporaneae fuerunt regis Francorum Dagoberti, cum quo post graves inimicitias ad invicem pacificatus est ipse rex Britonum Judahelus et magnis ab ipso muneribus honoratus. Regressus itaque in Britanniam cogitavit regnum terrenum pro coelesti regno relinquere et vitam monachicam ducere. Fratrem suum Jodocum juniorem coram se conveniri fecit de suscipiendo regni gubernaculo, ut suum posset adimplere propositum et frui cohabitatione monachorum. Beatus autem Jodocus non minus fervens in Dei dilectione, deliberandi inducias VIII dierum vix a fratre impetravit. Interim die noctuque anxius cogitare coepit, quomodo posset effugere regnum similiter et patriam et fratris sui circa se studium declinare. Ipso igitur in monasterio quodam, ubi litteras didicerat, commorante et orationi frequentius incumbente contigit IX illuc peregrinos venire, qui causa devotionis limina apostolorum Petri et Pauli visitare desiderabant. His secreto associatus Parisius venit cum iis ac utrum ulterius cum iisdem procederet, dubitavit. Consilium tandem a spiritu sancto consecutus, qui gressus ejus in omnibus dirigebat, ab hoc itinere et a sociis itineris declinavit et ad Pontinii confinia, quae antiquis plena nemoribus erant et feris ac animalibus solum habitabilia, festinavit. Delectatus itaque loci illius vasta solitudine disposuit habitationem ibi facere super fluvium Alzeiam, sed a duce Heimone illius terrae domino per VII annos ab hoc proposito retardatus est. Inter quos annos litteras magis didicit et sacros ordines suscepit. Tandem sacerdos effectus jam dicti ducis filium, qui eum in maxima veneratione habebat, de sacro fonte suscepit. Elapso septennio ad vitam solitariam transiens in loco Alzeiae fluminis rivulis undique circumdato ibidem ecclesia et domuncula aedificatis praeter ea, quae per eum dominus operatus est miracula. Hic est considerandum, quod volucres et pisces diversi generis ad sacram ejus manum palpabiles receptis ab eo alimentis veniebant et recedebant quasi domestici. Quadam die, dum ad victum quotidianum non haberet nisi panem modicum, sibi et discipulo suo dominus in specie pauperis venit elemosinam petens. Vir Dei Jodocus panem dividi jussit in quatuor partes et pauperi petenti unam partem de quatuor erogari. Vix egressus erat et ecce dominus revertitur in forma egeni deficientis inedia, et secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni. Nec mora, regressus quasi esuriens et deficiens fame, donata est ei etiam pars panis tertia. Consequenter visus est dominus in altera pauperis effigie rogaturus elemosinam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Viro itaque domini Jodoco et hunc erogare jubente ejus minister: visne, ait, ut nobis aliquid remaneat? Nolo, inquit sanctus, totum tribue esurienti, quia potens est dominus etiam hodie nostrae providere necessitati. Vix recessit dominus et interea dum consolaretur servus Dei discipulum de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visae sunt et inventae in alveo fluminis quatuor naviculae onustae victualibus, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo illae devenerint, postquam fuerunt victualibus exoneratae, usque in hodiernum diem ignoratur. Haec et alia, quae per eum dominus ibidem miracula demonstrare dignatus est, longe lateque patriam ad ejus visitationem ad impetranda ejus suffragia commoverunt. Cumque ibidem VIII annis elapsis populi frequentiam nequiret sustinere, ad alterius desertum domino duce processit constructoque ibi oratorio in

1) Hoc caput in nonnullis codicibus et editionibus omittitur.

honore beati Martini et mansiuncula, ibidem plurimas ab hoste antiquo passus est insidias per XIV annos, quibus illic est commoratus. Eo in loco signo crucis facto propria manu aquilam de sublimi prostravit, quae gallum suum abstulit et XI gallinas sigillatim gallumque suum incolumem suscepit. Non longe post dyabolus in horribilem mutatus colubrum graviter ipsum momordit in pede. Qua laesione per sanctum edoctus spiritum, ut ad alium locum transiret, adjuncto sibi duce Heimone vastam circuibat eremum, ut inveniret habitationis locum. Inquirendo autem cum ibidem gravi dux torqueretur sitis inopia, prae lassitudine et siti obdormivit. Interim servus Dei Jodocus orationi incubuit surgensque baculo, quo innitebatur, terrae infixo sicut alter Moyses aquam produxit et fontem inde largiter effluentem. Quo exhilarati dux et ejus familia suae sitis exstinxerunt ardorem et transeuntibus adhuc aquam administrat sufficientem. Progressus inde versus mare in umbrosa valle clivum adscendit perparvum. Quo delectatus: haec est, inquit, cathedra, haec requies mea *in saeculum*. Duce itaque reverso ad propria vir Dei propria manu duo ibidem construxit oratoria, unum Petro apostolorum principi, alterum Paulo gentium doctori. Profectus est etiam postmodum Romam vocatus a beatissimo Martino tunc Romanae sedis antistite. Quia multo tempore concupierat videre eum et a sanctissimo ejus colloquio sanari, receptus est ab eo cum honore debito et tractatus. Ibidem a spiritu sancto doctus est, quem in omnibus custodem et magistrum habuit, ut ad eremum suam reverteretur, quam in *terris sibi elegit* habitationem, inde in brevi exiturus et transmigraturus ad consortium angelorum. Post sacra et multa de aeternitate colloquia et mutua orationum suffragia inter ipsum et summum pontificem habita pretiosissimis a domino papa sibi collatis sanctorum reliquiis reversus est cum totius patriae gaudio ad Pontinii confinia, ubi in monte habitationis suae, in qua modo requiescit corpus sancti Jodoci, proposito parentum consilio adducta est sibi puella absque oculis nata, quae, sicut docta fuerat in visione, faciem et loca, ubi oculi debebant esse, lavit de aqua illa, qua vir sanctus manus abluerat, et mox receptis oculis clare coepit videre. Duce itaque Heimone praesente cum innumera Dei plebisque turba in occursum beati Jodoci congregata sanctissimis, quas attulerat, reliquiis cum omni, qua decuit, veneratione repositis in nova beati Martini ecclesia, in qua nunc sacrum corpus ejus requiescit, tunc de novo facta lapidea a praefato duce, ipse vir beatus praeparavit se ad divina mysteria celebranda casula indutus ad modum nivis alba. Qui cum adstaret altari III Idus Junii et ministraret cum devotione maxima, divina manus apparuit super eum visibiliter inter sacrosancta missarum sollemnia suumque sacerdotem. Ei locum illum assignavit et confirmavit benedictione perpetua cum promissione tali et voce *mirabili* coelitus subsecuta: quia contemsisti divitias terrenas et refutasti *paterni regni* culmina et elegisti pauper esse et latere abjectus in terra ista *deserta*, praeparavi tibi coronam inter agmina angelorum eroque luci hujus, in quo resolveris, defensor ac jugis custodia, universique hunc locum visitaturi in perpetuum cum devotione et pura cordis intentione pro tui nominis memoria divina in terris gratia non defraudabuntur et post ad gaudia pervenient sempiterna. Sequenti itaque tempore beatus Jodocus in carne praeter carnem vivendo non homo, sed angelus videbatur. Idus Decembris obdormivit in domino ipso domino praesente et angelorum obsequiis; domini praesentiam ostendit intolerabilis claritas splendoris et incomparabilis dulcedo divini odoris. Corpus etiam ejus, quia virgo fuerat et immunis a carnalis commixtionis contagio, ita sanum permansit et integrum usque ad annos XL in tumulo, ac si spiritus vitae foret in eo, et a custodibus corporis sibi ungues manuum et pedum et capilli capitis et barbae, quasi viveret, excrescentes incidebantur et radebantur omni sabbato, quoadusque successor Heimonis minus reverenter et praesumtiose immemor scripturae dicentis: non tentabis domini sacrarium, violenter irrupit cum satellitibus suis et intravit, ubi repositum erat corpus sanctissimum, visoque miraculo statim caecitate percussus versus est in amentiam exclamans: ha ha sancte Jodoce, surdus permansit et mutus, quoadusque diem clausit extremum

Prolixitatem autem miraculorum, quae per ipsum dominus exhibere dignatus est suis fidelibus, in nostris temporibus vidimus, sicut de pluribus a morte resuscitatis vel suspendio vel alio mortis genere defunctis sive in aqua suffocatis, sive etiam ipsius beneficia quo ad multiplicationem bonorum temporalium nec calamo scribere nec sermone enarrare sufficimus. Cujusdam devoti sibi filium in cunabulis jacentem, cum esset incendium undique in domo circa, puerum beatus Jodocus miraculose conservavit, pannis, quibus involutus fuit, et ipsis cunabulis, cum puer levatus esset, in favillam et cinerem penitus resolutis, ut omnibus pateret, quod edacitas flammae, quae lignorum ac lapidum potuit duritiam consumere, tenerum infantem beati Jodoci custodiae traditum non licuit laedere. Qui postmodum filius in monasterio sancti Jodoci monachus factus est. Quot surdos, claudos, paraliticos et alios infirmos curavit, non est numero colligere. Unde est, quod de regio fastigio sibi voluit post mortem retinere, ne in loco, ubi sacrum ejus corpus requiescit, alius ardeat liquor nisi liquor cerae. Quod in infortunio suo experti sunt tres monachi, qui in ecclesia, ubi corpus ejus fuit delatum, de sevo lucernas tentaverunt accendere nec aliquatenus potuerunt. Contigit autem in signum temeritatis suae duos ipsorum in continenti decedere, tertium vero oris contractione puniri, ac ita permansit omnibus diebus vitae suae. Sunt autem hae festivitates beati Jodoci. Prima videlicet in die beati Barnabae, quando infra missarum sollemnia manus domini super eum apparuit. Quod etiam miraculum saepius per alios sanctos ostensum virtus divina ad veritatem illius veri et sanctissimi sacrificii comprobandam in cordibus fragilium misericorditer demonstravit. Secunda est in die sancti Jacobi apostoli fratris sancti Johannis evangelistae de inventione sacri corporis ejus. Tertia est de morte ejus in die sanctae Luciae virginis.

CAP. CLXXXV. (183.)
De sancto Othmaro.

Othmarus in provincia Alemanniae natus atque nutritus est. Dum esset puer, a fratre suo in curiam perducitur et litteris imbuitur. Virtutibus tamen plus vel aeque ut scientiae studuit, juxta illud Sapientiae: quae in juventute non congregasti, quomodo invenies ea in senectute? Victori comiti ejusdem regionis factus adolescens servivit. Per cujus providentiam ac dilectionem integram ad ipsum, quia vidit in eo indolem bonam, ad sacerdotium promovetur titulo sancti Floriani. Cogente praefato comite praelatus ibi positus est propter suam religionem, scientiam, famam volantem de munditia vitae suae. Waltramus, qui ex jure hereditario dominus fuit eremi illius, in quo beatus Gallus cellam sibi construxerat, obtinuit a praefato comite, ut Othmarus praeesset illi cellae in omnibus, quae ad ipsum pertinere videbantur. Insuper duxit eum ad Pipinum regem, ut auctoritate regia concedente ipsum ejusdem loci abbatem confirmaret. Cujus petitioni tanquam justus rex consensum praebuit et per manum regis Othmaro confirmato in abbatem Waltramus omnia bona sua seu possessiones libere et integraliter resignavit. Mandavit itaque rex ac proprio ore jussit ibidem vitam instituere regularem. Rediens igitur Othmarus locum reformavit et infra annos paucos tam in possessionibus quam in religione valde dives effectus est et in aedificiis pluribus confirmatus. Beatus igitur Othmarus abbas, cum vidisset possessiones temporales suo monasterio ex Dei bonitate accrescere in immensum, timens suae personae virtutum incrementa decrescere a se ipso incepit et parsimoniae vehementius insistebat, ita ut etiam in praecipuis jeju-

niorum diebus de consuetudine biduo abstinentiam continuaret. Paupertatis et humilitatis amator praecipuus et cum his elemosinator magnus fuit. Paupertatis ejus illud ostendit, quod crebrius sine tunica sola tantum cappa indutus ad monasterium remeavit exemplo Christi, qui vilibus pannis in sua nativitate obvolutus fuit. Et postea crevit in omnibus ejus paupertas, ut nos super instanti pecunia minime confidamus. In necessitate monasterii sui asello pro equo frequentius utebatur, in misericordia et elemosina nulli servus fuit. Unde et pauperibus in propria persona servivit. Leprosis non longe a monasterio habitaculum fecit, capita pauperum et pedes in propria persona lavit, unde etiam pater pauperum a pluribus est appellatus. Nocte eos visitavit et eisdem, ut dictum est, diligenter obsecutus est, hospitale insuper construxit, ubi caeci pauperes recipiebantur, quorum curam adeo sollicite gessit, ut etiam de nocte monasterium egrediens infirmitati eorum multo obsequio deserviret. Inter haec Warinus et Ruthardus, qui tunc totius Alemanniae curam administrabant, dyabolo suadente immanissimo morbo avaritiae praeventi res ecclesiarum in sua potestate sitarum per vim sibi injuste vindicabant. Quae mala loco sancti Galli similiter inferebant. Super quibus injuriis beatus Othmarus Pipino regi de ipsis querimoniam movit dicens, se gravissima incursurum, si iis dissimulando consentiret. Quibus rex gratiam suam interdixit, si illi monasterio non restituerent omnia injuste ablata. Illi vero avaritia victi regis praeceptum nullatenus observarunt, sed insuper beatum Othmarum, dum reverteretur a rege, captivantes missis ob hoc militibus vinctum ad se duci fecerunt. Et Lampertum falsum fratrem coenobii ipsius Othmari, qui ab ipsis inductus fuit, ut abbatem suum false et mendaciter de crimine accusaret et nequiter infamaret, conduxerunt. Quam proditionem contra innocentem nequam ille monachus committere nullatenus formidavit. Itaque concilio iniquo convocato coram multis ipse Lampertus beatum Othmarum de femina accusavit. Unde ad poenam exsilii ipsum condemnaverunt in insulam Rheni miserabiliter relegantes, ubi post multas, quas patienter sustinuit, miserias in confessione Christi XVI cal. Decembr. bono fine quievit. Hujus autem Lamperti iniquam machinationem, qua suum praelatum innocenter involvit, Deus justus judex sic punivit, quod ipsum monachum febris adeo gravis arripuit, ut resoluto vigore membrorum caput ipsius ad terram frequentius verteretur et more quadrupedum cogeretur ambulare. Unde etiam coactus divino judicio eum perurgente, ut se peccasse in sanctum Dei publice fateretur: quiescite, inquit, sancta synodus Nicaena et nolite persequi eos, qui recte Deo famulantur et sincera voluntate superna Dei mandata custodiunt et nostris legibus subjugantur, quia non decet, ut carnales spirituales persequantur. Unde etiam Gregorius ait: qui calumniam illatam non probat, poenam incurrere debet. Quam si probasset, reus utique sustineret. Consilium autem illud nequiter inchoatum nequius est finitum. Sepultus igitur beatus Othmarus in exsilio, ubi hodie in insula capella ostenditur, annis X ibidem corpus suum incorruptum permansit. Post X vero annos visum est discipulis ipsius, ut corpus sui abbatis ad sancti Galli monasterium, cui secundum voluntatem Dei praefuit, in spiritualibus et temporalibus deferre modis omnibus deberent. Pergentes itaque ad locum corpus tollentes navi posuerunt. Quorum devotionem et corporis ipsius sanctitatem miracula crebra et plura consequuntur. Tempestas enim multa ventorum et procellarum, quae per totum lacum 1) Constantiensem tunc temporis visa fuit, in omni via illa nulli eorum impedimento fuit. Vasculum etiam medium vino plenum, quod secum tulerant, ipsis monachis ad refectionem consedentibus, quotiescunque exhaustum fuit, nullum sensit detrimentum. Beati igitur Othmari corpus ad monasterium beati Galli delatum multis ibidem praecedentibus et consequentibus miraculis feliciter et honorifice quiescit.

1) Ed. Pr.: Constantinopolitanum legit.

CAP. CLXXXVI. (185.)
De sancto Conrado.

Sanctus Conradus de nobilibus parentibus in Alemannia genitus et educatus est. Hic, quia vir multae honestatis et bonorum morum fuit, advocatus a Nothingo ecclesiae 1) Constantiensis episcopo toti episcopatui auditor praeficitur causarum. Succedente autem tempore in praepositum majoris ecclesiae eligitur. Nothingo autem episcopo viam universae carnis ingresso vocatur sanctus Udalricus ecclesiae Augustensis episcopus et ab ipso corpus defuncti episcopi sepelitur, qui clero et populo triduanum indixit jejunium, ut benignitas Dei illi ecclesiae daret placentem sibi antistitem. Statuto igitur die, quo ad electionem vel potius communem inspirationem de episcopo providendum fuit, sanctus Udalricus describit ipsum praepositum beatum Conradum talem esse, sicut apostolus ad Timotheum et Titum: oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis domi suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit? Non neophytum, non in superbiam elatum, ne in judicium decidat dyaboli. Oportet autem et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ut in opprobrium non incidat et in laqueum dyaboli. Item ad Timotheum sic ait: oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortatione in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere. His omnibus coram multitudine a sancto Udalrico de ipso recitatis omnes ibidem consenserunt. Unde ibidem rapitur, trahitur et quamvis plurimum renitens episcopus instituitur. In cathedrali ergo infula sublimatus sanctus Conradus principalem sanctae Dei genitricis ecclesiam ditavit reliquiis pretiosis et ornatu maximo. Insuper tres construxit ecclesias, unam in civitate 2) Constantiensi, duas extra. In quarum una, videlicet in prima ecclesia sancti Mauritii sepulchrum domini nostri Jesu Christi simillimum illi, quod est in Hierusalem, cum multa diligentia construi procuravit. Ubi etiam XII praebendas clericis ibidem Christo famulantibus in perpetuum instituit, auxit nihilominus canonicorum numerum majoris ecclesiae cum allodio proprii patrimonii. Cupiens etiam idem vir sanctus cum apostolo corpus suum efficaciter castigare, tribus vicibus transfretans versus civitatem sanctam Hierusalem adiit, in qua locum passionis Christi et sepulturae et resurrectionis similiter et ascensionis in devotione maxima visitavit. Postmodum apud castrum Laufen cum sancto Udalrico exsistens, cum vidisset in ipsa turbine aquae procellis hinc inde spumantibus aves introeuntes mergi et exeuntes, intellexit vir sanctus in spiritu duas animas fore sub specie illarum avium, quae ibidem ob scelerum suorum aliquando commissorum multitudinem suum purgatorium sustinerent. Itaque ambo visceribus misericordiae moti, Udalricus primam missam pro defunctis celebrare non distulit, Conradus autem ipsa die secundam missam similiter pro defunctis complere non pigritatus est. Et sic in eorum devotione et sollemni altaris oblatione illarum avium species amplius non viderunt. Gebhardo optimo adolescenti, qui casu super episcopalem sedem consederat, prophetat Conradus dicens: praemature sedem meam, Gebharde, occupasti, mihi succedet, qui prior

---

1) Ed. Pr.: Constantinopolitanorum legit. 2) Ed. Pr.: Constantinopolitanorum legit.

te in hac cathedra sedebit, videlicet Gameloaus. Sanctus etiam Conradus infra missarum sollemnia post consecrationem corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi in die sancto paschae araneam lapsam in calicem cum sanguine domini fiducialiter sumsit, cumque terminatis rite missarum sollemniis, prout dignissimum est, ipsa die ad prandium consedisset, attenuatus corpore per sanctam quadragesimam non comedit. Interrogatus a suis, cur non comederet, ait: exspecto hospitem in proximo venientem, et inclinato capite super mensam exitum araneae praebet aperto ore. Quanta de tali adventu, quin potius miraculo, inter cunctos ibidem exsistentes fuerit laetitia, nullus sanae mentis ignorat. Obiit autem beatus Conradus episcopus post multarum exercitia virtutum VI cal. Decembr. anno domini nongentesimo LXVI, episcopatus vero XLII senex et plenus dierum.

CAP. CLXXXVII. (186.)

De sancto Hylarione.

Hylarion sanctus monachus fuit, cujus vitam virtutibus plenam scribit Hieronymus. Hujus parentes ydolis dediti, ipse (ut dicitur) rosa de spinis floruit. Alexandriam missus et ibi grammaticam discens ibidem etiam baptizatus est totaque illi voluntas in ecclesiae congregationibus fuit. Audiens nomen Antonii, in Aegyptum perrexit ad videndum eum. Quem ut vidit, statim habitum mutavit et duobus mensibus vix cum eo mansit. Contemplatus est enim ordinem vitae suae, gravitatem morum, quam creber in orationibus, quam humilis in suscipiendis fratribus, quam severus in corripiendis, alacer in exhortandis. Talem etiam habuit continentiam, ut cibi ejus asperitatem nulla ejus infirmitas frangeret. His virtutibus Hylarion instructus rediit ad patriam cum quibusdam monachis. Parentibus suis jam defunctis partem substantiae fratribus, partem etiam pauperibus dedit, sibi nihil omnino reservans. Erat autem annorum XV et solitudinem ingressus est sacco tantum coopertus et sagum rusticum, quod beatus Antonius ei dedit, cum ab eo discessit, secum tulit. Tandem XV caricas post solis occasum comedens hoc cibo contentus fuit, a XV. usque ad XX. aetatis suae annum aestus et pluvias brevi tugurio, quod junco et caricis texerat, declinavit. Deinde brevem cellam paravit latitudine pedum IV, longitudine vero pedum V, ut sepulchrum potius quam domum crederes. Capillos semel in anno, scilicet die paschae, totondit, super nudam terram in initio usque ad mortem cubavit. Saccum, quo semel indutus fuit, nunquam lavans nec mutans altero, nisi cum primo scissus esset. Scripturas sacras quasi memoriter tenens post orationem psalmos quasi Deo praesente cecinit, a XXI. anno usque ad XXVI. tribus annis primis dimidiae lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, aliis tribus sequentibus panem aridum cum sale et aqua sumsit. A XXVII. usque ad XXX. herbis agrestibus et virgultorum radicibus crudis sustentatus est, a XXX. unciam panis et coctum modicum olus absque oleo comedit. Sentiens autem caligare oculos et totum corpus in impetiginem verti et punicea scabedine contrahi, ad superiorem cibum adjecit parum olei. Et hoc usque ad LXIV. annum vitae suae tali cucurrit gradu nihil gustans pomorum aut leguminum seu cujuscunque alterius delectabilis rei. Hic dum videret, se corpore fatigatum, et exitum crederet imminere, a LXIV. usque ad LXX. pane abstinuit incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem Dei, quo caeteri solent remissius vivere. Fiebat autem ei sorbitiuncula de farina et cum minimo olei, vix pro cibo et potu V

uncias appendens sicque complevit ordinem vitae suae. Nunquam ante solis occasum nec in diebus festis nec in summa valetudine unquam solvit jejunium. Igitur potentissimus in miraculis, sanctitate incomparabilis LXXX. aetatis suae anno, cum absens esset Elicius, qui eum semper familiaris dilexerat, quasi in testimonium testamenti brevem manu propria scripsit literam, omnes divitias ei derelinquens, quas habuit, videlicet tunicam de sacco, cucullam et palliolum. Jamque modicus calor in pectore erat et quasi jam vix vivebat. Apertis oculis haec loquebatur: egredere, quid times? egredere, quid dubitas? LXXX vere annis Christo serviisti, et mortem times? Inter haec verba exhalavit spiritum statimque corpus ejus humanum obrutum est sicque et ipse omnes, qui ad aegrotantem venerant, rogavit, ne quidem punctum horae post mortem ejus corpus servaretur. Postmodum Elicius vir sanctus cum periculo vitae post X fere menses corpus ejus furatus est et in Palaestinam deferens monachis crebris prosequentibus laudibus monasterio condidit cum tunica, cuculla et pallio, toto corpore, quasi adhuc viveret, integro et multo fragrante odore, quasi optimis illibutum esset unguentis in testimonium ejus sanctissimae vitae ad laudem et insuperabilem ipsius Dei gloriam, qui vivit et regnat etc. Festum autem ipsius recolitur XII cal. Novembr., quo videlicet die XI [1]) millium virginum et beatae Ursulae festum celebratur.

CAP. CLXXXVIII. (187.)
Hystoria Caroli Magni.

Turpinus episcopus Remensis archiepiscopus, socius Caroli XIV annis, cum Hyspaniam et Galliciam a potestate paganorum liberasset, quae vidit, scribit Leoprando decano Aquisgrani. Primo quomodo sanctus Jacobus apostolus apparuit Carolo rogans, ut locum sepulturae suae purgaret et viam ad locum sui sepulchri praepararet, ut multitudo peregrinorum ibi peccata deleret. Promisit etiam sibi, se fore adjutorem in omnibus et cum hoc vitam aeternam [2]) possidendam. Conversi autem fuerant multi per praedicationem discipulorum Jacobi, sed recidivum passi sunt et fides Christi ibi deleta erat usque ad tempus Caroli, qui Hyspaniam et Galliciam christianam fecit per Christum. Prima urbs, quam obsedit, fuit Pampilona: tribus mensibus nequivit eam capere, quia inexpugnabiles erant muri. Oravit ergo: domine Jesu Christe, pro cujus fide huc veni, da mihi hanc urbem sancti Jacobi; si verum est, quod mihi apparuisti, da mihi capere eam. Tunc muri collapsi funditus ceciderunt. Saracenos, qui baptizari voluerunt, vivere permisit, alios omnes occidit. Quo audito aliae civitates miserunt ei tributum et se ei subjecerunt et facta est tota illa terra sub tributo. Visitato sarcophago beati Jacobi venit Petronum et ibi infixit lanceam in mare dicens gratias et addidit: hucusque nunquam nisi nunc venire potui. Tunc subjugavit sibi omnem Galliciam et Hyspaniam a mari usque ad mare. Item civitatem unam obtinuit, in qua erant XC turres. Item Lucernam civitatem IV mensibus obsedit, quam capere non valens, Deum et sanctum Jacobum invocavit: tunc ceciderunt muri ejus et est deserta usque nunc cum aliis tribus civitatibus, quas ipse dominus anathematizavit, ut olim Jericho. Omnia ydola delevit praeter unum, quod, ut dicunt Saraceni, Magumeth, quem ipsi colunt, cum viveret, in suo nomine fabricavit et daemonum legionem ibi arte magica colligavit, qui tanta fortitudine illud servant, quod a nullo unquam frangi

---

1) Ed. Pr. XI Mariae virgini praefert. 2) Alii: in praemio praeferunt.

SEQUUNTUR QUAEDAM LEGENDAE A QUIBUSDAM ALIIS SUPERADDITAE.

CAP. CLXXXIII. (178.)

De decem millibus martirum.

Passio et memoria decem millium martirum veneratur et colitur X calendas Julias. Qui omnes una die pro Christi nomine passi sunt sub Hadriano imperatore aliisque VI regibus, qui venerunt in adjutorium. Hi sancti martires, cum ab imperatore ad sacrificandum ydolis compellerentur, dixerunt: sacrificium vivum et immaculatum offerimus nosmet ipsos domino nostro Jesu Christo, qui pro humano genere nasci dignatus est et descendere de coelis, multis malis affligi, et ad ultimum voluit etiam pro nobis crucifigi, quem tu, miser, ignoras. Tunc iratus imperator jussit eos diu torqueri et ad ultimum crucifigi et omnia tormenta, quae passus est dominus noster Jesus Christus, forti animo et fide firmissima pro domino sustinuerunt. Locus igitur, ubi passi sunt beati martires, mons est magnus et vocatur 1) Arrahe et distat ab Alexandria civitate CCCCC quasi stadiis. A quibus autem passi sunt, fuerunt exercitus regum, qui illi venerant in adjutorium, XXX millia. Hora vero sexta illius diei terrae motus factus est magnus, petrae scissae sunt, sol obscuratus est et omnia signa, quae in passione domini visa fuerant, ecce ibi visa sunt. Tunc sancti martires fundentes orationem ad dominum dixerunt: domine Deus, memento nostri in hoc patibulo crucis et suscipe petitionem nostram et ea, quae a te exposcimus, nobis concedere digneris, ut quicumque memoriam nostri corde et ore cum jejunio et devotione celebraverint, mereantur a te assequi fructuosam mercedem, tribuendo iis sanitatem corporum, medicamen animae, et in domibus eorum intus et foris bonorum omnium ubertatem concede. Et si in proelio fuerint, non iis nocere praevaleant inimici visibiles et invisibiles te expugnante, sed, sicut placet tibi, armis tuis eos protege diesque unius diei nostri passionis unum poenitentiarum annum compleat observantibus se devoto corde. Et hoc, dominator domine, a te poscimus, dissipa omnem occupationem et omnem immundum spiritum omnemque infirmitatem eorum expelle, quia gloriosum et laudabile est nomen tuum per omnia saecula saeculorum. Et respondentibus omnibus amen facta est vox de coelo dicens: quae petiistis, dilectissimi mei, scitote vos impetrasse. Gaudete quoque et laetamini, quia orationes vestrae coram Christo et immortali rege veraciter sunt exauditae. Et his dictis in confessione emiserunt spiritum veraciter percepturi praemia regni coelorum.

---

1) Alii: Ararat legunt.

CAP. CLXXXIV. (182.)

De sancto Jodoco.

Beatus Jodocus fuit Judaheli regis Britonum filius habuitque fratrem majorem natu, beatum videlicet Judahelum, qui successit patri in regno. Isti duo fratres, imo duae gemmae coelestes contemporaneae fuerunt regis Francorum Dagoberti, cum quo post graves inimicitias ad invicem pacificatus est ipse rex Britonum Judahelus et magnis ab ipso muneribus honoratus. Regressus itaque in Britanniam cogitavit regnum terrenum pro coelesti regno relinquere et vitam monachicam ducere. Fratrem suum Jodocum juniorem coram se conveniri fecit de suscipiendo regni gubernaculo, ut suum posset adimplere propositum et frui cohabitatione monachorum. Beatus autem Jodocus non minus fervens in Dei dilectione, deliberandi inducias VIII dierum vix a fratre impetravit. Interim die noctuque anxius cogitare coepit, quomodo posset effugere regnum similiter et patriam et fratris sui circa se studium declinare. Ipso igitur in monasterio quodam, ubi litteras didicerat, commorante et orationi frequentius incumbente contigit IX illuc peregrinos venire, qui causa devotionis limina apostolorum Petri et Pauli visitare desiderabant. His secreto associatus Parisius venit cum iis ac utrum ulterius cum iisdem procederet, dubitavit. Consilium tandem a spiritu sancto consecutus, qui gressus ejus in omnibus dirigebat, ab hoc itinere et a sociis itineris declinavit et ad Pontinii confinia, quae antiquis plena nemoribus erant et feris ac animalibus solum habitabilia, festinavit. Delectatus itaque loci illius vasta solitudine disposuit habitationem ibi facere super fluvium Alzeiam, sed a duce Heimone illius terrae domino per VII annos ab hoc proposito retardatus est. Inter quos annos litteras magis didicit et sacros ordines suscepit. Tandem sacerdos effectus jam dicti ducis filium, qui eum in maxima veneratione habebat, de sacro fonte suscepit. Elapso septennio ad vitam solitariam transiens in loco Alzeiae fluminis rivulis undique circumdato ibidem ecclesia et domuncula aedificatis praeter ea, quae per eum dominus operatus est miracula. Hic est considerandum, quod volucres et pisces diversi generis ad sacram ejus manum palpabiles receptis ab eo alimentis veniebant et recedebant quasi domestici. Quadam die, dum ad victum quotidianum non haberet nisi panem modicum, sibi et discipulo suo dominus in specie pauperis venit elemosinam petens. Vir Dei Jodocus panem dividi jussit in quatuor partes et pauperi petenti unam partem de quatuor erogari. Vix egressus erat et ecce dominus revertitur in forma egeni deficientis inedia, et secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni. Nec mora, regressus quasi esuriens et deficiens fame, donata est ei etiam pars panis tertia. Consequenter visus est dominus in altera pauperis effigie rogaturus elemosinam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Viro itaque domini Jodoco et hunc erogare jubente ejus minister: visne, ait, ut nobis aliquid remaneat? Nolo, inquit sanctus, totum tribue esurienti, quia potens est dominus etiam hodie nostrae providere necessitati. Vix recessit dominus et interea dum consolaretur servus Dei discipulum de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visae sunt et inventae in alveo fluminis quatuor naviculae onustae victualibus, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo illae devenerint, postquam fuerunt victualibus exoneratae, usque in hodiernum diem ignoratur. Haec et alia, quae per eum dominus ibidem miracula demonstrare dignatus est, longe lateque patriam ad ejus visitationem ad impetranda ejus suffragia commoverunt. Cumque ibidem VIII annis elapsis populi frequentiam nequiret sustinere, ad alterius desertum domino duce processit constructoque ibi oratorio in

---

1) Hoc caput in nonnullis codicibus et editionibus omittitur.

SEQUUNTUR QUAEDAM LEGENDAE A QUIBUSDAM ALIIS SUPERADDITAE.

CAP. CLXXIIII. (178.)

De decem millibus martirum.

Passio et memoria decem millium martirum veneratur et colitur X calendas Julias. Qui omnes una die pro Christi nomine passi sunt sub Hadriano imperatore aliisque VI regibus, qui venerunt in adjutorium. Hi sancti martires, cum ab imperatore ad sacrificandum ydolis compellerentur, dixerunt: sacrificium vivum et immaculatum offerimus nosmet ipsos domino nostro Jesu Christo, qui pro humano genere nasci dignatus est et descendere de coelis, multis malis affligi, et ad ultimum voluit etiam pro nobis crucifigi, quem tu, miser, ignoras. Tunc iratus imperator jussit eos diu torqueri et ad ultimum crucifigi et omnia tormenta, quae passus est dominus noster Jesus Christus, forti animo et fide firmissima pro domino sustinuerunt. Locus igitur, ubi passi sunt beati martires, mons est magnus et vocatur 1) Arrahe et distat ab Alexandria civitate CCCCC quasi stadiis. A quibus autem passi sunt, fuerunt exercitus regum, qui illi venerant in adjutorium, XXX millia. Hora vero sexta illius diei terrae motus factus est magnus, petrae scissae sunt, sol obscuratus est et omnia signa, quae in passione domini visa fuerant, ecce ibi visa sunt. Tunc sancti martires fundentes orationem ad dominum dixerunt: domine Deus, memento nostri in hoc patibulo crucis et suscipe petitionem nostram et ea, quae a te exposcimus, nobis concedere digneris, ut quicunque memoriam nostri corde et ore cum jejunio et devotione celebraverint, mereantur a te assequi fructuosam mercedem, tribuendo iis sanitatem corporum, medicamen animae, et in domibus eorum intus et foris bonorum omnium ubertatem concede. Et si in proelio fuerint, non eis nocere praevaleant inimici visibiles et invisibiles te expugnante, sed, sicut placet tibi, armis tuis eos protege diesque unius diei nostri passionis unum poenitentiarum annum compleat observantibus se devoto corde. Et hoc, dominator domine, a te poscimus, dissipa omnem occupationem et omnem immundum spiritum omnemque infirmitatem eorum expelle, quia gloriosum et laudabile est nomen tuum per omnia saecula saeculorum. Et respondentibus omnibus amen facta est vox de coelo dicens: quae petiistis, dilectissimi mei, scitote vos impetrasse. Gaudete quoque et laetamini, quia orationes vestrae coram Christo et immortali rege veraciter sunt exauditae. Et his dictis in confessione emiserunt spiritum veraciter percepturi praemia regni coelorum.

1) Alii: Ararat legunt.

CAP. CLXXXIV. (182.)
De sancto Jodoco.

Beatus Jodocus fuit Judaheli regis Britonum filius habuitque fratrem majorem natu, beatum videlicet Judahelum, qui successit patri in regno. Isti duo fratres, imo duae gemmae coelestes contemporaneae fuerunt regis Francorum Dagoberti, cum quo post graves inimicitias ad invicem pacificatus est ipse rex Britonum Judahelus et magnis ab ipso muneribus honoratus. Regressus itaque in Britanniam cogitavit regnum terrenum pro coelesti regno relinquere et vitam monachicam ducere. Fratrem suum Jodocum juniorem coram se conveniri fecit de suscipiendo regni gubernaculo, ut suum posset adimplere propositum et frui cohabitatione monachorum. Beatus autem Jodocus non minus fervens in Dei dilectione, deliberandi inducias VIII dierum vix a fratre impetravit. Interim die noctuque anxius cogitare coepit, quomodo posset effugere regnum similiter et patriam et fratris sui circa se studium declinare. Ipso igitur in monasterio quodam, ubi litteras didicerat, commorante et orationi frequentius incumbente contigit IX illuc peregrinos venire, qui causa devotionis limina apostolorum Petri et Pauli visitare desiderabant. His secreto associatus Parisios venit cum iis ac utrum ulterius cum iisdem procederet, dubitavit. Consilium tandem a spiritu sancto consecutus, qui gressus ejus in omnibus dirigebat, ab hoc itinere et a sociis itineris declinavit et ad Pontinii confinia, quae antiquis plena nemoribus erant et feris ac animalibus solum habitabilia, festinavit. Delectatus itaque loci illius vasta solitudine disposuit habitationem ibi facere super fluvium Alzeiam, sed a duce Heimone illius terrae domino per VII annos ab hoc proposito retardatus est. Inter quos annos litteras magis didicit et sacros ordines suscepit. Tandem sacerdos effectus jam dicti ducis filium, qui eum in maxima veneratione habebat, de sacro fonte suscepit. Elapso septennio ad vitam solitariam transiens in loco Alzeiae fluminis rivulis undique circumdato ibidem ecclesia et domuncula aedificatis praeter ea, quae per eum dominus operatus est miracula. Hic est considerandum, quod volucres et pisces diversi generis ad sacram ejus manum palpabiles receptis ab eo alimentis veniebant et recedebant quasi domestici. Quadam die, dum ad victum quotidianum non haberet nisi panem modicum, sibi et discipulo suo dominus in specie pauperis venit elemosinam petens. Vir Dei Jodocus panem dividi jussit in quatuor partes et pauperi petenti unam partem de quatuor erogari. Vix egressus erat et ecce dominus revertitur in forma egeni deficientis inedia, et secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni. Nec mora, regressus quasi esuriens et deficiens fame, donata est ei etiam pars panis tertia. Consequenter visus est dominus in altera pauperis effigie rogaturus elemosinam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Viro itaque domini Jodoco et hunc erogare jubente ejus minister: visne, ait, ut nobis aliquid remaneat! Nolo, inquit sanctus, totum tribue esurienti, quia potens est dominus etiam hodie nostrae providere necessitati. Vix recessit dominus et interea dum consolaretur servus Dei discipulum de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visae sunt et inventae in alveo fluminis quatuor naviculae onustae victualibus, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo illae devenerint, postquam fuerunt victualibus exoneratae, usque in hodiernum diem ignoratur. Haec et alia, quae per eum dominus ibidem miracula demonstrare dignatus est, longe lateque patriam ad ejus visitationem ad impetranda ejus suffragia commoverunt. Cumque ibidem VIII annis elapsis populi frequentiam nequiret sustinere, ad alterius desertum domino duce processit constructoque ibi oratorio in

1) Hoc caput in nonnullis codicibus et editionibus omittitur.

honore beati Martini et mansiuncula, ibidem plurimas ab hoste antiquo passus est insidias per XIV annos, quibus illic est commoratus. Eo in loco signo crucis facto propria manu aquilam de sublimi prostravit, quae gallum suum abstulit et XI gallinas sigillatim gallumque suum incolumem suscepit. Non longe post dyabolus in horribilem mutatus colubrum graviter ipsum momordit in pede. Qua laesione per sanctum edoctus spiritum, ut ad alium locum transiret, adjuncto sibi duce Heimone vastam circuibat eremum, ut inveniret habitationis locum. Inquirendo autem cum ibidem gravi dux torqueretur sitis inopia, prae lassitudine et siti obdormivit. Interim servus Dei Jodocus orationi incubuit surgensque baculo, quo innitebatur, terrae infixo sicut alter Moyses aquam produxit et fontem inde largiter effluentem. Quo exhilarati dux et ejus familia suae sitis exstinxerunt ardorem et transeuntibus adhuc aquam administrat sufficientem. Progressus inde versus mare in umbrosa valle clivum adscendit perparvum. Quo delectatus: haec est, inquit, cathedra, haec requies mea *in saeculum*. Duce itaque reverso ad propria vir Dei propria manu duo ibidem construxit oratoria, unum Petro apostolorum principi, alterum Paulo gentium doctori. Profectus est etiam postmodum Romam vocatus a beatissimo Martino tunc Romanae sedis antistite. Quia multo tempore concupierat videre eum et a sanctissimo ejus colloquio sanari, receptus est ab eo cum honore debito et tractatus. Ibidem a spiritu sancto doctus est, quem in omnibus custodem et magistrum habuit, ut ad eremum suam reverteretur, quam in *terris sibi elegit* habitationem, inde in brevi exiturus et transmigraturus ad consortium angelorum. Post sacra et multa de aeternitate colloquia et mutua orationum suffragia inter ipsum et summum pontificem habita pretiosissimis a domino papa sibi collatis sanctorum reliquiis reversus est cum totius patriae gaudio ad Pontinii confinia, ubi in monte habitationis suae, in qua modo requiescit corpus sancti Jodoci, proposito parentum consilio adducta est sibi puella absque oculis nata, quae, sicut docta fuerat in visione, faciem et loca, ubi oculi debebant esse, lavit de aqua illa, qua vir sanctus manus abluerat, et mox receptis oculis clare coepit videre. Duce itaque Heimone praesente cum innumera Dei plebisque turba in occursum beati Jodoci congregata sanctissimis, quas attulerat, reliquiis cum omni, qua decuit, veneratione repositis in nova beati Martini ecclesia, in qua nunc sacrum corpus ejus requiescit, tunc de novo facta lapidea a praefato duce, ipse vir beatus praeparavit se ad divina mysteria celebranda casula indutus ad modum nivis alba. Qui cum adstaret altari III Idus Junii et ministraret cum devotione maxima, divina manus apparuit super eum visibiliter inter sacrosancta missarum sollemnia suumque sacerdotem. Ei locum illum assignavit et confirmavit benedictione perpetua cum promissione tali et voce mirabili coelitus subsecuta: quia contemsisti divitias terrenas et refutasti paterni regni culmina et elegisti pauper esse et latere abjectus in terra ista deserta, praeparavi tibi coronam inter agmina angelorum eroque luci hujus, in quo resolveris, defensor ac jugis custodia, universique hunc locum visitaturi in perpetuum cum devotione et pura cordis intentione pro tui nominis memoria divina in terris gratia non defraudabuntur et post ad gaudia pervenient sempiterna. Sequenti itaque tempore beatus Jodocus in carne praeter carnem vivendo non homo, sed angelus videbatur. Idus Decembris obdormivit in domino ipso domino praesente et angelorum obsequiis; domini praesentiam ostendit intolerabilis claritas splendoris et incomparabilis dulcedo divini odoris. Corpus etiam ejus, quia virgo fuerat et immunis a carnalis commixtionis contagio, ita sanum permansit et integrum usque ad annos XL in tumulo, ac si spiritus vitae foret in eo, et a custodibus corporis sibi ungues manuum et pedum et capilli capitis et barbae, quasi viveret, excrescentes incidebantur et radebantur omni sabbato, quoadusque successor Heimonis minus reverenter et praesumtiose immemor scripturae dicentis: non tentabis domini sacrarium, violenter irrupit cum satellitibus suis et intravit, ubi repositum erat corpus sanctissimum, visoque miraculo statim caecitate percussus versus est in amentiam exclamans: ha ha sancte Jodoce, surdus permansit et mutus, quoadusque diem clausit extremum.

Prolixitatem autem miraculorum, quae per ipsum dominus exhibere dignatus est suis fidelibus, in nostris temporibus vidimus, sicut de pluribus a morte resuscitatis vel suspendio vel alio mortis genere defunctis sive in aqua suffocatis, sive etiam ipsius beneficia quo ad multiplicationem bonorum temporalium nec calamo scribere nec sermone enarrare sufficimus. Cujusdam devoti sibi filium in cunabulis jacentem, cum esset incendium undique in domo circa, puerum beatus Jodocus miraculose conservavit, pannis, quibus involutus fuit, et ipsis cunabulis, cum puer levatus esset, in favillam et cinerem penitus resolutis, ut omnibus pateret, quod edacitas flammae, quae lignorum ac lapidum potuit duritiam consumere, tenerum infantem beati Jodoci custodiae traditum non licuit laedere. Qui postmodum filius in monasterio sancti Jodoci monachus factus est. Quot surdos, claudos, paraliticos et alios infirmos curavit, non est numero colligere. Unde est, quod de regio fastigio sibi voluit post mortem retinere, ne in loco, ubi sacrum ejus corpus requiescit, alius ardeat liquor nisi liquor cerae. Quod in infortunio suo experti sunt tres monachi, qui in ecclesia, ubi corpus ejus fuit delatum, de sevo lucernas tentaverunt accendere nec aliquatenus potuerunt. Contigit autem in signum temeritatis suae duos ipsorum in continenti decedere, tertium vero oris contractione puniri, ac ita permansit omnibus diebus vitae suae. Sunt autem hae festivitates beati Jodoci. Prima videlicet in die beati Barnabae, quando infra missarum sollemnia manus domini super eum apparuit. Quod etiam miraculum saepius per alios sanctos ostensum virtus divina ad veritatem illius veri et sanctissimi sacrificii comprobandam in cordibus fragilium misericorditer demonstravit. Secunda est in die sancti Jacobi apostoli fratris sancti Johannis evangelistae de inventione sacri corporis ejus. Tertia est de morte ejus in die sanctae Luciae virginis.

CAP. CLXXXV. (183.)
De sancto Othmaro.

Othmarus in provincia Alemanniae natus atque nutritus est. Dum esset puer, a fratre suo in curiam perducitur et litteris imbuitur. Virtutibus tamen plus vel aeque ut scientiae studuit, juxta illud Sapientiae: quae in juventute non congregasti, quomodo invenies ea in senectute? Victori comiti ejusdem regionis factus adolescens servivit. Per cujus providentiam ac dilectionem integram ad ipsum, quia vidit in eo indolem bonam, ad sacerdotium promovetur titulo sancti Florini. Cogente praefato comite praelatus ibi positus est propter suam religionem, scientiam, famam volantem de munditia vitae suae. Waltramus, qui ex jure hereditario dominus fuit eremi illius, in quo beatus Gallus cellam sibi construxerat, obtinuit a praefato comite, ut Othmarus praeesset illi cellae in omnibus, quae ad ipsum pertinere videbantur. Insuper duxit eum ad Pipinum regem, ut auctoritate regia concedente ipsum ejusdem loci abbatem confirmaret. Cujus petitioni tanquam justus rex consensum praebuit et per manum regis Othmaro confirmato in abbatem Waltramus omnia bona sua seu possessiones libere et integraliter resignavit. Mandavit itaque rex ac proprio ore jussit ibidem vitam instituere regularem. Rediens igitur Othmarus locum reformavit et infra annos paucos tam in possessionibus quam in religione valde dives effectus est et in aedificiis pluribus confirmatus. Beatus igitur Othmarus abbas, cum vidisset possessiones temporales suo monasterio ex Dei bonitate accrescere in immensum, timens suae personae virtutum incrementa decrescere a se ipso incepit et parsimoniae vehementius insistebat, ita ut etiam in praecipuis jeju-

niorum diebus de consuetudine biduo abstinentiam continuaret. Paupertatis et humilitatis amator praecipuus et cum his elemosinator magnus fuit. Paupertatis ejus illud ostendit, quod crebrius sine tunica sola tantum cappa indutus ad monasterium remeavit exemplo Christi, qui vilibus pannis in sua nativitate obvolutus fuit. Et postea crevit in omnibus ejus paupertas, ut nos super instanti pecunia minime confidamus. In necessitate monasterii sui asello pro equo frequentius utebatur, in misericordia et elemosina nulli servus fuit. Unde et pauperibus in propria persona servivit. Leprosis non longe a monasterio habitaculum fecit, capita pauperum et pedes in propria persona lavit, unde etiam pater pauperum a pluribus est appellatus. Nocte eos visitavit et eisdem, ut dictum est, diligenter obsecutus est, hospitale insuper construxit, ubi caeci pauperes recipiebantur, quorum curam adeo sollicite gessit, ut etiam de nocte monasterium egrediens infirmitati eorum multo obsequio deserviret. Inter haec Warinus et Ruthardus, qui tunc totius Alemanniae curam administrabant, dyabolo suadente immanissimo morbo avaritiae praeventi res ecclesiarum in sua potestate sitarum per vim sibi injuste vindicabant. Quae mala loco sancti Galli similiter inferebant. Super quibus injuriis beatus Othmarus Pipino regi de ipsis querimoniam movit dicens, se gravissima incursurum, si iis dissimulando consentiret. Quibus rex gratiam suam interdixit, si illi monasterio non restituerent omnia injuste ablata. Illi vero avaritia victi regis praeceptum nullatenus observarunt, sed insuper beatum Othmarum, dum reverteretur a rege, captivantes missis ob hoc militibus vinctum ad se duci fecerunt. Et Lampertum falsum fratrem coenobii ipsius Othmari, qui ab ipsis inductus fuit, ut abbatem suum false et mendaciter de crimine accusaret et nequiter infamaret, conduxerunt. Quam proditionem contra innocentem nequam ille monachus committere nullatenus formidavit. Itaque concilio iniquo convocato coram multis ipse Lampertus beatum Othmarum de femina accusavit. Unde ad poenam exsilii ipsum condemnaverunt in insulam Rheni miserabiliter relegantes, ubi post multas, quas patienter sustinuit, miserias in confessione Christi XVI cal. Decembr. bono fine quievit. Hujus autem Lamperti iniquam machinationem, qua suum praelatum innocenter involvit, Deus justus judex sic punivit, quod ipsum monachum febris adeo gravis arripuit, ut resoluto vigore membrorum caput ipsius ad terram frequentius verteretur et more quadrupedum cogeretur ambulare. Unde etiam coactus divino judicio eum perurgente, ut se peccasse in sanctum Dei publice fateretur: quiescite, inquit, sancta synodus Nicaena et nolite persequi eos, qui recte Deo famulantur et sincera voluntate superna Dei mandata custodiunt et nostris legibus subjugantur, quia non decet, ut carnales spirituales persequantur. Unde etiam Gregorius ait: qui calumniam illatam non probat, poenam incurrere debet. Quam si probasset, reus utique sustineret. Consilium autem illud nequiter inchoatum nequius est finitum. Sepultus igitur beatus Othmarus in exsilio, ubi hodie in insula capella ostenditur, annis X ibidem corpus suum incorruptum permansit. Post X vero annos visum est discipulis ipsius, ut corpus sui abbatis ad sancti Galli monasterium, cui secundum voluntatem Dei praefuit, in spiritualibus et temporalibus deferre modis omnibus deberent. Pergentes itaque ad locum corpus tollentes navi posuerunt. Quorum devotionem et corporis ipsius sanctitatem miracula crebra et plura consequuntur. Tempestas enim multa ventorum et procellarum, quae per totum lacum 1) Constantiensem tunc temporis visa fuit, in omni via illa nulli eorum impedimento fuit. Vasculum etiam modicum vino plenum, quod secum tulerant, ipsis monachis ad refectionem consedentibus, quotiescunque exhaustum fuit, nullum sensit detrimentum. Beati igitur Othmari corpus ad monasterium beati Galli delatum multis ibidem praecedentibus et consequentibus miraculis feliciter et honorifice quiescit.

---

1) Ed. Pr.: Constantinopolitanum legit.

CAP. CLXXXVI. (185.)
De sancto Conrado.

Sanctus Conradus de nobilibus parentibus in Alemannia genitus et educatus est. Hic, quia vir multae honestatis et bonorum morum fuit, advocatus a Nothingo ecclesiae 1) Constantiensis episcopo toti episcopatui auditor praeficitur causarum. Succedente autem tempore in praepositum majoris ecclesiae eligitur. Nothingo autem episcopo viam universae carnis ingresso vocatur sanctus Udalricus ecclesiae Augustensis episcopus et ab ipso corpus defuncti episcopi sepelitur, qui clero et populo triduanum indixit jejunium, ut benignitas Dei illi ecclesiae daret placentem sibi antistitem. Statuto igitur die, quo ad electionem vel potius communem inspirationem de episcopo providendum fuit, sanctus Udalricus describit ipsum praepositum beatum Conradum talem esse, sicut apostolus ad Timotheum et Titum: oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis domi suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit? Non neophytum, non in superbiam elatum, ne in judicium decidat dyaboli. Oportet autem et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ut in opprobrium non incidat et in laqueum dyaboli. Item ad Timotheum sic ait: oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortatione in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere. His omnibus coram multitudine a sancto Udalrico de ipso recitatis omnes ibidem consenserunt. Unde ibidem rapitur, trahitur et quamvis plurimum renitens episcopus instituitur. In cathedrali ergo infula sublimatus sanctus Conradus principalem sanctae Dei genitricis ecclesiam ditavit reliquiis pretiosis et ornatu maximo. Insuper tres construxit ecclesias, unam in civitate 2) Constantiensi, duas extra. In quarum una, videlicet in prima ecclesia sancti Mauritii sepulchrum domini nostri Jesu Christi simillimum illi, quod est in Hierusalem, cum multa diligentia construi procuravit. Ubi etiam XII praebendas clericis ibidem Christo famulantibus in perpetuum instituit, auxit nihilominus canonicorum numerum majoris ecclesiae cum allodio proprii patrimonii. Cupiens etiam idem vir sanctus cum apostolo corpus suum efficaciter castigare, tribus vicibus transfretans versus civitatem sanctam Hierusalem adiit, in qua locum passionis Christi et sepulturae et resurrectionis similiter et ascensionis in devotione maxima visitavit. Postmodum apud castrum Laufen cum sancto Udalrico exsistens, cum vidisset in ipsa turbine aquae procellis hinc inde spumantibus aves introeuntes mergi et exeuntes, intellexit vir sanctus in spiritu duas animas fore sub specie illarum avium, quae ibidem ob scelerum suorum aliquando commissorum multitudinem suum purgatorium sustinerent. Itaque ambo visceribus misericordiae moti, Udalricus primam missam pro defunctis celebrare non distulit, Conradus autem ipsa die secundam missam similiter pro defunctis complere non pigritatus est. Et sic in eorum devotione et sollemni altaris oblatione illarum avium species amplius non viderunt. Gebhardo optimo adolescenti, qui casu super episcopalem sedem consederat, prophetat Conradus dicens: praemature sedem meam, Gebharde, occupasti, mihi succedet, qui prior

1) Ed. Pr.: Constantinopolitanorum legit. 2) Ed. Pr.: Constantinopolitanorum legit.

te in hac cathedra sedebit, videlicet Gamelonus. Sanctus etiam Conradus infra missarum sollemnia post consecrationem corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi in die sancto paschae araneam lapsam in calicem cum sanguine domini fiducialiter sumsit, cumque terminatis rite missarum sollemniis, prout dignissimum est, ipsa die ad prandium consedisset, attenuatus corpore per sanctam quadragesimam non comedit. Interrogatus a suis, cur non comederet, ait: exspecto hospitem in proximo venientem, et inclinato capite super mensam exitum araneae praebet aperto ore. Quanta de tali adventu, quia potius miraculo, inter cunctos ibidem exsistentes fuerit laetitia, nullus sanae mentis ignorat. Obiit autem beatus Conradus episcopus post multarum exercitia virtutum VI cal. Decembr. anno domini nongentesimo LXVI, episcopatus vero XLII senex et plenus dierum.

CAP. CLXXXVII. (186.)

De sancto Hylarione.

Hylarion sanctus monachus fuit, cujus vitam virtutibus plenam scribit Hieronymus. Hujus parentes ydolis dediti, ipse (ut dicitur) rosa de spinis floruit. Alexandriam missus et ibi grammaticam discens ibidem etiam baptizatus est totaque illi voluntas in ecclesiae congregationibus fuit. Audiens nomen Antonii, in Aegyptum perrexit ad videndum eum. Quem ut vidit, statim habitum mutavit et duobus mensibus vix cum eo mansit. Contemplatus est enim ordinem vitae suae, gravitatem morum, quam creber in orationibus, quam humilis in suscipiendis fratribus, quam severus in corripiendis, alacer in exhortandis. Talem etiam habuit continentiam, ut cibi ejus asperitatem nulla ejus infirmitas frangeret. His virtutibus Hylarion instructus rediit ad patriam cum quibusdam monachis. Parentibus suis jam defunctis partem substantiae fratribus, partem etiam pauperibus dedit, sibi nihil omnino reservans. Erat autem annorum XV et solitudinem ingressus est sacco tantum coopertus et sagum rusticum, quod beatus Antonius ei dedit, cum ab eo discessit, secum tulit. Tandem XV caricas post solis occasum comedens hoc cibo contentus fuit, a XV. usque ad XX. aetatis suae annum aestus et pluvias brevi tugurio, quod junco et caricis texerat, declinavit. Deinde brevem cellam paravit latitudine pedum IV, longitudine vero pedum V, ut sepulchrum potius quam domum crederes. Capillos semel in anno, scilicet die paschae, totondit, super nudam terram in initio usque ad mortem cubavit. Saccum, quo semel indutus fuit, nunquam lavans nec mutans altero, nisi cum primo scissus esset. Scripturas sacras quasi memoriter tenens post orationem psalmos quasi Deo praesente cecinit, a XXI. anno usque ad XXVI. tribus annis primis dimidiae lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, aliis tribus sequentibus panem aridum cum sale et aqua sumsit. A XXVII. usque ad XXX. herbis agrestibus et virgultorum radicibus crudis sustentatus est, a XXX. unciam panis et coctum modicum olus absque oleo comedit. Sentiens autem caligare oculos et totum corpus in impetiginem verti et punicea scabedine contrahi, ad superiorem cibum adjecit parum olei. Et hoc usque ad LXIV. annum vitae suae tali cucurrit gradu nihil gustans pomorum aut leguminum seu cujuscunque alterius delectabilis rei. Hic dum videret, se corpore fatigatum, et exitum crederet imminere, a LXIV. usque ad LXX. pane abstinuit incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem Dei, quo caeteri solent remissius vivere. Fiebat autem ei sorbitiuncula de farina et cum minimo olei, vix pro cibo et potu V

uncias appendens sicque complevit ordinem vitae suae. Nunquam ante solis occasum nec in diebus festis nec in summa valetudine unquam solvit jejunium. Igitur potentissimus in miraculis, sanctitate incomparabilis LXXX. aetatis suae anno, cum absens esset Elicius, qui eum semper familiaris dilexerat, quasi in testimonium testamenti brevem manu propria scripsit literam, omnes divitias ei derelinquens, quas habuit, videlicet tunicam de sacco, cucullam et palliolum. Jamque modicus calor in pectore erat et quasi jam vix vivebat. Apertis oculis haec loquebatur: egredere, quid times? egredere, quid dubitas? LXXX vere annis Christo serviisti, et mortem times? Inter haec verba exhalavit spiritum statimque corpus ejus humanum obrutum est sicque et ipse omnes, qui ad aegrotantem venerant, rogavit, ne quidem punctum horae post mortem ejus corpus servaretur. Postmodum Elicius vir sanctus cum periculo vitae post X fere menses corpus ejus furatus est et in Palaestinam deferens monachis crebris prosequentibus laudibus monasterio condidit cum tunica, cuculla et pallio, toto corpore, quasi adhuc viveret, integro et multo fragrante odore, quasi optimis illibutum esset unguentis in testimonium ejus sanctissimae vitae ad laudem et insuperabilem ipsius Dei gloriam, qui vivit et regnat etc. Festum autem ipsius recolitur XII cal. Novembr., quo videlicet die XI [1]) millium virginum et beatae Ursulae festum celebratur.

CAP. CLXXXVIII. (187.)
Hystoria Caroli Magni.

Turpinus episcopus Remensis archiepiscopus, socius Caroli XIV annis, cum Hyspaniam et Galliciam a potestate paganorum liberasset, quae vidit, scribit Leoprando decano Aquisgrani. Primo quomodo sanctus Jacobus apostolus apparuit Carolo rogans, ut locum sepulturae suae purgaret et viam ad locum sui sepulchri praepararet, ut multitudo peregrinorum ibi peccata deleret. Promisit etiam sibi, se fore adjutorem in omnibus et cum hoc vitam aeternam [2]) possidendam. Conversi autem fuerant multi per praedicationem discipulorum Jacobi, sed recidivum passi sunt et fides Christi ibi deleta erat usque ad tempus Caroli, qui Hyspaniam et Galliciam christianam fecit per Christum. Prima urbs, quam obsedit, fuit Pampilona: tribus mensibus nequivit eam capere, quia inexpugnabiles erant muri. Oravit ergo: domine Jesu Christe, pro cujus fide huc veni, da mihi hanc urbem sancti Jacobi; si verum est, quod mihi apparuisti, da mihi capere eam. Tunc muri collapsi funditus ceciderunt. Saracenos, qui baptizari voluerunt, vivere permisit, alios omnes occidit. Quo audito aliae civitates miserunt ei tributum et se ei subjecerunt et facta est tota illa terra sub tributo. Visitato sarcophago beati Jacobi venit Petronum et ibi infixit lanceam in mare dicens gratias et addidit: hucusque nunquam nisi nunc venire potui. Tunc subjugavit sibi omnem Galliciam et Hyspaniam a mari usque ad mare. Item civitatem unam obtinuit, in qua erant XC turres. Item Lucernam civitatem IV mensibus obsedit, quam capere non valens, Deum et sanctum Jacobum invocavit: tunc ceciderunt muri ejus et est deserta usque nunc cum aliis tribus civitatibus, quas ipse dominus anathematizavit, ut olim Jericho. Omnia ydola delevit praeter unum, quod, ut dicunt Saraceni, Magumeth, quem ipsi colunt, cum viveret, in suo nomine fabricavit et daemonum legionem ibi arte magica colligavit, qui tanta fortitudine illud servant, quod a nullo unquam frangi

1) Ed. Pr. XI Mariae virgini praefert. 2) Alii: in praemio praeferunt.

potuit. Cum enim aliquis christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur sed paganus, cum orandi causa venerit, illaesus abit. Avis, quae super illud sederit, statim moritur. Est igitur in maris margine lapis altus, quantum potest corvus volare sursum, infra latus et quadratus, supra strictus, super quem est imago illa de aurichalco optimo in effigiem hominis fusa, super pedes suos erecta, faciem habens versus meridiem, in manu dextra habens clavem magnam, quae cadet de manu ejus anno, quo rex in Gallia natus fuerit, qui totam Hyspaniam christianam faciet. Mox, qui viderint clavem lapsam, gazis suis in terram positis omnes fugient. Ex auro, quod reges et principes dabant Carolo, similiter quoque pagani, ipse Carolus fecit templum sancto Jacobo et ornamenta multa et canonicos instituit. Similiter Aquisgrani de illo aedificavit et multas alias ecclesias. Reverso Carolo paganus rex Africanus Hyspaniam sibi subjugavit, christianos multos occidit, quos Carolus terrae custodes posuerat. Quo audito Carolus rediit cum multis exercitibus et venit Bajonam, urbem Vascorum, ubi Romaricus moriens cuidam consanguineo ejus suum equum et caetera sacerdotibus et pauperibus distribuenda commisit, quoniam super se audivit daemones quasi rugitus leonum, luporum et vitulorum habentes, raptus per dietas IV ductus ab exercitu Caroli est inventus. Carolo in crastinum pugnaturo cum Argolando, qui Hyspaniam reacquisiverat, in sero parant se milites Caroli, ut mane sint ad bellum promti, et hastas suas ante tentoria in pratis fixerunt in terra, quas mane invenerunt in corticibus et frondibus decoratas et in terra radicatas. Absciderunt eas prope terram et de radicibus postea *crevit* magna silva. Horum hastae floruerunt, qui ipso die occidendi erant et sanctorum numero inserendi. Sunt autem tunc occisa XL millia et dux Milo pater Rotolandi et equus Caroli. Tunc stetit Carolus cum duobus tantum millibus et spatha, quae dicitur gaudiosa, multos paganos occidit. In sero utrique redeunt in castra. Crastino veniunt IV nobiles cum IV millibus pugnatorum, unde pagani fugiunt et Carolus in Galliam rediit. Postea rediens iterum cum IV millibus militum Carolus et horum hastae floruerunt, qui laeti et primi pugnaverunt et paganos innumerabiles occiderunt et post ipsi occisi sunt et equus Caroli, ubi stans multos occidit, donec fugerent pagani. Iterum mandavit Argolandus Carolo bellum, unde Carolus venit cum CXXXIII millibus. Tunc Carolus et Argolandus multa simul locuti sunt de causa belli et fide. Inter quae dixit Argolandus: pugnemus pro fide; si vincar, baptizabor. Vadunt ergo XX christiani contra XX paganos et occidunt eos. Postea XL et evenit ut primo, postea C et factum est similiter, iterum M, sed semper christiani paganos occiderunt. Tunc datis treugis venit Argolandus ad Carolum baptizandus, dicens Carolo: lex tua sanctior est, et praecepit paganis, ut baptizarentur; illi consenserunt. Tunc Argolandus vidit ordines in mensa et quaesivit, qui essent. Respondit Carolus, hos esse episcopos, hos monachos, hos canonicos, hos pauperes, quos dicit nuntios esse Dei. Cui ille: male tractas nuntios Dei, propter hoc nolo baptizari. Hic notandum, quod grave peccatum sit, male tractare pauperes. Propter hoc Carolus tanta laetitia baptizandorum est privatus. Crastino Carolus pugnaturus habuit CXXXIV millia, Argolandus C millia. Ibi occisus est Argolandus et sua C millia. Victores in sanguine stabant usque ad bases civitatis, quae mox capta est paganis omnibus occisis. Tunc M christiani nocte spoliaverunt mortuos Carolo ignorante, qui onustati auro et argento cum ad Carolum redire vellent, a paganis, qui fugerant, sunt occisi. Et hoc fecit iis avaritia. Princeps Navarrorum mandat iterum Carolo bellum, qui oravit dominum, ut ostendat sibi in illo bello morituros. Crastino armato exercitu Carolus vidit rubeam crucem in humeris moriendorum retro supra loricas, quos omnes in oratorio suo retrusit, ne occiderentur. Peracto bello et occisis fere C millibus paganorum Carolus, quos in oratorio truserat, reperit mortuos, videlicet CL. Tunc Carolus expugnavit totam patriam Navarrorum. Postea dicitur Carolo, quod rex Babylonis miserat contra eum de Syria XX millia currunm, et ipse de genere Goliath, qui vulnerari non poterat, nisi in umbilico, vires XL fortium habuit. Statura ejus cubitorum XII, facies ejus longa unius cubiti, digiti tribus palmis, qui

omnes contra se missos portavit in civitatem Otogorum. Primo Raynaldum, secundo Constantinum regem Romanorum et alium comitem, tres illos omnes simul levans quasi pueros dextra et laeva tulit in carcerem, et XX pugnatores, quos similiter deportavit. Rotolandus vero fixit eum in umbilico, unde clamavit: Magumeth juva, quia morior. Accurrunt ergo pagani et portant eum mox in civitatem et sic christiani cum iis intraverunt et praefatum gigantem occidunt et civitatem capiunt. Rotolandus giganti praedicavit de trinitate quaerenti: Abraham vidit tres etc. Item: in cithara, cum sonat, tria sunt, ars, manus et chorda. In amygdalo tria sunt, corium, testa, nucleus. Similiter in sole cursus, splendor et calor. In rota planstri medium, brachia, circulus. In homine corpus, anima, umbra. Sic unum est tria. Ita in Deo tres personae unum sunt. Item quaerit gigas: quomodo potuit virgo parere? Respondit Rotolandus: Deus, qui fabae, gurgulioni et arbori facit gignere vermes multosque pisces ex aqua producit, volucres, apes, serpentes sine masculino semine facit prolem gignere, potuit idem Deus virginem facere parere. De ascensione quaerenti respondit: rota molendini quantum ad ima descenderit de superius, tantum ascendit e converso, avis de monte descendens redit in altum, sol in oriente surgit et tendit in occidentem et iterum redit in orientem. Ita et Christus, unde descendit, iterum ascendit. Cui gigas: modo pugnemus de fide. Tunc accidit, quod in proximo capitulo dictum est, quomodo exercitus Caroli facies equorum linteis operuit, ne viderent larvas hostium, et obstruxerunt aures equorum, ne audirent tympana, per quae prius fugati fuerant, quando pagani fecerant singulos viros ante singulos equos incedere larvatos et tympana percutientes, unde modo victoriam habuerunt. Tunc Carolus irrumpens vexillum in curru abscidit, alias enim nunquam fugissent. Sic occidit VIII millia paganorum, urbem cepit et postea in Hyspania nemo Carolum ausus est impugnare. Postea venit ad sanctum Jacobum et omnia destructa ibi reaedificat statuitque ad honorem sancti Jacobi omnes reges et principes praesentes et futuros episcopo sancti Jacobi obedire. Tunc ergo Turpinus Remensis archiepiscopus sancti Jacobi ecclesiam et altare cum LX episcopis Caroli rogatu cal. Junii honorifice dedicavit et Carolus tunc dedit ecclesiae sancti Jacobi in dotem totam Galliciam et Hyspaniam, ut quilibet possessor domus annuatim IV denarios persolveret et ab omni servitute regis et principum liberi essent, et ut ibi sint concilia et virgae episcopales et coronae regales per manus episcopi loci praebeantur. Et ut beatus Jacobus et Johannes cum matre petierunt, ut unus sedeat ad dextram, alter ad sinistram Christi, Johannes in oriente patronus est apud Ephesum, Jacobus in occidente. Romam apostolicam sedem Petrus habet merito, quia ipsi erant Christo prae caeteris familiares. Principalis tamen est Petrus, quia Christus eum voluit esse principem apostolorum. Tantae fortitudinis fuit Carolus, quod IV ferraturas equi simul manibus facile extendebat et militem armatum stantem super palmam suam a terra usque ad caput suum facile levabat. Tantae largitatis, quod in quatuor festis curiam praecipue habuit in Hyspania, scilicet in nativitate Christi, in pascha et pentecoste Jacobi, per singulas noctes eum custodiebant CXX fortes, prima noctis vigilia XL ei adstiterunt, X ad caput, X ad pedes, X ad dextram, X ad sinistram, dextra spatham nudam, sinistra candelam ardentem habentes. Hoc modo secundam vigiliam quadraginta, sic quadraginta tertiam vigiliam fecerunt. Qui plura de virtutibus ejus scire voluerit, cernat, quomodo Romae imperator fuit. Ecclesias multas et abbatias instituit, sepulchrum domini visitavit, multorum sanctorum corpora in argento et auro locavit. Cum rediret Carolus de Hyspania, adhuc erant duo reges pagani apud Caesaream Augustam Marsirus et Heligandus frater ejus a rege Babyloniae de Perside in Hyspaniam missi, qui Carolo ficte subjacebant. Quibus Carolus mandavit, ut baptizarentur vel tributum sibi mittant. Qui miserunt ei XXX equos oneratos auro et argento gazisque Hyspanicis et CCCC equos vino dulcissimo oneratos pugnatoribus ad potandum et mille Saracenas feminas formosas. Nuntio vero Caroli Gamaleoni XXX equos oneratos auro et argento et palliis dederunt, ut pugnatores in manus eorum traderet. Quod et fecit. Nuntius Carolo munera tulit, sed vinum et mulieres

acceperunt pugnatores, dixitque rex Marsirus, quod veniret baptizandus. Cui occurrit Carolus cum LV millibus, venerunt et pagani et horum XX millia ceciderunt christiani. Similiter et christianorum XXX millia a paganis sunt occisa propter hebetudinem animi et fornicationem eorum. Ibi occisi sunt omnes pugnatores praeter Rotolandum et alios quinque. Tunc Rotolandus cum V viris evasit et occidit Marsirum, ipse solus IV lanceis fixus evasit. Tunc marmoreum lapidem trino ictu in duas partes divisit a summo usque deorsum gladio suo, quem voluit frangere, quando vidit se moriturum, ne pagani eundem gladium acciperent. Cornu suum sufflando fregit et cervicem colli sui laesit socios vocando. Cum sufflationem Carolus audivit, venire voluit, sed praefatus traditor eum avertit, dicens eum in venatione esse. Adhuc Carolus necem et traditionem suorum ignoravit. Ad obitum Rotolandi venit Theodericus, qui vidit compunctionem et orationem ejus. Tribus vicibus carnem suam tetegit dicens: et in carne mea videbo Deum salvatorem meum. Similiter tetigit et oculos dicens: quem visurus sum ego ipse etc. Et ait: memento mei, domine, quia pro honore tuo exsul morior, memor esto sociorum meorum similiter occisorum pro te. Tunc signans se cruce ait: nunc videbo, quod oculus non vidit etc. Et sic exspiravit sanctissimus martir Rotolandus. Ego Turpinus nesciens Rotolandum defunctum ipso die obitus ejus missam defunctorum praesente Carolo celebravi XVI cal. Julii et raptus in exstasi audivi choros in coelestibus cantantes, ignorans, quid hoc esset; post hoc daemones quasi praedam ducentes, quibus dixi: quid fertis? responderunt: Marsirum ad infernum, sicut Michael Rotolandum ad coelestia. Missa celebrata dixi hoc Carolo. Cum hoc dicerem, venit *Baldevinus* super equum Rotolandi dicens, Rotolandum se reliquisse in agonia. Cito exercitus venit ad funus, sed Carolus primus invenit eum exanimatum, brachia super pectus posuerat in formam crucis. Tunc Carolus irruit super illum; quis planctum illius explicet? Balsamo, myrrha et oleo conditus est et cum eo ibi pernoctavit exercitus; XXXVIII annorum obiit. Crastino armati vadunt ad locum certaminis, ubi aliquis amicum semivivum reperit, aliquis mortuum, Oliverium defunctum invenerunt quatuor palis in terram fixis, extensum vestibus retortis, ligatum a collo usque ad ungues pedum et manuum, excoriatum sagittis, lanceis, spathis perforatum. Totum nemus clamoribus impletur, quilibet suum amicum ejulando. Tunc Carolus juravit per omnipotentem, quod currere non cessaret, donec hostes inveniret. Et invenit eos coenantes IV milliaque occidit. Stetit sol immobilis et prolongata est dies illa spatio trium dierum et invento traditore Ganaleone praecepit eum Carolus IV equis fortissimis totius exercitus alligari et super eos assessores agitantes contra IV plagas orbis. Et sic digna morte interiit discerptus exemplo Judae proditoris. XII millia unciarum argenti et XII millia talentorum auri, vestes et cibaria data sunt pro animabus defunctorum. *Rotolandus* in ecclesia Romana sepelitur, gladius ejus ad caput suspenditur. Omnem terram circa oppidum Blaviense VI dierum spatio, ubi Rotolandus sepultus est, canonicis regularibus, quos ipse Carolus restauraverat, jussit dari, ut annuatim anniversario sancti Rotolandi triginta pauperes omnibus necessariis vestibus induerent, cibis reficerent, triginta psalteria et tot missas pro omnium defunctorum animabus occisorum dicerent, de reliquo ipsi viverent. Post hoc Carolus sanctum Dionysium honoravit, omnem Franciam ecclesiae ejus in praedio dedit et praecepit, ut omnes Franci praesentes et futuri etiam reges pastori ecclesiae obedirent et quaelibet domus annuatim IV denarios daret ipsi ecclesiae. Et stans apud corpus beati Dionysii oravit pro animabus occisorum in Hyspania et pro his, qui libenter praefatos denarios solverent. Nocte proxima regi dormienti Dionysius apparuit eumque excitavit dicens: qui tuo exemplo in Hyspania occisi sunt vel occidentur, omnium delictorum veniam impetravi; similiter de IV denariis gravioris sui vulneris medicinam impetravi. Hoc Carolus dixit omnibus. Tunc Carolus Aquisgrani mira matri Dei operatus est, unde provocati sunt etiam ad bona facienda multi alii. Tunc mihi Turpino mors Caroli revelata est hoc modo. Cum apud Viennam die quadam in exstasi raptus orationi vacarem, psalmum: Deus in adjutorium dicerem, daemonum agmina praecedebant versus Lotharingiam. Cum

omnes transiissent, vidi unum quasi Aethiopem gressu tardo sequentem, cui dixi: quo itis? Respondit: Aquisgrani tollere animam Caroli. Cui dixi: adjuro te per Christum, ut redeas ad me dicens, quid actum sit. Tunc parum morati redeunt ut prius ordinati. Dixi ergo ei, cui prius dixeram: quid egistis? Respondit: Galicianus sine capite tot lapides et ligna ecclesiarum tulit in statera, quod plus appenderunt ei bona quam mala, et ideo animam ejus a nobis abstulit. Quo dicto evanuit et ego cognovi, illa hora Carolum esse defunctum. Ipse etiam mihi, quando ab invicem recessimus, me rogante promisit, mihi, si fieri posset, nuntium suae mortis mitteret. Similiter ego sibi de mea morte promisi. Unde aegrotans ad mortem praecepit cuidam militi alumno suo, ut mortem ejus mihi nuntiaret. Quod et fecit. Quinto cal. Februarii obiit anno domini octingentesimo decimo quarto.

CAP. CLXXXIX. (188.)

De conceptione beatae Mariae virginis.

Anshelmus Cantuariensis archiepiscopus et pastor Anglorum coepiscopis suis cunctisque orthodoxis salutem et perpetuam in domino benedictionem. Conceptio veneranda Dei genitricis et perpetuae virginis Mariae, dilectissimi fratres, quemadmodum per multorum signorum experimenta in Anglia et Francia caeterisque conclimatibus celebranda sit, olim declarata, me narrante audiat dilectio vestra [1]).

Tempore namque illo, quo divinae placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere suaeque virtutis officiis arctius astringere, gloriosissimus Normannorum dux Guilhelmus eandem patriam debellando subegit et regi eorum Eraldo nomine impio et tyranno clerique persecutori et honoris ecclesiastici subversori reddidit in bello pro meritis talionem. Quo caeso [2])Guilhelmus factus Dei virtute et industria sua Anglorum rex totius ecclesiasticae dignitatis honores in melius reformavit. Cujus piae intentionis operibus invidens ille bonorum omnium inimicus dyabolus tum familiarium fraudibus tum extraneorum incursibus multotiens conatus est ejus obsistere successibus, sed domino protegente ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Daci Angliam subjectam esse Normannis, graviter indignati, se suo quasi hereditario regno privari, arma praeparant, classem aptant, ut eos adeuntes a data sibi divinitus patria expellant. Hoc comperto Guilhelmus rex prudentissimus [3])Helsinum quendam religiosum abbatem Ramesiensis coenobii ad Daciam dirigit, ut inquirat veritatem hujus rei. At ille vir admodum sagacis ingenii strenue negotium regis exsequitur. Quo fideliter peracto ad Angliam reverti cupiens mare ingreditur et jam maximam partem maris prospero cursu transierat, cum subito densis surgentibus undique ventis horrida tempestas coelum commovit et undas. Fatigatis igitur nautis nec ultra valentibus obniti, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis spes salutis amittitur et nihil nisi submersionis indicium miserabiliter exspectatur. Cumque de salute corporum desperati animarum curam solummodo creatori suo magnis clamoribus commendarent et beatissimam Dei genitricem Mariam miserorum scilicet refugium et desperatorum spem devote invocarent, subito quendam venerandae habitudinis virum pontificali infula de-

1) Tota haec periodus inde a verbis: Anshelmus — vestra in optimis codd. et edit. princ. multisque aliis libris ed. deest. 2) Ed. Pr. legit: Gilberto et omittit verba, quae sequuntur usque ad vocem: totius etc. 3) Ed. Pr. legit: Ulsinum.

coratum quasi inter undas navi proximum viderunt. Qui advocans ad se Helsinum abbatem his verbis coepit compellare eum: vis, inquit, periculum evadere, vis ad patriam sanus ire? Cumque ille cum fletu in toto corde desiderare id solum expetere responderet, tunc ille: scias, inquit, me ad te a domina nostra Dei genitrice Maria, ad quam dulciter reclamasti, directum et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus imminens evades periculum maris. Spondet ille, illico se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet periculum. Promitte, inquit, mihi et Deo, quod diem conceptionis et creationis matris Christi celebrabis et celebrandum praedicabis. At ille ut vir prudentissimus: et quis, inquit, mihi dies festus erit celebrandus? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum tenebis. Et quo, inquit, abbas, officio utemur in ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium, quod dicitur in nativitate ejus, dicetur in conceptione, excepto, quod nomen nativitatis mutabitur in nomen conceptionis. His dictis ille disparuit, et citius dictu sedata tempestate abbas cum suis incolumis concito flatu applicuit Anglicis littoribus et quae viderat et audierat, quibus potuit, notificavit. Statuit autem idem festum in [1]) Ramesiensi coenobio sollemniter celebrari et ipse, quoad vixit, devotis obsequiis sollemniter celebravit. [2]) Et nos ergo, fratres carissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis creationem et conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab ejus filio digna mercede remuneremur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Rursum haec sollemnitas alio modo alibi declaratur. Temporibus namque Caroli regis clericus quidam ordine Levita Ungariae regis germanus beatam Dei genitricem Mariam toto corde diligere ejusque horas cantare solitus parentum suorum consilio nubere volens cum quadam adolescentula valde, accepta a presbitero nuptiali benedictione, die quadam missa etiam jam celebrata recordatur, quia ejusdem beatae Mariae virginis horas die illa juxta morem suum non cantaverat. Omnes ab ecclesia exire coegit, sponsam domum mittens et ipse juxta altare solus remansit, cumque solus dominicae matris horas decantando hanc antiphonam, scilicet: pulchra es et decora, cantaret, subito apparuit ei domina nostra et perpetua Dei genitrix virgo Maria cum duobus angelis dextram ei et laevam tenentibus dicens ei: si ego sum pulchra et decora, quid est, quod me dimittis et aliam sponsam accipis? Numquid ego non sum pulchrior illa? Numquid non ego sum optime formosa? Numquid non ego sum valde decora? Ubi vidisti tam pulchram? Cui ille: domina mea, inquit, claritudo tua omnem pulchritudinem mundi excellit, tu es super thronos et choros angelorum elevata, tu es super coelos coelorum exaltata. Quid ergo vis, ut faciam? At illa: si sponsam, inquit, carnalem, cui adhaerere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in coelesti regno habebis, et si conceptionis meae festa annuatim sexto idus Decembr. sollemniter celebraveris et colenda praedicaveris, mecum in regno unigeniti mei haeres tu eris. His itaque dictis domina nostra ab oculis se videntis disparuit, clericus vero domum redire nolens absque parentum suorum consilio illico abbatiam quandam ingressus monachi habitu decoratur, ubi post exiguum temporis meritis beatae Mariae semper virginis, quae diligentes se semper remunerat, decorat et beneficat, Aquilejae episcopus patriarcha factus festum ejusdem conceptionis die praefato, quamdiu vixit, annuatim cum propriis etiam octavis diligenter celebravit et celebrandum praedicavit. Iterum haec festivitas aliter alibi declaratur. In pago Gallico canonicus quidam ordine sacerdos, sollicitus cantans beatae Mariae virginis horas nocturnales a villa quadam, ubi cum uxore cujusdam adulteratus fuerat, rediens ad oppidum, ubi morabatur, tendere curans, fluvium Sequanae transmeare cupiens solus navim ingressus dominicae matris matutinas navigando canere coepit, cumque invitatorium: ave Maria gratia plena dominus tecum, diceret et jam in medio fluminis esset, ecce daemonum turba una cum ejus navicula eum praecipitaverunt et ejus animam, sicut promeruerat,

---

1) Et hic et antea Ed. Pr. legit: Remensi. 2) Verba sequentia: Et — Amen plerumque omissa sunt. Ed. Pr., quae ea retinet, omnia, quae porro in hoc capite leguntur, omittit.

rapuerunt ad tormenta. Die autem tertio ad locum, quo daemones cum tormentis eam afficiebant, venit beata virgo Maria cum sanctorum turba dicens iis: 1)ad quid mei familiaris animam injuste afficitis? Nos, inquiunt, eam debemus habere, quoniam capta est in nostro opere. Si illius, inquit virgo, esse debet, cujus opera faciebat, ergo nostra esse debet, quoniam matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat; unde magis rei facti estis, quia erga me inique egistis. His itaque dictis daemonibus huc et illuc fugientibus sanctissima virgo animam reduxit ad corpus et per brachium hominem ab utroque funere resuscitatum arripiens aquam a dextris et a sinistris quasi murum stare jubens de profundo fluvii ad portum incolumem adduxit. At ipse gavisus pedibus ejus est prostratus et ait ei: carissima domina mea et virgo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficiis, quae mihi fecisti? Precor, inquit Dei genitrix, ne amplius in adulterii peccata cadens conceptionis meae festa sexto idus Decembris sollemniter celebres et celebranda denunties. Mox, ut ipsa locuta est, coelos eo vidente ascendit, at ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire cupientibus enarravit et quamdiu vixit, eadem festa celebravit et celebranda praedicavit. Et nos ergo, fratres carissimi, hoc idem nostra auctoritate episcopali corroboramus et praecipimus, ut nullus vestrum ita sit rebus temporalibus aut propriis delictis occupatus, quin beatae Mariae virginis venerandam conceptionem annuatim celebret et ejus horas per unumquemque diem excepto die dominico vel die novem lectionum decantet. Unde etiam notandum est, quod, si aliquis propter peccatorum suorum desperationem Dei officium facere noluerit, dupliciter coram Deo reus erit; uno modo, quia peccatum fecit, altero, quia pro peccato suo Deo servire noluit. Hinc ad Petrum dominus ait: si te peccatorem consideras, oportet, ut a te Deum tuum non repellas. Deum a se repellit, qui propter peccata bonum opus facere renuit. Si nos peccatores esse recognoscimus, oportet ut Dei genitricem apud filium suum exoratricem et auxiliatricem habeamus. Si enim adversum nos summus judex pro nostris facinoribus iratus fuerit, ipsa nobis potest facere filium placatum, quae eum genuit. Nullus erit tantus peccator in hoc seculo, si ipsa filium suum exoraverit pro eo, quin recipiat veniam in futuro. Quidquid enim a filio suo petierit, totum veraciter obtinebit. Quid de Theophilo dicamus? Theophilus vicedominus cujusdam episcopi Ciliciorum exstitit. Hic postquam accusatus apud dominum fuit et a proprio officio expulsus, paupertate contritus cujusdam Judaei consilio, qui cum dyabolo per artem magicam usu loquebatur, christianitatem suam abnegans eidem dyabolo semet ipsum in servum commendavit. Unde valde post exiguum tempus poenitens in quadam beatae Mariae virginis basilica per quadraginta dies ante ejus imaginem plorans vigilavit. Cui prae nimio labore et lassitudine precum dormienti apparuit beata et immaculata mater Dei virgo Maria et corripiens eum reddidit ei chirographum, quod dyabolo praefati Judaei dederat, quod ipsa Dei genitrix ab ipso vi abstulerat. Tunc Theophilus evigilans super pectus suum chirographum positum invenit et mox crastino die haec episcopo cunctisque civibus enarravit. Et statim idem episcopus data sibi poenitentia salutari et absolutione facta duxit illum ante altare ad communicandum. Cum autem corpus Christi de manu episcopi acciperet, descendit super illum spiritus sanctus in specie solis et refulsit facies ejus ut sol. Denique in praefata basilica tribus diebus totidemque noctibus agens Deo et beatae Mariae virgini gratias, insistens precibus et consiliis, ut dies conceptionis beatae virginis Mariae, ut praedictum est, sollemniter celebretur, spiritum Deo reddidit. Ecce quia beata Dei genitrix Theophilum desperatum ad veniam reduxit et praefatum presbiterum triduanum mortuum etiam a daemonibus eripuit et ad vitam revocavit, quanto ergo magis, fratres carissimi, beatos faciet illos, qui eam assidue invocabunt, si eos, qui solo momento eam interpellaverunt, miserens juvit? Sanctionenses namque et Romani ejus matutinas cum novem lectionibus die sabbatorum bono more decantantes

1) Vulgo: ut quid.

te in hac cathedra sedebit, videlicet Gamelonus. Sanctus etiam Conradus infra missarum sollemnia post consecrationem corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi in die sancto paschae araneam lapsam in calicem cum sanguine domini fiducialiter sumsit, cumque terminatis rite missarum sollemniis, prout dignissimum est, ipsa die ad prandium consedisset, attenuatus corpore per sanctam quadragesimam non comedit. Interrogatus a suis, cur non comederet, ait: exspecto hospitem in proximo venientem, et inclinato capite super mensam exitum araneae praebet aperto ore. Quanta de tali adventu, quin potius miraculo, inter cunctos ibidem exsistentes fuerit laetitia, nullus sanae mentis ignorat. Obiit autem beatus Conradus episcopus post multarum exercitia virtutum VI cal. Decembr. anno domini nongentesimo LXVI, episcopatus vero XLII senex et plenus dierum.

CAP. CLXXXVII. (186.)

De sancto Hylarione.

Hylarion sanctus monachus fuit, cujus vitam virtutibus plenam scribit Hieronymus. Hujus parentes ydolis dediti, ipse (ut dicitur) rosa de spinis floruit. Alexandriam missus et ibi grammaticam discens ibidem etiam baptizatus est totaque illi voluntas in ecclesiae congregationibus fuit. Audiens nomen Antonii, in Aegyptum perrexit ad videndum eum. Quem ut vidit, statim habitum mutavit et duobus mensibus vix cum eo mansit. Contemplatus est enim ordinem vitae suae, gravitatem morum, quam creber in orationibus, quam humilis in suscipiendis fratribus, quam severus in corripiendis, alacer in exhortandis. Talem etiam habuit continentiam, ut cibi ejus asperitatem nulla ejus infirmitas frangeret. His virtutibus Hylarion instructus rediit ad patriam cum quibusdam monachis. Parentibus suis jam defunctis partem substantiae fratribus, partem etiam pauperibus dedit, sibi nihil omnino reservans. Erat autem annorum XV et solitudinem ingressus est sacco tantum coopertus et sagum rusticum, quod beatus Antonius ei dedit, cum ab eo discessit, secum tulit. Tandem XV caricas post solis occasum comedens hoc cibo contentus fuit, a XV. usque ad XX. aetatis suae annum aestus et pluvias brevi tugurio, quod junco et caricis texerat, declinavit. Deinde brevem cellam paravit latitudine pedum IV, longitudine vero pedum V, ut sepulchrum potius quam domum crederes. Capillos semel in anno, scilicet die paschae, totondit, super nudam terram in initio usque ad mortem cubavit. Saccum, quo semel indutus fuit, nunquam lavans nec mutans altero, nisi cum primo scissus esset. Scripturas sacras quasi memoriter tenens post orationem psalmos quasi Deo praesente cecinit, a XXI. anno usque ad XXVI. tribus annis primis dimidiae lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, aliis tribus sequentibus panem aridum cum sale et aqua sumsit. A XXVII. usque ad XXX. herbis agrestibus et virgultorum radicibus crudis sustentatus est, a XXX. unciam panis et coctum modicum olus absque oleo comedit. Sentiens autem caligare oculos et totum corpus in impetiginem verti et punicea scabedine contrahi, ad superiorem cibum adjecit parum olei. Et hoc usque ad LXIV. annum vitae suae tali cucurrit gradu nihil gustans pomorum aut leguminum seu cujuscunque alterius delectabilis rei. Hic dum videret, se corpore fatigatum, et exitum crederet imminere, a LXIV. usque ad LXX. pane abstinuit incredibili fervore mentis, ut eo tempore quasi novus accederet ad servitutem Dei, quo caeteri solent remissius vivere. Fiebat autem ei sorbitiuncula de farina et cum minimo olei, vix pro cibo et potu V

uncias appendens sicque complevit ordinem vitae suae. Nunquam ante solis occasum nec in diebus festis nec in summa valetudine unquam solvit jejunium. Igitur potentissimus in miraculis, sanctitate incomparabilis LXXX. aetatis suae anno, cum absens esset Elicius, qui eum semper familiaris dilexerat, quasi in testimonium testamenti brevem manu propria scripsit literam, omnes divitias ei derelinquens, quas habuit, videlicet tunicam de sacco, cucullam et palliolum. Jamque modicus calor in pectore erat et quasi jam vix vivebat. Apertis oculis haec loquebatur: egredere, quid times? egredere, quid dubitas? LXXX vere annis Christo serviisti, et mortem times? Inter haec verba exhalavit spiritum statimque corpus ejus humanum obrutum est sicque et ipse omnes, qui ad aegrotantem venerant, rogavit, ne quidem punctum horae post mortem ejus corpus servaretur. Postmodum Elicius vir sanctus cum periculo vitae post X fere menses corpus ejus furatus est et in Palaestinam deferens monachis crebris prosequentibus laudibus monasterio condidit cum tunica, cuculla et pallio, toto corpore, quasi adhuc viveret, integro et multo fragrante odore, quasi optimis illibutum esset unguentis in testimonium ejus sanctissimae vitae ad laudem et insuperabilem ipsius Dei gloriam, qui vivit et regnat etc. Festum autem ipsius recolitur XII cal. Novembr., quo videlicet die XI [1]) millium virginum et beatae Ursulae festum celebratur.

CAP. CLXXXVIII. (187.)
Hystoria Caroli Magni.

Turpinus episcopus Remensis archiepiscopus, socius Caroli XIV annis, cum Hyspaniam et Galliciam a potestate paganorum liberasset, quae vidit, scribit Leoprando decano Aquisgrani. Primo quomodo sanctus Jacobus apostolus apparuit Carolo rogans, ut locum sepulturae suae purgaret et viam ad locum sui sepulchri praepararet, ut multitudo peregrinorum ibi peccata deleret. Promisit etiam sibi, se fore adjutorem in omnibus et cum hoc vitam aeternam [2]) possidendam. Conversi autem fuerant multi per praedicationem discipulorum Jacobi, sed recidivum passi sunt et fides Christi ibi deleta erat usque ad tempus Caroli, qui Hyspaniam et Galliciam christianam fecit per Christum. Prima urbs, quam obsedit, fuit Pampilona: tribus mensibus nequivit eam capere, quia inexpugnabiles erant muri. Oravit ergo: domine Jesu Christe, pro cujus fide huc veni, da mihi hanc urbem sancti Jacobi; si verum est, quod mihi apparuisti, da mihi capere eam. Tunc muri collapsi funditus ceciderunt. Saracenos, qui baptizari voluerunt, vivere permisit, alios omnes occidit. Quo audito aliae civitates miserunt ei tributum et se ei subjecerunt et facta est tota illa terra sub tributo. Visitato sarcophago beati Jacobi venit Petronum et ibi infixit lanceam in mare dicens gratias et addidit: huc usque nunquam nisi nunc venire potui. Tunc subjugavit sibi omnem Galliciam et Hyspaniam a mari usque ad mare. Item civitatem unam obtinuit, in qua erant XC turres. Item Lucernam civitatem IV mensibus obsedit, quam capere non valens, Deum et sanctum Jacobum invocavit: tunc ceciderunt muri ejus et est deserta usque nunc cum aliis tribus civitatibus, quas ipse dominus anathematizavit, ut olim Jericho. Omnia ydola delevit praeter unum, quod, ut dicunt Saraceni, Maguneth, quem ipsi colunt, cum viveret, in suo nomine fabricavit et daemonum legionem ibi arte magica colligavit, qui tanta fortitudine illud servant, quod a nullo unquam frangi

---

1) Ed. Pr. XI Mariae virgini praefert. 2) Alii: in praemio praeferunt.

potuit. Cum enim aliquis christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur sed paganus, cum orandi causa venerit, illaesus abit. Avis, quae super illud sederit, statim moritur. Est igitur in maris margine lapis altus, quantum potest corvus volare sursum, infra latus et quadratus, supra strictus, super quem est imago illa de aurichalco optimo in effigiem hominis fusa, super pedes suos erecta, faciem habens versus meridiem, in manu dextra habens clavem magnam, quae cadet de manu ejus anno, quo rex in Gallia natus fuerit, qui totam Hyspaniam christianam faciet. Mox, qui viderint clavem lapsam, gazis suis in terram positis omnes fugient. Ex auro, quod reges et principes dabant Carolo, similiter quoque pagani, ipse Carolus fecit templum sancto Jacobo et ornamenta multa et canonicos instituit. Similiter Aquisgrani de illo aedificavit et multas alias ecclesias. Reverso Carolo paganus rex Africanus Hyspaniam sibi subjugavit, christianos multos occidit, quos Carolus terrae custodes posuerat. Quo audito Carolus rediit cum multis exercitibus et venit Bajonam, urbem Vascorum, ubi Romaricus moriens cuidam consanguineo ejus suum equum et caetera sacerdotibus et pauperibus distribuenda commisit, quoniam super se audivit daemones quasi rugitus leonum, luporum et vitulorum habentes, raptus per diaetas IV ductus ab exercitu Caroli est inventus. Carolo in crastinum pugnaturo cum Argolando, qui Hyspaniam reacquisiverat, in sero parant se milites Caroli, ut mane sint ad bellum promti, et hastas suas ante tentoria in pratis fixerant in terra, quas mane invenerunt in corticibus et frondibus decoratas et in terra radicatas. Absciderunt eas prope terram et de radicibus postea crevit magna silva. Horum hastae floruerunt, qui ipso die occidendi erant et sanctorum numero inserendi. Sunt autem tunc occisa XL millia et dux Milo pater Rotolandi et equus Caroli. Tunc stetit Carolus cum duobus tantum millibus et spatha, quae dicitur gaudiosa, multos paganos occidit. In sero utrique redeunt in castra. Crastino veniunt IV nobiles cum IV millibus pugnatorum, unde pagani fugiunt et Carolus in Galliam rediit. Postea rediens iterum cum IV millibus militum Carolus et horum hastae floruerunt, qui laeti et primi pugnaverunt et paganos innumerabiles occiderunt et post ipsi occisi sunt et equus Caroli, ubi stans multos occidit, donec fugerent pagani. Iterum mandavit Argolandus Carolo bellum, unde Carolus venit cum CXXXIII millibus. Tunc Carolus et Argolandus multa simul locuti sunt de causa belli et fide. Inter quae dixit Argolandus: pugnemus pro fide; si vincar, baptizabor. Vadunt ergo XX christiani contra XX paganos et occidunt eos. Postea XL et evenit ut primo, postea C et factum est similiter, iterum M, sed semper christiani paganos occiderunt. Tunc datis treugis venit Argolandus ad Carolum baptizandus, dicens Carolo: lex tua sanctior est, et praecepit paganis, ut baptizarentur; illi consenserunt. Tunc Argolandus vidit ordines in mensa et quaesivit, qui essent. Respondit Carolus, hos esse episcopos, hos monachos, hos canonicos, hos pauperes, quos dicit nuntios esse Dei. Cui ille: male tractas nuntios Dei, propter hoc nolo baptizari. Hic notandum, quod grave peccatum sit, male tractare pauperes. Propter hoc Carolus tanta laetitia baptizandorum est privatus. Crastino Carolus pugnaturus habuit CXXXIV millia, Argolandus C millia. Ibi occisus est Argolandus et sua C millia. Victores in sanguine stabant usque ad bases civitatis, quae mox capta est paganis omnibus occisis. Tunc M christiani nocte spoliaverunt mortuos Carolo ignorante, qui onustati auro et argento cum ad Carolum redire vellent, a paganis, qui fugerant, sunt occisi. Et hoc fecit iis avaritia. Princeps Navarrorum mandat iterum Carolo bellum, qui oravit dominum, ut ostendat sibi in illo bello morituros. Crastino armato exercitu Carolus vidit rubeam crucem in humeris moriendorum retro supra loricas, quos omnes in oratorio suo retrusit, ne occiderentur. Peracto bello et occisis fere C millibus paganorum Carolus, quos in oratorio truserat, reperit mortuos, videlicet CL. Tunc Carolus expugnavit totam patriam Navarrorum. Postea dicitur Carolo, quod rex Babylonis miserat contra eum de Syria XX millia curruum, et ipse de genere Goliath, qui vulnerari non poterat, nisi in umbilico, vires XL fortium habuit. Statura ejus cubitorum XII, facies ejus longa unius cubiti, digiti tribus palmis, qui

omnes contra se missos portavit in civitatem Otogorum. Primo Raynaldum, secundo Constantinum regem Romanorum et alium comitem, tres illos omnes simul levans quasi pueros dextra et laeva tulit in carcerem, et XX pugnatores, quos similiter deportavit. Rotolandus vero fixit eum in umbilico, unde clamavit: Magumeth juva, quia morior. Accurrunt ergo pagani et portant eum mox in civitatem et sic christiani cum iis intraverunt et praefatum gigantem occidunt et civitatem capiunt. Rotolandus giganti praedicavit de trinitate quaerenti: Abraham vidit tres etc. Item: in cithara, cum sonat, tria sunt, ars, manus et chorda. In amygdalo tria sunt, corium, testa, nucleus. Similiter in sole cursus, splendor et calor. In rota plaustri medium, brachia, circulus. In homine corpus, anima, umbra. Sic unum est tria. Ita in Deo tres personae unum sunt. Item quaerit gigas: quomodo potuit virgo parere? Respondit Rotolandus: Deus, qui fabae, gurgulioni et arbori facit gignere vermes multosque pisces ex aqua producit, volucres, apes, serpentes sine masculino semine facit prolem gignere, potuit idem Deus virginem facere parere. De ascensione quaerenti respondit: rota molendini quantum ad ima descenderit de superius, tantum ascendit e converso, avis de monte descendens redit in altum, sol in oriente surgit et tendit in occidentem et iterum redit in orientem. Ita et Christus, unde descendit, iterum ascendit. Cui gigas: modo pugnemus de fide. Tunc accidit, quod in proximo capitulo dictum est, quomodo exercitus Caroli facies equorum linteis operuit, ne viderent larvas hostium, et obstruxerunt aures equorum, ne audirent tympana, per quae prius fugati fuerant, quando pagani fecerant singulos viros ante singulos equos incedere larvatos et tympana percutientes, unde modo victoriam habuerunt. Tunc Carolus irrumpens vexillum in curru abscidit, alias enim nunquam fugissent. Sic occidit VIII millia paganorum, urbem cepit et postea in Hyspania nemo Carolum ausus est impugnare. Postea venit ad sanctum Jacobum et omnia destructa ibi reaedificat statuitque ad honorem sancti Jacobi omnes reges et principes praesentes et futuros episcopo sancti Jacobi obedire. Tunc ergo Turpinus Remensis archiepiscopus sancti Jacobi ecclesiam et altare cum LX episcopis Caroli rogatu cal. Junii honorifice dedicavit et Carolus tunc dedit ecclesiae sancti Jacobi in dotem totam Galliciam et Hyspaniam, ut quilibet possessor domus annuatim IV denarios persolveret et ab omni servitute regis et principum liberi essent, et ut ibi sint concilia et virgae episcopales et coronae regales per manus episcopi loci praebeantur. Et ut beatus Jacobus et Johannes cum matre petierunt, ut unus sedeat ad dextram, alter ad sinistram Christi, Johannes in oriente patronus est apud Ephesum, Jacobus in occidente. Romam apostolicam sedem Petrus habet merito, quia ipsi erant Christo prae caeteris familiares. Principalis tamen est Petrus, quia Christus eum voluit esse principem apostolorum. Tantae fortitudinis fuit Carolus, quod IV ferraturas equi simul manibus facile extendebat et militem armatum stantem super palmam suam a terra usque ad caput suum facile levabat. Tantae largitatis, quod in quatuor festis curiam praecipue habuit in Hyspania, scilicet in nativitate Christi, in pascha et pentecoste Jacobi, per singulas noctes eum custodiebant CXX fortes, prima noctis vigilia XL ei adstiterunt, X ad caput, X ad pedes, X ad dextram, X ad sinistram, dextra spatham nudam, sinistra candelam ardentem habentes. Hoc modo secundam vigiliam quadraginta, sic quadraginta tertiam vigiliam fecerunt. Qui plura de virtutibus ejus scire voluerit, cernat, quomodo Romae imperator fuit. Ecclesias multas et abbatias instituit, sepulchrum domini visitavit, multorum sanctorum corpora in argento et auro locavit. Cum rediret Carolus de Hyspania, adhuc erant duo reges pagani apud Caesaream Augustam Marsirus et Heligandus frater ejus a rege Babyloniae de Perside in Hyspaniam missi, qui Carolo ficte subjacebant. Quibus Carolus mandavit, ut baptizarentur vel tributum sibi mittant. Qui miserunt ei XXX equos oneratos auro et argento gazisque Hyspanicis et CCCC equos vino dulcissimo oneratos pugnatoribus ad potandum et mille Saracenas feminas formosas. Nuntio vero Caroli Gamaleoni XXX equos oneratos auro et argento et palliis dederunt, ut pugnatores in manus eorum traderet. Quod et fecit. Nuntius Carolo munera tulit, sed vinum et mulieres

acceperunt pugnatores, dixitque rex Marsirus, quod veniret baptizandus. Cui occurrit Carolus cum LV millibus, venerunt et pagani et horum XX millia ceciderunt christiani. Similiter et christianorum XXX millia a paganis sunt occisa propter hebetudinem animi et fornicationem eorum. Ibi occisi sunt omnes pugnatores praeter Rotolandum et alios quinque. Tunc Rotolandus cum V viris evasit et occidit Marsirum, ipse solus IV lanceis fixus evasit. Tunc marmoreum lapidem trino ictu in duas partes divisit a summo usque deorsum gladio suo, quem voluit frangere, quando vidit se moriturum, ne pagani eundem gladium acciperent. Cornu suum sufflando fregit et cervicem colli sui laesit socios vocando. Cum sufflationem Carolus audivit, venire voluit, sed praefatus traditor eum avertit, dicens eum in venatione esse. Adhuc Carolus necem et traditionem suorum ignoravit. Ad obitum Rotolandi venit Theodericus, qui vidit compunctionem et orationem ejus. Tribus vicibus carnem suam tetegit dicens: et in carne mea videbo Deum salvatorem meum. Similiter tetigit et oculos dicens: quem visurus sum ego ipse etc. Et ait: memento mei, domine, quia pro honore tuo exul morior, memor esto sociorum meorum similiter occisorum pro te. Tunc signans se cruce ait: nunc videbo, quod oculus non vidit etc. Et sic exspiravit sanctissimus martir Rotolandus. Ego Turpinus nesciens Rotolandum defunctum ipso die obitus ejus missam defunctorum praesente Carolo celebravi XVI cal. Julii et raptus in exstasi audivi choros in coelestibus cantantes, ignorans, quid hoc esset; post hoc daemones quasi praedam ducentes, quibus dixi: *quid fertis?* responderunt: Marsirum ad infernum, sicut Michael Rotolandum *ad coelestia*. Missa celebrata dixi hoc Carolo. Cum hoc dicerem, venit *Balduinus* super equum Rotolandi dicens, Rotolandum se reliquisse in agonia. Cito exercitus venit ad funus, sed Carolus primus invenit eum exanimatum, brachia super pectus posuerat in formam crucis. Tunc Carolus irruit super illum; quis planctum illius explicet? Balsamo, myrrha et oleo conditus est et cum eo ibi pernoctavit exercitus; XXXVIII annorum obiit. Crastino armati vadunt ad locum certaminis, ubi aliquis amicum semivivum reperit, aliquis mortuum, Oliverium defunctum inveniunt quatuor palis in terram fixis, extensum vestibus retortis, ligatum a collo usque ad ungues pedum et manuum, excoriatum sagittis, lanceis, spathis perforatum. Totum nemus clamoribus impletur, quilibet suum amicum ejulando. Tunc Carolus juravit per omnipotentem, quod currere non cessaret, donec hostes inveniret. Et invenit eos coenantes IV milliaque occidit. Stetit sol immobilis et prolongata est dies illa spatio trium dierum et invento traditore Ganaleone praecepit eum Carolus IV equis fortissimis totius exercitus alligari et super eos assessores agitantes contra IV plagas orbis. Et sic digna morte interiit discerptus exemplo Judae proditoris. XII millia unciarum argenti et XII millia talentorum auri, vestes et cibaria data sunt pro animabus defunctorum. Rotolandus in ecclesia Romana sepelitur, gladius ejus ad caput suspenditur. Omnem terram circa oppidum Blaviense VI dierum spatio, ubi Rotolandus sepultus est, canonicis regularibus, quos ipse Carolus restauraverat, jussit dari, ut annuatim anniversario sancti Rotolandi triginta pauperes omnibus necessariis vestibus induerent, cibis reficerent, triginta psalteria et tot missas pro omnium defunctorum animabus occisorum dicerent, de reliquo ipsi viverent. Post hoc Carolus sanctum Dionysium honoravit, omnem Franciam ecclesiae ejus in praedio dedit et praecepit, ut omnes Franci praesentes et futuri etiam reges pastori ecclesiae obedirent et quaelibet domus annuatim IV denarios daret ipsi ecclesiae. Et stans apud corpus beati Dionysii oravit pro animabus occisorum in Hyspania et pro his, qui libenter praefatos denarios solverent. Nocte proxima regi dormienti Dionysius apparuit eumque excitavit dicens: qui tuo exemplo in Hyspania occisi sunt vel occidentur, omnium delictorum veniam impetravi; similiter de IV denariis gravioris sui vulneris medicinam impetravi. Hoc Carolus dixit omnibus. Tunc Carolus Aquisgrani mira matri Dei operatus est, unde provocati sunt etiam ad bona facienda multi alii. Tunc mihi Turpino mors Caroli revelata est hoc modo. Cum apud Viennam die quadam in exstasi raptus orationi vacarem, psalmum: Deus in adjutorium dicerem, daemonum agmina praecedebant versus Lotharingiam. Cum

omnes transiissent, vidi unum quasi Aethiopem gressu tardo sequentem, cui dixi: quo itis? Respondit: Aquisgrani tollere animam Caroli. Cui dixi: adjuro te per Christum, ut redeas ad me dicens, quid actum sit. Tunc parum morati redeunt ut prius ordinati. Dixi ergo ei, cui prius dixeram: quid egistis? Respondit: Galicianus sine capite tot lapides et ligna ecclesiarum tulit in statera, quod plus appenderunt ei bona quam mala, et ideo animam ejus a nobis abstulit. Quo dicto evanuit et ego cognovi, illa hora Carolum esse defunctum. Ipse etiam mihi, quando ab invicem recessimus, me rogante promisit, mihi, si fieri posset, nuntium suae mortis mitteret. Similiter ego sibi de mea morte promisi. Unde aegrotans ad mortem praecepit cuidam militi alumno suo, ut mortem ejus mihi nuntiaret. Quod et fecit. Quinto cal. Februarii obiit anno domini octingentesimo decimo quarto.

CAP. CLXXXIX. (188.)

De conceptione beatae Mariae virginis.

Anshelmus Cantuariensis archiepiscopus et pastor Anglorum coepiscopis suis cunctisque orthodoxis salutem et perpetuam in domino benedictionem. Conceptio veneranda Dei genitricis et perpetuae virginis Mariae, dilectissimi fratres, quemadmodum per multorum signorum experimenta in Anglia et Francia caeterisque conclimatibus celebranda sit, olim declarata, me narrante audiat dilectio vestra [1]).

Tempore namque illo, quo divinae placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere suaeque virtutis officiis arctius astringere, gloriosissimus Normannorum dux Guilhelmus eandem patriam debellando subegit et regi eorum Eraldo nomine impio et tyranno clerique persecutori et honoris ecclesiastici subversori reddidit in bello pro meritis talionem. Quo caeso [2])Guilhelmus factus Dei virtute et industria sua Anglorum rex totius ecclesiasticae dignitatis honores in melius reformavit. Cujus piae intentionis operibus invidens ille bonorum omnium inimicus dyabolus tum familiarium fraudibus tum extraneorum incursibus multotiens conatus est ejus obsistere successibus, sed domino protegente ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Daci Angliam subjectam esse Normannis, graviter indignati, se suo quasi hereditario regno privari, arma praeparant, classem aptant, ut eos adeuntes a data sibi divinitus patria expellant. Hoc comperto Guilhelmus rex prudentissimus [3])Helsinum quendam religiosum abbatem Ramesiensis coenobii ad Daciam dirigit, ut inquirat veritatem hujus rei. At ille vir admodum sagacis ingenii strenue negotium regis exsequitur. Quo fideliter peracto ad Angliam reverti cupiens mare ingreditur et jam maximam partem maris prospero cursu transierat, cum subito densis surgentibus undique ventis horrida tempestas coelum commovit et undas. Fatigatis igitur nautis nec ultra valentibus obniti, fractis remis, funibus ruptis, cadentibus velis spes salutis amittitur et nihil nisi submersionis indicium miserabiliter exspectatur. Cumque de salute corporum desperati animarum curam solummodo creatori suo magnis clamoribus commendarent et beatissimam Dei genitricem Mariam miserorum scilicet refugium et desperatorum spem devote invocarent, subito quendam venerandae habitudinis virum pontificali infula de-

---

1) Tota haec periodus inde a verbis: Anshelmus — vestra in optimis codd. et edit. princ. multisque aliis libris ed. deest. 2) Ed. Pr. legit: Gilberto et omittit verba, quae sequuntur usque ad vocem: totius etc. 3) Ed. Pr. legit: Ulsinum.

coratum quasi inter undas navi proximum viderunt. Qui advocans ad se Helsinum abbatem his verbis coepit compellare eum: vis, inquit, periculum evadere, vis ad patriam sanus ire? Cumque ille cum fletu in toto corde desiderare id solum expetere responderet, tunc ille: scias, inquit, me ad te a domina nostra Dei genitrice Maria, ad quam dulciter reclamasti, directum et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus imminens evades periculum maris. Spondet ille, illico se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet periculum. Promitte, inquit, mihi et Deo, quod diem conceptionis et creationis matris Christi celebrabis et celebrandum praedicabis. At ille ut vir prudentissimus: et quis, inquit, mihi dies festus erit celebrandus? Sexto, ait, idus Decembris hoc festum tenebis. Et quo, inquit, abbas, officio utemur in ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium, quod dicitur in nativitate ejus, dicetur in conceptione, excepto, quod nomen nativitatis mutabitur in nomen conceptionis. His dictis ille disparuit, et citius dictu sedata tempestate abbas cum suis incolumis concito flatu applicuit Anglicis littoribus et quae viderat et audierat, quibus potuit, notificavit. Statuit autem idem festum in 1) Ramesiensi coenobio sollemniter celebrari et ipse, quoad vixit, devotis obsequiis sollemniter celebravit. 2) Et nos ergo, fratres carissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis creationem et conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab ejus filio digna mercede remuneremur, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Rursum haec sollemnitas alio modo alibi declaratur. Temporibus namque Caroli regis *clericus quidam* ordine Levita Ungariae regis germanus beatam Dei genitricem Mariam toto corde diligere ejusque horas cantare solitus parentum suorum consilio nubere volens cum quadam adolescentula valde, accepta a presbitero nuptiali benedictione, die quadam missa etiam jam celebrata recordatur, quia ejusdem beatae Mariae virginis horas die illa juxta morem suum non cantaverat. Omnes ab ecclesia exire coegit, sponsam domum mittens et ipse juxta altare solus remansit, cumque solus dominicae matris horas decantando hanc antiphonam, scilicet: pulchra es et decora, cantaret, subito apparuit ei domina nostra et perpetua Dei genitrix virgo Maria cum duobus angelis dextram ei et laevam tenentibus dicens ei: si ego sum pulchra et decora, quid est, quod me dimittis et aliam sponsam accipis? Numquid ego non sum pulchrior illa? Numquid non ego sum optime formosa? Numquid non ego sum valde decora? Ubi vidisti tam pulchram? Cui ille: domina mea, inquit, claritudo tua omnem pulchritudinem mundi excellit, tu es super thronos et choros angelorum elevata, tu es super coelos coelorum exaltata. Quid ergo vis, ut faciam? At illa: si sponsam, inquit, carnalem, cui adhaerere vis, amore mei dimiseris, me sponsam in coelesti regno habebis, et si conceptionis meae festa annuatim sexto idus Decembr. sollemniter celebraveris et colenda praedicaveris, mecum in regno unigeniti mei laureatus eris. His itaque dictis domina nostra ab oculis se videntis disparuit, clericus vero domum redire nolens absque parentum suorum consilio illico abbatiam quandam ingressus monachi habitu decoratur, ubi post exiguum temporis meritis beatae Mariae semper virginis, quae diligentes se semper remunerat, decorat et beneficat, Aquilejae episcopus patriarcha factus festum ejusdem conceptionis die praefato, quamdiu vixit, annuatim cum propriis etiam octavis diligenter celebravit et celebrandum praedicavit. Iterum haec festivitas aliter alibi declaratur. In pago Gallico canonicus quidam ordine sacerdos, sollicitus cantare beatae Mariae virginis horas nocturnales a villa quadam, ubi cum uxore cujusdam adulteratus fuerat, rediens ad oppidum, ubi morabatur, tendere curans, fluvium Sequanae transmeare cupiens solus navim ingressus dominicae matris matutinas navigando canere coepit, cumque invitatorium: ave Maria gratia plena dominus tecum, diceret et jam in medio fluminis esset, ecce daemonum turba una cum ejus navicula eum praecipitaverunt et ejus animam, sicut promeruerat,

1) Et hic et antea Ed. Pr. legit: Remensi. 2) Verba sequentia: Et — Amen plerumque omissa sunt. Ed. Pr., quae ea retinet, omnia, quae porro in hoc capite leguntur, omittit.

rapuerunt ad tormenta. Die autem tertio ad locum, quo daemones cum tormentis eam afficiebant, venit beata virgo Maria cum sanctorum turba dicens iis: 1)ad quid mei familiaris animam injuste afficitis? Nos, inquiunt, eam debemus habere, quoniam capta est in nostro opere. Si illius, inquit virgo, esse debet, cujus opera faciebat, ergo nostra esse debet, quoniam matutinas nostras, dum vos eum peremistis, decantabat; unde magis rei facti estis, quia erga me inique egistis. His itaque dictis daemonibus huc et illuc fugientibus sanctissima virgo animam reduxit ad corpus et per brachium hominem ab utroque funere resuscitatum arripiens aquam a dextris et a sinistris quasi murum stare jubens de profundo fluvii ad portum incolumem adduxit. At ipse gavisus pedibus ejus est prostratus et ait ei: carissima domina mea et virgo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficiis, quae mihi fecisti? Precor, inquit Dei genitrix, ne amplius in adulterii peccata cadens conceptionis meae festa sexto idus Decembris sollemniter celebres et celebranda denunties. Mox, ut ipsa locuta est, coelos eo vidente ascendit, at ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire cupientibus enarravit et quamdiu vixit, eadem festa celebravit et celebranda praedicavit. Et nos ergo, fratres carissimi, hoc idem nostra auctoritate episcopali corroboramus et praecipimus, ut nullus vestrum ita sit rebus temporalibus aut propriis delictis occupatus, quin beatae Mariae virginis venerandam conceptionem annuatim celebret et ejus horas per unumquemque diem excepto die dominico vel die novem lectionum decantet. Unde etiam notandum est, quod, si aliquis propter peccatorum suorum desperationem Dei officium facere noluerit, dupliciter coram Deo reus erit; uno modo, quia peccatum fecit, altero, quia pro peccato suo Deo servire noluit. Hinc ad Petrum dominus ait: si te peccatorem consideras, oportet, ut a te Deum tuum non repellas. Deum a se repellit, qui propter peccata bonum opus facere renuit. Si nos peccatores esse recognoscimus, oportet ut Dei genitricem apud filium suum exoratricem et auxiliatricem habeamus. Si enim adversum nos summus judex pro nostris facinoribus iratus fuerit, ipsa nobis potest facere filium placatum, quae eum genuit. Nullus erit tantus peccator in hoc seculo, si ipsa filium suum exoraverit pro eo, quin recipiat veniam in futuro. Quidquid enim a filio suo petierit, totum veraciter obtinebit. Quid de Theophilo dicamus? Theophilus vicedominus cujusdam episcopi Ciliciorum exstitit. Hic postquam accusatus apud dominum fuit et a proprio officio expulsus, paupertate contritus cujusdam Judaei consilio, qui cum dyabolo per artem magicam usu loquebatur, christianitatem suam abnegans eidem dyabolo semet ipsum in servum commendavit. Unde valde post exiguum tempus poenitens in quadam beatae Mariae virginis basilica per quadraginta dies ante ejus imaginem plorans vigilavit. Cui prae nimio labore et lassitudine precum dormienti apparuit beata et immaculata mater Dei virgo Maria et corripiens eum reddidit ei chirographum, quod dyabolo praefati Judaei dederat, quod ipsa Dei genitrix ab ipso vi abstulerat. Tunc Theophilus evigilans super pectus suum chirographum positum invenit et mox crastino die haec episcopo cunctisque civibus enarravit. Et statim idem episcopus data sibi poenitentia salutari et absolutione facta duxit illum ante altare ad communicandum. Cum autem corpus Christi de manu episcopi acciperet, descendit super illum spiritus sanctus in specie solis et refulsit facies ejus ut sol. Denique in praefata basilica tribus diebus totidemque noctibus agens Deo et beatae Mariae virgini gratias, insistens precibus et consiliis, ut dies conceptionis beatae virginis Mariae, ut praedictum est, sollemniter celebretur, spiritum Deo reddidit. Ecce quia beata Dei genitrix Theophilum desperatum ad veniam reduxit et praefatum presbiterum triduanum mortuum etiam a daemonibus eripuit et ad vitam revocavit, quanto ergo magis, fratres carissimi, beatos faciet illos, qui eam assidue invocabunt, si eos, qui solo momento eam interpellaverunt, miserens juvit? Sanctionenses namque et Romani ejus matutinas cum novem lectionibus die sabbatorum bono more decantantes

1) Vulgo: ut quid.

gratiam ejus adquirunt. Nulli ergo sit pigrum, nulli onerosum celebrare ejus festa. Sciendum, quod, sicut in sancta ecclesia colitur nativitas ejus, sic debet excoli conceptio ejus. Sicut enim ad salvandum genus humanum olim fuit necessaria nativitas, sic fuit conceptio ipsius. Nisi conciperetur, minime nasceretur. Jesus Dei concipitur et nascitur. Quae nisi nasceretur, mundi redemtor ex ea non nasceretur. Imo si divina generatio perspiciatur, specialis conceptionis ejus forma major esse concluditur quam nativitas. Magis enim est, sanctissimum corpus virginis cum beatissima sui anima, quam de nihilo creavit Deus, concipi et conjungi, quam per nativitatem in esse continuari. Sicut res major est Adam a Deo creari, quam filios Adae de matre naturaliter nasci. Cujus ergo nativitas sancta est, ejus conceptio non immerito sancta erit. Quisquis igitur praesul, abbas et praelatus es, recole diligenter ejus sollemnia et cunctos jube eam colere, quia, si eam toto corde amaveris, nunquam a gradu tuo depositus fueris. In memet ipso probavi, quod ajo. Erubescant omnino insensati, qui tantum diem tantaque sacramenta ac mysteria tenebris ignorantiae excaecati respuunt celebrare, eo quod viri et mulieris copulatio in conceptione virginis exstitit. Si ejus conceptionem, idcirco quod carnalis exstitit, stultis non placeat hodie celebrare, tamen diem illam et noctem, quamvis sit multis incognita, et tempus et horam spiritualis conceptionis ejus scilicet hodie celebrare delectat, qua ipse animarum creator animam suae matris dignam sanctissimo corpori virginali ejus angelis ministrantibus copulavit. Quam etiam diem primam nostrae reparationis et salutis dispositor nostrae salvationis inter *caeteros dies fecit*, praeelegit et sanctificavit. Nam quod sunt duae conceptiones, hominibus omnibus notum est peritis: una spiritualis, altera carnalis. Una quidem, qua carnalis copulatio viri et mulieris agitur, alia, qua spiritualis anima nova et pura, Deo operante, corpori divinitus datur et adunatur. Si enim placet illis celebrare sollemnia conceptionis carnalis dominicae matris, placeat iis colere animae ejus spiritualem creationem et corporis animaeque copulationem. O quanta est dies illa, qua nostrae reparatricis anima digna creatur et consecratur et sanctissimo corpori unitur. Non est verus amator virginis, qui despicit colere diem ejus conceptionis. Erubescant iterum insani, qui hanc diem colere nolunt, idcirco quod aliorum sanctorum conceptiones minime colere consuevit ecclesia. Maxima quippe rusticitas est, eam aliis sanctis in hoc comparare, in qua Deus carnem assumsit, quam etiam super omnes sanctos et archangelos in coelis sublimavit. Quamvis enim caeteris sanctis dies conceptionis eorum non sit concessum ut celebrentur, isti tamen a spiritu sancto concessum est, quod major et excellentior cunctis est. Pulchre et digne hanc dominationem super caeteros sanctos illa debet habere, per quam omnes sancti sanctificantur et beatificantur. Dicitur enim Christus sanctus sanctorum et dicitur haec sancta sanctarum et sicut sine more summus rerum dispositor super omnes sanctos et sanctas illam dignitatem ei tribuit, ut verbum caro factum virgo conciperet et virgo pareret et post partum virgo permaneret, sic ipse pro omnibus absque more hanc dignitatem illi juste contulit, ut conceptionis et nativitatis ejus sollemnia sacrosancta in sancta celebrentur ecclesia. Quid longius? Conceptionem dominicae matris colere est Christi generationem commemorare, nam virginis Mariae conceptio Christi generationis est linea. Quapropter evangelium liber generationis hac die, sicut in nativitate domini ante matutinas laudes bono more decantamus et ad missam legimus. Merito igitur colitur et filii generatio et matris conceptio, quoniam conceptio et nativitas matris generatio est filii. Celebremus ergo dignis officiis alacriter utramque conceptionem, spiritualem scilicet et humanam, ut ipsius meritis et precibus a secularibus curis et a cunctis vitiis mereamur eripi et ad gaudia paradisi perduci, praestante domino nostro Jesu Christo filio ejus, qui cum patre et spiritu sancto et matre sua Maria virgine vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen [1]).

1) Jam sequuntur longior ex Anshelmi oratione quadam locus necnon excerpta ex decreto concilii Basileensis (Sess. XV cal. Octobr. MCCCCXXXIX) de hoc festo, quae omittenda putavimus.

Sequuntur miracula de conceptione beatissimae virginis Mariae.

Ad informationem denique hujus veritatis de conceptione beatissimae virginis genitricis Dei inveniuntur plura scripta miracula in libro, qui dicitur defensorium virginis, appenso catenis in pluribus librariis fuitque compositus circa annum domini MCCCXC. Ubi sic scribitur: Quidam baccalaureus formatus de ordine Carmelitarum in quadam disputatione facta Parisiis in scholis uni de ordine praedicatorum retulit, quomodo tempore cancellariatus magistri Johannis de Tolete, cum in provincia Boheminae in civitate Cracoviensi quidam frater praedicatorum in ambitione praedicasset populo virginem gloriosam in peccato originali conceptam, subito corruit et portatus ad locum habitationis suae paulo post obiit. Haec asserebat referentibus viris honorabilibus magistris in theologia, scilicet Heinrico de Hassia et magistro Heinrico de Huta et magistro Johanne de Bolonia doctore in medicina et baccalaureo in theologia, qui haec se vidisse et interfuisse dicebant. Ex his conclusit dictus baccalaureus, quod credebat, istam opinionem de originali in virgine post tanta miracula esse sufficientem in fide. Item venerabilis doctor Giroldus de Piscariis ordinis minorum hujus piae conclusionis adversarius exsistens, cum semel in sermone de conceptione contra sacram virginem diutius praedicasset, finito sermone missam suam devotissime celebrans elevatione corporis Christi facta, eadem virgine sibi praesentialiter apparente, correptus fuit et speciebus panis ab altari sublatis inquit virgo: qua fronte corpus de me sumtum sumere vis, frater inique, quam hodie tam verbis quam factis voluntarie maculasti? Ipso autem magnis gemitibus petente veniam eucharistia sibi reddita fuit, missam finivit et immediate ascendens pulpitum, quod in primo sermone contra virginem dixerat, revocavit et miraculum referens ad longum fecit sermonem, sicut ego ipse habui a pluribus fide dignis. Item in civitate Ydoni, cum quidam frater ordinis praedicatorum Wiennensis nationis de materia conceptionis coram Odonio Campanensi ordinis beatae Mariae respondere deberet magno populo congregato in ecclesia cathedrali monachorum dictae civitatis, et cum positionem suam dictus frater dicere vellet, a Deo mirabiliter tactus quasi mutus et amens factus est. Deportatus autem per fratres suos ad locum religionis eorum octava die eadem amentia continuata mortuus est, sicut habui ab illis, qui praesentialiter affuerunt. Item in Villa Brine Lemoniscensis dyoeceseos quidam lector de ordine praedicatorum istum articulum conceptionis ita odiosum habens, ut nunquam sermonem faceret, quin virginem conceptam in originali peccato diceret et fundaret in suo conventu, quodam die sollemni, in quo sermonem de dicta materia fecit, ipso inter fratres suos magno populo praesente ad divinum officium exeunte, quidam lupus a silvis veniens usque ad conventum istum secrete accedens dimissis parvis et magnis usque ad chorum adscendit et dictum fratrem per guttur arripiens interfecit, sicut Parisiis et in ipsa terra clara fama et publica attestatur. Haec in dicto libro, quod defensorium virginis dicitur, plenius continentur. Illud autem inter alia miracula merito mirandum venit, quod quidem Alexander de Ales doctor in theologia famosissimus sibi accidisse refert in libro ab eodem composito, qui dicitur Mariale, continens sex libros partiales, in quibus diversa capitula sunt. Cujus primum capitulum intitulatur de genealogia beatae virginis et incipit: sancta et superlaudabilis semper virgo Dei genitrix Maria ab aeterno provisa. Inter alia autem libro III. hujus voluminis capite ultimo, quod intitulatur de conceptione beatae virginis et incipit: fiat lux, post responsionem ad quandam invectionem dicentium, virginem conceptam fore copula maritali, sic dicitur: nonne possibile est, ut talis actio ad inspirationem spiritus sancti perpetrata et speciali praecepto completa absque omni peccato exerceatur? Sequitur post pauca: ego ipse, qui haec scribo, dum publice legerem in theologia, vehementer erravi asserendo, quod dies conceptionis beatae Mariae celebrandus non esset. Unde et quolibet anno illa die legere decreveram, sicut et in profestis

diebus consueveram. Sed protestor sollemnissime, quia repentino morbo vexatus fui Uxoniae singulis annis illa die, ita quod nullo modo illa die susceptum magisterii officium exsequi valerem, sive casus ageret sive divina voluntas, quisque considerare potest. Sed et viri prudentes, qui me tunc temporis in scholis audierunt, me secrete corripuerant, eo quod impugnare velle videbar diem festum celebrantes conceptionis beatae virginis. Ego vero doceo, assero et credo, illos bene vidisse et potius in hoc commendandos fore, qui pie et devote se praedictum festum celebrare satagunt in honorem perpetuae virginis Mariae. Haec ille. Offert se praeterea illud commemorandum, quod, cum super hac materia de sancta conceptione beatissimae virginis fierent publicae disputationes coram sancta synodo Basileensi, quamplures ex patribus interessentibus retulerunt singularia beneficia miraculose a Deo recepisse ob devotionem, quam habebant ad celebritatem de hac sancta conceptione beatissimae virginis. *Inter* quos autem reverendus in Christo pater et dominus Bernardus *episcopus montis* Albani die sabbati XXI. Aprilis anno a nativitate domini MCCCCXXXVI, quando prima allegatio facta fuit publice de hac materia, retulit, qualiter eo equitante super pontem fluvii, qui est inter civitatem Ebredinensem et oppidum sancti Crispini, ipse pons erat ruptus in medio eo loco super flumen, ubi erat navis periculum, habens unum magnum foramen, eoque inadvertente equus, quem equitabat, transiens ex illa parte, ubi pons ruptus erat, posuit duos pedes anteriores super dictum foramen vacuum, cumque rueret in praeceps *ad aquam* jamque caput equi esset quasi infra pontem, concussus pavore *magno* invocavit beatissimam virginem in auxilium suum, vovens celebrare annuatim festum de sua sancta conceptione, et nesciebat referre, qualiter exivit, sed statim absque laesione aliqua sui et equi vidit se positum in securo ab altera parte foraminis. Unde extunc majori spiritu cum devotione continuavit celebrationem dictae festivitatis. Item magister Johannes Roreti canonicus Aniciensis in sermone ab eo facto de hac celebritate coram sancta synodo Basileensi anno domini MCCCCXXXV inter alia miracula retulit de domino Heylia de Lestrangiis episcopo dictae ecclesiae Aniciensis proxime defuncto, quod, cum dictus reverendus pater in universitate Tolosana in die celebritatis conceptionis beatae Mariae virginis contra hanc sanctam conceptionem praedicare decrevisset et, priusquam ascenderet ambonem, solito more funderet orationem ante altare ad virginem Mariam et eo ibi exeunte omnes orationes et puncta, quae contra conceptionem virginis conceperat, subito de sua memoria evanuerunt, oppositis et contrariis in eadem fixe permanentibus, coactusque est ad confusionem vitandam oppositum sui primi propositi praedicare. Quem casum, ut sibi contigerat, ad exaltationem virginis, quamdiu vixit, privatim et publice frequentius enarravit. Item aliud assertum est, quod Barchinone in monasterio beatae Mariae de Mercede consuetudo est, praeterquam in diebus paschae et paucis maximis festivitatibus omni die tribui fratribus panes recentes coctos eadem die summo mane. Quadam autem vice, cum in die hujus festivitatis de sancta conceptione virginis pistor praeparasset massam velletque ex ea panes formare, discooperiens reperit eam, quasi esset coagulatus sanguis respersa nigredine aut lutum ad modum coeni, divulgataque postea notitia miraculi hoc publice ordinatum est per civitatem municipali suo statuto, quod ea die conceptionis non incendantur furni. Et ita in eadem civitate observatur usque in hodiernum diem. Praeter haec autem tempore Johannis regis Aragoniae bonae memoriae, qui circa annos domini MCCCC regnavit in regno Aragoniae, habita primo coram ipso sollemni et publica per plures dies disputatione inter defensores virgineae innocentiae et assertores maculae originalis, regis ordinatione statuta est sollemnis confraternitas devotorum hujusmodi festivitatem de conceptione beatissimae virginis celebrantium. Quorum primus confratrum fuit ipse rex Aragonum, et ordinatum fuit, quod annuatim ea die fieret sollemnis processio ad laudem et gloriam hujus festivitatis. Demum de anno domini MCCCCIX cum ipso die beatae Mariae virginis in ecclesia Gerundiensi praedicasset de praeservatione ab originali macula frater Johannes de Rota ordinis minorum sacrae theologiae professor obque

hujusmodi sermonem inquisitor quidam haereticae pravitatis de ordine praedicatorum detulisset in judicium fidei, exsistente in praedicta civitate Barchinonensi successore immediate dicti Johannis Martino rege Aragoniae, habita fuit inter praedictos de mandato ac in praesentia regis sollemnis et publica disputatio. Qua finita praefatus rex in signum victoriae posuit super caput praedicti Johannis sertum viride vernantium foliorum sicque insignitus una cum tubicinis fuit honorifice associatus per dictam civitatem aliasque civitates et oppida circumjacentia, praecone regis clamante, quod nemini de caetero in omnibus regnis suis et dominiis liceret asserere vel dogmatizare contra hanc doctrinam de sancta et pura conceptione beatae virginis continueque imminenti hujusmodi festivitate fuit postea observatum ac ut communiter observatur de die in dies. Item Basileae die lunae sexto mensis Octobris anno a nativitate domini MCCCCXXXV in manibus judicis fidei deputati per sanctam synodum fuit testificatum etiam cum juramento, quod nono die mensis Septembris anno domini MCCCCXXVIII in civitate Minorisse quidam Franciscus Mileti canonicus ecclesiae collegiatae dictae civitatis Vicenensis dyoecesis, cum in extremis ageret et jam quasi mortuus appareret, sic, postquam fuerat in agonia et exstasi, magno cum suspirio clamavit in haec verba: o virgo Maria, ita igitur est, quod propter hoc ego eram condemnatus; tu scis, quod ego a me ipso non habui. Statimque vocans ad se priorem praedicatorum et confessorem monialium sanctae Clarae dixit publice coram praedictis et aliis adstantibus, quod comburerent certas conclusiones et unum tractatum de conceptione virginis in peccato originali, quae ipse audierat, cum esset studens. Nisi fuisset alias devotus virgini Mariae et ipsa eidem subvenisset, ob hoc erat condemnatus in divino judicio, ideoque ipse firmiter credebat, ipsam fuisse conceptam absque originali peccato. Fuerunt praeterea coram dicta synodo Basileensi a multis patribus omni acceptione majoribus quamplura alia de hac sancta conceptione narrata miracula etiam in sermonibus publicis factis de hac sollemnitate, sed non tam cura attendere fuit ad illa nec redigere in scriptis. Illud autem fiducialiter licet asserere, quod, cum de anno domini MCCCCXXXIX vigeret gravissima pestis in civitate Basileensi, ubi dicta sancta synodus celebrabatur, eo ipso, quo fuit sancta de hac materia synodalis definitio per sacrum concilium declarando in sua sollemni ac publica sessione, doctrinam istam disserentem, gloriosam Dei genitricem Mariam nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab originali et actuali culpa sanctamque et immaculatam tamquam piam et consonam fidei publicae, rectae rationi et sacrae scripturae ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam et amplectendam, nulli de caetero fore licitum in contrarium praedicare sive docere, immediate patres, qui erant in concilio, ac tota civitas experimento palpabili coelesti quasi miraculo senserunt auxilium divinae misericordiae. Equidem remissa est ac cessavit statim, quae plurimum ante vexabat, acerbissima pestis. Praeterea, quum de hac synodali definitione quamplurimae bullae expeditae fuerunt et ad diversas mundi partes destinatae, per litteras fide dignas significatum est in generali congregatione, quod in principali conventu ordinis Cluniacensium tempore, quo mihi praesentata fuit una ex dictis bullis, tam de religiosis quam aliis personis dicti conventus infirmabantur de dicta peste quasi XXX personae et statim, cum dictam bullam receperunt, processionaliter magna cum devotione agentes gratias Deo pro ipsa declaratione ad laudem perpetuam virginis gloriosae, qui infirmi tunc erant, convaluerunt cessavitque amodo in dicto conventu pro illo anno pestilentiae morbus. Multa etiam alia merito digna miratione ad gloriam virginis, quae praedictam veritatem confirmant, similiter de hac dicta fuere, sed intentionis fuit, non omnia, sed ex multis dicere pauca, et sic omnibus constat, quod singularissime Deus filius virginis beatissimam genitricem suam magnificare dignatus est frequentatis miraculis, quae de veritate sanctae conceptionis suae sunt testimonium domini fidele sapientiam praestans parvulis.

---

[1])CAP. CXC. (189.)
De sancta Odilia.

Odiliae virginis pater Adalricus sive Aethicus, mater vero Bethsuinda sive Persinda vocabatur, ex nobilissimo Francorum genere orti. Aethicus autem totius Burgundiae sive Alsatiae sub Childerico rege principatum habebat, in cujus etiam finibus monasterium sanctimonialium in honore sanctae Mariae semper virginis in summitate montis, qui vocatur Hohenburg, ad Dei servitium peragendum maximo sumtu et ornatu construxit. Hujus uxor Persinda filiam caecam peperit, pater autem propter nimiam verecundiam ipsam *occidi jussit*, sed mater ipsam cuidam ancillae suae alendam commisit. Quae postea *propter* murmur populi jubente matre longissime cum puero fugit ad locum, qui dicitur Palma. [2])Ubi cum ipsam puellam nutriret, dominus Jesus Christus episcopo Erardo de partibus Bavariae apparuit dicens: vade ad quoddam monasterium, quod dicitur Palma, ibi invenies puellam a nativitate caecam, quam baptizabis, nomen Odilia impones ei et mox post baptismum visum recipiet. Cumque oculos ejus chrismate liniret, visum clarissime recepit. Haec *ab infantia* se Dei servitio subdidit, vigiliis et orationibus, jejuniis et elemosinis *die noctuque* insistens. Habuit autem virgo fratrem in domo patris, cui *scripsit epistolam* globo coccineo involutam et per quendam peregrinum sibi misit, ut eam patri reconcilians revocaret, et cum frater de hoc patri loqueretur, praecepit ei, ut de caetero non plus de hoc cogitaret. Sed juvenis eam vocavit patre ignorante. Dum itaque dux in cacumine montis sedens videret currum venientem, quaesivit, quid hoc esset. Cui filius: Odilia filia tua. Sed heu pater iracundia motus cum baculo, quem manu tenebat, filium tam verberibus castigavit, quod infirmitatus fuit, de qua etiam aegritudine obiit. Pater vero super immanitate criminis poenitens de caetero in monasterio permansit. Tunc pater jussit filiae tamen de die stipendium unius ancillae dari. Cum sic Odilia multis diebus in miseria vitae esset, pater misericordia motus super eam praedictum monasterium cum omnibus appenditiis suis illi tradidit. Post hoc pauco tempore supervivens defunctus est. Odilia sciens patrem suum in purgatorio uri in latere montis, ubi nunc claustrum est situm, tantum et tam lacrymabiliter oravit, quod coelum super eam apertum est et lux magna circumfulsit eam et vox dicit ei: propter te liberatus est pater tuus et in choro patriarcharum collocandus ab angelis ducitur. Confluebant ergo ad eam virgines nobiles non paucae, *quarum* spiritualis mater effecta in supra dicto monasterio ad exemplum sui *Deo servire* instituit. Habuit enim sub regimine CXXX moniales. Invitavit angelos precibus et quidquid a Deo postulavit, sine mora percipere meruit. Haec beata praeter dies festos nihil comedit nisi panem hordeaceum et legumina, pellis ursi fuit pro lecto, lapis vero pro cussino. Quia mons altus, ubi coenobium Odiliae situm est, fecit pauperes quaerentes elemosinam et peregrinos nimis laborare, fecit inferius monasterium pro hospitali. Qui locus tantum sororibus placuit, ut etiam ibi conventum instituerent. In nomine patris et filii et spiritus sancti

---

1) Hic sequitur in Ed. Pr. legenda de virgine quadam Antiochena, quae supra legitur cap. LXII. (60.) p. 273. sq. 2) Ed. Pr. atque complures alii libri initium hujus legendae in brevius contrahunt ita: Odilia, quia caeca nata fuit, pater suus eam occidere voluit; unde mater ejus cuidam ancillae suae eam alendam commisit, quae propter murmur populi jubente matre longissime cum puero fugit. Ubi cum etc. — recipiet. Quo facto cum diu optime in religione profecisset, misit fratri suo litteras dulcedine plenas, ut eam patri reconcilians revocaret. Cui cum pater non annueret, filius inconsulto patre pro sorore misit. Unde pater filium tantum verberibus castigavit, quod infirmatus fuit. De qua etiam aegritudine obiit. Pater vero ex hoc in tantum conturbatus fuit et compunctus, quod pro filia sua misit et monasterium, quod construxerat, filiae cum omnibus suis appenditiis libere donavit.

propria manu tres tilias plantavit, quae usque nunc valde utiles sunt in calore. Orando vas omnino vacuum implevit vino, cum quaedam soror inter divina officia vasa esse vacua vidit. Item quia in baptismo visum recepit, specialiter beatum Johannem baptistam venerabatur [1]). Qui Johannes baptista ei in visu apparuit sibique oratorium fieri praecepit. Odilia autem quadam nocte se dedit orationi super petram, ubi nunc magna crux lignea locatur ob memoriam tanti miraculi, ibi Johannem rogabat ostendere sibi modum aedificii. Quod et fecit. Johannes enim in forma, qua Christum baptizavit, in maxima claritate sibi apparens ecclesiae locum in longitudinem et latitudinem ostendit et constructam dedicavit. Quod vidit una soror, lucem videlicet, sed Johannem non vidit. Cui Odilia inhibuit, ne ante ipsius obitum alicui visionem manifestaret. In inchoatione claustri sancti Johannis boves cum plaustro lapidum cadunt de monte, qui habet in latitudine LXX pedes et illaesi obviant servis adscendendo iterum onerati. Venerant enim servi cum gaudio ipsos occidere, ut non essent cibus vermium, sed hominum, [2])et invenerunt illaesos. Habebat autem fratrem, qui tres filias habuit, Engeniam, Attalam et Gundelindam, quae etiam mundum reliquerunt. Odilia suam nutricem propriis manibus sepelivit et post LXXX annos sepulchro aperto dextra mammilla nutricis, qua eam lactaverat, integra inventa est reliquo corpore incinerato. Post plurima virtutum insignia Odilia sciens finem sibi adesse, convocatis ad se sororibus apud sanctum Johannem praedicavit iis et rogavit eas orare pro se et pro patre suo. Post hoc praecepit iis, ut irent in oratorium matris Dei Mariae et legerent psalterium. Interim, dum haec fierent, ipsa obiit sola tantusque odor ibi fuit, quasi omnes domus plenae essent aromatibus. Redeuntes sorores cum viderent matrem suam sine eucharistia defunctam, adeo instanter oraverunt, quod de morte suscitata iis dixit: cur me inquietastis? Luciae conjuncta fui et illud gaudium habui, quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis adscendit. Responderunt: nobis fuisset confusio, domina, si absque communione sacra obiisses. Tunc Odilia calicem allatum, in quo erat corpus et sanguis Christi, propriis manibus contrectavit et [3])communicavit et omnibus cernentibus emisit spiritum. Ipse autem calix in Hohenburg ob memoriam venerabilis facti hactenus permanet, coelitus enim creditur illuc pervenisse. Tunc corpus ejus ante altare sancti Johannis honorifice sepelitur et odoris fragrantia usque in octavam diem ibi manebat. Martirii Luciae ideo conjuncta fuit, quia ipsa Odilia duobus modis martir fuit, voluntate et carnis maceratione.

---

[4])CAP. CXCI.

De nativitate sancti Udalrici episcopi.

Egregius Christi confessor Udalricus ex Alemannorum prosapia exstitit oriundus. Cujus parentes secundum seculi hujus dignitatem clari et nobiles, sed fide atque divina religione multo clariores fuerant atque nobiliores. Qui talis ac tantae prolis foecunditate divinitus ditati mox eandem cuidam fideli ad alendum, ut mos est, commendaverunt nutrici, ubi inter ipsa nativitatis primordia coelestia non defuerunt auspicia. Licet ergo blando nutriretur affectu,

1) Ed. Pr. legit: venerabatur et ei ecclesiam facere cogitavit. Quadam etiam nocte etc. 2) Ed. Pr. omittit verba: et — reliquerunt. 3) Ed. Pr. haec ita contrahit: communicavit. Ob hoc idem calix usque modo servatur. Odor vero per dies VIII duravit. Martirii etc. 4) Hoc caput in plerisque libris deest.

foeda tamen macies quaedam apparebat in vultu. Qua ex causa dum nimium tristes ejus efficerentur parentes ac in angustis illorum pectoribus curae versarentur ingentes, quidam hospes peregrinus officio clericus, secundum quod illorum ostium semper viatori patuit, benigne ab ipsis suscipitur et per aliquod temporis spatium humane tractatur. Cum interim quadam die hora refectionis residens praedictum infantulum nondum duodecim hebdomarum dies ab ortu ad plenum habentem audivit inter vagitus vocem emittentem, ex qua providus futurorum tale edidit oraculum: nisi, inquit, iste infans celerius fuerit ablactatus, non poterit salvus esse. Cumque semel ac secundo admoniti minus tanti praeconis dicta vellent exsequi, tertia demum die, cum praedictum ac saepe dicendum infantulum adhibita aure persensisset adhuc infirmiorem, hanc praesagam coram omnibus intulit vocem: sciatis pro certo, quod, nisi continuo a lacte fuerit suspensus, hac nocte erit moriturus; at vero si eo, quo dixi, ordine morti subtractus fuerit, magnus in futurum coram domino erit. Hujus prophetiae mysteria qualiter sint adimpleta, non nostri styli eget officio designari, quod tam assidue ad ejus sepulchrum coruscantibus miraculis potest probari. Tandem ergo amotus a lacte coepit corpore et animo in admiratione omnium proficere ac circumquaque manentibus de suo profectu gaudium conferre. Hic itaque mysteriorum Dei dispensator futurus jam solido cibo opus habebat confortari, ut in mensa altaris Christi velut ad coeleste convivium quandoque consistens posset in tempore suo tritici mensuram dare conservis suis. *Incipiebat* enim tunc inter coaevulos modeste conversari, timorem Dei habere, *honorem* parentibus deferre, lasciviam declinare ac in quantum *possibile tali adhuc* erat aetati, in corporis motu, gestu, incessu foris ostendere, qualis habitus formabatur intus in mente. Videntes hujus pueri parentes tantam Dei gratiam in eo fulgere commendaverunt eum in monasterium sancti Galli fratribus religiosis, ut eorum magisterio tam secularium litterarum studiis quam coelestibus instrueretur disciplinis, ubi inter egregios regulares disciplinae magistros dulces theoriae carpebat quotidie fructus, cum verba, quae in sacris codicibus legebat, mox in opera vertebat. Jam summitatem illius Jacob scalae virtutum gradibus adscendendo tangebat, jam a salvatore audierat: vade, vende omnia, quae habes et da pauperibus et veni, sequere me. Etiam tunc monasticae conversationis habitum sumsisset, si in divina revelatione admonitus desiisset. Erat tunc temporis in eodem monasterio quaedam Dei ancilla pro Christi nomine inclusa, Muberat nuncupata, quae die noctuque jejuniis, orationibus ac vigiliis castum Marchano pectoris domino praeparabat templum, in quo gratum creatori omnium mactavit semper holocaustum, dicens cum psalmista: in me sunt, Deus, vota tua, quae reddam laudationes tibi. *Huic sanctus* adolescens dum sui desiderii secretum panderet, illa rem a Deo *quaerendam* statuit ac trium dierum inducias super hoc postulavit. Posteriori vero die spiritu instructa divino hujusmodi usa est responso: non, inquit, vir religiose, divinae est voluntatis, ut hoc in loco detinearis, sed est in plaga orientali locus; ibi quidam fluvius duas dividit regiones, in quo Deo jubente episcopalis apicem dignitatis debes conscendere, et licet multa tam a paganis quam a malis christianis sis passurus adversa, tu tamen in eo confisus, qui dixit: confidite, ego vici mundum, superabis universa dicens cum psalmista: in domino faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deduces inimicos nostros. Haec auditu percipiens ac mente pertractans quibusdam, qui sibi familiaris amicitiae causa adhaerebant, secreto pandebat, et ut interim silentio tegerent, admonebat. Volens dominus hoc, quod de servo suo Udalrico per ora suorum fidelium antea praedixit, adimplere, totius cleri et populi voto in unum concurrente et regis voluntate in id ipsum consentiente, idem vir Dei sanctus in cathedram episcopalem est sublimatus. Accepto vero tantae dignitatis honore qualis quantusve exstiterit, nullus sermo ad integrum explicare valebit. Totus erat semper in oratione, totus in lectione, maxime attendens, quibus virtutum ornamentis apostolus describebat episcopum decoratum esse debere, ubi ait: oportet enim episcopum sobrium, castum esse sicut Dei dispensatorem. Et nocte quidem in oratione

pervigil se ipsum in ara cordis per orationis studia mactavit, die vero super altari visibili salutarem hostiam immolavit, quo ejus sacrificium redemtori omnium esset gratum et acceptum. Erat enim ei sollemnis consuetudo, post completorium nil cibi aut potus sumere, silentio studere, sciens a domino dictum: ex verbis tuis justificaberis et ex verbis tuis condemnaberis. Et ut brevitatis compendio utar, sic exterius gerebat officium sacerdotis, ut interius non omitteret religionem monasticae conversationis. Anno autem incarnationis domini nostri Jesu Christi nongentesimo septuagesimo tertio, aetatis suae octogesimo tertio, ordinationis vero quinquagesimo velut in jubilaeo, hoc est plenae remissionis anno, verus Hebraeus transiit de hujus mundi Aegypto liber in aeternum victurus cum domino suo.

---

[1]CAP. CXCII. (190.)
De vita sancti Galli confessoris.

Cum praeclara sanctissimi viri Columbani, qui et Columba, conversatio per omnem Hiberniam celebris haberetur et velut splendidum ignei solis visi jubar singulari decore omnium provocaret amorem, sicuti de eo, prinsquam nasceretur, provisum esse liber gestorum ipsius plenius indicat, inter caeteros, quos fama virtutum ejus attraxerat, parentes beati Galli, secundum Deum religiosi, secundum seculum nobiles filium suum primae aetatis flore nitentem cum oblatione domino afferentes illius magisterio commendaverunt, ut in regularis proficeret vitae disciplina et inter plurimos spiritualis vitae sectatores ad obedientiae et ardoris propositi invitaretur exempla. Cumque bonae indolis vir caro nutriretur affectu, magno virtutum crevit augmento. Superna quoque gratia se praeveniente tanto studio divinas enotavit scripturas, ut de thesauro suo nova proferre posset et vetera, grammaticae etiam artis regulas metrorumque subtilitates capaci sequeretur ingenio. Obscura autem scripturarum tam sapienter scire volentibus reseravit, ut cuncti, qui ejus prudentiam et sermones audierant, admiratione eum et laude dignissimum judicarent. Qua sapientiae maturitate factum est, ut universorum communi consilio et jussione Columbani abbatis per singulos sacrae promotionis gradus adscendens invitus sacerdotii susciperet dignitatem. Ergo dum sacris instaret officiis, die noctuque precibus dominum placavit et lacrymis et superni inspectoris oculis placere desiderans pro virtutum et vitae meritis amabatur ab omnibus, placuit universis. Cum haec agerentur quotidie, beatus Columbanus evangelicam cupiens assequi perfectionem, ut videlicet omnibus, quae habebat, relictis crucem suam tolleret et nudus dominum sequeretur, consilio suo egit cum fratribus, quorum idem fervor accenderat animos, ut spreta propinquorum et praediorum dulcedine mentis ardorem opere comprobarent. Ascendentes ergo navem venerunt in Britanniam et inde ad Gallias transfretarunt. Cumque vir Dei ad Sigibertum regem cum suis pervenisset, rogavit eum rex, ut infra Gallias resideret nec iis relictis ad gentes alias commigraret, se vero spopondit omnia, quae sanctus pater peteret, praebiturum. Accepta ergo licentia eligendi locum, ubicumque voluissent, cum loca plurima perlustrassent, venerunt infra partes Alemanniae ad fluvium, qui Lindimacus vocatur, juxta quem ad superiora tendentes pervenerunt ad lacum Turicinum. Porro homines ibidem commanentes crudeles erant et impii simulacra colentes, ydola sacrificiis venerantes, observantes auguria et divinationes et multa, quae

---

1) Hoc caput in plerisque codd. et edit. libris deest.

contraria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes. Sancti ergo homines cum coepissent inter illos habitare, docebant eos adorare patrem et filium et spiritum sanctum et custodire fidei unitatem. Beatus quoque Gallus sancti viri discipulus zelo pietatis armatus fana, in quibus daemoniis sacrificabant, igne succendit et quaecunque invenit oblata, demersit in lacum. Qua causa permoti ira et invidia sanctos insectabantur et communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum vero flagellis caesum et contumeliis affectum de suis finibus proturbare. Post haec non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritualis lucri persuasus contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quamplurimum prodesse interim potuisset. Pergens ergo inde cum suis pervenit in castrum, quod Arbona vocatur, et invenit ibi presbiterum bonitate conspicuum nomine Willimarum. Dyaconus supradicti presbiteri nomine Hiltibaldus omnes eremi semitas notas habebat et secessus. Huic cum vir sanctus familiaritatis suae gratiam praestitisset, quaesivit ab eo, an invenisset unquam in solitudine locum aquis abundantem puris et salubribus, in planitie stratum et humanis cultibus opportunum? Desiderio, inquiens, animi ferventis exaestuo cupiens in solitudine dies ducere huic vitae concessos. Dyaconus respondit: haec, o pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena praecelsis, angustis vallibus flexuosa, bestiis possessa saevissimis. Nam praeter cervos et innocuorum greges animalium ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes rabie singulares. Timeo ergo, ne, si te *illuc duxero*, ab hujusmodi hostibus devoreris. Ad haec vir sanctus: apostoli, *inquit*, sententia est: si Deus pro nobis, quis contra nos? et scimus, quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Igitur vir beatus die eodem jejuniis permansit et usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit. Dignum quippe erat, ut, quod divino inchoabat amore, instantissima prece domino commendavit. Cum autem Lucifer suo processu noctis latibula detexisset et sol inferiora dimittens cursu consueto superioris orbis plagas inviseret igneumque jubar ab orientis axe mortalibus demonstraret, athleta Dei ea, quae ductor suus dixerat, secum assumens, cum orationis benedictione illo praeeunte viam aggressus est, cumque per totum diem ita agerent, circa horam nonam dixit dyaconus: pater, hora refectionis jam instat, sumamus ergo paululum panis et aquae, quia ita confortati, viae quod restat, melius consummare poterimus. Homo Dei respondet: tu juxta necessitatem corporis refectionem percipe, fili, ego non gustabo quicquam, antequam dominus mihi locum desideratae mansionis ostendat. Et ille: sicut, inquit, socii sumus passionis, sic erimus et consolationis. His dictis coeperunt iter agere festinato, quia dies jam declinabat et solaris fervor propinquabat occasui. Beatus autem Gallus dum orandi gratia modicum ab illo divulsus esset, inter condensa veprium fruticeta ambulans et pede haerens ad terram corruit. Quod dyaconus videns accurrit, ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei praescius futurorum: sine me, ait, haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Tempore subsequenti coepit virtutum cultor eximius oratorium construere mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum fratribus, quorum jam duodecim monastici sanctitate propositi roboratos doctrina et exemplis ad aeternorum desideria concitavit. Quadam itaque die, dum post laborem matutinalis officii quiescendi gratia lectos suos reviserent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnaldum dyaconum suum dicens illi: instrue sacrae oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille: quando, inquit, tu pater missam celebrabis? Dixit ergo ad illum: post hujus vigilias noctis; cognovi per visionem dominum et patrem meum Columbanum de hujus vitae angustiis hodie ad paradisi gaudia commigrasse, pro ejus itaque requie salutis hostiam debeo immolare. Et signo pulsato oratorium ingressi prostraverunt se in oratione et coeperunt missas agere et precibus insistere pro commemoratione beati Columbani. Contigit autem quadam die, dum in construendo oratorio cum fratribus laboraret, ut tabula quaedam parieti imponenda brevior caeteris mensura palmarum IV

appareret, quam dum ejusdem operis artifices vellent abjicere, beatus Gallus virtutis, quam in domino habebat, sibi conscius jussit eos ab opere disjungere et domum ad percipiendam secum refectionem, quam dominus praeparavit, intrare. Quibus secundum missionem ejus facientibus benedictum panem manu sua porrexit, post prandium autem, cum omnes pariter opus repeterent imperfectum, invenerunt tabulam, quam propter sui brevitatem pridem abjicere voluerant, caeteris omnibus longiorem mensura dimidii pedis et admiratione de eo, quod evenerat, habita lignum, quod mirabili creverat modo, in loco suo parieti aptaverunt. Quod ipsum longo deinceps tempore a fidelibus expetitum domino faciente dentium doloribus efficaciter medebatur, praeter antiqui commemorationem miraculi novis semper effectibus honorandum. In quo facto meritorum ejus magnitudinem et orationis possumus pensare virtutem, quia et lignum aridum contra naturam incrementis auctum est et, ne vetus aboleretur miraculum, rediviva signorum attestatione semper est repetitum. Non multo post, cum jam bonorum omnium auctor et propagator athletam suum Gallum de mundi agone sublatum praemiorum laureis vellet perennibus adornare, Arbonensis presbiter veniens ad cellam sancti viri rogavit eum, ut secum egrederetur ad castrum. Cujus cum postulationi acquiesceret, biduo ibidem ducto et praedicatione facta ad populum tertia die febre correptus tantum in brevi ejus violentia depressus est, ut nec ad cellam redire nec cibi sustentaculum potuisset percipere. Cumque hac infirmitate per dies XIV laborasset, die XVI. mensis Octobris, id est XVII cal. Novembris, expletis XCV annis suae aetatis in senectute bona hujus vitae liberatus ergastulo animam meritis plenam felicibus reddidit bonis inhaesuram perennibus. Inter ipsas quoque beati viri exsequias non mediocre ejus sanctitatis judicium apparuit. Habuit vir Dei capsellam de corio factam diligenter seratam, cujus clavem sub tam vigili custodia ipse retinuit, ut nullus discipulorum ejus, quamdiu in corpore vixerat, quid intus servaretur, cognoscere potuisset. Hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat, quocumque ambulavit. At ubi de hac vita migravit, sumta clave aperuerunt capsellam et invenerunt in ea cilicium modicum et catenam aeneam sanguine aspersam. Deinde corpus inspicientes magistri invenerunt locum catenae, ubi saepius praecingi solebat, carnemque ipsam in locis quatuor profundius a catena sulcatam, adeo ut de iisdem vulneribus cruor decurrens cilicium per loca perfuderit. Posuerunt autem capsellam cum cilicio ad caput ejus in feretrum et deportaverunt cum corpore ad locum monumenti et suspenderunt haec tria mortificationis ejus indicia juxta tumulum ad caput ejus. Per quae deinceps ad ostensionem meritorum ipsius plurimas dominus virtutes pie quaerentibus exhibuit.

---

[1] CAP. CXCIII. (180.)

De sancto Arbogasto [2] episcopo Argentinensi.

Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum vel conversationem ejus a puero ad profectionem usque pontificatus seu antiquitas obliteraverit vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur.

---

1) Hocce caput Ed. Pr. ultimum perquam differt a textu hic tradito, quippe quod ibi multo brevius omnia, quae hic accuratius enarrata sunt, referantur.
2) Hoc epitheton plerumque omittitur.

contraria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes. Sancti ergo homines cum coepissent inter illos habitare, docebant eos adorare patrem et filium et spiritum sanctum et custodire fidei unitatem. Beatus quoque Gallus sancti viri discipulus zelo pietatis armatus fana, in quibus daemoniis sacrificabant, igne succendit et quaecunque invenit oblata, demersit in lacum. Qua causa permoti ira et invidia sanctos insectabantur et communi consilio Gallum perimere voluerunt, Columbanum vero flagellis caesum et contumeliis affectum de suis finibus proturbare. Post haec non timore persecutionis perterritus, sed amore spiritualis lucri persuasus contumacium sterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui benevolis mentibus quamplurimum prodesse interim potuisset. Pergens ergo inde cum suis pervenit in castrum, quod Arbona vocatur, et invenit ibi presbiterum bonitate conspicuum nomine Willimarum. Dyaconus supradicti presbiteri nomine Hiltibaldus omnes eremi semitas notas habebat et secessus. Huic cum vir sanctus familiaritatis suae gratiam praestitisset, quaesivit ab eo, an invenisset unquam in solitudine locum aquis abundantem puris et salubribus, in planitie stratum et humanis cultibus opportunum? Desiderio, inquiens, animi ferventis exaestuo capiens in solitudine dies ducere huic vitae concessos. Dyaconus respondit: haec, o pater, solitudo aquis est infusa frequentibus, asperitate terribilis, montibus plena praecelsis, angustis vallibus flexuosa, bestiis possessa saevissimis. Nam praeter cervos et innocuorum greges animalium ursos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes rabie singulares. Timeo ergo, ne, si te illuc duxero, ab hujusmodi hostibus devoreris. Ad haec vir sanctus: apostoli, inquit, sententia est: si Deus pro nobis, quis contra nos? et scimus, quomodo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Igitur vir beatus die eodem jejunus permansit et usque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit. Dignum quippe erat, ut, quod divino inchoabat amore, instantissima prece domino commendavit. Cum autem Lucifer suo processu noctis latibula detexisset et sol inferiora dimittens cursu consueto superioris orbis plagas inviseret igneumque jubar ab orientis axe mortalibus demonstraret, athleta Dei ea, quae ductor suus dixerat, secum assumens, cum orationis benedictione illo praeeunte viam aggressus est. cumque per totum diem ita agerent, circa horam nonam dixit dyaconus: pater, hora refectionis jam instat, sumamus ergo paululum panis et aquae, quia ita confortati, viae quod restat, melius consummare poterimus. Homo Dei respondet: tu juxta necessitatem corporis refectionem percipe, fili, ego non gustabo quicquam, antequam dominus mihi locum desideratae mansionis ostendat. Et ille: sicut, inquit, socii sumus passionis, sic erimus et consolationis. His dictis coeperunt iter agere festinato, quia dies jam declinabat et solaris fervor propinquabat occasui. Beatus autem Gallus dum orandi gratia modicum ab illo divulsus esset, inter condensa veprium fruticeta ambulans et pede haerens ad terram corruit. Quod dyaconus videns accurrit, ut sublevaret prostratum. Sed vir Dei praescius futurorum: sine me, ait, haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Tempore subsequenti coepit virtutum cultor eximius oratorium construere mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendam fratribus, quorum jam duodecim monastici sanctitate propositi roboratos doctrina et exemplis ad aeternorum desideria concitavit. Quadam itaque die, dum post laborem matutinalis officii quiescendi gratia lectos suos reviserent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnaldum dyaconum suum dicens illi: instrue sacrae oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille: quando, inquit, tu pater missam celebrabis? Dixit ergo ad illum: post hujus vigilias noctis; cognovi per visionem dominum et patrem meum Columbanum de hujus vitae angustiis hodie ad paradisi gaudia commigrasse, pro ejus itaque requie salutis hostiam debeo immolare. Et signo pulsato oratorium ingressi prostraverunt se in oratione et coeperunt missas agere et precibus insistere pro commemoratione beati Columbani. Contigit autem quadam die, dum in construendo oratorio cum fratribus laboraret, ut tabula quaedam parieti imponenda brevior caeteris mensura palmarum IV

appareret, quam dum ejusdem operis artifices vellent abjicere, beatus Gallus virtutis, quam in domino habebat, sibi conscius jussit eos ab opere disjungere et domum ad percipiendam secum refectionem, quam dominus praeparavit, intrare. Quibus secundum missionem ejus facientibus benedictum panem manu sua porrexit, post prandium autem, cum omnes pariter opus repeterent imperfectum, invenerunt tabulam, quam propter sui brevitatem pridem abjicere voluerant, caeteris omnibus longiorem mensura dimidii pedis et admiratione de eo, quod evenerat, habita lignum, quod mirabili creverat modo, in loco suo parieti aptaverunt. Quod ipsum longo deinceps tempore a fidelibus expetitum domino faciente dentium doloribus efficaciter medebatur, praeter antiqui commemorationem miraculi novis semper effectibus honorandum. In quo facto meritorum ejus magnitudinem et orationis possumus pensare virtutem, quia et lignum aridum contra naturam incrementis auctum est et, ne vetus aboleretur miraculum, rediviva signorum attestatione semper est repetitum. Non multo post, cum jam bonorum omnium auctor et propagator athletam suum Gallum de mundi agone sublatum praemiorum laureis vellet perennibus adornare, Arbonensis presbiter veniens ad cellam sancti viri rogavit eum, ut secum egrederetur ad castrum. Cujus cum postulationi acquiesceret, biduo ibidem ducto et praedicatione facta ad populum tertia die febre correptus tantum in brevi ejus violentia depressus est, ut nec ad cellam redire nec cibi sustentaculum potuisset percipere. Cumque hac infirmitate per dies XIV laborasset, die XVI. mensis Octobris, id est XVII cal. Novembris, expletis XCV annis suae aetatis in senectute bona hujus vitae liberatus ergastulo animam meritis plenam felicibus reddidit bonis inhaesuram perennibus. Inter ipsas quoque beati viri exsequias non mediocre ejus sanctitatis judicium apparuit. Habuit vir Dei capsellam de corio factam diligenter seratam, cujus clavem sub tam vigili custodia ipse retinuit, ut nullus discipulorum ejus, quamdiu in corpore vixerat, quid intus servaretur, cognoscere potuisset. Hanc autem ex suis humeris pendentem ferre solebat, quocumque ambulavit. At ubi de hac vita migravit, sumta clave aperuerunt capsellam et invenerunt in ea cilicium modicum et catenam aeneam sanguine aspersam. Deinde corpus inspicientes magistri invenerunt locum catenae, ubi saepius praecingi solebat, carnemque ipsam in locis quatuor profundius a catena sulcatam, adeo ut de iisdem vulneribus cruor decurrens cilicium per loca perfuderit. Posuerunt autem capsellam cum cilicio ad caput ejus in feretrum et deportaverunt cum corpore ad locum monumenti et suspenderunt haec tria mortificationis ejus indicia juxta tumulum ad caput ejus. Per quae deinceps ad ostensionem meritorum ipsius plurimas dominus virtutes pie quaerentibus exhibuit.

---

[1]CAP. CXCIII. (180.)

De sancto Arbogasto [2]episcopo Argentinensi.

Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum vel conversationem ejus a puero ad profectionem usque pontificatus seu antiquitas obliteraverit vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur.

1) Hocce caput Ed. Pr. ultimum perquam differt a textu hic tradito, quippe quod ibi multo brevius omnia, quae hic accuratius enarrata sunt, referantur.
2) Hoc epitheton plerumque omittitur.

At vero tanti patris insignia, quibus in diebus suis miraculis coruscantibus claruit, non ex toto silentio sunt oppressa, quae per aures fidelium transcursis posteris narrantibus auribus nostris sunt infusa. Tradunt namque eum in temporibus Dagoberti regis, cum sancta ecclesia longe lateque flores doctrinae catholicae suave redolentis diffunderet et verbum Dei usquequaque prospere cresceret, de Aquitania progressum divino nutu Argentinensis ecclesiae cathedram consedisse susceptumque culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Hic beatus Christi sacerdos praefato regi amica familiaritate adeo est innexus, ut eo intra regalem aulam ascito illius alloquio delectaretur, consilio uteretur. Qua jucunditate cum uterque, suo rex in regno, episcopus in episcopatu prospere se agerent, hostis humani generis invidia res laeta vertitur in contraria. Nam cum quadam die venatores regis more solito aprum insequerentur in saltu, regis etiam filius, qui erat ei unicus, pariter cum iis in eodem discursu festinavit. Dum autem illi per devia quaeque et diversos anfractus cum canibus oberrarent, solus relictus singulari occurrit incautus. Quo viso sonipes, in quo sedit, pavefactus cursum retorquens in fugam vertitur. Puer vero, cum eum freno retinere conaretur et in alteram partem habenam strictius traheret, heu nimium pronus a sella est elapsus, adhuc autem habenae, quam in manu tenebat, inhaerens per terram tractus calcibus equi miserabiliter est protritus. Quem sui pedisequi diu quaesitum et ita invenientes attritum non sine maximo merore tollentes et in equis levantes funere lugubri domum sunt reversi. Cum autem in palatio regis, quod factum fuit, personaret, quantus undique concursus virorum ac mulierum, quantus planctus, quantus ejulatus regales aedes, vicos, campos, ubicumque auditum est, impleverit, nemo valet explicare. Interea puer in lecto collocatus altera die vita praesenti est exutus. Quid igitur hujusmodi concussionis facto opus sit et quomodo regis dolorem mitigarent, cum secum quaererent, tandem consilio invento, ut episcopus invitetur, regi suggerunt. Quod ille devotissime amplectens mox sine dilatione legatis directis, ut ad se episcopus omni festinantia se fatigare dignetur, exposcit. Nec mora: jussa faciunt, episcopum adeunt, causam invitationis non sine luctu exponunt. Ille vero audito casu amici totus spiritu conturbatus, flens multumque gemens statim properare non distulit. Nec minus interea rex ad adventum pontificis impatiens egressus senem eminus festinantem conspicatus fusis lacrymis, velato capite, multis comitantibus atque lacrymantibus stipatus occurrit. Qui cum se invicem sibi salutare pararent, prae nimio cordis dolore vox haesit in gutture. Quantum lacrymarum ex utraque parte fluxerit, nulli cognitum esse poterit. Tandem luctu sauciati, cum nox advenisset et omnes sopor gravissimus oppressisset, ad orationem processit episcopus. Quomodo aut quibus verbis oraverit, non patet; quid autem impetraverit, non latet. Finita autem oratione accessit ad feretrum ejectisque omnibus ad exsequias vigilantibus flexis genibus se committit Mariae patrociniis, ut illa, quae vitam mundo genuit, vitam puero impetraret a filio. Inter orandum puer surrexit exutumque funebribus indumentis, quibus ante usus est, episcopus jussit indui regalibus. Igitur, qui huic officio aderant, clamorem gaudii cohibere non poterant, quin libere eruptum atrium omnemque aulam regis vociferato maximo implebat. Quo omnes a somno excussi huc illucque discurrebant, causam tanti sonitus ignorantes. Necnon rex ipse, qui tunc primum parum somni carpebat, exterritus est, nam nimium tristis tota nocte jacebat insomnis. Cubiculum, ubi tantus fragor exortus est, festinus erupit. Quanta laetitia cor ejus pulsaverit, fusae prae gaudio lacrymae testantur, cum reviviscere vidit, pro quo, si eum reciperet, ipse mori concupivit. Vocata mater ad sancti viri pedes festinat, quia cor ejus triste filius vivus mulcebat. Necnon omnes, qui ad funus deflendum confluxerant, gaudio repleti ad admirationem resurgentis pueri quique prae aliis ire festinabant. Rex ergo, ne moram faceret episcopo domum, ne laudaretur a populo, festinanti consilium cum regina duxit, quomodo sanctum remuneraret, qui iis tanta beneficia a Deo praestitisset. Aurum, argentum, quaecunque concupiscibilia et regio dono honorabiliora in thesauris invenire poterant, gratissime praecepit offerri

humiliter deprecans, ut accipere dignaretur. Quae sanctus vir accipere devitans ait: si aliquid pro gratiarum actione Deo offerre te delectat, ad augendum Dei servitium in ecclesia beatae matris Christi, cujus meritis filium recepisti, terminos ejus, quia angusti sunt ad tantum servitium, dilatare aliqua parte regni tui, ut sit in usu fructuario ibi servientibus Deo, si ita regiae majestati placet, poteris, quia hoc firmius ac stabilius est ad beatitudinem tuam tuorumque et praecedentium patrum et sequentium posterorum promerendam, quam aurum, quod oculos, cum videtur, delectat et cor, cum perditum fuerit, contristat. Quam propositionem pontificis rex gratulanter amplectens: ubi, inquit, invenire poterimus locum talem, qui congruat ad serviendum matri coelestis regis, cujus sunt universa in coelis et in terris. Cumque haec secum volveret mentemque per omnem Alsatiam spargeret, sicubi forte talis locus inveniretur, qui tantae dominationi aptus haberetur, occurrit animo, Rubiacham oppidum cunctis usibus, id est agris, vineis, campis ac silvis, aquis, aedificiis, populo opulentissimum summae reginae in dotem convenire. Non distulit rex voto tandem invento, coram optimatibus suis assensum tam bono consilio praebentibus testamentum facit, ut Rubiacha cum omnibus appenditiis confinibusque ad se pertinentibus, etiam et cum villis totum et integrum amodo et deinceps sit sub dominio sanctae Argentinensis ecclesiae servientis genitrici Dei Mariae stabili et inextricabili stipulatione subnixum. Hoc nobili donativo ditatus valedicens regi ad propria remeavit episcopus convocatoque clero militumque coetu populi quoque conventu cunctis adstantibus et adspicientibus testamentum acceptum posuit super altare consecratum in honore sanctae Mariae. Postea vero multis annis vixit pollens virtutibus sanctis, e quibus unum miraculum fidelibus valde proficuum huic operi dignum duxerim inserendum. Ferunt namque eum circa flumen, quod de saltu Vosagi, nomine Briuscha, mixtum cum Alsa fluvio, qui alveo per Alsatiam eo usque decurrit, oratorium ligneum parvum sibi fieri jussisse, quo nocturno silentio fluvium transiens veniret, ut ibi secretius in oratione noctaret, mentem quoque in divina contemplatione latius extenderet. Subinde vero, cum navigium non invenit, siccis pedibus fluvium transivit, completaque oratione rursus super undam ambulans repedavit. Ita ergo religiosam vitam ducens diversis morbis oppressos curavit, daemones ab obsessis corporibus fugavit, discordantes concordare fecit, quibus secundum modum necessitatis commodus exstitit moderator. Cum autem sentiret imminere sibi diem extremum, in monticulo urbi vicino extra civitatem, ubi sancti Michaelis est ecclesia constituta, sepulturam sibi fieri praecepit et eo se ferri ac sepeliri, imitans salvatorem Christum, qui extra portam elegit sibi sepulchrum.

CAP. CXCIV. (181.)
De sancto Adelfo.

Beati Adelfi Metensis episcopi celebratur natalis, qui decimus a beato Clemente, qui primus eandem sedem regendam a beato Petro susceperat, gubernavit. Hujus pater Felix nomine de Aquitania ortus exstitit, mater Beatrix de nobili Burgundionum genere originem duxit. Huic in somno angelus Dei apparens, quod filium paritura esset, annuntiavit, et cujus nominis quantaeque virtutis et meriti succedente tempore foret, intimavit. Natus ergo beatus Adelfus et ablactatus ecclesiae disciplinis imbuendis traditur, in quibus ita profecit, ut nulli videretur esse secundus. Ad perfectum igitur eruditus beato Rufo avunculo suo Metensi episcopo traditur, ut ejus bonis actibus probisque moribus ad bene

vivendum informaretur. Beato autem Rufo vicesimo octavo episcopatus sui anno defuncto sanctus Adelfus concordi voto cleri et populi episcopus eligitur et licet reluctante pastor Metensi ecclesiae consecratur. Adepto autem episcopatu, quam largus in elemosinis, quam pernox in orationibus et vigiliis, quam assiduus in jejuniis fuerit, nullius lingua ad liquidum enarrare poterit. Cum autem eandem sedem decem et septem annos in omni sanctitate remansit, de hoc saeculo ad coelestia regna migravit et juxta beatum Rufum avunculum suum in ecclesia sancti Felicis martiris sepultus est, et quanti meriti apud Deum uterque fuerit, miracula ostendunt. Post multa vero annorum curricula anno videlicet dominicae incarnationis DCCCXL sub Ludovico imperatore Drogone venerabili episcopo Metensem regente sedem, petitione Lantfridi corepiscopi ipsius ecclesiae et totius congregationis monasterii, quod dicitur Novum Wilere, clero quoque et populo Alsatiae provinciae id summa devotione hoc poscentibus ad supra nominatum coenobium venerabile corpus sancti Adelfi translatum est, eo quod idem locus Metensi ecclesiae subjectus sit. Cum autem sacratissimum corpus de tumulo levaretur, odore immensae suavitatis adstantes perfusi sunt et hic odor, usque quo ad destinatum locum perventum est, a naribus comitantium non recessit. Silva etiam Vosagi viae, quae ferebatur contigua, se ob honorem sacri corporis quasi salutando inclinavit. Cum autem de villis et agris omnibusque locis ad Dei viri corpus deducendum multitudo populi concurreret, quidam homo in agro occupatus cum caeteris occurrere noluit. Insuper etiam sancto Dei convicia ingessit dicens, quod non vere *Dei sanctus* esset, sed propter pecuniam congregandam ejus corpus in feretro deduceretur. Statim ergo, ut blasphemiae verba ore protulit, ita febribus colligatus est, ut ad propriam domum nisi aliorum manibus deportatus redire non posset. Utrum autem ab hac infirmitate convaluerit vel in sua infidelitate defecerit, nobis manet incognitum. Alius quoque multo tempore in magna infirmitate depressus accessit ad feretrum et se ad deportandum submisit et statim sanitatem, quam desiderabat, accepit. Ut autem ad locum saepe jam nominatum pervenit, maxima cleri et populi turba excipitur et cum magna gloria in ecclesia sancti Johannis baptistae collocatur ibique, quod cum Christo regnet, manifestis signorum indicijs comprobatur.

CAP. CXCV. (179.)

De visitatione beatae virginis Mariae ad Elisabeth.

Beatissima virgo Dei a suis primordiis Deo consecrata: propter beneficia ejus inaudita exhibita populo invocanti omnes in necessitate constituti ad eam confugiunt, tamquam ad singulare remedium, ubi subsidium non sufficit requisitum. Disposuit namque omnia inferiora sua sapientia, providentia, industria et gratia propalsata, ubi gubernatrix saeculi et terrenae potentiae, in Maria, ubi mater misericordiae et impetratrix veniae, in Maria, ubi mater militantis ecclesiae, in Maria, ubi advocata saeculi, in Maria. Hujus rei consideratione Urbanus, Romanus pontifex sextus, dure ferens materiam schismatis occurrentem perpendensque animo perspicaci, quod beata virgo sit peritissima advocata delinquentium viatorum, reparatrix sagacissima discrepantium animorum et visitatrix diligentissima singulorum, pro gratia extinctionis schismatis impetranda per statuit, quod, licet festum visitationis Mariae ad Elizabeth illo tempore post annuntiationem dominicam debuerit celebrari, quo ipsam Elizabeth visitavit

propter maximas virtutes inibi operatas. Quia tamen ecclesia illo tempore circa officium quadragesimale aut passionem Christi specialiter occupatur, ne tanta officii sollemnitas praetermittatur, ad laudem et gloriam virginis gloriosae idem Urbanus sextus pie statuit visitationis praefati festi memoriam in crastinum octavarum beati Johannis baptistae cum octavis sequentibus de festo visitationis Mariae a cunctis fidelibus celebrari. Ut autem omnis fidelium multitudo ad memoriam praefatae visitationis Mariae ad Elizabeth artius et devotius excitetur, voluit idem Urbanus, ut omnibus vere confessis et contritis dictum festum visitationis Mariae celebrantibus cum octavis loco distributionum materialium in ecclesiis fieri consuetis de thesauro spirituali verae indulgentiae, sicut in festo corporis Christi, futuris temporibus effectualiter largirentur. Cum igitur angelus nuntiavit Mariae, quod invenit gratiam apud dominum et quod de ea conciperetur filius Dei ad salutem omnium populorum, quam cito ipsa credidit, statim concepit in utero verbum Dei et post gratias exhibitas de tanto beneficio sibi facto ex magna caritate et pietate studuit suam cognatam Elizabeth jam sex mensibus gravidam tam in Hierusalem salutare et sibi compati ac servire. Unde dicitur de eadem: exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda et intravit domum Zachariae et salutavit Elizabeth. Abiit igitur Maria in montana cum festinatione, quia ab angelo in itinere faciliter ductata fuit, spiritus sancti inflammatione per abrupta montium ducebatur, quae ejusdem spiritus motione suaviter fuit agitata. Beata igitur Maria in domino confidens hilariter transmigravit super cacumina montium sicut passer. In asperitate itineris congaudebat, per viam suavitatem colloquiorum aspernabatur, bona montium in Hierusalem in montanis celerrime cupiebat. Noluit ibi inveniri in publico vel videri, sed abiit festinanter, abiit cum festinatione in civitatem Juda, ut Johannes praecursor domini statim sanctificaretur in utero, ut Christi incarnatio in civitate magis publica panderetur et ut de illo loco ad fines terrae tantorum mysteriorum declaratio ulterius panderetur. Et intravit domum Zachariae et salutavit Elizabeth: ecce quomodo intravit superior ad minorem, domina ad servam, regina coeli et terrae ad famulam et ancillam, ut sic laudando laudibus Elizabeth visitaret et laus ejus laudes reciprocas resonaret [1]).

CAP. CXCVI. (193.)

De sancta Scholastica sorore sancti Benedicti.

Soror beati Benedicti Scholastica nomine omnipotenti domino ab ipso pueritiae suae tempore dedicata ad eum semel per annum venire consueverat. Ad quam vir Dei non longe extra Januam in possessione monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit frater. Qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes incumbentibus jam noctis tenebris similiter acceperunt cibos, cumque adhuc ad mensam sederent et inter se sacra eloquia narrassent tardiorque se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus rogavit eum dicens: quaeso te, ne ista nocte me deseras et usque mane aliquid de coelestis vitae

---

1) Sequitur jam tenor bullae per Bonifacium IX. papam transmissae ad diversas mundi partes super festo visitationis beatae Mariae virginis ad Elizabeth necnon longior locus ex sermone venerabilis Bedae de eadem re petitus, quae omittenda putavimus.

gaudiis loquamur. Cui ille respondit: quid est, quod loqueris, soror! manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero serenitas coeli erat, ut nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audiisset, insertas digitis manus supra mensam posuit et caput in manibus omnipotentem dominum rogatura declinavit, cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis et tonitrui virtus tantaque inundatio pluviae erupit, ut neque venerabilis pater Benedictus neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedes movere potuissent. Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans lacrymarum fluvios in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluviam traxit, nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est. Sed tanta fuit convenientia orationis et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret, quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput et pluviam deponere. Tunc vir Dei inter coruscationes et tonitruos atque ingentis pluviae inundationes videns, se ad monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus dicens: parcat tibi Deus omnipotens, soror; quid est, quod fecisti? Cui illa respondit: ecce te rogavi et audire me noluisti, rogavi dominum meum et exaudivit me, modo ergo, si potes, egredere et me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui manere sponte noluerat, in loco mansit invitus sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent atque per sacra spiritualis vitae colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eam voluisse aliquid, sed minime potuisse, quia, si venerabilis viri mentem adspicimus, dubium non est, quod eandem serenitatem voluit, in qua descenderat, permanere, sed contra hoc, quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex feminae petitione miraculum invenit: nec mirum, quod plus illa femina, quae diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Dicitur enim juxta Johannis vocem: Deus caritas est. Justo valde judicio illa plus potuit, quae amplius amavit. Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens elevatis in aëra oculis vidit ejusdem sororis suae animam de corpore egressam in columbae specie coeli secreta penetrare. Qui tantae ejus gloriae congaudens omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit ejusque obitum fratribus denuntiavit, quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent atque in sepulchro, quod sibi ipse praeparaverat, ponerent. Quo facto contigit, ut, quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec separaret. Eodem vero anno, quo de hac vita beatus Benedictus erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denuntiavit diem praesentibus indicens, ut audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale iis signum fieret, quando ejus anima de corpore exiret. Ante vero sextum exitus sui diem aperiri sibi sepulchrum jubet, qui mox correptus febribus acri coepit ardore fatigari, cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexto die portari se in oratorium a discipulis fecit. Ibidem exitum suum dominici corporis et sanguinis perceptione munivit atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans erectis in coelum manibus stetit et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata palliis atque innumeris coruscans lampadibus via recto orientis tramite ab ejus cella in coelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via, quam cernerent, inquisivit. Alii autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: haec est via, qua dilectus domini Benedictus coelum adscendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut praesentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod iis praedictum fuerat, cognoverunt. Sepultus vero est in oratorio beati Johannis baptistae, quod destructa ara Apollinis ipse construxit.

CAP. CXCVII. (194.)
De sancto Ruperto.

Hodierna festivitas sanctissimi ac beatissimi patris nostri Ruperti, quae ejus nobis in paradisum transitum exsultabilem reddit, piis mentibus mystica gaudia exhibet. Quae, dum annorum cursus inde volvitur, in nostris cordibus semper retenta jucunditate innovatur. Cum enim dicat scriptura: in memoria aeterna erit justus, digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transit angelorum, dumque dicat: gloria patris est filius sapiens, quantae hujus sunt gloriae, qui tot barbaricas nationes ad agnitionem Dei in Christo Jesu per evangelium regeneravit! Tempore namque Hyloperti regis Francorum, anno scilicet ejus regni secundo, sanctus confessor Christi in Wormatia habebatur episcopus, qui ex regali prosapia Francorum nobiliter ortus nobilior fide et potestate fuit. Erat enim mansuetus et castus, simplex et prudens, in laude Dei devotus, plenus spiritu sancto, providus in consilio, justus in judicio, a dextris et a sinistris virtutum armis munitus, gregi suo forma bene agendi factus, quia, quod verbis moneret, hoc operum praerogativa confirmavit. Hinc enim se frequentibus exercebat vigiliis, inde continuatis macerabat inediis, opus suum misericordia ornabat, qua thesauros dispersit, ut saepe egente pauperes ditesceret, qui suum solum hoc esse credidit, quod nudus aut inops accepisset. Cum igitur praecellentissima fama hujus viri in fines terrarum exiisset, quamplurimi illustres viri non solum a vicinis, sed etiam ab exteris nationibus ad ejus sanctissimam confluxerant doctrinam, ut vel illius sacratissimo alloquio in tristitia cujuslibet anxietatis consolationem susciperent, vel ecclesiasticae religionis ab eo puram veritatem audirent. Unde et multi illius benigna devotione a laqueis hostis antiqui liberati sunt et vias perpetuae vitae ingrediebantur, sed infideles, qui plurimi erant in regione Wormacensi, illius sanctitatem non ferentes multis eum suppliciis affectum et virgis caesum a civitate cum magna ejecerunt injuria. Igitur eodem tempore Theodon dux Bavarorum audiens beati viri sanctitatem et miracula, quae faciebat, desideravit illum videre et missis optimatibus suis obnixe eum postulabat, quatenus regiones Bavarorum visitare dignaretur et ejus salutiferae credulitatis viam insinuaret. Sanctus vero episcopus, ubi tantae legationis postulationes percepit, sciens hujusmodi causam ex divina dispensatione procedere, gratias coelesti clementiae agebat, quod sedentes in tenebris et umbra mortis autorem vitae lumen verum Christum Jesum agnoscere optarent. Itaque cum iisdem legatis sacerdotes suos quasi radios fidei ad eundem ducem praemisit et ipse non longo temporis spatio interposito post eos in Bavarorum terram iter aggreditur. Quod cum praefatus dux audiisset, magno perfusus gaudio cum procinctu procerum suorum obviam properavit et in urbe Ratisbona cum summa alacritate illum excepit. Tunc ibidem sanctus Rupertus indicto jejunio coelestibus ministeriis ducem informavit et in fide vera roboravit et ydolorum cultibus abrenuntiare fecit et in nomine sanctae et individuae trinitatis baptizavit. Baptizati sunt cum eo optimates sui et populus non modicus nobilium ac ignobilium redemtorem mundi laudantium, qui eos de tenebris in admirabile lumen suum vocare dignatus est, beatum confessorem Christi, per cujus verba irradiata sunt corda tenebrosa et infidelium arentia pectora fontem vitae sitiebant. Baptizato itaque duce et populo, qui divina illustrante gratia sacramentum salutaris lavacri susceperat, obsecratus a Theodone sanctus Rupertus navi ascensa per alveum Danubii descendendo vicis et castellis libera voce evangelium Christi praedicavit et per terminos Noricorum usque ad inferiorem Pannoniam ipse clara lucerna super candelabrum posita lumen fidei ministrando pervenit indeque per terram reversus Lauriacensium urbem intravit, in qua multos aqua baptismatis regene-

rando ab ydolorum cultura convertit et plures variis languoribus oppressos in nomine domini sanavit. Lauriaco namque degressus, in quocunque loco amplius fervere gentilitatis errorem cognovit, illic intrepidus accessit, destruens ydola, deminuens simulacra, commendans ubique domini nostri Jesu Christi divinitatem pariter et sacram ejus incarnationem, ut unus idemque Deus esse credatur et homo ante Luciferum a patre Deo verus Deus genitus, in fine temporum pro humana salute ex virgine matre verbum Dei verus homo natus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed cum jam vir domini secundum postulationem ducis et populi sibi locum ad episcopalem sedem dignum aptum meditaretur, secus stagnum Walarii laci venit, ubi ecclesiam in honore principis apostolorum Petri construxit et dedicavit. Exiit inde ad Juvarum fluvium, ubi olim Juvano civitas fuit, quae antiquis mirabiliter exstructa temporibus inter Bavaricas urbes eminebat nobilissima, sed tunc raro incola inhabitante paene dilapsa et virgultis erat cooperta. Quem locum servus Dei ad cathedram episcopalem considerans esse idoneum, quippe inter montana a populari tumultu semotum, proprietate hujus a duce sibi tradita cum summo studio renovavit, construens ibi basilicam, quam in honore beati Petri apostolorum principis dedicavit et clericorum officiis rebusque necessariis munificentia Theodonis magnifice dotavit, postea vero delegato sacerdotum officio cursum ibidem quotidie cursum congruo ordine fecit celebrari. Sanctus vir domini cupiens argumentare loca a praefato duce aliquem fiscum suum, vocabulo dictum Pidigen, inter aurum et argentum cum millenis comparavit solidis et sic deinceps Deo auxiliante ex traditione regum sive ducum sive fidelium virorum loci res accrescere coeperunt. Porro diebus quidam probabiles viri beato pontifici cum magna admiratione narraverunt, quod ipsi in eremo, quae tunc temporis verbo appellationis caruit, nunc Wongobi dicitur, coelestia prodigia ardentium lucernarum ter quaterque vidissent et mirificae suavitatis odorem ibi redolere sensissent. Mirantibus autem cunctis, qui aderant, super talibus prodigiis sanctus episcopus Domningum presbiterum suum ad eundem locum misit, praecipiens, ut veritatem hujus signi diligenter approbaret, ponendo in eodem loco crucem ligneam, quam ipse sanctus sua manu benedixit et illuc direxit. Domningus vero cum illuc pervenisset, statim primo noctis exordio cum religiosis, qui secum aderant, coelitus emissas adspiciebat claras lucernas descendere et totam illam regionem loci instar solaris radii irradiare, et hanc visionem per tres noctes cum suavitate mirifici odoris ibi viderat irradiare. Tunc ipse in eodem loco benedictam crucem erexit et superfabricato tugurio ad sanctum Rupertum regressus est, priorem assertionem certa relatione confirmans. Sanctus Rupertus quoque communicans consilio cum Theodone per semetipsum eandem eremum adiit et videns locum humanis habitationibus posse fieri aptum annosa robora exstirpare silvarumque condensa in planitiem campi redigere ac ecclesiam cum habitaculis servorum Dei aedificare coepit. Iisdem vero temporibus Theodo adversam incidit in valetudinem, cumque sibi vitae terminum appropinquare sentiret, vocavit ad se Theobertum filium suum et ducem Noricorum illum constituit, praecipiens ei obedire sancto Ruperto, ad christianitatem suam et ad opus divinum illum diligenter adjuvare sanctumque locum Juvaviensis ecclesiae amore et honoribus et dignitatibus jugiter sublimare. Cumque hujuscemodi mandatis et omnibus, quibus voluerat, filium instruxisset, ultimum diem clausit migrans ad dominum. Post hoc vero Theobertus cum optimatibus suis ad sanctum Rupertum visendi gratia ire perrexit et veniens ad illum in supradicta eremo locum pio venerabatur affectu, dans ad ecclesiam, quam sanctus Rupertus ibi construxit ac ipso duce praesente in honore sancti Maximiani dedicavit, tria milliaria undique de eadem silva et villam Albinam cum caeteris donariis in alimoniam monachorum, quos sanctus pontifex ibi Deo serviendum posuerat. His ita gestis videns vir Dei Bavariae dignitatis culmen jugo Christi sese subdidisse, sed gentilitatis errore plures involutos superesse, ad patriam suam repedavit et inde cum duodecim ad praedicandum sibi sociis electis, inter quos erant eximii Crisantus, Cisilarius

ambo presbiteri, ambo viri sancti, et secum virginem Christi sanctam Erudrudem neptem suam adducens quasi cum tot luminaribus ad urbem Juvaviensem regreditur. Tunc in superiori castro ejusdem civitatis construxit in honore domini nostri Jesu Christi et suae sanctae genitricis perpetuae virginis Mariae monasterium et ibidem congregationem sanctimonialium, posuit sanctam Erudrudem ad servitium coelestis regis atque cum Theoberti ducis adstipulatione, qui possessiones ad illud coenobium tradidit infinitas, earum conversationem per omnia rationabiliter disposuit. His ita expletis iste vir beatus inceptum praedicationis opus cum summi opificis adjutorio studens ad perfectionem perducere, Norica regna discipulorum suorum comitante caterva circuire destinavit et ab urbe egrediens Juvaviensi gentes, quibus nondum fidei lumen resplenduerat, visitavit et iis triticum credulitatis lolio pereunte seminavit. Nam a cordibus eorum barbaricis hospitibus dyabolicae deceptionis perfugatis illuc intromisit fidem, castitatem, misericordiam, humilitatem, per quos pacificos habitatores Christus omnium bonorum largitor et origo humanae mentis domicilium intrare solet. Cumque sic Bavarorum terminos circuiret ac omnes ad fidem convertisset, eos, ut in fide stabiles permanerent, admonuit et dimissis presbiteris, qui populum ad divina mysteria consuescerent, ipse ad urbem Juvaviensem remeare studuit, quia spiritu prophetico repletus diem vocationis suae instare praescivit, quem discipulis suis praenuntiavit. Illi tali et tam tristi indicio consternati, cur eos et tam novellam christianitatis plebem desereret, lacrymati sunt. Ille spe erecta ad Christum urbem Juvaviensem et populum Noricorum omnipotenti Deo commendavit et Vitalem virum sanctum et omni populo acceptum sibi fieri successorem elegit. Cum vero dies quadragesimalis observantiae agerentur, febrium ardore vir Dei fatigari coepit, cumque sanctissima dies resurrectionis Christi illuxisset, sollemnia missarum celebravit et munitus sacro sancti corporis Christi viatico post dulces paternae pietatis admonitiones et post extrema caritatis verba fratres confirmantia inter sanctas manus, lacrymantium voces, inter pios plangentium singultus coetus angelici a quibusdam religiosis viris in coelo audiebantur, qui voce canora animam sanctam ferebant ad aeternam felicitatem.

CAP. CXCVIII. (195.)
De sancto Floriano.

Tempore Dyocletiani sanctus Florianus princeps officii militiae fuit, de quo XL milites crediderunt Christo. Qui ab Aquilino praefecto ad partes Noricorum, id est Bavarorum, destinati apud Lauriacum suppliciis affecti incarcerantur. Tunc sanctus Florianus ultro se christianum confitetur, et cum flecti non posset ad cultum ydolorum, bis duriter caesus est et acutis fustibus scapulae ejus perfodiuntur. Tandem jubet Aquilinus, ut a ponte in flumine Avisi praecipitetur. Orat sanctus, student lictores, sed unus aliis atrocior sanctum praecipitat; cujus oculi statim videntibus omnibus crepuerunt. Martir adscendens contra fluxum fluvii in magno saxo, aquila advolat, expansis alis in modum crucis tegit corpus, matronae devotae sanctus apparuit, jungit illa animalia et corpus virgultis involvit, ne a persecutoribus videatur. Sed cum aestu animalia deficerent, ad preces feminae fons erupit, qui usque hodie fluit. Venientes ergo boves ad locum martiri paratum ultro se movere non poterant, ibique sepultus miraculis multipliciter coruscat.

CAP. CXCIX. (196.)

De sancto Erasmo.

Facta est persecutio christianorum a Dyocletiano imperatore, ut, si quis inventus fuisset non sacrificare Diis, multis suppliciis interiret. Audiens hoc beatus Erasmus fugiens ex Antiochia civitate eremum petiit et habitavit in eo annis septem, ubi in monte Libano die ac nocte dominum deprecans multa mirabilia egit. Nam esca ei de coelo veniebat per corvum, etiam angeli loquebantur cum eo, diversae etiam ferae veniebant in cellam ejus et prosternebant se ad vestigia ejus et facta est ad eum vox de coelo dicens: Erasme, descende ad tuam civitatem. Et statim surrexit et descendit ad civitatem, cumque descendisset, multi quidem vexabantur a spiritibus immundis et occurrebant ei. Tunc beatus Erasmus imponebat iis manus in nomine domini et statim salvi fiebant, multos etiam per baptismum convertebat ad dominum. Hoc audiens Dyocletianus imperator jussit beatum Erasmum teneri et praesentari sibi, cumque introduceretur sedente imperatore pro tribunali, interrogavit eum dicens: quid vis esse aut de quo genere es? Tunc beatus Erasmus dixit: christianus sum et ipsum confiteor. Erat beatus Erasmus non solum spiritu, sed etiam corpore pulcher, vultus etiam ei angelicus, oculi ejus tanquam radii solis, loquela ejus sine ulla offensione, securus respondebat, non trepidabat. Et ait imperator: acquiesce et sacrifica Diis meis, ne male moriaris. Dixit ei beatus Erasmus: hoc, imperator, nunquam ego sum facturus, ut lapidibus et sculptilibus quibus tu ipse similis es, ego sacrificem, sed ego sacrifico Deo vivo, qui fecit coelum et terram, mare et omnia, quae in iis sunt, ipsi soli vivo et anima mea, nam tibi nunquam consentio. Tunc imperator furore repletus jussit ministros plumbatis tundere latera ejus. Qui dum caederetur, respexit in coelum et dixit: gratias tibi ago, domine Jesu Christe, qui es via in te credentium, quia perveni, ad quod desiderat anima mea, adjuva servum tuum, ut me non absorbeat abyssus mortis. Tunc imperator dixit: Erasme, video te juvenem et pulchrum, consule animae tuae et sacrifica Diis meis et dabo tibi aurum et argentum, vestem inaestimabilem et faciam te nobilem in palatio meo. Dixit ei Erasmus: lupe rapax, seductor animarum, non praemia tua separent me a caritate Christi, nam aurum et argentum et vestes tuae inaestimabiles sunt tecum in dies perditionis tuae; ego autem habeo loricam fidei, quam infernus corrumpere non potest, tu vero cum patre tuo dyabolo eris in ignem aeternum arsurus. Imperator furore repletus jussit beatum Erasmum fustibus mactari, et ter binos mutans, et in dorso ejus nulla macula videbatur. Universa vero plebs clamabat dicens: vere magnus est Deus christianorum, qui tantam virtutem operatur in illo. Imperator dixit ad populum: errastis, artes maleficas operatur iste. Dixit beatus Erasmus: nonne et tu dyabolus es similis illi, qui primo protoplastum de paradiso projecit, impie carnifex, draco iniquitatis, dux maleficorum, maleficia mea, Christus est filius Dei vivi, quem virgo genuit Maria ex verbo patris, quem prophetae venturum praedicaverunt, qui solvit peccata mundi illuminans tenebras ignorantiae nostrae, qui te percutiet in aeternum, cui tu rationem redditurus es. Imperator furore repletus jussit beati Erasmi carnes ungulis ferreis effodi, gratulans, psallens, propheticum psalmum Deo canebat dicens: posuerunt Hierusalem ut pomorum custodiam, posuerunt morticina servorum tuorum bestiis terrae. Tunc imperator furore repletus jussit ministris, plumbum, picem, sulphur et resinam cum cera et oleo solvi et beatum Erasmum perfundi. Stabat autem angelus domini cum eo, qui ei refrigerium praestabat. Tunc bis Erasmus dixit imperatori: ubi sunt minae tuae et furor tuus magnus? ecce corpori meo praestitisti magnum refrigerium. Universa vero plebs clamabat dicens: dimitte hominem istum et episcopum civitatis suae, quia Deus

christianorum operatur in illo. Et ecce subito est factus terrae motus magnus, tonitrua, coruscationes, ita ut paene tertia pars populi moreretur. Angelus vero domini cum sancto Erasmo stabat et caecos homines ad Christi lumen deducebat. Imperator autem fugiens quasi timens, civitatem ab ira Dei perire, locutus est ad populum et dixit: iste, quem vidistis, Deum blasphemavit; ideo talis est conturbatio. Tunc imperator repletus furore jussit beatum Erasmum in carcerem introduci et LX pondera ferri in cervicem vel in manibus ejus poni, et praecepit ministris, si quis inventus fuisset panem vel aquam ei dare, morte moreretur. Et fecerunt ministri, sicut imperavit iis. Imperator autem annulo suo signavit ostium carceris et circa mediam noctem exclamavit beatus Erasmus ad dominum dicens: domine Jesu Christe, accelera et eripe me, ne glorietur inimicus in servis tuis, ne dicant gentes: ubi est Deus eorum? Et ecce subito carcer illuxit et fragravit, quasi fuisset aromatibus plenus, et visa sunt velut XII candelabra ardentia ante beatum Erasmum martirem et episcopum. Angelus domini ingressus fuerat ad eum dicens: Erasme, ecce ego veni ad te, et statim liquefactum est ferrum tamquam cera et in medio eorum stabat psallens et benedicebat Deum dicens: benedictus es, domine, qui fecisti coelum et terram, cui adstant angeli et archangeli cum tremore et numerus martirum, qui passi sunt propter te, qui fecisti misericordiam cum servo tuo et liberasti animam meam de manibus inimicorum, sicut liberasti Sydrac, Mysac et Abdenago de medio fornacis ignis ardentis et de manu Nabuchodonosor regis, et sicut Danielem servum tuum de lacu leonum et oblato prandio per Abacuch prophetam saturasti, et Susannam de falso crimine liberasti, ita et mecum fecisti misericordiam. Et ecce angelus domini dixit ad eum: Erasme, exsurge et ambula mecum usque in Italiam, ibi tibi Deus aeternam vitam tribuet in saeculum saeculi. Et quasi columba Christi plaudens sic in Lugrido deposuit. Alia vero die imperator currens ad carcerem signatum annuli sui invenit, cumque designasset, praecepit ministris: adducite magum, qui Deos meos pro nihilo fecit. Ingressi autem carcerem nusquam eum invenerunt, ferrum quoque sicut cinis inventum est, et factus est clamor magnus dicentium: hominem non invenimus, nam et ipsum ferrum nobis cinis videtur esse. Quod ut audivit imperator, sibi alapam in fronte percussit dicens: vaeh, mihi delusum est regnum meum! quid dicturus ero populo meo? Venerant enim quasi XL millia virorum et mulierum ad spectaculum militis Christi, turbabatur tota civitas in tremore grandi posita, christiani christianum quaerebant, viduae et orphani episcopum requirebant dicentes: quid fecisti homini, pastor? Tunc imperator timore perterritus dixit, quia a Deo ejus in coelum raptus fuisset et per praemium magnum se redemisset. Et cum beatus Erasmus in Lugrido venisset, multos in Christi nomine baptizans omnia virtutibus operabatur, nam infirmos et caecos orationibus salvabat. Nam erat ibi quidam nobilis et primarius civitatis, nomine Anastasius, cujus filius mortuus fuerat, et corpus ejus ad sepulchrum ducebatur. Jussum enim fuerat a domino beato Erasmo, ut eum resuscitaret et redderet parentibus suis, et apprehendens beatus Erasmus corpus defuncti dixit patri ejus: Anastasi, si credis in domino nostro Jesu Christo, qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine, recipies filium tuum salvum. Multa enim turba populi mirabatur ad haec verba. Anastasius dixit: et tu potes filium meum resuscitare? Beatus Erasmus dixit: non ego, sed dominus noster Jesus Christus, cui ego servio. Anastasius dixit: si filium meum salvum mihi reddideris, credo ego et domus mea et populus universus. Tunc beatus Erasmus jussit corpus ejus deponi, secreto patrem et matrem jussit stare, flexis genibus super corpus ejus dixit: in nomine Jesu Christe surge. Cumque surrexisset, clamavit voce magna: vere, quia magnus est Deus christianorum, et conversus ad patrem ait: pater, usque nunc erravimus; Dii enim, quos colebamus, nihil sunt, vidi enim eos in inferno non habere requiem a tortoribus, Deus autem vivus famuli Erasmi magnus est. Et credidit Anastasius et tota domus ejus et populus universus, qui in illa hora fuerunt baptizati, qui sunt quasi XL millia hominum. Tunc beatus Erasmus exclamavit voce magna dicens: gratias ago tibi, domine Jesu Christe, qui con-

gregasti populum tuum in via veritatis, tu enim dixisti evangelica voce: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; benedic populum tuum hunc, quem acquisivisti. Et facta est ad eum vox de coelo dicens: Erasme, serve bone, qui pro me laborasti in terra, omnia, quaecunque petieris, dabuntur tibi. Et benedixit dominus populum hunc, qui crediderunt. In illa hora omnia ydola, quae colebantur, vertebantur, per septem autem dies beatus Erasmus docens populum et confirmans in doctrina Christi dicebat: custodite mandata ejus, quae audivistis, et magnalia Dei, quae fecit in vobis, induti fide etiam fideles estote. Audiens hoc Maximianus imperator, quae facta fuerant in Lugrido civitate, a Probo iniquissimo homine et sacrilego, qui dixit: audi, pie imperator, quae facta sunt in civitate tua, regnum delusum est et Dii nostri nescio a quo homine Antioceno subversi sunt, qui confitetur illum Jesum Christum, qui crucifixus est ab hominibus in Judaea, Deum esse. Quo audito imperator jussit beatum Erasmum teneri et praeparatum tribunal adscendit, et ingressus est beatus Erasmus. Ad quem ait imperator: dic tu scelerate homo, quae tibi est religio? Tunc beatus Erasmus tacuit, sed oculis suis respexit in coelum. Imperator ait: nihil loqueris? et jussit maxillas suas contundi. Tunc beatus Erasmus dixit: lupe rapax, plenus iniquitate malefice, quid persequeris servum Dei? Imperator dixit: nonne hic ipse est, qui crucifixus est ab hominibus in Judaea? Sanctus Erasmus respondit: ego ipsius servus sum. Maximianus dixit: talis sis, qualis et ille, et sic moriaris. Tunc beatus Erasmus subridens ait illi: optime, imperator, benedixisti mihi, utinam illius ego merear vestigia sequi, quia effusio sanguinis ipsius nostra illuminatio est, quem si velis agnoscere et illum credere, salvus eris. Imperator dixit: tu in illum credas et genus tuum. Beatus Erasmus dixit: optime dixisti mihi, plane quia sic credimus, hostias humilitatis et tribulationis munere offerimus ei, qui salvavit populum suum a peccatis eorum. Imperator dixit: consule tibi et accede et sacrifica Diis meis. Sanctus Erasmus respondit: quibus Diis me jubes sacrificare? Imperator dixit: si tibi dixero, consentis? Beatus Erasmus dixit: si videro, forte facio. Tunc gaudio repletus imperator cum universo populo usque ad templum Jovis jussit hominem Dei deduci ad civitatem Sirmitanam et praecepit organa et omne genus musicorum in templo parari. Et hoc videns beatus Erasmus ingemuit corde et oculos suos ad coelum direxit dicens: Christe fili Dei esto praesens in ista hora et mitte angelum tuum, qui mihi auxilietur et confirmet me in hora ista a pugna dyaboli, quam mihi praeparavit. Cumque pervenisset in templum, beatus Erasmus dixit: ubi est Deus, quem jubes me adorare? Imperator autem apprehendens manum ejus ingressus est templum et ostendit ei statuam aeneam magnitudinis cubitorum XII et dixit: ecce Deus meus, cui ego servio. Statim ut dyabolus adspexit faciem martiris Christi, cecidit statua et in cinerem versa est, exivit et draco magnus ex illa et occidit paene tertiam partem populi. Imperator ut vidit, se esse delusum, adscendit equum et ad palatium pergebat. Percutiens pectus suum dixit: vaeh mihi! delusum est regnum meum, nescio a quo homine Antioceno. Magis autem pars populi clamabat: serve sancte Dei, ora pro nobis, ut ne pereamus ab isto dracone. Tunc beatus Erasmus imperavit draconi, ut quemquam hominem non contaminaret. Videns autem universus populus Sirmitanorum, quantas virtutes per servum suum operabatur, coeperunt omnes credere Christo. Beatus autem Erasmus dixit: ecce quales virtutes operatur Deus in eos, qui credunt in illum. Et baptizati sunt quasi quadraginta millia hominum. Erat enim gaudium in caelo et spectacula angelorum, et quomodo pars dyaboli pugnabat adversus electos Dei et non valebat mentes eorum avertere a cogitatione domini. Tunc angeli voce magna clamabant: gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Qui sic fuerant ad dominum conversi, responderunt: amen. Conturbata est omnis civitas Sirmitana. Conterritus vero imperator misit armatos et jussit omnes, qui ad dominum conversi sunt, gladio puniri. Martirizaverunt etiam trecentos triginta homines commendantes se orationibus sancti Erasmi martiris, quibus ait: ite in nomine domini feliciter ad sanctam civitatem, quam

praeparavit vobis dominus, et ego post modicum tempus subsequar. Erant autem angeli currentes per nubes, suscipientes animas eorum et triumphantes martires usque ad coelum perduxerunt. Et audita est vox psallentium et dicentium: alleluja, via justorum recta facta est et iter sanctorum praeparatum est. Quod audiens beatus Erasmus gratulavit ut bonus pastor super oves suas, quas tradidit Christo. Tunc imperator furore repletus jussit beatum Erasmum teneri et diversis suppliciis torqueri et jussit ministris tunica aenea adversus staturam ejus et ignea fortiter eum vestiri dicens: nunc videbo, si Deus tuus eripiet te de manibus meis. Tunc bis Erasmus dixit: carnifex plenus iniquitatis, filius dyaboli, verecundiam tuam laudo, qui deterior es cane, dixi tibi et nunc dico: non timeo minas tuas, si ampliora facias, cor meum non trepidabit. Et signans se signo crucis vestivit se ignea tunica, psallens propheticum psalmum dicens: transivimus per ignem et aquam et reduxisti nos in refrigerium, item tamquam aurum in fornace probasti eos, qui in te credunt et sicut holocausti hostiam suscipis. Statim tunica ignea, qua indutus fuerat, facta est frigida sicut nix, ut nulla macula super eum inventa fuisset. Tunc beatus Erasmus dixit: ecce, imperator, confusus es, cum patre tuo dyabolo in ignem eris aeternum arsurus, nam dominus Jesus Christus filius domini liberavit me. Populus autem clamavit: vere, quia magnus est Deus christianorum, qui tantas virtutes in illo operatur. Tunc imperator ait: artes sunt maleficorum, ut igni imperaret et Deos nostros deludat. Tunc beatus Erasmus dixit: stulte imperator, qui putas maleficia, mecum est Christus filius Dei, ipse, qui imperat igni, Deos tuos deludit, lapides et aeramenta surda ab hominibus conflata, quibus tu similis es; nam dominus meus Jesus Christus vivus est et virtutibus vincit. Imperator dixit: quamdiu injurias tuas tolerare possumus? Tunc beatus Erasmus dixit: etiam et ego miror verecundiam frontis tuae, quia non erubescis. Tunc imperator furore repletus jussit ministris suis ollam parare urnarum XX plumbi pice similiter cum cera et resina et oleo solvi et repleri et succendi. Et fecerunt ministri, sicut praeceptum iis fuerat, et fervens facta est olla et fluctuans sicut mare, et dixit ei imperator: numquid et hic ars tua potest praevalere? Tunc beatus Erasmus dixit imperatori: ista olla meum est refrigerium, et facto signaculo crucis descendit in eam, statimque: vox domini super aquas Deus majestatis, intonuit et effudit unam undam ex olla et ustulavit imperatorem. Qui clamavit: ardeo, homo Dei, ora pro me. Tunc beatus Erasmus dixit imperatori: vaeh tibi, lupe rapax, et Gehennae ignis, quem tibi paravit Deus simul cum patre tuo dyabolo et ministris ejus; scio, quod cor tuum obduratum est, sed propter populum istum circumstantem erit tibi bene. Et quievit dolor. Multi autem hoc videntes in illa hora crediderunt, imperator autem videns, se delusum esse, jussit martirem Dei recipi et in arta custodia haberi et ingenti ferro ponderis colligari, cumque orasset, apparuit ei juvenis similis filio Dei vocans eum et dixit illi: ego sum Michael angelus missus ad te, ut te ducam in Campaniam provinciam, quae vocatur Formana, ad docendum populum. Apprehendens eum et ejecit eum de civitate Sirmitana veniensque naviculam a domino paratam invenit et transmigravit in provinciam Campaniam. Alia vero die turbatus est imperator, quod non invenisset eum dicens, quia Deus eripuit eum. Servus autem Dei et martir domini venit et sedit in civitate Formana et septem annis docens populum viam veritatis. Angelus autem domini panem ei quotidie ministrabat. Postea orabat ad dominum, ut in civitate sua aeternaliter quiesceret, et facta est ad eum vox de coelo dicens: Erasme, veni et requiesce in civitate, quam paravit Deus fratribus tuis martiribus et prophetis et recipe laborem tuum, per te enim honorificatus sum in coelo et in terra. Tunc beatus Erasmus pro viduis et orphanis deprecabatur: domine unigenitus domini patris, qui me fecisti requiescere in loco isto, concede, ut, qui in hoc loco habitationis meae pro suis necessitatibus preces effuderit, sic inde transeat exauditus, ut tu ei sis hic et in futuro placatus. Et respexit beatus Erasmus in coelum viditque coronam inenarrabilem et occursum sibi de choro apostolorum et prophetarum et inclinavit caput suum et dixit: domine, suscipe animam servi tui, et completa ora-

tione sanctum reddidit spiritum et visa est anima ejus candida, tanquam nix, quando ab angelis deducebatur cum gloria magna, et cum illis caelum penetrabat tertio nonas Junias regnante domino nostro Jesu Christo.

CAP. CC. (197.)

De sancto Kiliano.

Kilianus Scotorum genere, nobilibus parentibus, divinae tamen gratiae factus est nobilitate clarissimus. Scotia, quae et Hybernia dicitur, insula est maris, foecunda quidem glebis, sed sanctissimis clarior viris. Ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia. Qui, ut diximus, nobili prosapia editus a pueritia liberalibus studiis traditus simul cum litterarum incrementis diligenter coepit indagare viam veritatis. Tandem praeveniente se gratia Dei spretis humanarum litterarum studiis omnibusque hujusmodi illecebris monasterium petiit, abnegavit semet ipsum tulitque crucem suam et secutus est Christum. Igitur in monasterio positus quantae obedientiae, quantae fuit vigiliarum et orationum instantiae, vitae praesentis terminus declaravit. Quamvis etenim martirii palma per gratiam magis quam per meritum constet, bonis tamen adimpletur operibus. Videntes itaque fratres monasterii in virtutum perfectionibus beati viri perseverantiam primo eum per ecclesiasticos gradus ad officium presbiteratus provehere conscendere, deinde ejusdem monasterii curam sumere coeperunt. Ille autem sciens perfectionem caritatis sine dilectione proximi perfecte constare non posse, passus est in propriis aliquantulum minorari, ut fratrum prodesse posset utilitati, imitatus apostolum cupientem anathema fieri a Christo pro fratribus et cognatis secundum carnem. Verumtamen cum fama beati viri longe lateque crebresceret, metuens ipse, ne favor popularis maculae sibi rugam infigeret, coepit meditari, qualiter notos et propinquos relinqueret peteretque longe sepositas terras, ubi obscurus fama et vilis genere posset haberi, quo liberius divinis cultibus vacare valeret. Deliberatione itaque recedendi peracta collectis fratribus, in quibus idem fervor ardebat, ad vicinam Scotiae Britanniam devenit, deinde Galliam attigit. Qua permeata in provinciam Germaniae devenit, quae ab incolis terrae ipsius orientalis Francia vocatur, ibique in urbe Herbipoli se morari disposuit, non veritus incredulae gentis feritatem experiri, eo quod intrepidus coronam optaret martirii. Sed tamen a praedicationis verbo interim abstinuit, donec Romano pontifici se praesentaret, quatenus apud sedem Romanam et integrum religionis christianae dogma et licentiam praedicandi acciperet. Tunc autem praeerat Romanae ecclesiae Conon pontifex humanis divinisque litteris pollens, pontificali officio congruus et in rebus ecclesiasticis idoneus. Qui audita fide beati Kiliani caritatis nexibus illigatus Deo gratias retulit eique suae caritatis amore impertivit, exsultans semina divini eloquii ab insulanis ac longe positis doctoribus augeri. Erat enim apud egregium pontificem non modica exsultatio, quia cernebat paulatim evacuari fraudem antiqui hostis crescentibus ministris divinae operationis. Tunc ex consensu totius urbis beatum virum in pontificale officium promovit, quo et chrisma conficere et ecclesias dedicare et sacros ordines dare irreprehensibiliter valeret. His ita peractis dimisit eum, ut coepto operi insisteret parato sibi a domino praemio aeternae retributionis. Beatus itaque Kilianus urbem egressus peracto itinere cum Columbano presbitero et Totmanno levita ad locum sibi destinatum pervenit, Columbano relicto, nam Romam pergens Gallum in Alemannia febre gravatum dimisit. Perveniens igitur ad praedictam urbem Herbipolin non eum, quem in eadem provincia ducem

reliquerat, invenit, sed alium nomine Gosbertum. Porro venerabilis vir paulatim coepit pabula divini verbi incredulis populis ministrare. Tantam ei dominus gratiam contulerat, ut in brevi tempore gentis loquelam perdisceret eisque proprio sermone semina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non solum novitatem doctrinae, sed etiam exuberantiam eloquentiae facundam quoque sermonis comitabatur efficacia virtutis. Impletum est in illo, quod veritas apostolis promittit dicens: ego dabo vobis os et sapientiam, et iterum: opera, quae ego facio, et vos facietis. Sed cum jam semina divini eloquii succrescerent et plebs gradatim minueretur ab errore gentilitatis, usque ad principes populi sancti viri fama pervenit, ut ducem quoque provinciae non lateret. Qui eundem sanctum virum sibi praesentari jussit, experiri cupiens, quae esset haec doctrina sibi hactenus incognita. Erat autem ipse princeps naturali ingenio praeditus, licet gentilitatis errore foedatus. Ad quem beatus Kilianus perveniens constanter verae religionis dogma insinuare coepit, docens patrem et filium et spiritum sanctum unum esse Deum incommutabilem, visibilium et invisibilium omnium creatorem. Praefatus vero princeps admiratus tantam beati viri constantiam et sermonum insuperabilem veritatem, quia naturali, ut diximus, pollebat ingenio, veris se sententiis superatum ad ejus distulit auditionem, volens frequenti apud se tractatu rimari, utrum, quem Kilianus docebat, an Dianae cultus praeponendus foret. Diana namque apud illum summa veneratione habebatur. Veruntamen vir egregius jugi instantia laborabat, ut Deo redderet animas, quas dyabolus perdere conabatur. Porro praenominatus dux cernens constantiam praedicationis beati Kiliani secreto venit ad eum, cupiens doctrinis suis instrui, quatenus inito tramite veritatis abigere valeret anfractus erroris. Sed a beatissimo viro catholicae fidei documentis diligenter instructus proximo die dominicae resurrectionis cum multis aliis dato nomine aqua lotus baptismatis absolutionem pristini promeruit erroris, sicque factum est, ut paene tota provincia orientalis Franciae relicto daemonum cultu divinae religioni operam daret. Praedictus dux Gosbertus monitu assiduo beati Kiliani ad meliora de die in diem proficiebat. Erat autem illi conjux secundum gentilitatis ritum, quae quondam fratris ipsius conjugio fuerat copulata, nomine Geilana. Sed vir Dei idcirco in initio fidei tale noluit conjugium prohibere, ne in poenitudinem credulitatis gravitate in omnibus praelibatus princeps duceretur. Et hoc est, quod apostolus nondum in fide perfectis dicit: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, perfectorum enim solidus est cibus. Ideo quod noverat gravius, distulit in futurum simulque divino revelante spiritu sciens, in hac re sibi et sociis causam constare martirii, ut multis interea prodesset, interim omisit tale damnare conjugium, licet cuperet dissolvi et esse cum Christo, imitatus apostolum, qui in sporta a fratribus per murum dimissus est, non ut mortem timeret, sed ut multis ante mortem prodesset. Veruntamen cum quadam die beatus praesul ducem familiariter alloqueretur, dixisse inter caetera fertur: fili mi, quem per evangelium genui, gandeo valde in profectu fidei tuae, sed multum me movet, quod illicitis nuptiis detineris, et vereor nimis, quod a recto itinere tali conjugio retarderis, legitur enim beato Jacobo docente, quia, qui totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. Praeterea in baptismate innovatur homo et non ex parte, sed totus; ut autem totus innovari possit, nihil pristini retinere debet erroris. Audiens autem hoc princeps primo haesit stupore, deinde alta suspiria trahens (valde enim diligebat eam, quam habebat uxorem) tale deinde fertur dedisse responsum: audivi, pater, te dicente, quia dominus Jesus praecepit nihil suo amori praeferendum, non patrem, non matrem, non filios, non uxorem, et idcirco, quamvis unice diligam junctam mihi uxorem, praepono tamen divinum amorem; sed nunc non adest mihi otium inquirendi, qualiter eam dimittam, quia contra hostes nostrae reipublicae festino, cum autem reversus fuero, inventa opportunitate dimittendi separabor ab illa. Hoc vero cum ad aures Geilanae pervenisset (quis enim fallere posset amantem?), gravi incanduit ira ceu raptis catulis leaena diuque secum bacchata ex eo coepit quaerere, quomodo

sanctos viros exstingueret. Nulla enim bestia in hoc mundo similis est mulieris malae. Sic haec mulier nefanda callida meditatione perquirebat, qualiter sine populari strepitu et vulgi cognitione sanctos viros perderet. Armabatur namque impatientia irae et libidinis furore. Et quia dyabolus iniqua cupientibus fomenta malitiae subministrat, inventi sunt duo ministri crudelitatis, qui promitterent se satisfacturos Geilanae desideriis, datis sibi muneribus miserrimae executionis. Solebat itaque beatus Kilianus post parvam dormitionem necessitatis ad studium vigilare provectaeque orationis, quadam vero nocte, cum leves somnos caperet, ita ut nec dormiret integre nec vigilaret aperte, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus dicens: Kiliane amice surge, nolo te diutius laborare; uno dumtaxat certamine tangeris et sic semper mecum eris. His dictis abscessit. Evigilans autem egregius vir, intelligens, divinam sibi adesse visitationem, convocatis fratribus ait: fratres vigilate, cito aderit dominus et pulsabit januam, cavendum ergo est, ne nos somno torpentes inveniat, addamus ergo oleum lampadibus, dum tempus est, ne, si forte defecerit, tunc incipiamus quaerere, quando non poterimus invenire. Illis itaque media nocte orationi vacantibus carnifices strictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quod cum sacerdos Dei intuitus esset, ait: amici, ad quid venistis? implebitis praeceptum, consummabitis cursum. His dictis interfecti sunt ibique terrae mandati, ne quis scire posset, quid de illis factum foret. Vestimenta quoque, cum quibus divina officia peragebant, sacri quoque libri simul cum iis defossa sunt, ne quid indicium necis eorum deprehendi posset, sed clam discessisse putarentur causa solitae peregrinationis. Erat tamen quaedam nobilis *mulier Burgunda* nomine, quae a principio praedicationis eorum sanctis adhaeserat viris, habens cellulam juxta oratorium sanctorum, quo facilius divinis laudibus interesse valeret. Haec intenta vigiliis, quae facta fuerant, diligenti studio investigavit. Recedentibus quoque carnificibus linteolo mundo fusum sanguinem sanctorum collegit ac terrae diligenter infodit, vigiliis et orationibus vacans, ubi sanctorum corpora obruta noverat, excolebat loca veneratione, qua poterat, licet silenter, ne, sicut postea factum est, Geilanae jussu removeretur. Eadem namque sceleratissima mulier stratis quoque plantis stabulum equorum in loco, ubi sancti martires humati erant, fieri jussit, ne quo indicio sacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his, qui tunc fuere, posteris relatum, quod animalia stabulata super sepulchrum martirum nec stercora nec urinam jacerent, honorem martiribus exhibentia, ut, quod de capite propheta vaticinatus est, hic in ejus membris reperiretur: cognovit, inquiens, bos possessorem suum etc., Israel autem non cognovit me. Talique modo, ut dictum est, sanctorum corpora hominibus paene ignota forent, nisi praefata Burgunda in extremo vitae posita quibusdam fidelibus, ubi posita essent, revelasset. Contigit autem, ut dux peracta militia reverteretur ad locum, ubi sanctos viros dimiserat. Quos cum non invenisset, coepit studiose perquirere, quando et qua causa recesserint quove abierint. Ejus vero uxor veneno malitiae foedata, aliquando rubore perfusa, aliquando pallore depressa, aliquando confidentia roborata diversos anfractus suae nequitiae praetendebat dicens, non se eos custodivisse neque custodes adhibuisse, quando voluerint, venisse, quando sibi placuerit, recessisse, quo peregrinationis suae morem servarent. Quem feminae verba non emolliunt, quem a statu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis conjugis princeps aliquantulum coepta ab inquisitione quievit, sed quia juxta dominicam vocem nihil est opertum, quod non reveletur, cum ea, quae facta fuerant, paulatim oblivioni traderentur, unus eorum, qui sanctos viros gladio invaserat, subito daemonio arripitur et propriis dentibus se lanians a praesenti migravit in aeternam poenam, alter vero in rabiem versus gladio semet ipsum appetiit effusisque visceribus per tormenta praesentis temporis ad aeterna pervenit. Non multo post et ipsa bellua, de qua loquimur, daemonibus arrepta voce magna clamabat: juste torqueor, quae sanctis viris tortores adhibui, et cum magno cruciatu ad cruciatum dyabolo paratum pervenit.

CAP. CCI. (198.)
De sancto Henrico imperatore.

Anno ab incarnatione domini MI, ab urbe autem condita MDCCLII Ottone III. Romae defuncto, vacanti regni solio, cum de principe ageretur subrogando, omnium vota nutu divino ad eum inclinantur, qui tunc in regno potissimus habebatur. Fuit namque eodem tempore quidam dux Bavarorum nomine Henricus, Henrici ejusdem gentis ducis filius, cujus temporibus sanctus Wolfgangus Ratisbonensium praefuit episcopus, tam bonitate quam nobilitate regia conspicuus et universa morum honestate praeclarus. Hic initium sapientiae timorem domini pleniter est secutus, quia erat omnium litterarum studio principaliter imbutus et totus sana fide et actione catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto et communi consensu omnium adsciscitur, divina utique disponente clementia, ut per talis regni suffragia ad culmen regni coelestis pertingeret. Cumque praedictus rex Henricus necdum Caesaris vel imperatoris obtineret dignitatem, apparuit ei Ratisbonae beatus Wolfgangus episcopus tali visione. Visum namque est ei, quod manens in ecclesia sancti Emmerani episcopi et martiris accederet orandi gratia ad beati Wolfgangi sepulchrum in eadem basilica situm, cumque ibidem dominum et sanctum Wolfgangum intimis precibus conaretur exorare, subito videbatur ei ipse sanctus Wolfgangus adstare eumque hujusmodi verbis appellare: intuere diligenter litteras in muro, qui est secus tumulum, scriptas. Erat autem, sicut sibi videbatur, scriptum solummodo: post sex. Evigilans autem rex retractatione divina secum revolvit paucissima hujus visionis scripta. In primis ergo arbitratus, quod post sex dies esset moriturus, multa dispensat pauperibus, cumque iterum sex numerus praeteriisset et nihil in se rex molestiae corporalis sensisset, putavit praedictam visionem ad sex menses pertinere. Transactis vero sex mensibus cum nihil infirmitatis in se pateretur, arbitratus est, hunc numerum ad sex annos pertinere, ideoque et supra coepit timere. Cumque sex annorum numerus integer pertransiisset et septimi anni dies revolutus venisset, ipso die per apostolicam benedictionem suscepit Caesaris dignitatem. Tunc tandem sentiens, qualis esset sua visio, gratias agit Deo sanctoque Wolfgango episcopo, qui sibi talem revelare dignatus est dignitatem. Unctus ergo in regem beatissimus Dei famulus Henricus temporalis regni non contentus angustiis pro adipiscenda immortalitatis corona summi regis, cui servire regnare est, militare disposuit. Summam etenim diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit, ecclesias Dei ditare possessionibus et immensis ornatibus augere coepit, sedes quoque episcopales, Hildesheim videlicet, ubi a puero fuerat enutritus et litteris edoctus, Magdeburg et Argentinam, Misnam et Mersenburg, quae barbarica immanitate adjacentium Slavorum vastatae fuerant, restauravit et tam ipsis quam aliis episcopalibus per universum regnum in possessionibus et ornamentis innumera dona distribuit. Denique consummatis hujus vitae laboribus, postquam bonae opinionis odorem longe lateque redolere fecerat locumque sibi dilectum et caetera monasteria ditando et ornando et excolendo ad perfectum adduxerat, ad percipiendam immarcescibilem coronam a domino vocatus est ab ergastulo carnis. Qui cernens, diem mortis sibi imminere, vocatis ad se parentibus beatissimae imperatricis Kunegundis necnon etiam quibusdam regni prioribus, manu eam apprehendit et commendavit eam illis hujusmodi verbis memoria dignissimis: hanc ecce, inquit, mihi a vobis, imo a Christo consignatam ipsi Christo domino nostro et vobis resigno virginem immaculatam. In ejus vero transitu terra plorante coelum exsultavit, sicut etiam dominus per suam misericordiam revelavit. In ipsa etenim hora exitus illius cuidam servo Dei in solitudine commoranti dyabolus in humana specie fertur apparuisse. Quem vir Dei per spiritum protinus agnovit et ait ad eum: quo

pergis? At ille respondit: ad exsequias imperatoris pergo. Cui ille ait vade et comple negotium tuum, quantum a domino tibi permittitur, verumtamen consummato officio tuo adjuratus per Deum vivum ad me revertere, ut per te rei exitum possim cognoscere. Post modicum vero reversus coram servo Dei gemebundus adstitit et voce querula cum ingenti ejulatu dixit: heu, heu decepti sumus, in vanum laboravimus, quin etiam ab angelis Dei confusi [illegible]. De hoc require in legenda sancti Laurentii martiris.

CAP. CCII. (199.)

De sancta Barbara.

1. Erat tempore Maximiani imperatoris vir quidam gentilis in Nicomedia nobilitate generis praeclarus ac temporalium rerum abundantia summus, nomine Dioscorus, cui erat filia speciosissima nomine Barbara. Ipsa autem quia erat corpore pulcherrima, eam pater plurimum diligebat; quapropter reclusit eam in turri altissima, quam eidem aedificare fecerat, ne ab aliquo homine videretur. Erat autem beata Barbara ingeniosa et a tenera aetate vanas cogitationes relinquens coepit divina cogitare. Cum enim semel templum intraret, videns simulacra parentibus suis ait: quid sibi volunt hae similitudines hominum? Respondent parentes: taceas, non hominum, sed Deorum sunt et volunt adorari per illud, quod nescitur et quod non videtur. Barbara dixit: fuerunt quondam homines, quos nunc colimus? Respondent: ita. Ex hoc beata Barbara die noctuque replicabat tacita dicens: si homines fuerunt Dii nostri, ergo nati sunt ut homines, mortui sunt ut homines; si Dii essent, nec nati fuissent nec mortui, quia deitas, ut mihi videtur, nec coepit nec desinit esse. Homo etiam habet originem terrae, quia terra est materia ejus, si ergo homo de terra est et homo Deus est, ergo aliquid praecessit eum, quod ejus origo dicitur; sic aptius dicerem terram Deum. Sed quia nec terra a se est nec coelum a se nec aër a se nec aqua a se, ex quibus quatuor elementis constat homo, sed creaturae sunt, necesse est his esse creatorem. Ecce quanta sapientia in tam juvenili puella. Tandem tradita studiis liberalibus alta transscendebat, sed defuit ei notitia veri Dei, vanos autem Deos occulte sprevit, et cum vidit Diis, scilicet lignis et lapidibus, flectere genua sensibilia insensibilibus mutis, animo valde correxit. Idcirco venit rumor laudis clamans Nicomediam, sapientissimum virorum Alexandriae fore, scilicet Originem, cujus facundia totam terram perfunderet, qui veris daret indiciis cognoscere veram deitatem et ydolorum confunderet vanitatem. Haec audiens beata Barbara multum gavisa est in domo pectoris sui et coepit sedule tractare, quo genere posset eum adire. Erat enim pater ei nobilis et valde potens, ergo mysterium suum ei non revelavit. Cum neminem curatorem haberet, recurrit ad hoc consilium, ut litteras eidem sapientissimo Origeni dirigeret et secretum ei patefaceret in haec verba. Viro Alexandriae nobilitate animi longe lateque consperso Origeni Barbara Nicomediae tua ancilla. Decus et honorem desiderii mei accepi te verae divinitatis ostensorem; a primo enim scintilla ingenii mei cum toto corde concupivi, ut ad veri Dei notitiam pervenirem, mente concepi, nullam deitatem inesse lignis et lapidibus, quae humana arte composita sunt, quae non recipiunt sensibilitatem et nec loqui nec audire possunt. Unde semper tractavi, esse falsos Deos nec homines posse esse Deos, quia homo incipit et desinit esse, Deus autem ante tempora fuit. Non ergo unquam Deos credere potui, quos homines mortales cognovi. In multis tamen motibus posita semper Deum nobis ignotum procul dubio esse putavi.

qui solus cuncta fecit, quem semper amavi, huic me semper devovi, a quo sum id, quod sum, nisi me sententia fallit, cujus spiritu animatam me sentio, nec desistam, donec ad eum pertingam. Quapropter famae tuae tumultu percussa, pater venerabilis, meam his aptius volvere censui, illum Deum solummodo vestigare, cujus cognitionem apud te esse cognovi. Unde, si ita est, ut fama refert, supplices offero preces, quatenus discutere digneris noctem ignorantiae, chaos confusionis ab ancilla tua et inducere solem justitiae lumenque discretionis. Appeto enim verum Deum scire, qui fecit visibilia et invisibilia, et utrum vere unus sit, ut ipsa jam nunc dudum mecum argumentata sum etc. Hanc epistolam direxit Alexandriam ad Origenem presbiterum, quae est in partibus Africae caput regionis illius longe distans a Nicomedia. Ne autem privaretur legatione, quam legaverat, ad Deum, quem noverat, in cubiculo cordis sui lacrymas fudit dicens: domine, firma pedem ejus, quem ad famulum tuum misi, ne aut me aut illum mors praeveniat, usque relegatio veniat. His et aliis postulationibus, quibus devote poterat, nuntius Alexandriam ingreditur, Origenem reperit in palatio Mammaeae matris Caesaris Alexandriae, ubi occupatur in docendo christianam religionem. Qui laetitia magna litteras Barbarae accepit laudans Deum, qui hujusmodi semen suscitabat et talia operatur. Et statim Origenes doctor praestantissimus accelerat et edidit desiderium Barbarae in hunc modum. Origenes veri Dei insignis sacerdos, et ut possibile est, ostensor ejus adhuc etiam Alexandriae nunc degens Barbarae barbaricae gentis adoptionem filiorum Dei et Jesu Christi veram salutem. Sicut scripseras scire te velle verum Deum, quis sit, scire debes, quod unus est verus Deus in substantia et trinus in personis, scilicet pater et filius et spiritus sanctus. Quicunque haec omnia credit, omnino habet, quo ad Deum pertingere possit. Tu autem haec intellige et intellecta crede, et si quid defuerit ad plenitudinem desiderii, in legato require, qui te legem sanctam erudiet et libros, quos secum defert, tibi leget. Non etiam dubites, te pro nomine Christi multis tormentis tradi. Ipse enim dicit voce evangelica: qui perdiderit animam suam in hoc mundo propter me, in vitam aeternam custodit eam. Origenes misit unum ex pluribus cum nuntio Barbarae ad Barbaram, qui modum magno ejus desiderio daret. Praecessit nuntius Barbarae et nuntiavit, nuntium virum Dei adesse fecit et permisit eum foris stare, utrum conveniens esset eum intrare. Tunc illa hominem advocari fecit, qui ingressus offerens salutationem in Christo, illa assumens inclinatur et tam Dei nomen quam hominem veneratur. Pater ejus gratia visitationis ad eam venit, videns virum ignotum, tremens inquit: quis hic et cur hic? Respondit: Alexandrinus medendi arte peritus, qui spondet magistrum se habere Alexandriae, qui contra usus medicorum etiam animas curat. Pater audiens recessit et concessit fieri cum eo colloquia. Tunc Valentinus sacerdos et Barbara conferunt inter se sua mysteria. Ibi tunc perlecta epistola et bene docta, quod defuit epistolae, ad plenitudinem desiderii a legato quaesivit et ad libitum invenit. Cognito autem, quomodo pater et filius et spiritus sanctus sit solus Deus et quomodo filius missus sit a patre et per susceptam humanitatem hominem perditum revocasset, captivum redemisset et per sacrum lavacrum ejus peccata lavisset, acceleravit ad baptismi gratiam et ab eodem presbitero Valentino, quem Origenes ad ipsam miserat, baptizata est in turri, in qua eam pater posuerat. Amplius, quae Dei erant, quaesivit et quae sursum sunt, cupiens libros, quos ei Origenes miserat, diligenter legit et valde crevit in scientia divinorum etiam sine magistro et in sapientia divina. Legitur etiam de ea, quod, quia pulchra fuit, quidam de optimatibus terrae illius patri ejus locuti sunt, ut virum sibi acciperet, ipse vero ad eam accedens in turrim persuadebat eam dicens: filia mea, quidam de potentibus commemorati sunt de te, ut acciperent te in conjugio; quid ergo vis de hoc? Ipsa vero intuita patrem cum ira dixit: ne cogas me hoc agere, pater. At ipse secessit ab ea descendensque instituit multitudinem artificum, qui facerent lavacrum, constituit, quomodo fieri debuit, tribuens singulis mercedem in integrum profectusque est in regionem longinquam, descendensque famula Dei videre opus, quod factum

est, vidit contra septentrionem duas solummodo fenestras, dixit artificibus: quare duas fenestras instituistis? Dicunt ei: pater tuus disposuit. Quibus illa: facite et mihi aliam fenestram. Qui dixerunt: timemus, domina, ne indignetur pater tuus contra nos. Dicit iis famula Dei: facite mihi fenestram, ego de hoc acquiescere faciam patrem meum. Ipsi vero fecerunt aliam fenestram. Perambulans vero Barbara in natatorio contra orientem instituit in marmoribus ejus digito pretiosam crucem, depost adscendens in turrim vidit [illegible], quae colebat pater ejus, suscipiens spiritum sanctum inspuit in faciem eorum et dixit: similes vestri fiant, qui faciunt vos, et omnes, qui confidunt in vobis. Finitoque opere reversus est pater ejus de peregrinatione et contemplatus tres fenestras dixit artificibus: quare tres fenestras instituistis? Dicunt ei: filia tua sic nobis praecepit. Ipse vero ait filiae: tu imperasti tres fenestras fieri? At illa: etiam; benefeci, nam tres fenestrae illuminant totum hominem, et assumens eam pater ejus descendens in natatorio et dixit ei: quomodo abundantius illuminant tres fenestrae duabus? Illa respondit: tres sunt mundum illuminantes et stellarum cursum regulantes, pater scilicet, filius et spiritus sanctus, et hi tres sunt in essentia. Tunc repletus furore pater tulit spatham suam, ut eam occideret, ipsa autem orabat ad dominum et abscissa est petra et suscepit eam intus et ejecit eam super montem, in quo duo pastores erant pascentes oves suas, et illi consideraverunt, quod beata Barbara a facie patris [illegible] fugeret. Pater autem ejus quaeritando discurrens venit ad praedictos pastores inquirendo, utrum vidissent Barbaram filiam suam. Unus autem eorum considerans iram patris juravit, se nescire eam, alter vero digito eam prodidit. Beata autem Barbara proditori suo maledixit et subito ipse versus est in statuam marmoream et oves ejus in locustas mutatae sunt. Hoc apocryphum est. At pater eam reperiens flagellavit et coma traxit eam, catenis et clave reclusit, ut non aperiret ei quisquam, constituitque custodes, usque dum [illegible] praesidi Marciano. Audiens ergo praeses jussit eam praesentari, praeses autem videns miram pulchritudinem ejus dixit ei: quid vis? parce tibi ipsi et sacrifica Diis, aut acerrimis tormentis traderis. Cui illa: ego habeo sacrificare Deo meo Jesu Christo, qui fecit coelum et terram et omnia, quae in iis sunt. De daemonibus tuis dicit propheta, Psalm. CXIII: os habent et non loquuntur, oculos habent et non videbunt. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in iis. Tunc praeses furore repletus jussit eam exspoliare et carnes ejus nervis taurinis sine misericordia discerpere, ita ut omne corpus [illegible] sanguine, et jussit eam carcere recludi, quatenus tractaret, qua poena eam consumeret. Media nocte circumfulsit eam lux de coelo, in qua apparuit ei Christus dicens: confortare, filia, quoniam copiosum fit gaudium in coelo et in terra super passione tua. Non ergo metuas minas tyranni, ego enim sum tecum, ut eruam te ab omnibus plagis, quae inferuntur tibi, et statim [illegible] ruerunt. Gaudebat autem et exsultabat beata Barbara super [illegible] mini. Mane autem facto jussit praeses afferri eam et intuens, [illegible] menta nusquam comparuerunt, dicit ei: ecce quomodo [illegible] Dii et diligunt te, quia plagas tuas sanaverunt. Respondit [illegible] sunt tibi Dii tui surdi, caeci et muti. Et quomodo plagas meas curare potuerunt, qui sibi ipsis remedium conferre non possunt? Ille autem, qui curavit, est Christus filius Dei vivi, quem tu non vides, quia induratum est cor tuum a dyabolo. Tunc praeses, ut leo fremens, jussit ei lampades ardentes applicari, ad latera et malleo caput iis caedi, ipsa autem intuita in coelum dixit: [illegible] cognitor domine, quia amoris tui occasione patior, me ergo ne derelinquas. Tunc jussit impius praeses gladio abscidi mammillas ejus. Quae aspiciens in coelum ait: ne projicias me a facie tua, domine, et spiritum sanctum ne auferas a me. Cum autem hanc plagam fortiter sustineret, jussit eam nudam circuire regionem illam et plagis inferentibus flagellari. At martir Christi videns in coelum ait: domine Deus, qui operis coelum nubibus, adjutor et protector meus esto et tege nudatum corpus meum, ne videatur ab oculis impiorum virorum. Haec dicens descendit angelus domini operiens eam stola candida. Hoc cum

videret impius praeses, praecepit eam gladio trucidari. Tunc furore repletus pater ejus suscepit eam a praeside et perduxit eam in montem. At vero ipsa gaudens super hoc festinabat, ut perfectum vitae aeternae bravium acciperet, et adducta in montem orabat ad dominum dicens: domine Jesu Christe, cui omnia obediunt, praesta mihi hanc petitionem, ut, si quis memor fuerit nominis tui et famulae tuae faciens memoriam passionis meae, domine, ne memineris peccatorum ejus in die judicii, sed propitius esto ei, tu enim scis, quia caro sumus. Et facta est vox de coelo ad eam dicens: veni, pulcherrima mea, requiesce in cubilibus patris mei, qui est in coelis, quod postulasti, donatum est tibi. Quo facto martir Christi ad locum supradictum venit et ibi martirium suum finivit. A proprio enim patre decollata est. Patre ejus de monte descendente ignis de coelo descendit et combussit eum, ita ut nec pulvis ejus inveniretur. Finita est autem sancta martir Christi Barbara cum sancta Juliana quinta die mensis Decembris imperante Maximiano et praesidente Marciano. — — — 2. Fuit vir nobilis comes Saxoniae, qui inimicum suum captivavit, quem statim in turrim recludi fecit et familiae suae sub poena magna mandavit, ne sibi aliquis cibum vel potum ministraret, ut sic eo citius moreretur fame. Cumque per aliquod tempus sine cibo et potu mansisset, custodem turris voce lugubri et lamentabiliter rogavit, ut ei modicum daret de pane ob reverentiam gloriosae virginis Barbarae, ne sic fame moreretur. Custos nec clamorem nec preces advertebat, et sic per aliquod tempus jacebat et nemini responsum dabat. Custos vero aestimabat illum jam mortuum, rogavit ergo dominum, ut illum extrahi permitteret, priusquam corpus mortuum exhalaret foetorem. Injecerunt igitur funem in collum detenti et ad summitatem deducentes sic eum de alto projecerunt. Qui cum ad terram pervenisset, statim se erexit et omnes, qui aderant, hoc videntes in fugam conversi sunt. Quos ille dulciter monuit ac propter Deum rogavit, ne fugerent, sed ut propius accederent. Et cum accessissent ad eum, interrogaverunt eum, quomodo hoc fieret aut quomodo vivere posset. Quibus ille respondit: beata virgo Barbara me in omnibus angustiis meis custodivit et in ejectione turris suis sanctissimis manibus me sustentavit et mori non possum nisi confessus et sacra communione munitus et inunctus. Interrogatus, unde hanc gratiam haberet, dixit: jejuniis et orationibus omni die omni anno honoravi eam et hanc gratiam mihi apud Deum obtinuit, ut mori non possim absque sacramentis. Quibus perceptis statim spiritum exhalabat. — — — 3. Aliud exemplum legimus tempore serenissimi Adolfi regis Romanorum. Accidit, ut quidam comes ex mandato regis in partibus orientalibus praesideret. Labente vero tempore famulus quidam ex prosapia militari, quod virginem violaverat, incusatur. Qui captus vinculis inclusus, quousque cogitaret de consilio nobilium ac civitatis, quae contra eum esset sententia facienda, et tempore statuto omnes convenerunt et juvenis deductus est, qui intime rogavit, ut confiteretur. Vocatur confessor, audiens eum innocentem eum invenit. Unde confessor eum induxit, ut beatae Barbarae perpetuum servitium voveret nec ad domum veniret nec rediret, nisi prius locum Antiquum Culmen in Prussia visitaret, quod et juvenis fecit. Interea mulier clamans judicium implorat: juvenis ad judicium ducitur. Judex quaerit de sententia: juvenis jam de vita sua desperans. Quidam ignotus accessit, quem nemo novit, exhortans juvenem, ut judicem rogaret ipsum suum verbum loqui. Quod factum est. Tunc tota universitas cucurrit, quae et qualiter ille despectus vellet fari, et rationabiliter ostendens sententiam prolatam contra juvenem esse nullam, et constanter probans, quod omnes, tam nobiles quam cives et omnes, qui aderant, illud verum esse dicebant. Et sic sententiam revocarunt, quia ultra humanum sensum protulit, cui nullus contradicere potuit, et dum praedictus juvenis ante tribunal existebat, prae nimio gaudio prosternere se volens, casu accidit, ut collum judicis amplecteretur. Quod videntes servi judicis hostiliter irruerunt in eum. Hoc pater et amici videntes desperati flentes et lamentantes quasi mortuum eum reliquerunt. Quod intelligens confessor confidenter amicis suis ait: nequaquam sic de beneficiis beatae Barbarae diffidatis, quia veraciter scio, quod

sanus est et nullam patitur corporis molestiam. Accedentes pater et amici ejus cum festinatione nullum vestigium vulneris invenerunt in eo, gratulabantur illi et meritis et beneficiis beatae Barbarae ei praestitis et magnifice laudaverunt eam et sic juvenis tandem in servitio beatae Barbarae vitam suam finivit.

CAP. CCIII. (200.)

De sancta Brigida.

Sancta Brigida virgo religiosa, videns sibi instare tempus desponsationis, dominum rogavit, ut aliquam deformitatem sibi immitteret, ut saltem hoc modo procorum instantiam vitaret. Tunc unus oculus ejus crepuit et liquefactus est in capite suo. Accepto ergo sacro velamine Brigida cum aliis virginibus sanctis velatis et Deo devotis in oppido Medi exstitit, ubi dominus ejus oratione plurima dignatus est facere miracula. Hospitem quendam Maveum nomine sanavit, decem et octo ecclesiis de uno modio cerevisiam a coena domini usque in finem paschae sufficienter ministravit, leproso cuidam petenti lac, cum non haberet, aquam frigidam porrexit, sed in lac aqua conversa est eoque hausto puella quaedam sanata est. Deinde leprosum curavit, duos caecos illuminavit. Contigit, ut causa cogente iter faciens in vadum fluvii laberetur, et fracto capite sanguis emanavit, quo mulieres duae mutae limitae vocem receperunt. Post hoc vas pretiosum regis a manu rustici lapsum dissiluit et, ne rusticus damnaretur, a Brigida integrum restitutum est. Cumque mulier quaedam leproso poma negaret, Brigidae precibus pomarium funditus exaruit et poma noviter intus relicta penitus evanuerunt. Hinc iter faciens in curru vidit pauperem quendam cum familia sua multo sudore ligna ferentem et miserta dedit illi equos suos. Et illa cum puellis suis juxta viam consedit et ait: fodite sub cespite propinquo, ut aqua prorumpat propter peregrinantes; mox cespite ejecto fons prosiliens emanavit. Hoc facto dux inde transiens Brigidae duos equos dedit. Appropinquante die paschae dixit Brigida puellis suis: quae lavabit infirmas nostras sorores? Cumque illae utpote juvenculae omnes recusarent, Brigida intravit manibus illas lavans et ab infirmitate sanavit: quarum una erat paralitica, alia daemoniaca, alia leprosa. In domo quadam aliena sancta Brigida manente contigit, ut omnes exirent, et venerunt quidam petentes panem et Brigida circumspiciens dixit puero prope cubanti paralitico et muto, quod tamen ipsa ignorabat: puer, scis, ubi sit clavis? Et ille respondit: scio. Dixit ei Brigida: surge et ministra illis. Et factum est ita. In domo una XII infirmos curavit. In concilio magno mulier quaedam uni episcopo crimen sui partus imposuit. Cui cum beata Brigida os signo crucis signasset, illa intumuit a vertice capitis usque ad plantam pedis nec tamen veritatem confessa est. Dixit: dic, infantule, quis est pater tuus? Et ille respondit: episcopus pater meus non est, sed quidam in extrema parte concilii ultimus et turpis et vilis. In diebus illis venit ad sanctam Brigidam quaedam virgo quaerens elemosinam ab illa. Cui Brigida dixit: accipe vaccam meam et abduc. Cui illa respondit: vacca mihi nihil prodest, venient ergo latrones et auferent eam mihi. Brigida dixit: accipe cingulum meum, et eo aqua intincto spargens, et sanabit infirmos. Quo arrepto laeta abiit et ab infirmis sanatis lucra multa contraxit et pauperibus Christi distribuit. In tempore famis Brigida perrexit ad episcopum Iborum, ut ab eo peteret fruges. Ille tempore quadragesimae cum alium non haberet, panem durum cum lardo proposuit et illa cum episcopo comedit. Duae autem illius puellae volentes carnes comedere absconderunt, sed illae versae sunt in duos

serpentes, unde graviter a Brigida coram episcopo increpatae sunt. Tunc iis poenitentibus illis orantibus serpentes mutati sunt in panem. Post multa talia admiranda Brigida migravit ad dominum.

CAP. CCIV. (201.)

De sancto Gangolfo.

Gangolfus ex nobili genere Burgundiae oriundus fuit. Qui quadam vice in Campania ad fontem veniens et de aqua bibens, venit dominus loci, ubi fons emanavit et ei fontem venalem exhibuit. Sanctus vero memor illius verbi dominici: si dixeritis huic monti, tolle te etc., emit fontem centum solidis. Cum autem hoc uxori domum veniens narraret, et ab ea derisus baculum, quem manu tenebat, solo infixit. Quo retracto statim fons erupit sicut ille, quem emerat, et in loco, ubi in Campania fuerat, nunquam plus emanavit. Uxor autem ejus a quodam clerico nefario polluitur, ita quod de hoc eam super his interpellaret et ipsa instanter negaret. Immitte, inquit, manum in fontem, ut Deus, qui cuncta videt, veritatem ostendat. Illa imperterrita immisit; statim carnes usque ad ossa dependebant. Tunc ille: morte quidam digna es, sed ei, qui cuncta judicat, reservo te. Clericus vero mulieri adhaerens quadam nocte cervicem Gangolfi abscidere volens ipsum in coxa vulneravit. Qui post aliquos dies sumta communione ad dominum migravit. Qui miraculis multis claruit, clericus vero ut Judas mortuus crepuit medius. Uxor autem Gangolfi cum audivit, quod maritus ejus aegros sanaret, respondit: sic facit virtutes Gangolfus sicut anus meus. Statim a parte illa turpis sonus prodiit talique deinceps subjacuit opprobrio, ut omni vita sua eodem die, scilicet sexta feria, quot verba protulit, tot turpes sonos ab illa parte emisit.

CAP. CCV. (202.)[1]

De sancto Udalrico.

Udalricus ex nobili Alemannorum genere ortus in monasterio sancti Galli enutritur. Ubi dum habitum vellet accipere, ab inclusa prohibetur dicente sibi, quod futurus esset episcopus in Augusta. Quod procedente tempore factum est. Quadam vero die cum sancto Conrado Constantiensi episcopo ad mensam consedit, a qua consurgens ter missam celebravit. Quod dum Conrado innotuit, dixit: nemo illo hodie saturior ad missam concessit, credens eum comedisse. Per oleum in coena domini ab eo consecratum multi sunt sanati et oculi plurimi illuminati. Quodam tempore in die sancti Johannis baptistae gravi infirmitate oppressus, duo juvenes adstiterunt ei, quorum unus ait: quare non surgis? debes enim ad sanctum Johannem missam hodie celebrare. Qui surgens bis eodem die celebravit. Post multa miracula anno domini nongentesimo, aetatis suae LXXXIII, ordinationis suae L migravit ad dominum. Cujus corpus cum

1) Cf. cap. 191.

ad lavandum fuit denudatum, tanta fragantia de eo emanavit, ut cuncta penitus adstantia replerentur. Portatur igitur ad ecclesiam; supervenit Wolfgangus Ratisbonensis episcopus et ipsum in ecclesia sanctae Affrae honorifice sepelivit.

CAP. CCVI. (203.)

De sancta Affra.

Affra filia Hilariae, cujus progenitores a Cypro venerant, cum essent cultui Veneris dediti, ipsa cum ancillis suis meretricio se dedicaverat. Harum prostibulum Narcissus episcopus cum Felice dyacono persecutionem Dyocletiani devitans ignorans ingressus est. Et primo pro turpi amatore susceptus est, postea christianorum episcopus cognitus, Affra pedibus episcopi advolvitur et statim convertitur. De mane christiani quaeruntur, sed Affra sub lini fasciculis eos abscondit. Tunc Affra episcopum ad Hilariam matrem suam ducit, quae etiam advoluta pedibus ejus efficitur christiana. Tunc clamat daemon, se injuste a suis habitationibus expelli et recusat abscedere, nisi aliqua anima sibi in potestatem detur. Datur ergo ei draco magnus ab episcopo in faucibus Alpium, quem statim daemon occidebat. Tunc Narcissus domum Hilariae in ecclesiam consecravit et Dionysium avunculum Affrae episcopum ordinavit in Augusta. Affra vero cum solita exercere negligit, Gajo judici accusatur. Cui dum judex paganus diceret, Deum christianorum meretrices abhorrere et Christum habitare in talibus non posse, Affra respondit, Christum pro peccatoribus venisse. Jubetur in insula Lyci fluminis cremari, mater autem et ancillae, dum eam sepelivissent, ibidem comprehensae in igne cremantur.

CAP. CCVII. (204.)

De sancto Oswaldo.

1. Oswaldus rex Anglorum filius Achiae sororis sancti Admundi regis, qui et pro Christo occubuit, fuit vir magnarum elemosinarum. In die paschae ab Aydano Lindifarnensi divina audiens, et cum linguam ignoraret, rex populo interpretabatur. Et die, dum pauperes confluerent et jam omnia victualia essent distributa, discum argenteum fecit confringi et dari egenis. Cui episcopus congratulans manum ejus osculabatur dicens: nunquam inveterascat haec manus, et factum est ita. Permanet enim usque hodie. Qui etiam die ac nocte vacabat divinis et aut supinis aut flexis genibus gratias agebat. Fratre suo Camfrido ab impiis peremto ducem Britonum cum multis super se venientem ipse erecto crucis vexillo et flexis genibus superavit. Nono autem regni sui anno, aetatis vero XXXVIII rex Mericiorum, qui intercessorem suum peremerat, ipsum in proelio occidit et caput cum manibus et brachiis ignominiose stipiti suspendit. Qui postea multis claruit miraculis. — — — 2. Scholasticus quidam bona dicens et mala faciens ad extrema perductus vidit se ad inferos duci, invocat auxilium Oswaldi et allata sibi particula pali, in quo caput Oswaldi cum manibus pependit, et in aqua benedicta posita et ea potata vitam obtinuit et salutem.

CAP. CCVIII. (204.)
De sancta Thecla.

Thecla sponsa Thamiri sedens in fenestra sua audivit Paulum, qui Yconium venerat, de virginitate praedicantem; illi adhaesit. Titus inibi praecesserat et Paulum se descripsit. Statura brevis, capite robusto, superciliis junctis naso aquilino, gratia plenus. Tunc mater Theclae filiam cum apostolo accusaverat. Tunc ambo ad proconsulem trahuntur, matre contra filiam clamante, quia sponsum suum contemnit et huic adhaeret. Tunc Paulus expellitur et Thecla igni injecta illaesa exivit et invenit Paulum pro se orantem et statim sequitur Antiochiam, ibique a quodam concupiscitur, sed videns se contemni, pro sacrilega judici traditur. Sequenti die Thecla inter leones et leaenas et ursos projicitur, sed omnes se invicem interficiunt et virgo illaesa permansit. Tunc in aquam inter feras projicitur et dixit: in nomine patris et filii et spiritus sancti sit mihi haec aqua fons baptismi, et omnes ferae statim moriebantur. Iterum in amphitheatro inter feras crudeliores projici jubetur, sed piae matronae confluunt et odorifera quaedam aptant, ut ferae dormiant et mitigentur. Quibus statim soporatis tauri fortissimi adducuntur, quibus ignita ferramenta ad genitalia ligantur, ut magis saeviant. Et virgo ligata inter illos projicitur, sed illaesa et combustis vinculis absolvitur. Deinde iterum cum apostolo Smyrnam pergit. Tandem a Paulo recta benedictione sumta Yconium rediit et sponsum mortuum reperit. Mater ejus in sua nequitia permansit, ipsa vero multarum virginum mater exstitit et orans ad dominum migravit.

CAP. CCIX. (206.)
De sancta Kunegunde.

Ex nobilissimo parentum magnorum videlicet Augustorum sanguine duo immarcescibilis gloriae flores emicuerunt, secundus videlicet Henricus, Romani imperii gloriosissimum decus, ejusque dignissima collectalis piae memoriae Kunegundis imperatrix. Eadem vero beata et Deo dilecta Kunegundis terreno imperatori corporaliter, non carnaliter conjuncta coelesti regi virginitatem suam consecravit, quam usque in finem casti conjugis consensu teste Deo conservavit. Quod postmodum divinitatis testimonium ne lumen in tenebris lateret, ostendit dum eam ad confundendum virginitatis hostem et obstruendum os mendacium contra virginem Christi loquentium super ignitos vomeres incedere et illaesam procedere dedit. In fastibus itaque constituta continentiae suae gloriam sub terreni chlamyde imperii satagebat abscondere, ut tanto propensius, quanto efficacius erat, promoveret, quam Deo instigante illo quoque adjuvante ad laudem ipsius cogitabat perficere. Denique postmodum novellam foecundissimae plantationis suae ecclesiam, quam cum illo suo studiosissimo cooperatore Henrico in loco Bambergensi venustissime, sicut hactenus cernitur, fabricavit, sub patrocinio principis apostolorum beati Petri et sancti Georgii martiris monasterium sub regula beati Benedicti ad aquilonarem plagam in honore sancti Michaelis archangeli exstruxit, non minori studio praediorum quoque ac diversorum donariis ornamentorum. Tertiam demum versus meridiem sub ordine canonicorum

sub titulo beati protomartiris Stephani parvo quidem schemate, sed majori opera de suo matrimonio ecclesiam dedicavit, ad quam dedicandam Benedictum papam, quem privatus Deo dignus imperator Henricus ad confirmandum Bambergensem pontificatum advocaverat, venire rogavit. Ipsa quoque illud psalmographi secum decantans: domine, dilexi decorem domus tuae, diversa eidem ecclesiae juxta imperialem magnificentiam munera contulit, in diversis ecclesiae ornamentis, quae omnia ipse dominus apostolicus, ut semper memoria fundatricis ipsius illic floreat, ne quando per fraudem aut violentiam vel furto subtraherentur, dura banni sui innodatione, LXXI quoque duorum episcoporum, qui illuc aderant, auctoritate ipso die confirmavit. Item monasterium ad honorem sancti salvatoris nostri Jesu Christi et ejus victoriosissimae crucis in loco, qui Confugia dicitur, magnifice construxit et ancillarum Dei ibidem Deo secundum regulam beati Benedicti servientium congregationem decentissime declinavit. Porro cooperante ei in omnibus imperiali majestate idem monasterium omni ornatu decoravit, ante principale altare yconam de auro et lapidibus pretiosissimis statuit, calices aureos et argenteos, catinos aureos, aureos urceos, pallas et casulas, vela et cortinas, cappas auro et pretiosis gemmis intextas et caetera utensilia sive vasa ad ministeria tanto studio et tam sumtuosis expensis eidem ecclesiae contulit, ut, quicunque ea intuentur, regiam munificentiam et miram utriusque imperatoris, videlicet et imperatricis devotionem in Deum, magnopere mirari non cessent. Praeter has principales suae operationis et primarias ecclesias, quae conventualis ecclesia, quae monasteria illorum donativo non gloriantur, se aut in praediis dilatatas aut decoratas ornamentis! *Alias* enim antiquitate collapsas reaedificarunt, quasdam etiam destructas et ad nihilum redactas in pristinum vel etiam in meliorem statum instauraverunt, et sicuti prudentes virgines oleum suae misericordiae in diversos fuderunt, ut merito dicere possint: Christi bonus odor sumus in omni loco. O conjugium non voluptate, sed bona voluntate copulatum, o sanctum matrimonium, ubi una fides inviolatae castitatis, ubi unus spiritus misericordiae et veritatis, ubi idem velle in virtutibus idemque nolle in vitiis, ubi nec primus nec alter discerni potuit, dum alter, quod primus, voluit, ubi par animus in multifariis operum effectibus pares in duobus ostendit affectus, quales has nuptias dixerim, nescio, unum scio, quia nostra modo nescit regio tales, dum propter regnum coelorum se castrantes nec prolem terrenae foecunditatis exspectantes coelibem a Deo generationem reciperent, a quorum ore laus Dei nunquam deficiet. Haec est generatio quaerentium dominum, qui viventes in Christo, membra sua mortificantes propter Christum, super terram morientium modo regnantes cum Christo bona domini sui vident in regione viventium. Quoniam de vita et miraculis pii Henrici christianissimi imperatoris et miserationibus variis, quas fecit in domo *domini*, de signis quoque et miraculis, quae post transitum ipsius per eum fecit Deus, satis et digne scripta sancta recepit ecclesia, nunc animum pupugit ac in mentem venit, vitam me memorandae virginis nostrae breviter explicare et memoriae scripto commendare, ut ad exempla ejus se intuentes quaecumque virgines, quaecumque verae viduae perfectae vitae normam arbitrentur conversationem illius. Indignum enim nobis et magis operae pretium dignae duximus, ut illi officium subtrahamus oris, cujus providentia quotidie alimenta percipimus corporis. Henrico itaque suo suae castitatis patientissimo semper custode, ubi eam suis virginem, uti transduxerat, in Christo resignavit, ad coelestia, quae jugiter suspirabat, gandia translato, illa se ad Deum ut semper totam contulit, ipsum suae castitati, necessitati ac saluti adesse, illum suis ecclesiis, illum filiis, quos ei in ipso aggregaverat, praesentem affore, advocare, vigilibus orationibus instare, die practicam cum Martha, noctu contemplativam cum Maria vitam agere non cessabat. Quanta vero elemosinarum largitate, quanta orationis instantia pro beati conjugis defuncti anima desudaverit, in subscripta pagina, quam ipsa per se, nam litterarum et artium aliarum distinguere auro gemmisque sacras vestes peritissima fuit, composuit et scripsit. Quicunque voluerit, agnoscere poterit. Kunegundis divina dispensatione solo imperatrix nomine

spiritualiter dilectae congregationi in Confugia. Quidquid justae convenit dilectioni, propriae adversitatis sarcinam facilius, veluti aestimo, tolerarem, si vestras res salvas incolumesque exsistere viderem. Quamvis enim mens procellosis curarum fluctibus undique quatiatur, vestrae tamen recordationis ancora a cordis profunditate non evellitur, et licet longe remoti ab oculis, ab animo tamen nunquam recedetis, quos non separabit a caritate Christi casus doloris ac longinquitas remotionis. Quin etiam, si amissae facultatis usus concederetur, voluntas haec operis exhibitione comprobaretur. Ipsum tamen modicum, quod adhuc Deo volente reliquum tenemus, vestrae communitioni alienum esse nolumus, ut participatione parvitatis reveletur magnitudo devotionis. Mater namque, si parum habuerit, parum filiis tribuit. Ecce haec modici sumtus munuscula ad refectionem vobis mittuntur carnis, ut animam senioris patris vestri continua orationis alimonia reficiatis, quoniam tot justorum preces unanimiter continuatae apud Deum multum possunt proficere Jacobo attestante: multum valet deprecatio justi assidua. Ille etiam atque etiam justus dominus, qui justitias dilexit, aequitatem supplicationis exaudire non respuit, sed vobis indefessis intercessoribus supradicti cari memoriam facientibus salutis dabit praemium, quod ipse promittit dicens: qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Atque bonum opus in conspectu etiam Dei placitum esse cernitis, si non solum pro illis, qui in hac vita positi, multa vobis dona, sed qui nulla fecerunt, oraveritis. Obsecro ergo, ut eum a cordibus vestris nunquam abjiciatis, qui vos tamquam proprias amavit, atque hunc locum vestra servitute florere voluit. Estote quoque meae necessitatis memores, semper in hilaritate cordis misericordes, secundum illum apostoli: dilectio sine simulatione. Necnon vestrae mentes in quadam mutuae caritatis soliditate magis atque magis concrescant, quatenus in die tribulationis clamorem vestrum ipsius aures exaudiant, qui dicit: ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Quod vos omni modo promereri hortor eodem praestante, qui cum patre et filio et spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen. Denique Conrado sibi succedente in regno, ipsa curis saecularibus, sicut jamdiu desideraverat, exonerata jam in ipso anniversario die transitus sancti Henrici archiepiscopos cum episcopis ad dedicationem Confugiensis ecclesiae convocavit, ubi inter missarum sollemnia imperiali decentissime omni ornatu culta ante principiale altare virgo Dei devota processit ibique thesaurum incomparabilem, ligni videlicet dominici crucem, parvam quidem in materia, sed maximam in virtute domino obtulit. At ubi lectio evangelii, in qua super arborem crucis descendens conspicientem se Jesum suscipere et ab eo benedictionem pusillus meruit accipere, lecta fuit, regalem purpuram exuens tunicam fusciorem, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, sacerdotali benedictione data vestem religionis induit et multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quae jam saeculum damnasset in vestibus, capillis, qui hucusque in eodem monasterio pro veneratione servantur, praecisis, imposito sibi ab episcopo velo annulo fidei subarrata gratulabunda succinuit: posuit signum in faciem meam et annulo suo subarravit me dominus meus Jesus Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiabus se praeferebat, sed omnibus inserviens servilem personam se ostendebat, ita tamen, ut, cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in praesenti saeculo mercedem suam. Operabatur manibus suis sciens, scriptum esse: qui non operatur, non manducet. Sponso suo aut orans loquebatur aut psallens ad ecclesiae limina paene invisa properabat. Nihil severitate illius jucundius, nihil jucunditate severius, tristis in risu, in tristitia suavis breve vitae spatium aeterna memoria compensabat. Idem illi orationis locus et quietis fuit, idem semper habitus in cultum corporis, dum sciret, rejiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum fuit. Semper eam legere aut legentem audire vidisses, multa illi circa contubernales devotio, frequens decubantium visitatio, sollicita pauperum consolatio. Praeterea eam fecisse plura miracula credimus, sed quod gloriam humanam et oleum adulationis

semper fugeret, illa voluit esse suppressa, aut incuriae hominum seu revolutione temporum, non defectui deputandum virtutum. Unde etiam tantae majestati indigna scribendi minor materia fuit, pauca tamen, quae in scriptis reperimus vel veridica sanctimonialium, ubi illa pro Christo militabat, relatione cognovimus, hic inserere dignum duximus. Cum post orationis frequentiam inter lectionis lassitudinem ancilla Christi in lecto non plumis exstructo, sed cilicio strato membra sopore gravata remisisset, puella sacra, quae de more illi assidebat, sacros codices legens, cum fere ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit lumenque e manibus elapsum paleas corripiens sui fragore circumjacentes sorores excitavit, clamore et concussu facto virgo Christi e somno excussa, dum colluctantes inter se flammas circa se aspexit, ad orationis arma se convertit et signo crucis adustionem illam absque omni suarum laesione vestium avertit. Tua haec, Christe, opera, qui Babylonensem regem in suo furore confudisti et Babylonios ignes, ut pueri tui liberentur illaesi. Aliud miraculum tam timendum, quam mirandum huic placuit subscribere, in quo animi illius constantiam et rigoris severitatem discere poteris. Habuit secum sororis suae filiam, Juttam nomine, quam a primis annis educatam omni disciplina saecularium quoque litterarum scientia instruxerat. Haec materteram non minus religionis quam dilectionis amore in monasterio secuta et consecrata fuit. Hanc in omnibus plene instructam, ut ejus in orationibus, vigiliis ac jejuniis perseverantiam et a domino patientiam perspexit, omnium assensu et rogatu primum in ipso coenobio eam abbatissam praefecit. Cum virgo mater filiam suscipiens juxta commonitionem sanctam jamdudum habitam praecedentium patrum repetens alloquia monet ob salutis affectum utilia ac Deo placita saepe dicere, frequenter audire, solitas religiosi itineris vias non deserere, magis magisque errorum devia et dyaboli calcare figmenta. Nullam luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini atque egestati apud Dei servos decet esse communionem, sollicite cavere, ne vana sectando desineret esse templum Dei, fieret habitatio tenebrarum, fieret daemonis monumentum, lumina sua in Dei defigere aspectum. Primamque docet facere, ut fructum doctrinae suae ipsa in illo Deo adjuvante possit invenire. Haec et hujusmodi iterum atque iterum materno studio ei inculcans quasi in omnibus jam perfectam et ipsam magistram venerari coepit. Illa ubi in matura libertate posita est, paulatim a rigore suo deficere, meliorem cultum, lautiorem cibum, vitiorum alimenta desiderare, ultima in choro, prima in convivio, puellarum fabulis interesse et in omnibus laxius se agere coepit. Pro hujusmodi levitatibus dum eam sancta Dei privatim interdum publice coram omnibus argueret, saepius obsecraret, increparet, nec illa velut materterae patrocinio aut familiaritate vane confisa emendaret. Quadam die cum ipsa cum conventu crucem (nam dies dominicus erat) sequitur, abbatissa defuit, quam illa inquirens et ejulantem cum coaevis in conclavi reperiens zelo pietatis armata cum verbo correptionis dextra maxillam ejus percussit, quae quasi sigillum quoddam formam digitorum accepit, qua omni tempore vitae suae non caruit. De quo nimirum facto constat, quia non tam pro se, sed aliorum emendatione hoc pertulit, ut hujus visio aliis proficeret et ad melioris vitae statum a vitiis suis retorqueret. Forte et illud detractoribus fabulosum et infidelibus videre visibile putabitur, quod sanctitatem illius, quam gratia humilitatis ipsa homines latere voluit, elementa loquuntur. Denique cum post lectionem evangelii suo sollemni modo ad altare sacrificatura accederet, dextra manus suae chirothecam detrahens, cum nullus, qui reciperet, adesset, a se rejecit. Quam radius solis per fenestrae rimulas intrans suscepit et tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa post sacrificium rediens eam reciperet. Tale etiam quid in beati veste Goaris aliquando divina virtute ostensum fuisse legitur. Qui dum a sede rustici Trevirensis pontificis despicitur, a summa majestate per majoris luminaris famulatum honoretur. Omnium itaque capax erat meritorum, quae judicem cunctorum meruit habere virtutum. Quindecim in sancto proposito supervixit annos, tam humilitatis gratia quam pro religionis reverentia omnibus admiranda. Tandem pro nimia abstinentia ciborum orationis et vigi-

liarum incredibili perseverantia coepit corpore languescere et ingravescente morbo paulatim deficere. Sed dum membra dolore contraherentur exterius, tamen spiritus, quia laus Dei in ore hujus semper confortabatur interius. Vocabat sanctos angelos, quorum hic vita, illic nunc consortio fruitur, apostolos et confessores, quorum fidem semper et confessionem tenuit, interpellabat, virginum Christi in suo exitu invitabat chorum, quarum aemulatione in carne, dum propter carnem viveret, immaculatum Christo consecraverat torum, omnium Deo famulantium sibi adesse, sibi occurrere orabat auxilium. Vere quod scriptum est: timentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in obitu tantae virginis videmus comprobatum. Necdum spiritum exhalaverat, necdum Christo debitam reddiderat vitam et jam fama volans tanti praenuntia luctus non tam sacratas virgines aut diversi ordinis viros, sed et totius urbis populos ad exsequias congregabat. Sonabant psalmi et totam domum, ubi sacrum corpusculum in medio super illo nobili suo cilicio compositum jacebat, in sublime resonans litania pro exeunte anima quatiebat. Interim ex more regales tamquam imperatrici, non ut pauperculae debentur sorori, parantur obsequiae, aurea feretro obtendenda proferuntur velamina. Cum illa pallentes vultus, quos ante ut sponso venienti laetos videres, ad os retorquere, manu annuere: amictus iste, ait, non est meus, auferte hinc. Ornatus hic alienus est, his terreno sponso, istis coelesti sum copulata, nuda de utero matris meae egressa sum, nuda regrediar illuc, his miserae vilem carnis materiam involvite et corpusculum meum juxta tumulum fratris mei ac domini Henrici imperatoris, quem me vocantem video, in proprio locello reponite. His dictis in manum domini spiritum condemnans carnis sarcina abjecta ad suum amica revolabat autorem et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit, terris matrem communem se amisisse flentibus, coelis autem concivem in suum consortium se suscepisse gaudentibus. Ita demum sacro illo corpore feretro supposito nobilium ordine praeeunte, multis hinc inde confluentibus turmis cum illo sibi semper familiarissimo pauperum contubernio ad locum praedestinatum sepulturae felices exsequiae usque delatae sunt. Cum vero relictas urbes, vacua rura, desolatas civitates, undique concurrere populos videres, matres parvulos suos in brachiis gestantes, infirmos in grabbatis jacentes sanitatis gratiam sperare, felicem se credere, si cui aut feretro jungi aut ab ipso contigisset obumbrari. Tandem in ecclesiam sancti Petri corpus non sine labore deportatum triduanas ibi meritis suis ac beneficiis condignas habuit exsequias. Filii, quos illic ipsa in Christo aggregaverat, de matris pace jam securi, pro se autem solliciti incessanter psallebant, dum eam sibi ad horam subtractam sine timore amissionis in spe perpetuae intercessionis recepisse plaudebant. Mater de coelo filiorum prospectans affectum gaudebat. Ita velatum sacrum corpus sacris vestibus dyademate Christi supposito suo loculo in dextro latere, sicut hactenus veneratur, repositum est. O felix Bambergensis ecclesia, recepisti thesaurum, quem amiseras, procax et malefica lingua detractorum occultorum testimonio confutata est, dum virginitas ejus rebus approbata sanctitas clarescentibus signis videtur testificata per Christum dominum nostrum. Christianae religioni proficiens, fidelis ecclesiae, quae in evangelio voce domini testante Dei mater et filia per gratiam nominatur. Mater, quia sanctae operationis exemplo filios domino generat: filia, quia virginis filio pro salute mundi incarnato eruditione sanctorum patrum quotidie generatur, salutem missam a domino coelestis archiatri effectibus medicinae plenam tam corporis auribus animadvertat. Mundanae machinae conditor, humano generi per inobedientiam lapso condolens, ut aeternae vitae fructus facientem novam plantationem, scilicet primitivam ecclesiam insereret, patriarchas et prophetas in mundum mittere dignatus est. Qui creditum sibi officium quinque corporis sensibus, sexto quoque, qui est spiritus prophetiae, mysterium incarnationis Christi et omnia, quae de ipso annuntianda erant, praedicantes alii asperitate vitae, alii diversis poenarum mortibus, ipsi, quem prophetabant, famulatum suum fideliter impleverunt. Horum limes Christus aeterni patris consilio pro liberandis hominibus de intemeratae virginis utero processit, ut jam inchoante plantatione

missis per orbem apostolis aram de suo corpore fuso sanguine fabricatam novellam superaedificaret ecclesiam, quae sanctae trinitatis fide imbuta et mundata baptismi gratia martires, confessores et infirmi sexus virgines animo tamen constantes primitias obtulit, inter quas beata Kunegundis flos Bambergensis ecclesiae cum sancto Henrico, qui Romanum tenuit imperium, sub conjugii specie immortali sponso castae virginitatis honore deservivit. Unde jam ejus sanctitatis merita per orbem manifesta declaratione apparent, quia in loco, ubi sanctum corpus ejus quiescit, infirmi quacumque laborantes aegritudine sanitatem recipiunt. Ut autem ad omnia certissimi testes simus, veritatis amatoribus aetati nostrae succedentibus de his, quae scribimus, curiose indagantibus, scilicet quo tempore curationum operationes meritis praefatae imperatricis initium habuerunt, largiente domino, prout possumus, explicare volumus. Anno dominicae incarnationis MCLXXXIX indictione II Thiemone XIII Bambergensis ecclesiae episcopo quarto pontificatus sui anno ad vincula sancti Petri, ne de sanctitate praedictae virginis ambigeremus, signorum experientia certificati sumus. Nam dum solito more populus ad praedictum locum orationum et vigiliarum causa convenisset, affuit etiam quidam daemoniacus de villa, quae dicitur Bairreutt, qui nec pietatem agnoscens nec scelus abhorrens filium suum igne cremaverat. Hic duris funibus adstrictus ad sepulchrum sanctae Kunegundis ita mansuescere coepit, ut furiali morbo absolutus Deum omnipotentem laudaret eique, cujus patrocinantis meritis hoc accidisse cognovit, cum caterva, quae praesens exstiterat, debitas laudes declamaret. Igitur dum haec cum sollemnitate chori et populi devotione agerentur, quidam contractus in suburbio de hospitali sancti Aegidii adductus sanitatem postulabat et misericorditer exauditus, quod precabatur, obtinuit. Dum signorum fama totum Bambergensem locum respersisset, contractus de domo Conradi praepositi majoris ecclesiae sanitatem affectans, et quamvis natura in membris ejus oberrasset, tamen, prout potuit, velocius reptans venerabili sepulchro se ingessit, ubi a domino salutem optatam invenit. Audiens hoc etiam contractus de domo Ottonis in eadem ecclesia canonici venit quantocius ad locum sepulchri sperans sibi ex beneficio gratiae sicut caeteris subveniri, cui sine mora subventum esse in Christo testamur.

CAP. CCX. (207.)

De sancta Dorothea.

Gloriosa virgo et martir Dorothea ex patre Doro et matre Thea fuit progenita ex nobili sanguine senatorum. Illis temporibus viguit persecutio christianorum in terra Romanorum. Unde ipse Dorus spernens ydola, Romana derelinquens praedia cum possessionibus, agris, vineis, castris ac domibus transfretavit cum uxore sua et duabus filiabus Christen et Calisten, perrexit in regnum Cappadociae venitque in civitatem Caesaream ibique habitans genuit filiam, de cujus vita nunc intendimus loqui. Et ipsa genita secundum morem christianorum occulte baptizata est a quodam episcopo sancto, qui nomen ei imposuit ex patre et matre compositum. Dorothea autem ipsa puella repleta est spiritu sancto, virtutibus et omni pacis disciplina imbuta, formosa valde super omnes puellas regionis illius. Quod invidus serpens inimicus castitatis dyabolus non sustinens Fabricium terrae praefectum in amorem virginis Dorotheae stimulans, ut ipsam carnali concupiscentia appeteret. Qui mittens pro ea, spondens thesaurum et res absque compoti determinatione pro dote prodere ipsam legitimo toro producendam. Audiens hoc dulcis Dorothea quasi lutum

terrae despiciens terrenas divitias et intrepida se Christo desponsatam fatebatur. Quod audiens Fabricius furore succensus mox eam in dolium plenum ferventis olei mitti jussit, ipsaque adjutorio Christi illaesa manens, ac si balsamo ungeretur. Multi autem paganorum videntes hoc miraculum intra se ad Christum convertuntur, Fabricius vero credens hoc magicis artibus fieri, ipsam in carcerem reclusit novem diebus absque ciborum alimentis. Quae nutrita a sanctis angelis dum producitur ad tribunal, pulchrior, quam nunquam visa fuerit, apparuit cunctique mirabantur, quod tot diebus absque cibo tam formosa videretur. Fabricius vero dixit: nisi Deos in praesente adores, equulei poenas non evades. Dorothea respondit: Deum adoro, non daemonem; Dii enim tui daemones sunt. Et prostrata in terram elevatisque in coelum oculis oravit ad dominum, ut ostenderet omnipotentiam suam, et quod ipse sit solus Deus et non alius praeter eum. Erexerat namque Fabricius columnam et desuper ydolum. Et ecce multitudo angelorum cum impetu veniens conterit ydolum, quod nec particula columnae inveniretur. Et audita est vox daemonum per aëra clamantium: Dorothea, cur nos sic devastas? Et multa millia paganorum ad Christum manifeste convertebantur, qui etiam martirii palmam ingressi sunt. Ipsa autem Dorothea equuleo est suspensa pedibus elevatis, uncis laceratur corpus ejus, virgis castigatur, flagellis flagellatur, deinde ad mammillas virginis faculae ardentes applicatae sunt et ipsa semimortua usque ad crastinum reclusa est. De mane producta nec ulla macula nec ulla laesio apparuit. De quo etiam cum ipse praeses miraretur, dixit ei: adhuc revertaris amoena puella, satis namque castigata es. Et misit eam ad duas sorores suas, Christen et Calisten, quae metu mortis a Christo recesserant, ut ipsae Dorotheam sororem suam a Christo avellerent. Dorothea autem leniter alloquens praedictas sorores, auferens ab iis caecitatem cordis et eas ad Christum convertit. Quod audiens Fabricius ambas sorores dorso ad dorsum ligari fecit et in ignem projici et cremari. Et dixit Dorotheae: quousque, malefica, nos protrahis? aut sacrifica et vives, aut sententia capitali plecteris. Illa laeto vultu respondit: quicquid vis, passura sum pro Christo domino et sponso meo, in cujus horto deliciae, et rosas cum pomis colligam et laetabor cum ipso in aeternum. Hoc audiens tyrannus in se ipsum infremuit praecepitque, ut pulchritudo ejus et facies ejus baculis et fustibus caederetur, et ut tortores fatigarentur et quod nec vestigia faciei in ipsa apparerent, et in carcere servata in crastinum. De mane vero producitur illaesa a salvatore nostro curata, sententia capitali judicatur, et dum extra muros ducitur, videns eam Theophilus protonotarius regni quasi illusorie rosas de viridario sponsi sui petens sibi mitti, quod illa promisit. Cum autem venit ad locum decollationis, rogavit dominum pro omnibus, qui ad honorem sui nominis suae memoriam passionis peragerent, ut in omnibus salvarentur tribulationibus et praecipue a verecundia, paupertate et a falso crimine liberarentur et in fine vitae contritionem et remissionem omnium peccatorum obtinerent, mulieres vero parientes nomen ejus invocantes celerem sentiant in doloribus profectum. Et ecce vox de coelo audita est: veni, electa mea, omnia, quae petiisti, impetrasti. Dorothea vero inclinata ad ictum spiculatoris apparuit puer purpura indutus, discalceatus, crispo capite, in cujus veste stellae fuerunt, ferens in manu orarium, id est sportulam cum tribus rosis et tot malis. Cui Dorothea: obsecro te, domine mihi feras, eas Theophilo scribae. Et decollata et ad Christum suum sponsum feliciter collocata est. Passa est autem gloriosa virgo et martir Dorothea anno domini CCLXXXVII Idus Februarias Fabricio praeside sub Dyocletiano et Maximiano imperatoribus Romanorum. Theophilus autem stans in palatio praesidis et ecce puer apparuit circa eum et sustulit eum in partem dicens: has rosas cum pomis mittit tibi soror mea Dorothea de paradiso sponsi sui. Puer vero disparuit. Tunc Theophilus prorupit in voces laudando et glorificando Christum Deum Dorotheae, qui mense Februario, dum magna frigora terram cogebant nec aliquod virgultum frondibus vestitur, rosas et poma, quibus vult, mittere potens est, cujus nomen sit benedictum. Et illius affirmatione et praedicatione fere tota terra convertitur. Videns hoc tyrannus pluribus

generibus tormentorum, quam Dorotheam cruciavit, ultimum vero in particulas minimas succidi jussit et ad manducandum projicitur. Theophilus vero sacro baptismate mystico corpore et sanguine Christi communicatus est, perrexit ad Christum, qui glorificat sanctos suos, et glorificatur ipse in his, qui patri sanctoque spiritui consubstantialis et coaeternus vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

CAP. CCXI. (208.)
De sancto Wolfgango.

Wolfgangus natione quidem Alemannus, genere vero ingenuus, ab ipsis infantiae rudimentis Deum fontem vitae sitiens et sancti spiritus gratia illustratus, quamvis mundi amatoribus videretur contemtibilis, magna meritorum praerogativa eminere coepit. Nam revera necesse est, ut, quem mundus odit, diligatur a Deo. Sanctos viros in hoc saeculo constat peregrinos esse et hospites, unde et reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri cogitavit, quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus patria et domus in coelo est. Sancti viri funditus saeculo renuntiantes ita huic mundo moriuntur, ut soli domino vivere delectentur, quantoque ab hujus saeculi conversatione se subtrahunt, tanto internae mentis acie praesentiam Dei et angelicae societatis frequentiam contemplantur. Qui enim renuntiat rebus suis, sua abnegat, qui vero renuntiat moribus pravis, semetipsum scilicet abnegat. Hoc adimplevit beatus Wolfgangus. Primum inter canonicos laudabilem et castam vitam duxerat, deinde artioribus regulis implicari desiderans in Suevia apud coenobitas, qui solitarii vocantur, monachicae vitae normam professus est. In quo quanto rigore, qualique observantia vixerit, et virtutum suarum exitus et ostensae sibi divinitatis visionis patefecit proventus. Nam cum beatus Wolfgangus adhuc in paterno solo positus peregrinari pro amore divino affectaret et hujusmodi desideriis sanctorum se suffragiis jugiter commendaret, beatum Christi confessorem Otmarum, cui se suaque frequentissime commendabat, sibi in somnis adstare videbat, quem jussus intendere ab eo hujusmodi accepit verba: quia rogatus a te rogavi dominum pro te, manifesto tibi nunc futura quaedam; pauper et inops de hac provincia egrederis, sed in alia, in quam pro amore Christi exulabis, episcopatum caducis rebus satis locupletem praedestinatione divina suscepturus eris. Cujus in administratione si fidelem te exhibueris, expletis XXII annis vitam transitoriam eris exiturus et aeternam ingressurus. Et hoc procul dubio scire te volo, quod animam tuam conditori redditurus es in loco, ubi sub nomine Christi a christianis memoria mea veneratur et colitur. Quo me in hora exitus tui de Aegypto hujus mundi spero adventurum cum caeteris, quos de civibus supernis ad te venturos consolatores habere merueris. Sanctus igitur Wolfgangus hac visione percepta eo amplius, quo certius intendebat aciem mentis in speculum divinae contemplationis reputans jugiter secum, qualiter in salute aliorum sibi concessum duplicaret talentum. Cujus rei gratia monasterium et monachum deserens, imo suum apostolum majora aemulari charismata cupiens per Alemanniam devenit exul in Noricum, ad cujus orientalem partem cum humili comitatu praetendens praedicandi gratia Pannoniae petiit confinia, e qua per Piligrinum Pataviensem episcopum evocatus piae, ut decuit, humanitatis ab eo suscipitur et fovetur officio. Apud quem etiam cum rogatus esset, invitus mansit aliquot diebus, hoc inter caetera prudenti secum tractans mente, quare prohibitus sit ab adducenda ad Deum Pannoniorum gente. Quo commorationis

tempore idem episcopus optime usus, ut qui erat apprime eruditus et genere nobilissimus, clandestina et manifesta divini servitii observatione ac assidua sacrae scripturae indagatione satis probavit, hunc, quem susceperat, peregrinum, non esse girovagum, sed stabilem et verae fidei domesticum. Unde et quosdam de suis familiariter pro eo alloquitur dicens: o quam felix ecclesia, quae Deo volente isto donabitur sacerdote. Ergo necessarium valde videtur mihi et utile, ut huic famulo Dei petam regimen Ratisbonensis episcopi, quod optime convenit, sicubi abundat bona voluntas, ut eam etiam ad bona opera procedere faciat bene collata facultas. Bonum quippe, quod hic vir seminare voluit in duratis cordibus paganorum, et salutis obsequium, quod repulit caecitas illorum, quandoque fortasse hoc eodem agrum dominicum excolente dabit fructum suum in populum christianorum. Ad haec quidam respondentes dixerunt: quomodo fieri potest, ut iste pauper et ignotus ad honorem accedat tanti episcopatus, cum jam aliquae alti sanguinis personae hunc apud imperatorem praediis et pecunia compensantes sibi contentarent acquirere? Quibus ille refert verba ponderosa, sed non adeo morosa: divina et humana valde probantur inter se distare judicia, sed scrutator cordium et renum ab initio mundi elegit contemtibilia et ignobilia, ut confunderet fortia. Et e contrario mundus, quod suum est, superbe ad horam extollit ac in brevi cum confusione distollit, unde operae pretium censeo, quod mittam ad marchicomitem, cujus consilio multa solet facere imperator, ut suggereret ei, ne per ambitionem aut simoniacam haeresin quandoque episcopalem sinat accipere dignitatem, sed ob aeternam remunerationem, quem humilem et modestum ac eruditum invenerit, necnon officiis ecclesiasticis aptum esse probaverit, hunc, cujuscunque sit conditionis vel parentelae, promoveri faciat ad culmen ecclesiae. Per legationem igitur episcopi ac suggestionem consiliarii imperator suae ac ecclesiasticae utilitatis admonitus, imo, quod verius est, nutu Dei, cujus in manu est cor regis, princeps bonus Otto secundus animo mutatus omnes, qui pro eodem episcopatu adipiscendo laborabant, avertit et se totum ad electionem venerandi viri convertit Wolfgangi, sicque legatos post eum mittit, qui, ut missi fuerant, pergentes invenerunt eum cum praenominato episcopo commorantem, sed jam ad patria repedare cogitantem. Beatus autem Wolfgangus ignarus erat legationis imperatoris et caeterarum rerum per se gestarum et idcirco animum intendebat aliorsum, cumque legati, quare venerint, ei indicarent, primum recurrit ad secretarium cordis se suaque domino commendans in intimis, deinde episcopo Piligrimo, cujus caritate ibi detentus erat, causam suam exponens id, quo gravabatur, temperamento levabat simplicitatis columbinae ac prudentiae serpentinae, atque in hunc modum proloquitur dicens: hoc novum, quod mihi per nuntios imperatoris domini Ottonis secundi venit, caritas tua efficit, cui primum bonae voluntatis absque dubio erit, sed meae parvitati timorem incutit, quia nescio, si voluntas Dei sit, et quia mundus sub specie religionis multos ad vitia trahit. Cui respondens episcopus dixit: quod dicis te timere, hoc mentis est providae, sed hanc in bonam spem erigit Psalmista, qui dicit: initium sapientiae timor Dei, et iterum: timor Dei sanctis permanens in saeculum saeculi. Talia quoque pontifice proloquente vir venerandus Wolfgangus per mentis speculationem dispensationis divinae intuens moderamen subsequitur dicens: ecce servus domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc arrepto itinere cum his, qui missi fuerant ab imperatore, tetendit in partes occidentales Bavariae, cumque perventum esset ad regiam civitatem, clerus et populus secundum morem ecclesiasticam unanimiter, ut imperator petiit, sanctum Wolfgangum elegerunt atque cum universali electione ad curiam eum regiam miserunt. Cumque in praesentiam Caesaris esset delatus, ante pedes ejus prostratus se dixit indignum, indoctum, ignobilem, sub monachali professione degentem sine licentia sui abbatis nihil accipere debere. Postremo, ne locum sanctum vilitate violaret, imploravit. Imperator autem videns eum deifice renuentem, magis de probitatis ejus dignitate certus quamvis reluctanti multumque gementi episcopatum commendavit. Deinde cum comitatu fideli multorum remissus Ratisbonam est ingressus ibique

cum canticis laetitiae suscipitur atque more pontificum inthronizatur, a clero et populo summo pastori commendatur necnon a Frederico archiepiscopo illiusque suffraganeis post aliquos dies in sacerdotem apostolicum ibidem consecratur. Igitur post multa pietatis et aequitatis opera, quibus Deo servire studebat, febricitare coepit, quam corporis molestiam illi, qui nescit occasum, sedulis precibus vitae suae commendavit excursum dicens: Deus miserere dignetur et mihi misero peccatori mortem nunc subeunti et cuique eam timide ac humiliter adspicienti. Haec cum dixisset, reverenter oculos clausit ac velut in somno pausans pridie calendas Novembres in pace quievit.

CAP. CCXII. (209.)
Miraculum de sancta Catherina.

Episcopus quidam Mediolanensis Sabinus nomine, vir vitae venerabilis, sicut refert Petrus Ravennensis in libro gestorum notabilium, post matrem domini virginem Catherinam in praecipua devotione habebat. Hanc etiam ab infantia sibi sponsam elegerat et ipsam omnibus sacris virginibus praeferre solebat, utpote adjutricem fidelissimam. Cum igitur praedictus praesul ultra mare navigasset et cum abbate Theodoro de monte Cassino et duobus capellanis et militibus et quindecim servis sepulchrum domini visitasset, montem Synai adierunt et ecce dux quidam Turcorum ferocissimus hostis christianorum a Soldano rediens cum multis armatis episcopo in pede montis occurrit, cujus comitivam ut vidit, atrociter mox peremit dicens: sicut feci familiae, sic faciam dominis. Quod cum dictus episcopus et abbas vidissent, coeperunt ducem rogare dicentes: liceat, quaesumus, nobis montem ipsius prius adscendere et gloriosae virginis tumbam visitare, deinde, quidquid tibi placuerit, sustinebimus patienter. Qui respondit: necesse est hac vice, ut mea, non vestra voluntas fiat. Et confestim praecepit, ut lingua, oculis, auribus, naribus, manuum ac pedum summitatibus uterque privaretur sicque adhuc semivivi in jumentis ad tumulum veherentur, dixitque: nunc quid vobis valet hujus sepulchri visitatio? Et adjecit: cum membra vobis renascuntur, quod impossibile est, tunc absque dubio Dei vestri legibus adhaerebo. Cum ergo ad tumbam virginis venissent, abbas continuo exspiravit, episcopus vero, sicut potuit, preces fudit. Et ecce circa noctis medium mons totus vehementer contremuit, tantusque terror ac pavor ducem invasit cum suis, ut inde fugere vellent nec valerent. Postea vero per trium horarum spatia tanta luminis abundantia ibidem resplenduit, ut non solum vicini, sed etiam Saraceni in remotis partibus constituti hora eadem vigilantes diem claram crederent esse factam, et ipsum montem Syna in solem conversum aestimabant. Interea virgo Catherina de tumulo processit et triste caput sui amatoris tactu blande permulcens primo oculos, aures, nasum et linguam, deinde membra omnia dolorosa perungens pristinae restituit sanitati. Cum vir Dei gloriosam virginem corporalibus cerneret oculis, ineffabili gaudio replebatur, sed fulgorem pulchritudinis ejus ferre non valens ad pedes ejus cecidit. Quem ipsa statim praecipiens elevari (nam duo pulcherrimi juvenes juxta eam stabant), ipsum de terra elevabant. Cui virgo: scire debes, mi care, quod amator meus et sponsus meus Jesus Christus hic et in futuro te et omnes honorantes me paratus est honorare, et quia perdidisti propter me linguam tuam, vix in proprio ydiomate expeditam, ecce commodavi tibi meam in graeco et latino peritissimam. Praeterea omnes animas familiae tuae noveris esse in sinu Abrae. Facta insuper die crastina, cum missarum sollemnia cele-

braveris, lecto evangelio singula membra abbatis de oleo, quod sudat de tumulo meo, perunges, sicque suscitabitur et, antequam divinum officium compleas, ad vigorem et statum pristinum reformabitur. His dictis virgo beatissima dextram pontificis apprehendit, dansque illi annulum pretiosum et chartulam aureis litteris scriptam et disparuit et miri odoris fragrantia remansit. Chartula vero tres verborum lineas habebat et haec per ordinem continebat. Prima linea: Sabine, hae litterae sunt inter me et te signa dilectionis perpetuae. Secunda: fecit tibi meritum ingens dolor, faciet tibi gaudium ingens amor. Tertia: ducem baptizabis, sanus ad propria remeabis, sicque decennio expleto laudabiliter mecum eris in coelesti palatio. Tunc vir immensas gratias et laudes Deo reddidit pro tam ineffabili consolatione, quam ei exhibuerat praesentia virginis gloriosae. Facto igitur die dux montem adscendit, et cum episcopum ad altare procedentem, videntem, loquentem et omnia membra integraliter habentem conspiceret, obstupuit vehementer. Tunc lecto evangelio praesente duce episcopus membra abbatis, qui in medio positus erat, ungens, per ordinem abbas omnibus videntibus redivivus apparuit, sicque omnibus membris renascentibus, antequam divinum officium perficeret, plenissime sanatus est. Quo viso miraculo dux lacrymis perfunditur, corde compungitur et amplectitur fidem et cum multis nobilibus perfecte credentibus ab episcopo baptizatur. Qui cum haeredibus careret, saeculo renuntiavit, terram suam vendidit et bonam portionem fratribus in monte Syna degentibus tradidit, Romam cum episcopo et abbate et aliis multis devotionis gratia venit, multa auri pondera secum deferens pauperibus tribuit. Deinde ad consilium sancti Sabini famosissimum monasterium virginum, quod dicitur aula Dei, in honorem beatae Catherinae fundavit, quod in multis possessionibus et divitiis ampliavit. Postremo in monte Cassino monachalem habitum suscepit ibidemque Christo regi suaeque matri et beatae Catherinae, quamdiu vixit, devotissime militavit. Sanctus vero Sabinus, cum post decennium ad extremum venisset, dignum Deo spiritum efflavit, sed cum lingua ejus in ore ejus minime appareret, nulli dubium, quin virgo gloriosa eam tulit, quae suo devoto eam per decennium mutuavit. In hujus quoque gloriosi episcopi memoriam annulus et charta apud Mediolanum usque hodie servantur.

CAP. CCXIII. (210.)

De sancto Ludovico rege Francorum.

Ludovicus dicitur quasi lucem donans seu lucis dator. Interpretatur etiam quantum ad ultimam nominis partem custos. Icos enim graece dicitur custos latine. Fuit enim severus verbi custos Dei, ut ex ejus gestis demonstratur. Fuit etiam pervigil custos exercitus sui in terra et mari ac etiam in ipso conflictu certaminis. Unde de eo in ecclesia cantatur. Ludovicus ex nomine lucis dator exprimitur et custos in certamine praesentis vitae ponitur.

Beatus Ludovicus quondam rex Francorum illustris patrem habuit christianissimum regem nomine Ludovicum. Hic de Albigesio et comitatu Tolosano haereticos debellavit et haereses exstirpavit, et dum reverteretur in Franciam, migravit ad Christum. Puer igitur sanctae indolis patre strenuissimo sic orbatus sub tutela matris videlicet Blancae reginae quondam regis Castellae filiae remansit. Quem ipsa tenerrime diligens sub custodia spiritualis magistri et consilio religiosorum maxime ordinis fratrum praedicatorum et minorum in moribus et scientia litterarum tradidit imbuendum. At ipse velut alter Salomon puer

ingeniosus et bonam sortitus animam super coaetaneos suos profecit valde laudabiliter in utrisque. Cujus sanctitati congaudens pia mater pluries dicebat eidem: plus vellem, fili carissime, te mortem incurrere temporalem, quam per aliquod peccatum mortale te tuum offendere creatorem. Quod verbum devotus filius in animo sic firmavit, quod divina comitante gratia a vitiis abstinens ad culmen virtutum pervenisse ab omnibus censeretur. Dehinc divina providentia, ne tam nobile regnum regali successione careret, uxorem duxit, de qua susceptam sobolem generosam vir sanctus summo opere studuit educare, docens eos super omnia timere Deum et ab omni peccato jugiter abstinere. Serta quoque de rosis seu alios capellos eos portare sextis feriis prohibebat propter coronam spineam tali die impositam capiti salvatoris. Ipse vero exemplo apostoli corpus suum castigans et in servitutem redigens castigatione multiplici suo spiritui servire cogebat, multo tempore cilicium ad carnem applicans. Jejunabat quoque omni tempore sextis feriis et maxime in adventu et quadragesima, in quibus a piscibus et fructibus abstinebat, laboribus, vigiliis, orationibus et aliis secretis abstinentiis et disciplinis jugiter se affligens. Quolibet etiam sabbato consueverat in loco secretissimo quorundam pauperum propriis manibus abluere pedes et deinde tergere ac humiliter osculari, similiter et manus, cuilibet certam summam pecuniae tribuendo. Pluries etiam CXX pauperibus, qui in curia sua omni die reficiebantur abunde, et vigiliis sollemnibus ac quibusdam certis diebus per annum CC pauperibus, antequam ipse comederet, manu propria fercula ministravit. Semper enim in prandio et coena prope se *tres senes* pauperes recumbentes habebat, quibus de cibis sibi appositis caritative ministrabat, Christum pauperem in suis pauperibus venerando, de quorum reliquiis comedere non horrebat. Scarleto etiam seu bruneto aut viridi vel alia veste pomposa uti nolebat nec pellibus variis aut nimium sumtuosis, maxime postquam de partibus transmarinis rediit prima vice. Dilatationem vero fidei ardenti desiderio cupiebat, unde tanquam verus amator fidei et zelator tres fratres suos commilitones ac majores regni barones et milites secum ducens cum exercitu maximo applicuit in Aegyptum, ubi multa in se et suis mala perpessus dehinc ab hostibus captus et carceri mancipatus modico tandem pretio, quod mirabile est, redemtus fuit et liberatus. Eductus itaque de carcere per quinque annos in Syria remansit multos Saracenos ad fidem convertens ac captivos christianos redimens, quorum corpora plerumque propriis manibus sepeliebat. Ubi quanta pro fide Christi in hac peregrinatione ac etiam in alia, quam secundo transfretavit, sustinuit, nisi qui affuit aut majora volumina inspexit, nemo sufficienter mente perpendit. Quae quia in historiali circa finem satis diffuse narrat Vincentius, ubi non de auditis relatu, sed suo tempore gestis fidem facit, brevitatis *gratia* dimittuntur. Postmodum vero audita morte reginae matris suae baronum suorum consilio redire in Franciam acquievit, et dum esset in mari, navis ipsum deferens bina impulsione ad rupem tam fortiter est collisa, quod a nautis et aliis peritura crederetur. Tanta igitur concussione perterriti sacerdotes, clerici et alii sanctum regem invenerunt orantem coram sacro corpore Jesu Christi et fuit eorum omnium firma fides, quod ejus meritis et precibus eos omnipotens Deus a mortis periculo liberasset. Reversus itaque in Franciam cum ineffabili gaudio ab omnibus est receptus ac extunc de virtute in virtutem proficiens ad omnimodam vitae perfectionem pervenit. Tunc enim coepit fundare hospitales domos pauperum, religiosorum aedificare monasteria, claustra dormitoria, ecclesias, loca et alia aedificia opportuna. Caecis, beguinis filiabus Dei fere in omni civitate regni cum certis elemosinis de locis et domibus sibi competentibus providit. Plura etiam monasteria diversorum ordinum ab ipso fundata ex toto magnis donavit reditibus, inter quae abbatiam regalis montis Cisterciensis ordinis magnifice fundavit et dotavit. In qua semel, quod mirabile est dictu, cuidam monacho leproso in quodam prandio flexis genibus cibum et potum in os ejus immittendo humiliter ministravit, abbate et qui aderant in lacrymas prorumpentibus, prae horrore vix videre valentibus. Praecipua etiam devotione sanctas venerabatur reliquias et Dei cultum et honorem

sanctorum jugiter augmentabat. Parisiis siquidem in regali palatio capellam speciosissimam construxit, in qua sacrosanctam coronam domini et maximam partem sanctae crucis ferrumque lanceae, quod latus aperuit salvatoris, cum pluribus aliis reliquiis dignissime collocavit, quas a Constantinopolitano imperatore receperat cum immensis laboribus et expensis. Opprobria vero fidei christianae audire non poterat, sed zelando zelum Dei graviter puniebat. Unde quendam civem Parisiensem, qui turpiter jurando Christum blasphemaverat, in peccati poenam et aliorum terrorem ferro candenti in labiis suis cauterisari praecepit dicens: vellem, quoad vixero, in labiis meis talem indecentiam sustinere, dummodo hoc pessimum jurationis vitium de regno nostro penitus tolleretur. Similiter Saracenis petentibus in pactione de solvenda pecunia pro se et suis addere, quod fidem Christi negaret, si pactum non teneret, facere constanter denegavit et persuadentibus, qui aderant, quod hoc sine peccato facere possit, respondit: tantum horreo verbum de neganda fide etiam sub conditione audire, quod non possem illud exprimere sono vocis. Ibidem etiam quendam nobilem Saracenum, qui recenter Soldanum occiderat, facere militem recusavit, dicens, quod nec pro morte nec pro vita infidelem quemquam insigniret baltheo militari. In tanta etiam veneratione habebat signaculum crucis, quod desuper calcare nolebat et a pluribus religiosis exegit, ut in claustris eorum, in tumbis cruces non insculperentur et insculptae penitus raderentur. In regimine vero ita pudenter se gerebat, quod absque personarum acceptione justitiam reddebat unicuique. Timens vero, ne causae pauperum vix ingrederentur ad judices, bis in hebdomada audiendum conquirentes, loco patenti se ponebat et eos celeriter, quantum poterat, expediri faciebat. Et quando negotium fideî per praelatos seu inquisitores deferebatur ad eum, omnibus aliis postpositis faciebat quam citius expediri. Duella vero tamquam a jure prohibita cujusquam instantia non admittebat, sed per aliam viam juri consonam etiam magnatum maleficia puniebat. Statuit insuper ad abolendum usuras, ut obligatos Judaeis aut aliis publicis usurariis nullus judex compelleret ad solvendum. Et quia pacem operatur justitia, dedit sibi Deus pacem et regno tranquillitatem. Tandem post multorum annorum spatia audiens desolationem terrae sanctae et mala christianae gentis ferre non valens cum filiis suis ac regni comitibus et magnatibus secundo transfretare disposuit. In qua transfretatione diem suum ultimum appropinquantem videns filios suos admonebat, ut pro ecclesia Dei et defensione terrae sanctae, uti ipse faciebat, omni virtute insisterent. Currente igitur navigio versus Tunicium et exercitu suo libere capiente portum in Africa, Carthaginis castrum et adjacentem regionem vi armorum ceperunt. Deinde inter Carthaginem et Tunicium fixerant tentoria, ibi aliquamdiu moraturi. Illic ergo beatus Ludovicus post tot laudabilia virtutum opera, post tot laboriosos agones, quos pro fide Christi indefesso animo toleraverat, disponente Deo, qui labores suos voluit feliciter consummare et laborum suorum fructum retribuere, lecto decubuit febre continua fatigatus. Invalescente igitur morbo, sana mente, integro affectu atque auditu orans ac sanctos invocans devote suscepit omnia ecclesiastica sacramenta. Demum ad extremam horam veniens et super stratum cinereum recubans verba proferens ultima parte: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum. Anno domini MCCLXX hora IX feliciter migravit ad Christum, corpus vero illius delatum fuit ad sepulchrum patrum suorum apud sanctum Dionysium in Francia, ubi et etiam alibi in diversis mundi partibus crebris coruscat miraculis. In die sepulturae ejus quaedam mulier Sagiensis dyoecesis visum, quem prius perdiderat, recuperavit omnino meritis et precibus pii regis. Quidam juvenis de Burgundia surdus et mutus a nativitate cum aliis veniens ad sepulchrum ejus, prout videbat alios facere, nutibus exterioribus sancti suffragium implorabat. Et cum ibi aliquamdiu permansisset, apertae sunt aures ejus et solutum vinculum linguae ejus, et qui nunquam Gallicum audierat, pure Gallicum loquebatur. Et cum audivit primo campanas pulsari, maximo terrore perterritus putabat, totam ecclesiam super se ruituram. Anno, quo beatus Ludovicus fuit ascriptus sanctorum catalogo, in diversis partibus ad in-

vocationem ipsius multa contigerunt miracula. Ebroicis namque puerum quendam prope quoddam molendinum submersum parentes multis sanctorum suffragiis commendaverunt. Verum omnipotenti Deo misericorditer disponente mirifice sanctum suum vox intonuit, ut puer praedictus beato Ludovico devoveretur. Quo statim ad ecclesiam fratrum praedicatorum nuper in honorem beati Ludovici fundatam cum solitis oblationibus delato confestim vivus apparuit.

CAP. CCXIV. (211.)

Legenda sancti Thomae de Aquino.

Thomas interpretatur abyssus vel geminus vel divisus vel signatus sive consummatus. Fuit siquidem hic sanctus doctor Thomas velut abyssus profundissima, scientia enim et sapientia profundissimus exstitit, ideoque non immerito Aquinas ex nomine patriae dictus est, quoniam doctrinae coelestis aquas nactus est abundantissimas. Propter quod illud Ecclesiast. XV scriptum de eo dici potest: aqua sapientiae salutaris potavit illum Deus; et Apocal. XXII: ostendit angelus flumen aquae vivae splendidum tamquam cristallum, procedens de sede Dei et agni; et Proverb. XX: aquis mundanae vanitatis et propriae nativitatis eductus per religiosam vitam restitutus est matri ecclesiae, Moysi figura. Fuit etiam geminus devotionis decorae et intelligentiae claritate. Insuper divisus fuit a mundanis cupiditatibus et pompis religionis vitam sacerrimam ducens. Denique fuit signatus aut consummatus omnium virtutum splendore. Quapropter bene nuncupatus est Thomas, quod potest interpretari quasi Thau meum, id est signum meum vel consummatio mea. Deus enim tantis eum illustravit atque perfudit gratiae donis, ut verum Dei signum atque consummatio, id est perfecta Dei operatio esset. Cujus hystoriam et vitam quidam episcopus Lodonensis conscripsit. Festivitas autem ejus celebratur nonis Martii, quo die migravit ex hoc mundo ad perpetuam gloriam.

1. Sanctus Thomas de Aquino ordinis praedicatorum doctor egregius nobilibus ortus progenitoribus Landolfo patre de domo ac illustri prosapia comitum Aquinorum confinibus Campaniae et regni Siciliae, matre Theodora de Neapolitana stirpe exeunte duxit originem. Qui per sanctum eremitam Bonum nomine matri suae fuit praenuntiatus ex nomine nasciturus magnus in orbe, natusque fuit anno domini MCCXXV. Hic existens infantulus cum a cunis pro balneo solveretur, nutu divino chartulam quandam humi jacentem, in qua salutatio angelica continebatur, brachium nemine juvante extendens accepit, cui vix mater eripere potuit. Hic puer quinque annorum existens missus fuit a parentibus ad monasterium montis Cassini erudiendus in primis litterarum elementis et moribus imbuendis. Cum autem septem annorum esset, missus est Neapolim ad studium artium liberalium. Qui tanta celeritate naturalis ingenii omnes artes didicit in septem annorum spatio et praecellens omnes ingenio et labore cunctis erat admirabilis. Cum autem esset XIV annorum, virgo electus a domino intravit ordinem sacratissimum fratrum praedicatorum. Hic etiam eodem anno, quo intravit ordinem, cum per fratres ordinis praedicti fuisset Romam perductus et de Roma per Tusciam Parisios duceretur, ut a suis elongaretur parentibus, raptus et captus fuit in itinere per germanos suos carnales et vi ablatus fratribus et missus ad matrem suam in castro montis sancti Johannis, ubi detentus et custoditus et clausus in carcere stetit quasi biennio in habitu ordinis, quem assumtum nunquam deseruit nec ad deserendum aliquatenus flecti potuit. Deditus vero ibidem orationi et contemplationi ac studio scripturarum tamquam

in schola summi magistri plurimum profecit et vehementis libidinis suggestricem a carcere cum stipite ignito fugavit. Unde ex hac victoria tale donum a Deo consecutus est, ut nullum stimulum voluptatis venereae postea senserit. Postquam autem redditus est ordini, missus est Coloniam, ubi docebat philosophiam et theologiam doctor Albertus magnus ejusdem ordinis professor, a quo plurimum eruditus est spatio annorum XI. Cum vero attigisset XXVII. annum aetatis suae, Parisios missus gradum baccalaureatus in theologia suscepit. Qui cum laudabiliter legisset sententias et omnibus esset venerabilis propter admirabiles quaestionum solutiones, assumtus est in magisterium sacrae theologiae anno suae aetatis XXX. Qui vivens dumtaxat postea XX annos, maximos et pulcherrimos libros composuit; qui libri fere complent centenarium numerum. Habuit autem tantam a Deo gratiam, ut dubia aliis occulta per revelationem Dei apparentibus ei beatis Petro et Paulo cognosceret. Incendebatur enim Dei amore et ita rapiebatur in contemplatione mysteriorum divinorum, ut etiam comedendo circa illa cogitaret et exsistens in mensa sancti Ludovici regis putaret se esse in studio et cella sua. Specialiter etiam adjutorio divino fretus quaestionem difficillimam de sacramento corporis Christi omnibus magistris Parisiensibus ignotam declaravit. Hic doctor egregius in ecstasi et alienatione virium sensitivarum mente frequenter apparuit in Deum elevatus, corpore etiam visus est in oratione exsistens uno cubito et aliquando duobus a terra sursum levari. Quotiens autem vir sanctus disputare, legere, scribere aliquid vellet, prius ad orationem accedens inveniebat sic in promtu, quod quaerebat, ac si in libro legeret. Fuit insuper tantus amor verae sapientiae, ut archiepiscopatum Neapolitanum, ad quem eum volebat promovere dominus Clemens quartus papa, recusaverit et homilias Chrysostomi super Matthaeum praeelegerit civitati Parisiensi, et rationem reddens dixit fratribus: civitas haec, si esset mea, propter curam regiminis mihi eriperet contemplationem divinorum et consolationem animi impediret, quam scriptura sancta donat. Tandem vero iste doctor egregius florens scientia et doctrina eminens vocatus per Gregorium decimum papam ad generale concilium, quod celebratum fuit Lugduni calendis Maji anno domini MCCLXXIV, obiit in itinere in monasterio Fossae Novae Cisterciensis ordinis Terracinensis dyoecesis nonis Martii aetatis suae anno L inchoante. In obitu autem ejus non defuerunt signa miranda, quae sancti doctoris indicarent exitum ex hoc mundo et aeternae suae felicitatis demonstrarent initium. Nam stella quaedam ad modum cometae tribus diebus ante doctoris obitum super idem monasterium visa fuit etiam in die, quae sancto doctore migrante disparuit. Dominus etiam Albertus magnus Coloniae in mensa exsistens coepit subito lacrymari dixitque assistentibus: frater Thomas de Aquino, filius meus in Christo, qui fuit lumen ecclesiae, ex hac luce hodie migravit. Supprior etiam Fossae Novae patiens in oculis fere omnimodam caecitatem emisso voto adductus ad sepulchrum sancti Thomae et orans Deum meritis sui sancti visus beneficium recepit et clamavit coram toto conventu: benedictus Deus, qui meritis sancti Thomae clare me videre fecit. Et longo tempore post vivens Umbraticensis ecclesiae factus est episcopus. Manifestum quoque miraculum in duabus translationibus sacri corporis beati Thomae apparuit. Ex eo enim prodiit odor suavissimus et fragrantissimus, quod signum fuit scientiae suae diffundendae per totum orbem, et ipsum, dum viveret, redoluisse omnibus virtutibus. Nullus enim stimulus superbiae nec aliquis foetor cujuscunque peccati mortalis eo vivente exivit. Quarto decimo etiam anno ab ejus felici obitu, cum pretiosus thesaurus sacri corporis patefactus esset, inventum est corpus integrum membris et pannis sui habitus solaque nasi summitas paululum deminuta visa est. Odor quoque tantus emanavit, ut omnes monachi inde excitati suas cellas exirent ad videndum tantum miraculum. Ejusdem sacri corporis manum dextram domina Theodora comitissa petivit ab abbate monasterii Fossae Novae, quam non potuit avellere leviter a corpore, quamvis jam annis XIV jacuisset in terra, sed compulsus eam ferro detruncavit, quae mirandum odorem eam venerantibus effundebat. Unde cum quidam vir magnae famae anno ab obitu

sancti Thomae XLII quaereret pretiosas reliquias ad reponendum in quadam capella sanctae crucis, quam aedificari fecerat apud Salernum, et venisset in capella castri sancti Severini Salernitanae dyoecesis et sibi ostensa fuisset manus praedicta eamque despexisset, statim tremore magno totius corporis aegrotare coepit videbaturque sibi, quod haberet caput grossum ad modum unius cistae et nimis ponderosum. In se autem reversus et poenitens acerrime de irreverentia facta, cum reverenter illam adorasset, a tremore illo et inflatione corporis liberatus est. Quam cum deosculatus esset, odorem maximum ex ea progredi sensit, qualem et quantum nunquam se meminerat percepisse. Odor autem ille ex tractu sacrae manus sibi et ejus caputio, quod in collo gerebat, multo tempore sic adhaesit, quod ipse et caputium redolebant illis, inter quos conversabantur. Quod pluribus interrogantibus, quid secum ferret odoriferum, compellebatur miraculi seriem saepe recitare, et extunc, ut asserunt, tantam devotionem ad sanctum Thomam et confidentiam accepit, quod, quotiens aliqua tentatio sibi adveniret vel periculum immineret, recommendans se meritis sancti Thomae et invocans nomen ejus se sensit ab impugnatione et periculo statim liberatum. Advertendum autem est, quod odor ille prodiens a membris beati viri miraculosus est, quia non sentitur, quotiens adorantur membra, nec ab omnibus, qui ipsa adorant, sed quando placet et personarum devotio promeretur. Ex quo manifestum est, quod non sit odor humano ingenio procuratus, qui divina existit virtute concessus, nec ullius rei naturalis odor similis illi reperitur. Ut autem amplius glorificetur Deus in sancto suo, quem mirificavit, pauca de multis miraculis ad augmentum devotionis fidelium hic subduntur. — — — 2. Quidam arte chirurgicus, sed per decennium infirmitate podagricus nec valens per se ambulare se Deo et beato Thomae devovit, juxta ejus tumulum incumbens oratione facta sanus prosiliit laudans Deum et sanctum ejus. — — — 3. Alter quidam propter horribilem fantasmatis visionem omni virtute destitutus et mortuo similis videbatur, adeo ut igne membris ejus admoto nullatenus sentiret. Qui portatus ad tumulum sancti Thomae post morulam liber et sanus omnino a sepulchro surrexit. — — — 4. Mulier quaedam, cum filium suum duorum mensium in cunis decubantem periclitari formidaret, pro eo praesertim, quod per menses quatuor ex surditate adeo gravata esset decies exclamare, vagientem etiam puerum vix audivit. Viri sui inductione, qui moestus una cum illa communis filii periculo condolebat, praedicto viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet, obnixius devovit emissoque voto cum nocte secuta dormiisset, in crastino se liberatam sancti meritis reperit, ut optabat. — — — 5. Puella gutturis sui fauces squinantiae habens infirmitate constrictas in tantum, ut neque sumere quidquam posset neque respirare, dum devote se beato viro a matre persuasa commendaret ductaque fuisset in crastinum ad praedictum monasterium Fossae Novae suppositis gutturi suo sanctis reliquiis confestim melioratam se sensit, panem comedit perfecteque sanata rediit. — — — 6. Quidam conversus Fossae Novae adeo gravem in brachio dextro et spatulo dolorem patiebatur, ut illud deferret suspensum ad collum et penitus ei inutile atque dolore vehementer afflictum. Qui neque medicorum auxilio remedium inveniens, imo ampliore dolore gravatus, dum dicto sancto pro sua sanctitate se humiliter commendasset, a somno surgens se penitus liberatum cognovit. — — — 7. Infans quidam quatuor annorum tumorem et ruborem in costis et crure usque ad pedem patiebatur adeo afflictivum, ut nec a matre sua vel alio tangi sine laesione et clamore aliquatenus potuisset, neque se movere poterat. Cumque puer per mensem in tanto dolore et anxietate fuisset, et a medicis spes curationis sine incisione pueruli non inveniretur, deficiente natura artisque suffragio non invento recursum est ad Deum et sanctum suum Thomam. Mater enim infantuli beato Thomae ipsum devotissime commendavit, ut a dicta infirmitate absque incisione suis meritis puerum liberaret, qui delatus ad monasterium et positus super tumulum post aliquam morulam sanus inde surrexit. Propter haec et alia testimonia multa, quae de hoc viro justo mortalibus credibilia per Deum facta sunt nimis, dominus Johannes XXII

papa apud Avenionem pontificatus sui anno septimo XV calend. Augusti, anno verbi incarnati MCCCXXIII a felici vero transitu hujus viri beati ex hoc mundo, anno L decurrente illum sanctorum confessorum catalogo adjunxit ad laudem et gloriam domini nostri Jesu Christi, qui hunc sanctum adhuc in terris viventem et jam ad coelos translatum multis fecit coruscare miraculis, ut fideles ipsum invenirent apud Deum benignissimum patronum et ejus vestigia imitantes regna coelestia consequi possent.

CAP. CCXV. (212.)

De sancto Marcello Parisiensi episcopo.

Beatissimus Marcellus antistes natus Parisii, sed civis paradisi, in terris humilis, erectus in coelis, mediocris parentibus, sed meritis celsus, cui hoc fuit nobilitatis lumen insigne, Christo sine culpa servire. Non de generis intumescens superbia, sed habens de meritis ornamenta, nec sumens de parentelae laude jactantiam, sed gratiam possidens in virtutum exemplis, intra se suos thesauros retinens, Deum mundo corde complectens. Sed cum Christo pauper iste regnavit, qui in humilitatis conversatione, in caritatis ubertate, in castitatis lumine, in jejuniorum pinguedine ita se totum tradidit disciplinae, ut ab ipsa infantia maturus adscenderet et positus in corpore quasi nihil de carne portaret. Hic itaque beatissima institutione succinctus et venerandis operibus paene prius sacerdos exstitit quam clericus, jamdudum dignus, qui susciperet dignitatem, antea praeparatus ad id, quod erat sine mora futurus. Calcata mundi pompa vel criminibus, cum divinis armis initiatus accingeretur ad spem, felicem palmam de hoste publico relaturus in militia Christi exercitando lector effectus est ac se ipsum templo Christi pro primitiis offerens velut a bellis sacrificium hostia victae carnis et purae mentis effectus est. Qui clarior mercede quam nomine et merito major quam gradu sine offendiculo suum gerens officium, coepit in milite crescere, quod accepit a rege. Deinde dum adhuc clericali tyrocinio celaretur, miraculis proditur et signis coelestibus illustratur. Unde quadam vice ad officinam accessit fabricalem, qui despectus ab artifice cogitur, ut extracta de ardenti camino ferri massa candens manu sua ferrum accensum attolleret et, quanti ponderis esset, enarraret. Tunc vir beatissimus non ignarus totum de Christo praesumere, et quantae virtutis causa sit, in rebus non turpibus obedire, mox supposita manu ferrum altius elevavit dicens: de calore calet, sed novem pondera habet. Quod postea tantum ad stateram inventum est, quantum ejus vox librare praedixerat. Itaque cum subdiaconali ministerio fungeretur in die epiphaniarum, hauriens aquam de fluvio Sequanae, dum beato Prudentio manibus abluendis aquam offerret, mutatis elementis vini sapor inventus est. Quo viso obstupescens pontifex jussit ex ipso urceolo in calicem sacrum defundi. Unde universus populus missa celebrata et communionem accepit et ipsum vas, cum ad plebis multitudinem suffecisset, ac si non tactum et integrum sic plenum remansit. Cujus vini mystico beneficio postea multi sanati sunt. Cum vir sanctissimus quadam vice ex sui officii servitute aquam manibus praefato episcopo venerabili porrexisset, mox inde balsama coeperunt fragrare, et dum unda curreret, visa sunt chrismata respirare, ut paene pontifex crederet, se manus magis ungere quam lavare, et alteras aquas quaereret, ut priores ungas ablueret. Quo viso sacerdos venerabilis obstu-

pescens Deo gratias de concepto munere retulit et beato Marcello reverentiam de religione servavit, dum eum non talem, qui serviret, sed potius, cui serviretur, agnovit. Matrona quaedam prosapia nobilis, sed opinione vilis, maculans crimine, quod fulgebat ex genere, postquam dies fugitivae vitae nota luce conclusit, ad tumulum pompa comitante sed non profutura processit. Quae condita horresco referens hoc contigisse post funera, quia duplex nascitur lamentatio de defuncta. Ergo ad sumendum ejus cadaver coepit serpens immanissimus frequentare, et ut dicam clarius, mulieri, cujus membra bestia devorabat, ipse draco factus sepultura, quo viso perterriti homines de suis sedibus migraverunt. Beatus igitur Marcellus intelligens, se de cruento hoste triumphum acquirere, collecta plebe de civitate progreditur et relictis civibus in prospectu populi solus Christo duce ad locum pugnaturus accessit. Et cum coluber de silva rediret ad tumulum, obviantes sibi invicem, dante orationem beato Marcello, ille capite supplici coepit veniam blandiente cauda precari. Tunc praecedente pontifice bestiam fere tribus milliaribus omnes prosecuti sunt, reddentes domino gratias et solventes exsequias inimico. Deinde increpans eam bestiam Marcellus dixit: ab hac die aut deserta tene aut in mare te demerge. Mox dimissa bestia nulla ejus ulterius indicia sunt inventa. Ecce propugnaculum patriae in uno consistere sacerdote, qui fragili baculo fortius hostem edomuit, quam si balistae transfixissent. Sic igitur sanctorum virorum ex factis merita conferantur, miretur Marcellum Gallia, dum Roma Silvestrum, nisi hoc distet in opere, quod draconem sigillavit ille, iste jactavit. His itaque operibus sanctus Marcellus semper intentus, conversatione clarus, consummatione praecipuus, beatitudine gloriosus, remuneratione ditatus, cum perpetuo domino regnaturus, vincens mundi contagium, mundus migravit ad Christum die calendarum Novembrium regnante domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas.

CAP. CCXVI. (213.)

De sancta Genovefa.

Genovefa dicitur a genos, et efa, quod est mensura, quasi habens naturalia ad mensuram seu plenitudinem. Ipsa enim ex bonis naturalibus, quae habuit, faciliter Dei gratia comitante supernaturalia est assecuta. Vel dicitur a genos, quod est barba seu virilitas, et efa, effusio seu plenitudo, quasi effusa et plena operationibus virilibus et fortibus. Ipsa enim, ut ex ejus gestis colligitur et de ea in ecclesia canitur, ipsis etiam viris aliquatenus imitanda atque aequiparanda est.

Beata virgo Genovefa honestis parentibus, patre Severo nomine, matre Gerontia orta apud Nametodorum oppidum haud longe a Parisiensi urbe exstitit progenita. Dum autem sanctus Germanus Antissiodorensis episcopus quadam die apud basilicam in ipso oppido sitam orandi gratia se contulisset, occurrente ejusdem loci populi multitudine simul Genovefa affuit. Quam intuitus in spiritu sanctus Germanus magnanimem Genovefam ad se deduci praecipiens, circumstanti populo electam a Deo sponsam praedixit in ejusque nativitate angelos cecinisse denuntiavit ac felices tantae sobolis progenitores praedicavit multosque ejus exemplis a vita sua mala convertendos affirmavit. Quae dum ab eo accersitur et de virginitate coelesti sponso conservanda admonetur, id se votis omnibus semper desiderasse respondit. Cui ille: confide, filia, viriliter age et, quod corde credis et ore profiteris, operibus comprobare stude, dabit enim

dominus fortitudinem et virtutem decori tuo. Cumque sequenti die Genovefam iterum sibi praesentari fecisset, dixit ei: ave filia Genovefa, reminisceris, quid hesterna die de corporis tui integritate mihi sis pollicita? Cui illa: reminiscor, pater. Tunc ille nummum aereum Dei nutu allatum habentem signum crucis a terra colligens inquit ad eam: hunc transforatum pro memoria mei ad collum suspensum semper habeto nulliusque metalli aut margaritarum ornamento collum digitosque tuos ornari patiaris. Et valedicens caputque ejus deosculans abiit. Cum mater ejus die sollemni ad ecclesiam pergeret et Genovefam reclamantem domi remanere praeciperet, confestim, ut sibi mater alapam in faciem dedit, lumen amisit sicque fere per biennium divinam iram perpessa precibus filiae tandem pristinae sanitati est restituta. Alia vice dum Genovefa cum duabus sacratis virginibus aetate provectioribus loco novissimo incederet, obviante Carnotensi episcopo 1) Julito statim incedendi eversus est ordo, nam: illa, quae sequitur, ait episcopus, anteponatur, quoniam ipsa coelitus jam est sanctificationem adepta. Parentibus ejus sublatis de medio cum in Parisium urbem transiisset, tanta paralisis, ut videbatur, infirmitate detenta est, ut corpus ejus laxatis undique artubus ac dissolutis compagibus triduo exanime crederetur. Quae cum denuo esset sanitatem assecuta, ajebat se in spiritu ab angelo in gloriam sanctorum et supplicium impiorum fuisse deductam ac extunc secreta conscientiarum in non modicam admirationem coepit revelare ac manifestare. Sancto autem Germano redeunte, cum Parisium intrasset, confestim Genovefa, ubinam esset et quidquid ageret, inquirens, in ejus hospitium descendit ac male de ea colloquentibus, (deridebatur enim tunc, ut plerumque fit, justi simplicitas) terram suis lacrymis irrigatam ostendit sicque eam adstanti populo commendans discessit et ad tempus os loquentium iniqua obstruxit. Verum post obitum beati Germani, cum Attila Hunnorum rex Gallias ac praecipue urbem Parisiorum invaderet ac suae ditioni minaretur subjicere, singulis paene ad tutiores, ut sibi videbatur, urbes facultates deferentibus, Genovefa operationibus et vigiliis insistebat, hisque, cum quibus degebat, ita facere exhortans, non esse pertimescendos hostes dicebat, quin imo civitatem illaesam fore praedicabat. Quamobrem nonnulli ejus cives insurgentes dicebant, pseudoprophetissam suis temporibus advenisse ac in ejus mortem coeperunt conspirare. Eodem tempore venit ab Antissiodorense urbe archidyaconus, qui haec audiens ita cives adorsus est: nolite, o cives, hoc admittere facinus, quia hanc, de cujus interitu tractatis, didicimus narrante sancto Germano antistite nostro ex utero matris a Deo sponsam electam, et ecce eulogias ab eo sibi derelictas exhibeo. Quas illico perlegentes ab inceptis destiterunt, Hunni autem protinus abierunt. A Bituricense urbe venit mulier quaedam Parisios, quae post consecrationem violata fuerat, ut Genovefam alloqueretur. Quae mox interrogata a Genovefa, an sanctimonialis aut vidua esset, confestim ut se virginem asseruit, virum, qui eam violaverat, et locum et tempus exposuit. Unde ad verecundiam provocata supplex Genovefae veniam postulavit. Matronae cujusdam filius aetatis annorum quatuor, cum in puteum cecidisset ac post tres horas mortuus inde subtractus, matre in lacrymas prorumpente ac crines dilacerante, Genovefae oblatus fuisset, ad orationem recurrens pallio suo super corpus ejus apposito puerum vivum confestim matri reddidit. Cum ob diutinam obsidionem civitas Parisiensis inedia affligeretur, Genovefa pauperibus condolens navim super Sequanam ad emendam annonam ingreditur. Dum autem ad quendam locum, in quo erat arbor, juxta quem naves saepius periclitarentur, advenisset, confestim arborem incidi praecipiens ad orationem conversa, duo horribilia monstra ex illo loco egredi sunt visa. Ab illo autem die illic navis non periit, sed prospero cursu coeptum iter transfretavit. Rediens autem virgo panes pauperibus juxta necessitates suas distribuit. Dum quadam vice civitatem Trecasium adiisset, protinus occurrens ei multitudo populi innumeros utriusque sexus diversis infirmitatibus afflictos obtulit, inter quos etiam oblatus est ei

1) Alii: Vilico legunt.

homo quidam, quem dominico die operantem ultio divina contraxerat, simul puella ab annis fere duodecim caeca, quos illa benedicens sine dilatione incolumes reddidit. In civitate Meldensi puella quaedam adolescenti cuidam promissa ut Genovefae virtutes comperit, vestem sibi immutari ac in contubernio virginum annumerari a Genovefa expetiit, unde indignatus adolescens sponsam cum furore persequitur. Quod Genovefa audiens eam ad ecclesiam, quae proxima erat, secum duxit et fores ecclesiae, quae clausae erant, divina virtute mirabiliter reseravit et puellam a furore adolescentis liberavit. Aurelianis duo cuidam patrifamilias pro servo, qui adversus eum deliquerat, Genovefa veniam expeteret, ille vero omnino renueret, confestim ut domum ingreditur, vehementi febre correptus non prius sanitati restituitur, quam Genovefae veniam postulans famulo misericordiam elargitur. Ecce ecclesiam sancti Martini Turonensis ingressa quamplurimos a daemone obsessos oleo prius inunctos liberavit. Dum autem vellet semel quosdam inungere ac oleum in ampulla, pontifex etiam, qui oleum benediceret, deesset, mox terrae recubans in oratione posita, ampulla in manibus ejus oleo, quo postmodum sanati sunt aegroti, est repleta. De ejus abstinentia ac etiam virtutibus inter alia multa sic dicit Vincentius in speculo. A decimo quinto aetatis suae anno usque ad quinquagesimum esca erat ei panis hordeaceus et faba, quam post duas aut tres hebdomadas in olla recommiscens edebat. A die dominico usque in quinta feria jejunabat et a feria quinta usque in die dominico; vinum autem et quodlibet inebrians nunquam potavit. Post quinquagesimum vero annum suadentibus episcopis propter obedientiam piscem et lac cum pane hordeaceo edere coepit. Multa autem veneratione Catulacensem vicum, in quo beatus Dionysius passus est, dilexit, cui etiam devotio erat, in honore illius basilicam construere. Suadebat presbiteros, ut faceret unusquisque collationem ad hoc aedificium, qui responderunt: erunt forsitan parvitati nostrae vires aedificandi, sed coquendae calcis copia deest. At illa spiritu sancto repleta vaticinans ait: egredimini, quaeso, ad pontem civitatis et, quae audieritis, nuntiate mihi. Qui egressi in plateas stabant attoniti. Et ecce duos custodes porcorum sermocinantes, quorum unus ad alterum ait: dum suis, id est porcae, vestigium ob partus vagantis legerem, inveni furnum calcis mirae magnitudinis, alter respondit: et ego inveni in silva sub radicibus arboris a vento evulsae furnum calcis, de quo nihil sublatum credo unquam fuisse. Quod audientes presbiteri gratias agentes reversi sunt. Audiens etiam haec sancta lacrymis prae gaudio sinum implevit. Lacessivit itaque Genesium presbiterum, ut in honore praedicti martiris basilicam construeret, sicque omnibus civibus illa implorante constructa est. In cujus opere collectis carpentariis, cum potus deficeret, accipiens sancta cupam eorum prostrata cum lacrymis oravit. Deinde surgens facto signo crucis super vas usque ad summum poculum impletum est, ex quo operarii usque ad consummationem basilicae uberrime potantes gratias egerunt. Quadam nocte sabbati circa galli cantum egressa est beata Genovefa ad basilicam sancti Dionysii, cereus vero, qui anteferebatur, exstinctus est. Quo turbatis virginibus, quae cum ea erant prae horrore noctis, cereum sibi dari praecepit. Quem ut tenuit, statim illuminatus est. Similiter eodem tempore, cum in ecclesia diu prostrata in oratione surgeret, cereus nondum igne contactus divino nutu accensus est in manu ejus. De quo et plures infirmi paululum in fide auferentes sanati sunt. Quaedam mulier furata est calceamenta ejus, quae ut domum venit, excaecata est. Deinde prostrata ad pedes ejus veniam petens signatis ab ea oculis visum recepit. Hildericus etiam Francorum rex valde diligens eam, timens, ne vinctos, quos interimere cogitabat, sancta eriperet ingrediens urbem Parisiorum, portam claudi praecepit. Quod audiens sancta statim ad liberandas animas perrexit, inter cujus manus populo porta se sine clave reseravit et sic regem consecuta, ne vinctorum capita amputarentur, obtinuit. Fuit etiam eo tempore beatus Simeon in columna, quem negotiatores euntes et redeuntes ferunt de illa interrogasse et eam veneratione profusa salutasse et se in orationibus ejus memorem esse poposcisse. Parisiis etiam ei oblati sunt energumeni, pro quibus in

basilica beati Dionysii ipsa orante vociferabantur clamantes, prope jam esse, quos sibi in solatio venire beata Genovefa precabatur, forsitan angeli vel martires. Quae surgens et signans unumquemque curavit a spiritu immundo, ut foetor gravissimus adstantium nares attingeret. A die etiam epiphaniae usque ad coenam domini beata Genovefa in cella reclusa soli Deo vacabat in orationibus et vigiliis. Audiens autem puella quaedam religiosa ad fores ejus magis curiositate quam fide permota, quid sancta in cella sua agebat, scire volens, statim lumen amisit. Quam sancta consummata quadragesima egrediens oratione et signo crucis illuminavit. In ecclesia etiam beati Martini Turonensis, cum in angulo quodam oraret, unus de psallentibus arreptus a daemonio proprios artus lacerabat, cumque beata Genovefa spiritum immundum exire juberet et ille per oculum progredi se minaretur, imperante illa fluxu ventris ejectus est foeda relinquens vestigia. Per idem tempus stans in aditu domus suae vidit puellam in manu ampullam gestantem, quam paulo ante emerat, et interrogata, quid esset, vidit daemonem sedentem in ore ampullae et minans insufflavit in eam statimque pars de ore ampullae cecidit. In territorio Meldensi cum propriam messem meteret, valde turbati sunt operarii propter imbrem imminentem. At illa ingressa tentorium, quod sine intermissione facere consueverat, cum lacrymis prostrata oratione obtinuit, ut, cum in circuitu omnes segetes pluvia rigaret, nec messem nec ejus messores gutta aliqua contingeret. Tanta etiam sanctitate pollebat, quod etiam spiritu prophetiae plena omnes quoque morbos ab humanis corporibus expellebat. Egentibus panes integros dabat adeo, ut ejus puellae saepe partem panis, quam in clibano posuerant, non invenirent. Vixit autem plus quam LXXX annis. Hujus autem natale celebratur tertio nonas Januarii. Haec Vincentius. Reliqua autem, quae hic inseruntur, ex certissimis ac probatissimis ecclesiae, in qua beata virgo praesidet, codicibus, quorum etiam nonnulla ipse Vincentius testatur, extracta sunt. Post transitum vero beatissimae virginis lampas ejus sepulchro apposita est, in qua praeter olei consumtionem ignis permanebat, cujus contactu infirmi sanabantur, lampade videlicet mutata in fontem, oleo in medicinam. Homo quidam linguae et oculorum privatus officio ad sepulchrum virginis accedens et visum et loquendi usum recuperavit. Mulier quaedam in visione admonita filium a nativitate caecum ad praefatae virginis locum detulit, cumque in ecclesia miraculum recitaretur, quomodo dominus Jesus Christus oculos caeci nati aperuit, continuo aperti sunt ejus oculi. Revelatur cuidam a nativitate muto, ut ad sepulchrum virginis se transferat, vocis illic beneficium percepturus. Cumque in fide revelationis die dominico illuc pervenisset, statim linguae illius vinculum est solutum et loquebatur magnificans Deum. Interrogatus ergo ab abbate, quid post indultum sibi vocis beneficium agere velit, respondet, quod a loco illo recedere nolit, nolit ad propria redire, nolit omnibus diebus vitae suae sine praesentia virginis vivere. Cujus votum laeto animo amplectens abbas vitae sibi necessaria jubet ministrari. Cum latro quidam carceri mancipatus custodis negligentia de carcere exiisset fugientemque ad sepulchrum virginis praeses insequeretur virginisque latro auxilium implorando acclamaret, praeses vero in ejus blasphemiam prorumperet, subito casu lapsus praeses latrone liberato miserabiliter exspiravit. Cum alio tempore flumen Sequanae ultra modum intumesceret et ad capellam virginum, quam prope ecclesiam sancti Johannis baptistae virgo construxerat, ad medium usque aedificii pertingeret, lectulus, in quo decesserat, qui ibidem servabatur, flumine infusus aquis continue descendentibus atque discedentibus ab illis intactus est inventus. Post aliquot vero dies cum coenobio a Normannis incendio consumto corpus virginis a fratribus ad Ategias villam suam deportaretur, multis etiam ibidem claruisse miraculis comprobatur. Siquidem altare ecclesiae, cui assessura erat virgo, sancta cruce sanctorumque reliquiis, ut moris est, adornatum tamquam ejus adventui congratulans movebatur, cui superposita, quod cupierat, se adeptum demonstrans firmum nec amplius moveri comprobatum est. In cujus quidem deportatione cereus, uti dum viveret, iterum atque iterum miraculose est accensus. Cum autem abbas

qui tunc praeerat, dentem a corpore virginis paucis consciis extrahens apud se ad sui tuitionem servare vellet, continuo summa aegritudine correptus dentem theca cristallina inclusum, quam cito potuit, restituere curavit. Audita vero inter Parisios et Normannos concordia corpus virginis ad ecclesiam suam deferentes non eo loco, unde educta fuerat in crypta, sed super majus altare, ubi nunc cernitur, fratres honorifice collocaverunt. Corpus autem virginis cum suo capite integrum in capsa consistere praesentibus nonnullis hujus regni episcopis postmodum inventum est atque comprobatum. Tempore Ludovici regis Francorum illustrissimi divina ultione membra, quae miseri homines exhibuerant servire injustitiae et iniquitati ad iniquitatem, coepit morbus igneus, quem physici sacrum ignem appellant, consumere. Multorum igitur sanctorum aegrotis suffragia deposcentibus nec impetrantibus recordatus est religiosissimus Parisiorum antistes Stephanus, qualiter beata virgo Genovefa praefatam urbem a multis olim periculis liberavit ac exinde sollemnes processiones, in quibus consulto abbate atque conventu praefata virgo ad ecclesiam beatae virginis Mariae deportaretur, instituit. Ordinata itaque secundum morem canonicum processione ingredienteque sancta virgine ecclesiam beatae Mariae continuo ad tactum feretri omnes male habentes tribus exceptis sunt sanati. Cum vero sequenti anno felicis recordationis Innocentius papa Gallias transmearet, de tanto instructus miraculo gratias agens Deo ac sanctae virgini annis perpetuis sollemni memoria celebrandum miraculum condonavit. Verum cum per singulos annos praedicti miraculi memoria sollemniter, ut dictum est, veneraretur, contigit semel per absentiam capicerii expensas formidantis sine ornamentis ac luminaribus, quae habebat ministrare, celebrari. Unde accidit, ut sequenti die ecclesiae sanctuarium adscendens divinam expertus virtutem subito lapsus sine voce miserabiliter exspiraret. Experti sunt igitur atque in dies experiuntur quamplurimi, quanto cum tremore Christi virginem oporteat venerari, ubi cum humilitate capit caecitas visum, debilitas gressum ac e diverso obstructae infidelitate mentes capiunt interitum. Nostris igitur qualibuscunque laudibus Genovefam veneremur, sed cum tremore; venerantes ejus suffragia imploremus, sed cum fide. Et revera dignum est, Genovefam laudibus honorari, quae Parisiorum inclytam urbem regni christianissimi praecipuam stabilissimamque columnam totiusque christianitatis in fide et doctrina magistram eruditissimam toties a tantisque periculis liberavit, ab inimicis hostili caede dimicantibus eripuit, inundantium fluctus aquarum restrinxit, ignis horrendi in mentibus humanis incendium consumsit, caecis visum, claudis gressum, surdis auditum reddidit, ab obsessis daemonium precibus effugavit. Et non solum precibus, verum etiam maxima dominus per fimbrias vestimenti Genovefae sibi dilectae virgini super aegrotos ac variis detentos languoribus ostendere saepius dignatus est sanitatum remedia. Unde merito in Parisii celsi montis vertice exstitit collocata, ubi honorifice sublimata ac mirifice ordinata non cessat jugiter sanitatum ac gratiarum emittere flumina his, qui in fide deposcunt ejus largitiones. Unde et opus, nos illi tota mentis devotione committere, quoniam ipsa est, quae assidue orat pro populo sibi devoto et pro tota christianitate. Nos igitur suorum mirabilium hanc particulam memorantes ac etiam venerantes cum celeberrimo illo venerabilium religiosorum coetu suo gloriosam Christi sponsam nobilemque virginem glorificemus Genovefam laudibus, postulantes, ut eadem supplicante perfrui gaudiis paradisi mereamur per saecula. Amen.

CAP. CCXVII. (214.)
De dominica in ramis palmarum.

Hodie sancta mater ecclesia duas processiones sollemniter recolit. Prima fuit, quam Judaei a monte oliveti usque in Hierusalem cum ramis palmarum et olivarum et cum magnis canticis ipsis associaverunt, et ista processio fuit magnae reverentiae et honoris et hanc repraesentat ecclesia in hodierno evangelio. Secunda processio fuit, qua Judaei Christum ab Hierusalem in monte calvariae cum magnis opprobriis et irrisionibus deduxerunt, et ista fuit ignominiae magnae et doloris, et hanc repraesentat ecclesia in evangelio passionis hodierno. Circa primam processionem quatuor sunt videnda, primo, a quibus ista processio sit facta, quia non est facta a magnis aut divitibus, sed a pueris et pauperibus, unde dicitur in evangelio hodierno: plurima autem turba straverunt vestimenta in via. Quoniam enim pueri et pauperes Christum processionaliter deducebant, Pharisaei et principes Christi mortem tractabant. Simplices enim et pauperes Christo adhaerebant, unde Christus de omnibus divitibus unum solum, scilicet Zachaeum, habuit amicum, unde Luc. XIX: Christus de omnibus potentibus unum solum, scilicet centurionem habuit; Matth. VIII: de omnibus sapientibus unum solum, scilicet Nicodemum habuit; Johann. III, unde I. Cor. I: videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed qui stulti sunt mundi, elegit dominus, ut confundat sapientes. Secundo videndum est, quare Christus vadens ad mortem tantum honorem recipere voluit, cum alios honores regum respuit, ut dicitur Joh. VI. Hic dicendum, quod Christus hoc ideo fecit, quia ille, qui constitutus est in honoribus magnis, debet habere mortis memoriam, ut non superbiat. Si autem quis habet magnas divitias, cogitet, quod vadit ad mortem et quod de omnibus suis divitiis nihil nisi sudarium secum portabit. Unde dicitur Job. XVII: qui fui magnus, saccum consui super cutem meam et operui cinere carnem meam. Item ejusdem I: nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc. Si quis est in magnis honoribus constitutus, cogitet, quia vadit ad mortem, ubi si erat in gradu supremo, ponetur in loco infimo, quia sub terra, si super alios adscenderit dominando, serpentes et bestiae ascendent conculcando eum. Ideo Eccles. X. dicitur: cum moritur homo, hereditabit serpentes, bestias et vermes. Item, cum aliquis nutrit corpus suum diversis deliciis, diversis coloribus ipsum ornando, voluptates corporis exercendo cogitet, quia vadit ad mortem, ubi vermes corpus suum delicate nutritum comedent et lacerabunt. Job. XXVII: viscera ejus plena sunt adipe et medullis, ossa illius plena irrigantur et tamen in pulvere dormient et vermes operient eos. Hugo de sancto Victore in libro de claustro animae sic ait: cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas, quam post paucos dies vermes comesturi sunt in sepulchro, et animam tuam preciosis operibus non adornas, quae Deo et angelis ejus praeservanda est in judicio? Cur animam tuam vilipendis et ei carnem praeponis ancillam dominari? et dominam ancillari magna abusio est. Tertio videndum est, quare Christus tanto honore sibi impenso voluit lacrymas emittere. Dicitur enim Luc. XIX: Christus cum venisset Hierusalem, cum tanto honore flevit super eam. In hoc ipse voluit ostendere, quod gaudia et honores hujus saeculi lacrymis et doloribus sunt permixta. In coelo omnia sunt pura, in mundo omnia mixta, in inferno sunt foetulenta. Unde Augustinus in libro de trinitate in persona Christi dicit: quid est illud, ero illorum Deus, nisi, ero omnia, quae desiderantur, scilicet vita, salus, victus, copia, gloria, honor et pax. Ista in coelo omnia sunt pura, in mundo mixta, in inferno foetulenta. Videamus per ordinem; vita in coelo est pura, quia ibi est sine timore, prout est, in mundo est mixta, quia ibi est vita cum morte, prout est, in inferno foetulenta et corrupta, quia est ibi mors sine vita. Salus, prout est in coelo,

est pura, quia ibi est salus sine aegritudine, prout est in mundo, est mixta, quia ibi est salus et aegritudo, prout est in inferno, foetulenta et corrupta, quia ibi est sola aegritudo sine sanitate. Victus, id est satietas, prout est in coelo, est pura, atque ibi est satietas sine esurie, prout est in mundo, est mixta, quia est satietas et esuries, prout est in inferno, est foetulenta et corrupta, quia ibi est summa esuries sine satietate. Copiae, id est divitiae, prout sunt in coelo, sunt purae, quia ibi sunt divitiae et paupertates, prout in inferno, sunt foetulentae et corruptae, quia ibi est summa paupertas sine divitiis. Gloria, id est pulchritudo, prout est in coelo, est pulchra, quia ibi est pulchritudo sine deformitate. Honor, prout est in coelo, est purus, quia ibi est honor sine indignitate, sed prout est in mundo, est mixtus, quia ibi est honor cum indignitate, prout est in inferno, est foetulentus et corruptus, quia ibi est dedecus sine honore. Pax, prout est in coelo, est pura, quia est pax sine perturbatione, prout est in mundo, est mixta, quia ibi est pax cum perturbatione, prout est in inferno, est foetulenta et corrupta, quia ibi est continua perturbatio sine pace. Omnia bona, prout sunt in coelo, sunt purissima, quia ibi sunt omnia bona sine malo, sed ut sunt in mundo, sunt mixta, quia ibi sunt multa bona permixta malis, prout vero sunt in inferno, sunt foetulenta et corrupta, quia ibi sunt omnia mala sine commixtione alicujus boni. Ista omnia dicit propheta David: calix in manu domini vini meri plenus mixto, et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen faex ejus non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terrae. Ex his verbis habetur, quod Deus habet tres calices, unus est plenus vino mero; in isto bibunt omnes in coelo. Iste enim calix plenus est vita, sanitate, copia, divitiis, honore etc. Alius calix est plenus ex mixto et de illo bibunt homines in mundo, quia calix iste plenus est sanitate cum aegritudine, satietate cum esurie, divitiis cum paupertate etc. Tertius calix est plenus faece et de isto bibunt damnati in inferno. Et iste est plenus aegritudine, morte, paupertate, deformitate et omnibus aliis. Quarto videndum est, quare Christus noluit sedere super equum, sed super asinam; hoc ideo fecit, quia non sedet in cordibus supernorum, sed humilium et mansuetorum. Chrysostomus: non sedet Christus in curru aureo purpura fulgens nec adscendit super fervidum equum discordiae amatorem, sed super asinam tranquillitatis et pacis amicam. Per equum superbus, per asinam humilis designatur. Nam equus, si tangitur, recalcitrat, asinus vero in mansuetudine moratur. Si superbi reprehenduntur, impatienter audiunt. Quaedam animalia sunt, quae non permittunt se tangi, quia arrogantia sunt sicut leo, vel quia nimis silvestria domesticari non possunt, sicut lupus, vel quia sunt pungitiva sicut ericius. Sic similiter sunt tria genera hominum, qui nolunt reprehendi. Primi sunt superbi, de quibus propheta dicit: tange montes, id est superborum mentes, et fumigabunt per impatientiam etc. Et Eccles. XIII: dives injuste egit et fremebit, pauper autem laesus tacebit. Alii sunt in malis indurati, qui ad instar lupi non possunt domesticari nec ad bonum induci. De quibus Eccles. I: difficile tales corriguntur et nolunt corripi, ideo Eccles. XXXII: pestifer homo vitabit correctionem. Tertii sunt homines astuti, qui, si tanguntur, id est corripiuntur, sicut ericius statim excusationibus multis se abscondunt. Proverb. XXVIII: qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, vivet et non morietur. Circa secundam processionem notanda sunt duo: primo quod in ista processione fuerunt varietates personarum. Quidam enim fuerunt boni, quidam fuerunt facti mali et nunquam recuperaverunt bonitatem, sicut Judas. Quidam boni semper perseveraverunt, sicut beata virgo Maria. Alii vero boni et postea mali, postea tamen suam recuperaverunt bonitatem sicut apostoli, qui Deum in passione perdiderunt, sed in resurrectione recuperaverunt. Malorum duae sunt differentiae, quidam enim fuerunt mali, qui postea facti sunt boni, sicut latro a dextris pendens et Longinus. Alii fuerunt mali, qui semper in malitia perseveraverunt, sicut latro a sinistris et Judaei, qui crucifixerunt. Ab ipsa processione quidam fugerunt corpore et mente, sicut apostoli, qui fugerunt corporaliter et fidem perdiderunt. Item alii fugerunt non corpore, sed corde.

sicut Maria Magdalena et caeterae mulieres, quae juxta crucem corporaliter steterant, sed tamen fidem amiserunt. Alii fugerunt corpore, sed non corde, sicut creditur de Jacobo fratre domini. De quo Hieronymus in libro de viris illustribus, quod in passione votum vovit, non se comesturum, donec videret Christum resurgentem. Alii sunt, qui nec corde nec corpore fugerunt, sicut virgo beata, quae juxta crucem stetit et fidem servavit integraliter. Secundum quod in ista processione ostenditur, est magna in Judaeis voluntatis multiplicitas. In prima enim processione Judaei fecerunt Christo sex magnos honores, in secunda vero sex magna vituperia. In prima cum magna ipsum reverentia super asellum posuerunt et in via vestimenta straverunt. In secunda cum magna ignominia ipsum in patibulo suspenderunt et ipsum suis vestibus spoliaverunt, in prima ramos palmarum et olivarum sibi portaverunt, in secunda spinas acutissimas capiti sibi affixerunt. In prima regem eum appellaverunt, in secunda ipsum negaverunt, in prima appellaverunt eum salvatorem dicentes osanna, id est: salva, obsecro. In secunda negaverunt ipsum salvatorem dicentes: salvos alios fecit, se ipsum salvum facere non potest. In prima dixerunt eum benedictum in nomine domini, in secunda maledicum et malefactorem esse et crucis patibulo eum figendum dicentes: tolle, tolle, crucifige etc.

CAP. CCXVIII. (215.)
De coena domini.

Coena facta, cum dyabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas Scarioth, surrexit a coena et posuit vestimenta sua. Joh. XIII: videmus enim, quod, quando amici separantur ab invicem, solent primo invicem epulari. Sic sciens Christus, quod cito ab apostolis suis separari deberet, prius cum ipsis coenare voluit. Unde Luc. XXII: desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam pater etc. In hac ergo coena Christus assumsit personam amici, personam servi, personam episcopi. Personam siquidem amici accepit in hoc, quod tam familiariter comedit. In hac coena comedit agnum paschalem, et qualiter comedi debeat, habetur Exod. XII: non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua, sed tantum assum igni. Hic aliqua prohibentur, scilicet ut non comedatur crudus nec aqua coctus, et quod sit igne assatus. Caro enim cruda non est igne cocta, caro vero elixa, licet sit cocta, non est tamen adeo sapida. Illi ergo comedunt crudum, qui habent cor crudum, id est non coctum igne amoris, illi comedunt elixum, qui non habent in corde saporem devotionis, illi comedunt assatum igne, qui habent cor coctum igne amoris et sapidum. Secundo debet comedi ejus caput cum pedibus et intestinis; caput istius agni est ejus divinitas. Unde I. Cor. XI: caput ejus Deus est, pes ejus humanitas, quae est infirma in natura, intestina sunt ejus anima. Omnia ista debemus comedere. Fuerunt quidam haeretici, qui dixerunt, Christum non esse verum Deum, isti caput non comedebant. Alii dixerunt eum non esse verum hominem nec habere veram carnem, sed phantasticam; isti pedes non comedebant. Alii dicebant, eum non habuisse animam rationalem, sed loco animae solum divinitatem, isti intestina non comedebant. Nos ergo fideles caput et pedes cum intestinis comedamus, ut de ejus divinitate, anima et carne fideliter sentiamus. Tertio debet comedi cum lactucis agrestibus, id est cum amaritudine dolendo de peccatis omnibus. Notandum, quod quidam sunt, qui comedunt istas lactucas integras, quidam contritas, quidam succum ipsarum. Sunt enim quidam, qui habent de peccatis suis superficialem dolorem, quae attritio potest dici, isti sumunt istas lactucas integras. Talis attritio non

justificat peccatorem plene. Jerem. V: percussisti eos et non doluerunt, at-visti eos et renuebant accipere disciplinam. Alii sunt majoris perfectionis, qui scilicet non solum peccata conterunt, sed etiam lacrymas emittunt; isti sumunt agnum cum succo lactucarum, id est cum abundantia lacrymarum. Gregor. in Moral.: carnes cum lactucis agrestibus sunt edenda, ut, cum corpus redemtoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus. Quare ipsa amaritudo poenitentiae abstergit a mentis stomacho perversae humorem vitiorum. Quarta debet comedi cum panibus azimis, id est cum panibus non fermentatis. Panes comedit cum fermento secundum Gregorium, qui bona sua cum corruptione vanae gloriae facit, quibus dominus dicit: sacrificate de fermento laudem. In fermento namque immolat, qui Deo de rapina parat, sed ille sine fermento custodit, qui se a mala societate custodit, I. Corinth. V: modicum fermentum totam massam corrumpit. Secundo Christus assumsit personam servi in eo, quod pedes suorum discipulorum lavit. Lavit autem pedes corporales et spirituales. Primo lavit corporales in exemplum et documentum; in exemplum quidem humanitatis, ut ipse dicit: exemplum dedi vobis, ut vos ita faciatis. Istam tamen humilitatem Petrus abhorruit dicens: non lavabis mihi pedes in aeternum. Cui respondit Christus: si non lavero te, non habebis partem mecum. Tunc Petrus timore ac amore percussus obtulit lavandos pedes, caput et manus, sed Christus corripuit eum asserens, quod non indigebat lotione capitis nec manuum, sed tantum pedum. Per caput intelligitur *intentio*, per manus operatio, per pedes affectio. Duo prima, scilicet *intentio et operatio*, in Petro munda erant et ideo lotione capitis et manuum non indigebat. Habebat autem intentionem in omnibus bonam, operationem mundam. Secundo lavit pedes in documentum ad ostendendum, quod praelati debent lavare subditos. Tunc autem non bene lavatur, aut quia manus est iniqua, aut quia aqua est immunda et turbida, Eccles. XXXII: ab immundo quis mundabitur? Gregorius: prius oportet te mundari, si alium vis mundare, sapientem prius fieri et sic alios facere sapientes, lumen fieri et sic alios illuminare, accedere ad Deum et sic alios adducere, sanctificari et sic alios sanctificare. Item: manus habere rectas et sic esse recti consilii, ut, puta, rectum dare consilium. Secundo quando est aqua immunda; aqua immunda est amor mundi, Jerem. II: quid tibi in via Aegypti, ut bibas aquam turbidam? Talis enim aqua non lavat, sed coinquinat. Augustinus: quisquis es in mundo, ad te venit, qui fecit mundum, ut eripiat te de mundo, quia, si aliqua delectatio te delectet in mundo, semper vis esse immundus, si tamen aliqua necessitas te retinet, mundus, scilicet Deus, habitat in te, qui mundat mundos, et eris mundus. Tertio quoniam ipsa macula pedum ex nimia frequentatione efficitur nimis tenax et inveterata, Eccles. XXXIV: qui baptizatur a mortuo, id est, qui lavatur a *mortali peccato* et iterum tangit mortuum, quid profuit lavatio ejus? Unde *II. Petri*: facta sunt posteriora deteriora prioribus. Convenit illis illud: canis reversus ad vomitum suum et sus lotat iterum in volutationem luti. Tertio lavit pedes spiritualiter aqua sui sanguinis, de quo dicitur Apocal. II: laverunt stolas suas in sanguine agni et dealbaverunt eas. Ex quo magis sanguis Christi dealbare dicitur, videtur, quod habet virtutem lactis et sanguinis. Lac enim est sanguis in uberibus excoctus. Sanguis autem Christi fuit excoctus in corpore suo et in corde nostro. In corpore suo fuit excoctus igne amoris sui, qui tam vehementer in corpore suo ebullit, quia aperto latere cum impetu emanavit. In corde autem nostro sunt duo ubera, scilicet intellectus et affectus. Dicitur autem excoqui in ubere intellectus per meditationem et in ubere affectus per devotionem, et sic sanguis Christi in suo corpore et in nostro corpore per meditationem et affectionem vertitur in albedinem et animas nostras dealbat et mundat. Apocalyps. I: lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Tertio accepit Christus personam episcopi, quando scilicet panem et vinum in corpus suum transmutavit et apostolis potestatem conficiendi dedit. Et ista est major potestas, quam unquam homini data fuit. Est enim potestas Dei magna, facere aliquid de aliquo, sicut, quando fecit coelum et terram. Est et tertia maxima sicut de creatura creatorem. Istam

potestatem non dedit angelis, sed solis sacerdotibus, quia divina virtute corpus et sanguinem in speciem panis et vini convertunt. Unde Eusebius: invisibilis sacerdos, id est Christus, per ministros suos visibiles creaturas in corpus et sanguinem suum sacrata potestate convertit verbo suo, scilicet illo: hoc est enim corpus etc. Unde non debet aliquis attendere ad visum suum, quia visus putaret se videre colorem panis, nec ad gustum, quia putaret, se sentire gustum panis, nec ad olfactum, quia putaret, se sentire odorem panis et vini, sed attribuere debet ad auditum, quia, cum audit consecrationis verba, ita est omnino, sicut audit, hoc est enim cor etc. Quod significatum est Genes. XXVII in Isaac, qui, cum benedixisset Jacob, fuit deceptus ejus visus, quia oculi sui caligaverant, et ipsum non agnovit; fuit deceptus olfactus, quia credidit, se sentire odorem vestimentorum Esau; fuit etiam deceptus gustus, quia credidit, se comedere de venatione Esau, et comedit de venatione Jacob; fuit et deceptus in tactu, quia putabat, se tangere manus Esau et tangebat manus Jacob. Sed auditus, qui vocem Jacob audivit, non fuit deceptus, imo dixit: vox quidem Jacob est. Sic etiam in isto sacramento omnes alii sensus decipiuntur praeter auditum et ideo omnes fideles, qui audiunt verba consecrationis, firmiter, veraciter credere debent, quod corpus Christi est sanguis ejus.

CAP. CCXIX. (189.)

De sancto Bernardino confessore.

Bernardinus confessor natione Tuscus ex nobili familia Albizescorum procreatus patre Tolosanensi, matre Neramassana Bindi filia post tertium ejus nativitatis annum defuncta, infra sextum patre, materterae Dianae educandus remansit, qui anno XI. a patruis Senas advocatus est; ubi liberalibus artibus imbutus canonico juri vacavit, devotas nunquam praetermittens orationes. Quibus corroboratus Senis fraternitati sanctae Mariae de Scala sanctimonia celeberrimae adscribi se procuravit, ubi cilicio indutus super tabulas aut paleas dormiens circa languentes erat officiosissimus. Interea anno domini saeviente Senis epidemia mortuis fere omnibus ministris hospitalis dicti sanctae Mariae, cum nullo pretio conduci possent, Bernardinus tyro christianorum XX languentium se obtulit in ministrum. Qui cum se ad tantum onus imbecillem fore perpenderet, quosdam ejusdem fraternitatis consocios ad pium opus sibi adsciscere talibus procuravit: evangelio admonemur, regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud; inferamus ergo violentiam nobismet ipsis nec pro Christo mori pertimescamus. Quid tam magnum atque pulcherrimum, quam peracto tempore ad martirii coronam pervenire? Si morimur pro Christo, certe morimur, qua morte merces augetur et omne crimen excluditur, omnis consummatio et status vitae martirio decoratur; hoc fundamentum vitae et fidei, hoc praesidium salutis, hoc vinculum libertatis et honoris. Mors quippe integriorem facit vitam, mors magis ducit ad gloriam. Quid enim nobis cum hac luce, quibus lux aeterna promittitur? Quid cum hujus vitae naturaeque commercio, quos coeli altitudo deposcit? Intra omnium gloriam pulchrior est pro Christo mori titulus et integrior corona signatur. Porro nobis contemnenda mors est, quibus Christus occisus est ante oculos. Nobis, quaero, concurrant dominicae passionis exempla, concurrant oblata et praemia, quoniam misericordiam praestantes misericordiam consequentur. His inflammati juvenes cuncti unanimes confessione rite expurgati et communione ad funestam illam domum non sine parentum et amicorum lacrymis se contulerant, die nocteque sedulo infirmis ministrantes, quandoque mortuorum corpora sepelientes. Demum sedata pestilentia pluribus de consociis

defunctis reliqui ad paternas domos remearunt, quod fecit et Bernardinus, qui statim febre concussus et non multo post saluti restitutus ampla facultate pauperibus erogata die nativitatis Mariae virginis, cujus gratia a pueritia, quoad vixit, sabbato jejunavit, beati Francisci factus est imitator, nihil praeter habitum, femoralia et funiculum possidens et primo in locum columbarii in Senensi territorio contemplationi aptissimum destinatur, ubi vigiliis, jejuniis, disciplinis ultra regulae praecepta et cilicio corpus macerabat. Illuc per multa milliaria nudis pedibus panis ac vini collectam elemosinam humeris afferebat praelatis obediens. Hic inter caetera passione Christi amarissime scindebatur, qui sacerdos ordinatus quotidie amore in Deum inflammatus celebrabat, sed alios aspiciens et animarum salutem sitiens gravi juncta cruce ex columbario Senensium ut ebrius spiritu praedicaturus accessit, cujus integritate prius cognita a praelatis ordinis praedicandi officium conceditur. Sed cum linguam haberet aliquantulum praepeditam, facta ad dominum oratione igneus e coelo globus dimittitur, qui sic ejus linguae raucitatem decoxit, quod exinde illud sanctissimum nomen Jesus Italiae urbes, castella, villas quasque pedestris expeditus non sine maximo fructu praedicaret. Tunc enim terras et maria praedones obsidebant, tunc tanta Guelphorum ac Ghibellinorum rabies invaluerat, ut mutuo fraternoque cruore ruberet Italia. Publica ludorum gymnasia frequentabantur, usurarum voragines inhiabant, vigebat magia, religio parum colebatur et festi dies a ferialibus nisi spectaculorum gratia dignoscebantur. Sed quo magis indigebat Italia, eo plus in Bernardino supernae gratiae favor et virtus fecundavit. Quis enarrare posset, quantum boni per Bernardinum consecuta est Italia? per hunc sedatae caedes, erecta hospitalia, exstirpatae foeneratorum rapinae, adulterini feminarum ornatus cremati, festi dies culti et plures utriusque sexus non sine miraculorum splendore ad Dei servitium conversi. O virum Italiae frugi! In his itaque operibus Bernardinus perseverans apud Aquilam Aprucii urbem anno salutis MCCCCXLIIII, aetatis vero suae LXIIII vitae terminum complevit. Cujus corpus Aquitani cives pluribus diebus inhumatum tenuerunt odore simul et miraculis fragrans et ibidem in monasterio sancti Francisci postmodum honorifice sepelierunt. Et hunc Nicolaus pontifex quintus anno domini MCCCCL sanctorum catalogo conservavit. Sollemnis ejus dies XIII cal. Jun. colitur. Translatum est autem corpus ejus in templum novum ei dedicatum anno MCCCCLXXII cal. Jun. Sixto pontifice maximo, ejus pontificatus anno I.

CAP. CCXX. (190.)

De sancto Bonaventura episcopo et confessore.

Bonaventura episcopus Albanensis et cardinalis de Balneo Regio oriundus ex voto matris pro ipsius infirmitate adhuc puerili beati Francisci habitum suscepit, qui sub Alexandro de Hales theologiae et morum sic evasit integerrimus, ut saepius de eo diceret Alexander: verus Israelita est iste, in quo Adam non peccasse videtur. Hic annorum XXXV inter tot venerabiles religionis patres propter suam perfectionem factus minister regulam beati Francisci periclitantem Narbone in generali capitulo reformavit et magistri Geraldi apologeticum libellum contra minores subtiliter confutavit. Hic in beati Antonii translatione Patavium XXXII. anno obitus ejus linguam recentem ac rubicundam in manibus tenens inter lacrymas ait: o lingua, quae Deum semper benedixisti et alios benedicere docuisti, nunc perspicue cernitur, quanti meriti fueris apud Deum

et sic osculans deposuit. Laborante vero difficultatibus romana sede a Gregorio XI. et sacro senatu cardinalis et episcopus Albanensis quamvis renuens proclamatur et statim ad concilium Lugdunense cum Rothomagense et Tripolitano episcopo de rebus arduis pertractandis destinatur, in quo adeo prudenter Graecorum haereses composuit, quod omnes praesente tunc Palaeologo eorum imperatore libere se deinceps Romanae sedi parere velle profiterentur. Hic libros edidit intitulatos de septem visionibus, sententiae sententiarum, super evangeliis, praesertim Lucae, officium de cruce, officium beati Francisci et de ejus vita, de sex alis Seraphim, itinerarium mentis in Deum, alterum in se ipsum, defensorium religionis mendicantium, arbor crucis, breviloquia, sermones dominicales super evangeliis et epistolis per anni circulum, compendium veritatis sacrae scripturae, de institutione novitiorum, de stimulo amoris, pharetra. Multa in officio reformavit et addidit et alia plura opuscula usque ad tricenarium numerum, quae in partibus Galliarum frequenter in manibus habentur. Et sic in pari sanctitate et opum fructu proficiens ex humanis sublatus est anno domini MCCLXXIV. tertio idus Jul. et aetatis suae LIII., Lugduni in ecclesia beati Francisci sepultus, miraculis radians. Cujus cor reliquo corpore incinerato incorruptum inventum est et a Sixto pontifice IV. anno salutis MCCCCLXXXII sanctorum pontificum numero adscriptus est. Ejus festum dominica secunda Julii celebratur.

CAP. CCXXI. (191.)

De sancto Rocho confessore.

Rochus confessor genere Narbonensis apud montem Pessulanum ex patre Joanne, matre libera progenitus annorum XII corpus suum coepit abstinentia castigare, qui mortuis parentibus amplissima hereditate pauperibus distributa a principatu se abdicans, oppidis paternis patruo commendatis, brevi veste indutus cum pileo, pera et baculo in Italiam peregrinus devenit, et quum Romam, Aquam pendentem, Cesenam aliaque plurima loca truci pestilentia vexata signo crucis liberasset, Placentiam eadem lue infectam ad quoddam aegrotantium hospitale devertit. Quibus omnibus similiter sanatis statim sinistra coxa sagitta transfigitur, sed post acerbam passionem salutem consecutus in Galliam armis tunc vexatam remeavit et in paterno captus oppido ut explorator carceri detruditur, in quo exacto quinquennio in maxima patientia et vitae austeritate dominum orans, ut invocantes nomen suum a saevissima pestilentia protegerentur, in pace obdormivit anno domini MCCCXXVII, aetatis suae XXXII, XVI cal. Septembr., ad cujus latus reperta est tabella his litteris inscripta: peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes contagionem illam truculentissimam evasuros significo. Quo a patruo cognito inter multas lacrymas peractis longo tractu exsequiis sanctum corpus tradidit sepulturae, eidem templum magni sumtus erigens. Hujus vero nomen redeuntes a concilio Constantiae ab eo recenter a furenti pestilentia liberati anno salutis MCCCCXV detulerunt in Italiam, in qua ob ejus innumerabilia miracula basilicae et sacella ubique in dies eriguntur et anno ejusdem MCCCCLXXXV corpus ejus furtim Venetias delatum a senatu devotissime susceptum est et ejus nomini templum celeberrimum fabricatum. Festum ipsius XVII cal. Septembr. veneratur.

CAP. CCXXII. (192.)

De sancta Anna matre virginis Mariae.

Postulastis, filiae Hierusalem, inquit beatus Hieronymus, postulastis sorores dilectissimae, ut, si quid alicubi forte in graecis voluminibus de sancta ac beatissima Anna matre Theotoon, id est Dei genitricis, inveniam, ad ejus laudem et gloriam latino sermone depromam; sed me non arguat sanctitas vestra, si statim petitioni vestrae non obtemperavi et graecum depostulatum, quod Dei providentia in manus nostras incidit, in latinum sermonem non transtuli. Fateor enim pro rei magnitudine ad tanti negotii translationem me indignum fore, sed e coelo petamus auxilium, et cum Moyse elevate manus, ut petitionis vestrae labore superato vestrarum orationum sit fructus. Nam de qua agimus, res est praeclara et omni laude dignissima. Est nempe sancta Anna illa arbor bona, de qua virga excisa per se divinitus floruit. Haec est sterilitas fécunda et simplicitas sancta. Haec est radix omni laude colenda, de qua egressa est virga de radice Jesse. Haec est inter mulieres benedicta et inter matres beata: ex ea namque templum domini, sacrarium spiritus sancti, mater Dei mundo illuxit et merito Anna dicitur, id est gratia Dei, quae Mariam, quae gratia plena fuit, genuit. Ob eam rem hodie, fratres carissimi, beatae Annae matris sanctae Dei genitricis ac perpetuae virginis Mariae festivam celebremus memoriam, in qua carnis reliquit ergastulum et subvecta est venerabiliter ad coelos sanctorum obsequio angelorum. Ad aeternum siquidem patriarcharum ac prophetarum gloriosa et felix pervenit contubernium, ex quorum carne carnis contraxit originem, ut pro ventris sui fructu populo suo Deus mitteret redemtionem. Gaudeat ergo sacrosancta mater ecclesia hujus sanctae matronae munita suffragiis et in ejus laudibus cum omni devotione exsultet. Haec est enim illa supernae benedictionis terra, de qua coelestis figulus ollam spei nostrae composuit beatissimam virginem Mariam, quae ex divini roris imbre conceptum Dei verbum humano generi praetulit incarnatum. Gaude igitur et laetare, felix mater, et caeteris matribus felicior, quae meruisti tantae prolis gaudere privilegio, per quam captivus redemtionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus laetitiam, denique tota trinitas gloriam atque filii persona carnis substantiam ex sua misericordia infinita accepit. Omnes ergo hodie gratulemur in domino matrique genitricis Dei famulantes, ut ejus protegamur auxilio. Exsultate in tanta matrona vos virgines corde laetabundo, exsultate et vos viduae et omnes uxoratae in tanta domina pro affectu gaudeant et omnes viri, in sanctae Annae festo exsultet etiam orbis totus, quia ex ea prodiit virgo, in qua verbum caro factum est. Idcirco omnes sanctam Annam orate majores et parvuli mente devota in omnibus nostris necessitatibus et periculis, ut apud filiam impetret nobis veniam. Legitur enim, quod mater Dei virgo intemerata cuidam viro sancto suo famulo, qui ei sedulus et devotus serviebat, apparuit dicens: et ecce tu et innumerabiles homines et fere omnes christiani me propter filium meum honorant, sed pauci sunt, qui matrem meam sanctam Annam propter me honorent. Quare si bene mihi servire cupis et summe placere desideras, amodo volo, ut etiam matrem meam dulcissimam aliqua spirituali devotione honores ejusque festum devote per amplius celebres; quod, quamdiu vixit, fecit et devote adimplevit. O domina et sancta Anna, quibus in coelis exsultas gaudiis ibidem permanens sine fine! Prae cunctis enim sanctis tu sola in coelis dicere poteris: haec est mundi domina, coelorum regina, Dei electa mater ac tamen uteri mei filia. Fas est ad apostolos loqui et dicere ipsa potest: isti sunt senatores orbis, principes apostolorum, judices saeculi, sed mearum filiarum sunt filii. Unde ad ejus devotionem dicere libet. pia mater et humilis, de qua Maria prodiit, tuis adesto famulis, quos culpa

gravis deprimit, quae felix et emerita manes cum summo judice, succurre, mater inclyta, ut vivamus pacifice, ut, quidquid hic delinquimus vitae per immunditiam, abstergas illuc penitus per divinam clementiam, quod praestare dignetur pater et filius ac spiritus sanctus. Amen.

CAP. CCXXIII. (194.)

De sacratissimo corpore Christi domini nostri.

Urbanus pontifex summus hujus nominis quartus celeberrimi hujus sacramenti affectus pie statuit et festum sacratissimi corporis Christi ordinavit prima quinta feria post octavas pentecostes a cunctis fidelibus celebrari, ut, qui per totum anni circulum hoc sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo specialiter tempore recolamus, quo spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscendum sacra mysteria hujus sacramenti, et ut praedicta sollemnitas devotius a Christi fidelibus celebrior habeatur, loco distributionum materialium, quae in ecclesiis cathedralibus largiuntur existentibus in canonicis horis nocturnis pariter quam diurnis. Praefatus Romanus episcopus iis, qui hujusmodi horis in hac sollemnitate personaliter in ecclesiis exstiterint, stipendia spiritualia apostolica largitione concessit, quatenus fideles ad tanti festi celebritatem avidius et copiosius advenirent. Omnibus igitur vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio diei aderunt, centum dies, qui vero missae, totidem, illis autem, qui interfuerint in primis hujus festi vesperis, similiter centum, qui vero in secundis, totidem, iis quoque, qui primae, tertiae, sextae, nonae ac completorii aderunt officiis, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis vero, qui per ipsius festi octavas in matutinalibus vesperis missae ac horarum praedictarum officiis praesentes exstiterint, singulis diebus octavarum ipsarum centum dies de injunctis poenitentiis relaxando indulgentiam tribuit perpetuis temporibus duraturam. Hoc profundissimus doctor sanctus Thomas de Aquino, qui ad hujus sollemnitatis devotionem et honorem totum officium composuit, ad gaudium et laetitiam spiritualem cunctos sanguine redemtos hortatur dicens: sacris sollemniis juncta sint gaudia et ex praecordiis sonent praeconia, recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces et opera. Noctis recolitur coena novissima, qua Christus creditur agnum et azima dedisse fratribus juxta legitima priscis indulta patribus; post agnum typicum expletis epulis corpus dominicum datum discipulis sic totum omnibus, quod totum singulis ejus fatemur manibus. Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit et tristibus sanguinis poculum dicens: accipite, quod trado vasculum, omnes ex eo bibite. Panis angelicus fit panis hominum, dat panis coelicus figuris terminum: o rex mirabilis, manducat dominum pauper servus et humilis. O igitur sacrum convivium, in quo Christus dominus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur. Ob eam rem doctor gentium beatus Paulus et vas electionis nos admonet, ut digne ad illud dignissimum convivium cum honore, reverentia et devotione accedamus, quoniam dixit I. Cor. XI: probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Devotus siquidem tria debet probare: primo se ipsum, quantae sit puritatis, quoniam debet esse purus, justus et sanctus, ut dicit dominus Deus, Levitic. XIX: sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Nempe debet esse mundus et purus a carnali delectatione, a terrenorum affectione et a vana cogitatione,

etiam a negligentia et torpore. Secundo debet probare corpus dominicum, quantae sit majestatis: non enim recipit panem materialem, sed coelestem, illum videlicet, qui dixit: ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Panis enim iste habet magnam et fructuosam perfectionem, quoniam panis vivus habet longam et virtuosam durationem, quia ego sum. Etenim vero tria in re qualibet considerantur: esse, operatio et finis. Tertio probet recipiendi modum, quantae sit sanctitatis, quoniam illud salvificum sacramentum est recipiendum cum conscientiae puritate, cum vera fide, cum multo desiderio et magna devotione. Si enim beatus Johannes baptista sanctificatus in utero, ut dicitur in sancto evangelio, timebat, quoniam debebat eum baptizare et non audebat sanctum Dei caput tangere, quanto magis homo debet timere, qui non est sanctificatus in utero, sed est totus conceptus in peccatis, natus et nutritus, qui non solum tangere eum debet, sed intra se recipere. Debet equidem cum magna humilitate, fide et devotione dicere illud, quod centurio dicebat domino, Matth. VIII: domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tamen dic verbum et sanabitur puer meus, item anima mea. Sancti autem doctores quaerunt, utrum institutio hujus dignissimi sacramenti fuerit necessaria. Respondet doctor beatus Thomas in IV. di. VIII. et art. III. et dominus Petrus de Tarentasia pontifex Innocentius quintus ejusdem ordinis praedicatorum, quod fuit talis institutio hujus sacramenti necessaria propter tres causas. Primo, ut memoriam semper habeamus de passione, unde Paulus ait: hoc facite in meam commemorationem. Ideo beatus Thomas dicit: immensa divinae largitatis beneficia exhibita populo christiano inaestimabilem ei conferunt dignitatem, neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quae habeat Deos appropinquantes sibi. Adest nobis Deus noster unigenitus, siquidem Dei filius suae divinitatis volens nos esse participes, nostram naturam assumsit, ut homines Deos faceret, factus homo et hoc insuper, quod de nostro assumsit, totum nobis contulit ad salutem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo patri et sanguinem suum fudit in pretium simul et lavacrum, ut redemti a miserabili servitute a peccatis omnibus mundaremur. Secunda causa, ut, sicut homo primus incurrerat mortem ratione cibi vetiti sumti contra voluntatem Dei, Genes. II, nunc autem vitam aeternam possideat ratione hujus cibi, id est corporis Christi, quoniam teste evangelista Johanne c. VI: si quis manducaverit ex hoc pane, vita vivet et in aeternum. Tertia, ut, sicut quotidie peccamus saltem venialiter, ita quotidie eum recipere aut adorare debemus, quoniam eum adorando devote peccata venialia remittantur. Ideo Ambrosius de poenitentia dist. II: quotiescunque, qui semper pecco, semper medicinam recipere debeo. Ad hanc sacratissimam hostiam consecratam, sub qua continetur verum corpus et sanguis Jesu Christi domini nostri, devotionem non modicam Ludovicus XII. Francorum rex habebat, qui a medicis per plures dies derelictus dominum Jesum invocavit et ab incurabili aegritudine convaluit ordinavitque, ut in regno Franciae ob reverentiam sacrae hostiae in elevatione corporis Christi in missa devota oratio cantaretur videlicet: o salutaris hostia, quae coeli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium. Amen.

CAP. CCXXIV. (195.)

De nostra domina de pietate.

In laudibus virginis benedictae aliquid loquimur dilectissimi, licet de ea, quidquid dixerimus, minoris sit laudis, quam dignitas ejus mereatur. Nam perfectissima Dei matris opera in operum sanctorum omnium compassione excellentis

sanctitatis praerogativam habent, de qua loquitur divus Hieronymus dicens: si directe attendas, nihil est virtutis, nihil gratiae, nihil splendoris, quod totum non refulgeat in virgine gloriosa. Porro Gregorio teste tanto quis perfectior est, quanto pietas alienas perfectius sentit dolores. Non igitur ipsius, quae est piarum piissima, silenda est virtus pietatis, in qua non videtur sanctorum aliquem habere superiorem nec parem. Quis enim ampliori agnitione internae compassionis lamentationes super mortem salvatoris scivit edicere prudentius matre ejus doctissima? aut quis intensiori dolore plangendo lugere potuit Maria moestissima? Jure enim plusquam martir est, quae nimio amore vulnerata testis exstitit salvatoris et prae moerore in animo cruciatum sustinuit passionis. Augustinus: Christus Jesus carnem et Maria virgo immolat mentem. Ad tempus igitur prout colenda sollemnitas his diebus expostulat instituta Dei genitricis Mariae immensa pietas, qua in spiritu fuit passa, consideranda, admiranda, laudandaque ac imitanda est. Ipsa equidem virgo Maria, ut Johannes testatur cap. XIX, stabat juxta crucem mater Jesu, non insensibilitate vel immutabilitate, sed sanctitate; stabat enim fide elevata, stabat peccato non inclinata, stabat Dei voluntate conformata. Prima equidem rectitudo mentis est vera fides fundamentum virtutum. Tempore etenim passionis omnes discipuli Christi Jesu domini nostri, qui prius stabant fide elevati ad Christum credendum non solum verum hominem, simul et verum Deum. Unde Petrus pro omnibus dixerat Matth. XVI: tu es Christus filius Dei vivi. Omnes prostrati sunt in infidelitatem, sola enim beatissima Maria stabat fide elevata, de ejus divinitate exspectans indubie suam tertia die resurrectionem. In hujus signum triduano officio dominicae passionis cum quindecim candelae accensae firmentur ante altare, paulatim omnes exstinguuntur, sola una accensa absconditur, quae post officium omnibus praefertur ad illuminandum. Illae quindecim candelae accensae significant XII apostolos et tres Marias, Magdalena, Salome et Alphei, quae prae caeteris videbantur fide illustratae et firmatae. Sed in illo triduo omnes exstincti sunt lumine fidei deitatis Christi Jesu, solum in virgine benedicta remansit lumen fidei occultum, quod postmodum omnibus patefactum est ad omnes suo exemplo illuminandum. Stabat secundo a peccato non inclinata, non jacebat, non sedebat, non denique curva erat, sed stabat. Jacet quis in peccato per pravam operationem, sedet per mentis consensionem, inclinatur per sensualem dilectionem, omnes cecidimus quasi folium, scilicet a perfectione virtutum saltem quo ad complacentiam sensualem, ubi consistit veniale, quoniam, si dixerimus, quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Etiam tertio stabat firma voluntate Dei confirmans se. Ideo stabat, non murmurabat, quod filius innocentissimus pateretur: non blasphemabat Judaeos, quod ab iis, quibus tot beneficia fecerat, tam crudeliter tractaretur, non vindictam a Deo petebat, quod illi a terra vivi absorberentur, ut merebantur. Non capillos vel vultum scindebat, quia vidua et sine filio consolatore remanebat, sed stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immersa. Ideo Anselmus ait: o domina, quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari et carnem de carne tua ab impiis crudeliter dissecari et tamen ita divinae voluntati conformis fuisti, ut salutis humani generis avidissima esses, ut conformis et fixa in Dei voluntate esses. Quamvis tunc impleta esset illa prophetia Symeonis dicentis, Luc. II: tuam ipsius animam pertransibit gladius. O domina, dicebat justus ille Symeon, vos fuistis sine dolore in partu, sed veniet tempus, quando eriti juxta crucem filii vestri et eum videbitis morientem, gladius tunc penetrabit cor vestrum. Ipsa enim virgo Maria habuit singularem communicationem omnium dolorum passionis filii sui propter fidem, propter cognitionem et propter satisfactionem. Juxta crucem equidem erat moestissima mater et quo non poterat, tentabat exigere manus, cupiebat amplecti filium in alto pendentem. Sed quodammodo frustra tensae manus complexae redibant. Postquam vero suscepit corpus Christi Jesu a cruce depositum, quae lacrymabili voce dicebat: quid fecisti, o Jesu fili mi carissime, quare Judaei te crucifixerunt? quae causa

mortis tuae, o fili? quam dura et amara est tibi humani generis redemtio, per qua tum Deo patri et tibi cum spiritu sancto gratias ago. Unde ecclesia devotissime nos invitando ad hujus diei compassionem cantat dicens: mentes perfidelium dolores et suspirium matris Christi revolvere cum gratiarum munere. Casta parentis viscera poena torquentur aspera, dum illum, quem genuerat, virgis perversi verberant, Jesum ligant, crudeliter caedunt, cruentant acriter et ejus matris maximae sic augentur tristitiae. Quae virgo Dei filium genuerat puerpera stat gemens ad supplicium cernendo crucem misera. Tantum sic compatitur, quod fere secum moritur: nullus dolor amarior, nam nulla prole carior. Cuncti ergo Mariae servuli cultores verae fidei Jesum occisum colite et cum Maria plangite et devotionem de caetero accipite, sicut quidam doctor in utroque jure de parlamento Parisiensi. Qui audiens praedicationem cujusdam fratris ordinis praedicatorum concionantem de pietate virginis gloriosae, cum infirmus esset usque ad mortem, et loquelam per plures dies perdidisset, vocatus praedicator a sua uxore, ut eum visitaret, et facta visitatione frater illico ad conventum misit, ut fratres dicerent orationem ante dominam nostram de pietate. Qua dicta aperiens oculos infirmus loqui coepit meritisque virginis confessus est, quamvis infra spatium X annorum non fuisset vere confessus, et post per aliquos dies supervixit. Hi sunt dolores, quos virgo habuit; disce salvator, nostros meminisse dolores virginis septenos, ut tibi quaque die prosint dolores. Virginis praedixit Symeon animam mucrone feriri et matrem nati vulnera ferre sui. Secundus: huic cum caesa fuit puerorum turba piorum, pertuli in Aegyptum non bene tuta meum. Tertius: et dolui quaerens puerum divina docente in templo. Quartus: hunc captum hujus ferre pondera crucis cum vidi. Sextus: et ligno fixum eum morte sopitum deponi. Septimus inquit petra linquere pulsa frui; nos igitur nostros quisquis meditatur dolores, percipiet natum ferre salutis opem. Quod ipse praestare dignetur. Amen.

CAP. CCXXV. (196.)

De sancto Joseph sponso virginis Mariae.

Nobilissima res est nobis miseris mortalibus in hoc mundo habere singularem devotionem non solum Deo aeterno, sed etiam suis gloriosis sanctis. Et hoc propter nostram inopiam, quia nil ex nobis meremur coram Deo, imo pleni peccatis demeremur supplicia. Propter quod ad sanctos opus est nos refugere, quatenus eorum meritis Deus placetur, et quod petimus, efficaciter consequamur. Huic Job. V: ad aliquem sanctorum convertere. Tum etiam propter Dei nostri reverentiam, quoniam Deus, qui in iis habitat, honoratur. Qui nempe sanctis honorem tribuit, illum specialiter honorat, qui eos inhabitando per gratiam sanctificavit. Tum etiam tertio propter eorum virtuositatem et gloriam, propter quam digni sunt honore. Nam teste philosopho in IV. ethic.: honor est praemium virtutis et virtuti perfectae non fit condignus honor. Debent ergo sancti honorari tamquam virtuosissimi et gloriosissimi nostri patroni spirituales, quoniam, ut habetur XI qu. VII cap. qualis, qui patronum sive patrem spiritualem non honorat, plus videtur peccare, quam qui patrem carnalem contemnit, et quoniam sanctus Joseph est unus de gloriosioribus sanctis paradisi, cui dominus tantam gratiam contulit, ut suam dilectissimam matrem ei in custodiam et sponsam daret. Ideo ad ipsum merito devotione utinam magna moveamur. Habet enim ipse sanctus Joseph plurima privilegia. Primum dicitur nobilissimus

generationis. Erat enim teste evangelio de domo et familia David, Matth. I: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem, ex qua domo David Christus Jesus descensurus erat. Si autem quis modum genealogiae scire vellet, secundum Johannem Damascenum notandum foret, quod per catenam Nathan prophetae filii David descendit Melchi, a quo Melchi quarto gradu descendit et distat in recta linea ipse Joseph, ut patet Luc. III, et Melchi est ipsi Joseph avus avi, Melchi vero habuit fratrem nomine Panthera, qui genuit Barpanthera, et hic genuit Joachim, qui genuit gloriosam virginem Mariam. Per catenam autem ipsius Salomonis filii David naturalis descendit Mathan, qui fuit avus sancti Joseph. Ipse autem Mathan habuit uxorem, ex qua genuit Jacob patrem Joseph. Ex his omnibus aperte monstratur nobilitas tam beatae virginis quam ejus sponsi Joseph, quoniam fuerunt propinqui. O igitur quam nobilissimus est iste sponsus, qui utique est propinquus multorum sanctorum, ut Johannis baptistae et multorum apostolorum domini nostri Jesu Christi. Secundum privilegium ipsius sponsi gloriosae virginis Mariae est evangelicae commendationis, quoniam in sancto evangelio ipse Joseph commendatur justus fuisse. Matth. I: cum esset Joseph justus, nolebat traducere, quia, ut testantur doctores catholici, veritati commendatur a perfecta virtuositate. Praecipue in talibus scriptis accipitur justitia, in quantum est virtus generalis omnes virtutes comprehendens. In ipso siquidem videre potuissemus virtutes ferme omnium patriarcharum et prophetarum, et certe haud dubium, quia in ipso erat obedientia promta, quae fuit in Abrahamo, immolando filium suum dilectissimum, patientia Joseph patriarchae, humilitas David, devotio prophetarum et sanctorum patrum et devotarum mulierum, ex quibus reddebatur sponsus virginis. Tertium privilegium virgineae electionis, refulget nempe gloria et aureola virginitatis. Fuit enim electus virgo incorruptus, quam virginitatem voverat mutuo consensu una cum virgine benedicta. Unde Hieronymus sanctus contra Helvidium ait: grata gratia et florida fuit virginis matris et Joseph societas, et sicut amatores puritatis in matrimonio virginitatis fuerunt a spiritu sancto electi. Et Augustinus in libro de conjugali bono: Joseph nisi virgo fuisset, virgo mater Dei nequaquam in sponsam sibi a Deo data fuisset, alias hoc sanctum conjugium claudicasset. Quartum fuit privilegium dilectionis et sanctae conversationis. Fuit enim inter benedictam virginem Mariam et sanctum Joseph amor sanctissimus et conversatio sancta. Generalis enim regula est, quod cum sancto sanctus eris, et cum persona mala et perversa perverteris. Psalm. Cum autem sanctus Joseph sanctissimam societatem habuerit Mariam filiam Dei, flente enim virgine flebat etiam sanctus Joseph, eunte in Aegyptum etiam ibat, sunt etiam alia privilegia dulcissimae consolationis, angelicae frequentationis et visitationis, potissimae impetrationis et suffragationis. Quisquis ergo ei devote servit, quisquis ejus suffragia expescit, absque dubio exaudietur in suis precibus apud dominum nostrum Jesum Christum. Non enim est fas negare, quod petit propter honorem suum, quoniam fuit pater putativus. O igitur virorum felicissime et sancte Joseph, rogamus, ora pro nobis una cum tua sponsa virgine benedicta, ut nos perducat ad coelestia regna. Amen.

CAP. CCXXVI. (197)

De sancto Irenaeo archipraesule Lugdunensi dignissimo.

Sanctus Policarpus discipulus beati Johannis evangelistae, zelator maximus audiens, quod Antoninus de Galliarum provinciis nomen cuperet exstinguere christianum, ac sanctum Photinum episcopum Lugdunensem cum suis, quaecunque habuit christianos, diversis suppliciis maceratos per martirii palmam evolasse ad coelum, sanctum Irenaeum presbiterum, de quo multa magnifica in ecclesiastica narrantur hystoria, de latere suo ad Lugdunensem urbem angelo duce transmisit, ut christianos latentes per loca diversa confortaret et gentium multitudinem sua praedicatione Jesu Christo aggregaret. Veniens autem sanctus Irenaeus cum Zacharia dyacone et duobus clericis comitibus nobilissimam Lugdunensem ingreditur urbem, virtutibus autem et signis et praedicationibus ejus tota civitas illa in proximo tempore credidit Jesu Christo domino nostro. Quo autem ire non valuit, suas epistolas transmittebat et per eas Christo auxiliante gentilium multitudo convertebatur. Ingemiscens super his calliditas dyabolica senis Severi imperatoris pectus intravit, et in christianorum persecutionem exardescens, quo ipse non ibat, epistolas suas mittebat data sententia, ut christiani, qui non sacrificarent ydolis, diversis suppliciis interirent. Cum autem tunc temporis Caesar esset in extremis finibus Galliarum, sanctus Irenaeus a papa Romano pontificalis accepit gratiam apud Lugdunum et gaudentes coeperunt ecclesiam construere christiani. Audiens autem iniquissimus Caesar, quod beata civitas illa suis renuntiaret caerimoniis, ferocissimos gladiatores elegit et veniens undique civitatem circumdari praecepit dicens: praecurrite portas, circumdate domicilia et quicunque de iis non sacrificaverit, gladio jubeo finire vitam. Verum Christi pietas ante misit angelum suum ad sanctum Irenaeum futura nuntiantem. Medio igitur fere noctis tempore angelus domini locutus est ad eum facie ad faciem Zacharia presbitero audiente et ait: Irenaee sancte, Christus dominus noster te post multos labores tuos cum populo tuo per martirii coronam ad coelestia regna invitat. Exspectant te cum tuis militibus patriarchae et prophetae, gaudet de te apostolorum chorus, quorum praedicationis sonus exivit in urbem istam praeclaram, stant angeli ante tribunal Christi tuam pronuntiantes constantiam. Angelus rursum ait: agit tibi gratias sancta Maria cum sanctis virginibus, quarum virginitatem per populos annuntias, pro te et martirum petit exercitus, ut cum his militibus, quos socios passionis esse fecisti, agminibus paradisi jungaris, in gloria vos exspectant triclinia variis insignibus ornata, in quorum atriis collocatus est antecessor tuus sanctus Photinus. Conforta ergo fratres nec timeas eum, qui occidit corpus, animam autem non potest occidere. Zachariam autem cum duobus dyaconibus latentem per loca paulisper reserva, ut, sicut tu post beatum Photinum praedicasti et fecisti, ita et ipse postmodum confortet iterum fratres in Christo, quos similis coronae triumphus exspectat, et qui corporis tui membra recondat in sepulchro. Haec audiens sanctus Irenaeus ait: gratias ago tibi, domine Jesu Christe fili Dei vivi, lumen aeternum, splendor justitiae, fons et origo pietatis, quod ita me per angelum tuum laetificare dignatus es, da huic populo tuo, domine Deus, constantiam, ut nullus sit, qui a tua confessione recedat, sed tua virtute confirmati promissionis tuae bravium consequantur. Et completa oratione coepit fratres confortare, quorum viscera sic spiritus sanctus replevit, ut nemo a recto itinere deviaret, sed unusquisque alterum confortaret. Data igitur sententia felicissima urbs a militibus circumdata est, frater vero fratrem et pater filium materque filiam afferebat pro Christo domino ac universi sexus, conditionis et aetatis summam martirii

coronam accepit. Tyrannus nempe vocato Irenaeo cum toto populo ait: aut Diis nostris sacrifica et tali loco ydolum adora, et vives cum populo tuo aut ex altero elige mortem adorando crucem. Mox populo iterum admonito ad crucem cum populo cucurrit, ac satellites daemonum totam illam sanctam societatem ad coelos per martirii palmam emiserunt, currebant per plateas rivi sanguinis pretiosi. Sanctum vero Irenaeum tanta crudelitate vexaverunt, quod vix valeat enarrari, et in tormentis ipsis felicem animam laudans Deum emisit. Ipse vero sepultus est a beato Zacharia 'in crypta abditissima. Septimo autem die a passione sua cum multitudine martirum sancto Policarpo apparuit dicens ei: agnosce filium, quem emisisti, pater sancte; ecce accepimus promissionem, quam nobis promisit rex coelorum et terrae, qui est Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen. Hic siquidem gloriosus martir ad sanctae matris nostrae ecclesiae constructionem et aedificationem praeclara scripsit volumina, adversus gentes de disciplina contra haereses libros quinque, ad Blastum de schismate, de monarchia Dei, de ogleade, de pascha ad Victorem papam, de praedicatione apostolica et alia multa. Coronatus est autem quarto cal. Julii sub Marco Antonino anno salvationis CLXXV.

CAP. CCXXVII. (198.)
De sancto Fortunato.

Fortunatus episcopus Tudertinus in effugandis spiritibus malis immensa virtutis gratia pollebat, ita ut nonnunquam ab obsessis corporibus legiones daemonum pelleret, ut divus dicit Gregorius in primo libro dyalogorum de quadam muliere per eum sanata. Alio etiam tempore Dei famulus ex obsesso quodam homine immundum spiritum excussit; qui malignus spiritus cum vesperascentem jam secretam ab hominibus horam cerneret, peregrinum quempiam esse se simulans, currere coepit civitatis plateas et clamare: o virum sanctum Fortunatum episcopum, ecce quid fecit! peregrinum hominem de hospitio suo expulit, quaero, ubi requiescere debeam, et in civitate ejus non invenio. Tunc quidam in hospitio suo cum uxore sua et filio parvulo ad prunas sedebat, qui vocem ejus audiens, et quid ei episcopus fecerit, requirens eum invitavit hospitio, sedere eum juxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua confabularentur, parvulum ejus filium idem malignus spiritus invasit atque in iisdem prunis projecit ibique animam ejus excussit, qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit vel quem episcopus expulisset, agnovit. Alio quoque tempore dum oculorum quidam lumen amisisset, ad hunc deductus intercessionis ejus opem petiit et impetravit. Marcellus etiam mortuus ad preces suas et suarum sororum flentium suscitatus est et oculos aperiens respiciensque sanctum Fortunatum ait: o pater, et, quid fecisti? heu domine, quid fecisti? Ille ait: duo hesterna die venerunt, qui me ejicientes ex corpore in bonum locum duxerunt, hodie autem unus missus est, qui dixit: reducite eum, quia Fortunatus episcopus in domum illius venit; et diutius post in hac vita mansit. Beatus vero episcopus in veneranda sua senectute plenus bonis operibus migravit ad dominum.

CAP. CCXXVIII. (199.)

De sancto Honorato.

Venantii quondam patricii in Savinae partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit, qui ab annis puerilibus ad amorem coelestis patriae per abstinentiam exarsit, cumque tam magna conversatione polleret seseque jam ab otioso sermone restringeret multumque, ut praefatur, suam per abstinentiam carnem domaret, quadam die parentes illius vicinis suis convivium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratae sunt. Quas dum ille ad esum contingere pro abstinentiae amore recusaret, coeperunt parentes ejus irridere et dicere: comede, numquid piscem in his montibus ablaturi sumus? Ille vero in loco audiri pisces consueverant nec videri. Sed cum his sermonibus beatus Honoratus irrideretur, repente in convivium aqua ad ministerium defuit, cumque situla lignea, sicut illic mos est, mancipium ad fontem perrexit, ut hauriret aquam. Piscis situlam intravit reversumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua effundit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Admirati omnes totaque illa parentum irrisio cessavit, namque coepere in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant, sicque a Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis de monte. Qui cum magnis virtutibus cresceret, a praedicto domino suo libertate donatus est atque in eo loco, qui fundus dicitur, monasterium construxit, in quo ducentorum monachorum pater exstitit ibique vita illius circumquaque exempla eximiae conversationis dedit. Quadam enim die ex eo monte, qui ejus monasterio in excelsum prominet, ingentis saxi moles erupta est, quae per devexum montis latus veniens totius ruinam cellae omniumque fratrum interitum minabatur. Quam cum venientem desuper vir sanctus vidisset, post nominis Jesu invocationem signum crucis ei opposuit et in montis latere cadentem fixit; et post plures annos in domino requievit.

CAP. CCXXIX. (200.)

De sancto Fusciano martire.

Rictionarius in cathedra pestilentiae residens post mortem datam per eum et adeptam coronam martirii a beato Quintino, sanctus Dei Fuscianus cum beato Victorico fraterna caritate succensi et in fide domini nostri Jesu Christi fundati, praesens tyrannus allocutus est, ut a domino Christo recedentes ydolis et Diis suis sacrificarent. Quod cum illi penitus abominantes respuerent cumque tandem ad inferenda supplicia, qualia vellet, absque mora invitarent, tyrannus ille sudes ferreas in nares eorum et aures cudendo jussit immitti et clavis candentibus eorum capita transfigi, oculos quoque eorum a foraminibus suis pelli, ipseque manus lato crispans hastilia ferro ad sanctorum corpora transforanda ea direxit eisque adhuc palpitantibus capita amputari praecepit optatoque potitus solito laetior et quasi de quadam placide ridens victoria celeriter ambiens regressus est moxque ultione divina percussus intestinorum dolore repletus est et per totam civitatem clamare coepit ac dicere: heu, heu, heu, quid agam aut quid mihi misero denique restat, qui propter Dei sanctos Fuscianum et Victoricum,

dira in tali supplicio intolerabili crucior poena? Eaque die, qua decollati sunt, ingens fulgor super eorum corpora apparuit, exstincta quoque cum jacerent truncata capitibus, ipsi super pedes erecti sunt et animabus recipientes propria capita firmo rectoque gradu ad hospitium beati Gentiani, de quo educti fuerant, redierunt, ut cum eodem in domino simul dormirent.

CAP. CCXXI. (201.)

De sancto Justo archiepiscopo inclytae civitatis Lugdunensis.

Beatus Justus Lugdunensis urbis primo sacerdos factus, nunc vero apud dominum nostrum Jesum Christum eximius patronus et intercessor: cujus cum recolo inexpugnabilem in operibus fidem, praecipuum in victu rigorem, longinquam in solitudine commorationem, incunctanter affirmo, hunc non impleta passione palmam martirii non amisisse. Fuit enim antistes Lugdunensium a Deo et clero creatus et electus cum tanta puritate, modestia, pietate, patientia, pauperum cura, divinorum mandatorum observantia, ut etiam magnificos domini sacerdotes omni praeiret gratia virtutum. Justus autem nomine et re officium dignitatis deserere et peregrina, quo lateret, expetere voluit et decrevit et comitem sui itineris egregiae indolis juvenem, qui in ecclesia officium lectoris gerebat, assumsit pueroque recepto in solatium suae peregrinationis eremum petens in Aegyptum navigavit. Jactata in domino omni cogitatione soli adhaerens animo, qui est spes omnium finium terrae et in mare longe, cum vero multo jam tempore moram in eremo ac multorum exemplar traxisset, sanctus Antiochus tunc presbiter Lugdunensis pio incitatus officio usque ad visendum episcopum suum beatum Justum peregre animo intendit, vir discretione praecipuus et qui non immerito tempore interjecto ad ejusdem pontificii culmen est assumtus. Hic ergo cum desiderio tanti antistitis terras et maria transvagaretur, praenuntiasse ejus adventum et dixisse ita fertur: carus noster Antiochus hodie illic moratur. Etiam die, quo ad ipsum venit, hunc venturum esse novit spiritu prophetico illustratus. Verum cum aliquot annis in eremo et angelis proximam egisset vitam et dignus adesset finis tantis laboribus, regnum spondens coelorum atque illis jam extremis sanctae commigrantis animae flens et consternatus mente viator et sibi adstans ait: cur me, domine, relinquis? Justus devotus pastor ecclesiae respondit: fili carissime, ne turberis quasi destitutus solatio, quia brevi tempore exacto ipse me sequeris. Quam utique prophetiam ac revelationem cito transitu sancti juvenis constat fuisse completam. Sed in gloriam tanti patroni nostri illam Lugdunensem gratiam tacite praeterierim, quod in referendo sancto ejus corpusculo post dignam sacramentorum susceptionem usque in australem plagam venerabilem se civium cura porrexit, qui scrutati illas paene inaccessas ardoribus solitudines et ab ipso admodum solis occasu prope vicina loca devotione currentes totum paene orbem pietatis suae testem fecerunt, quantumque se abegerat verecundissimi et sancti sacerdotis fuga, in tantum se fidelium studia intenderunt. Ut qui deseruerat despectione delicti, approbarunt se tam praeclaro non indignos antistite, cum gratiae ejus magnitudini officii gloriam aequiparaverunt. In tanto egregii Justi exemplo factum quoque fidelissimae plebis exhibitum est, quod non minus mirum videretur. Illa venerandi sancti senis ossa a remotis terrae partibus cum alacritate et religione exhibuerunt, cum lacrymis et eximio cultu susceperunt atque elaborarunt, ut,

qui jam cum ipsis spiritu erat, cum ipsis etiam corpore esset in honore domini nostri Jesu Christi filii Dei benedicti, cui est potestas, gloria et imperium cum patre et spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

CAP. CCXXXI. (202.)

De sancta Catherina de Senis sacri ordinis praedicatorum.

Gloriosa virgo et sponsa domini nostri Jesu Christi dilectissima beata Catherina de Senis, ut Pius papa secundus testatur, patrem Jacobum, matrem vero nomine Lappam in civitate Senensi virtute fideque probatos habuit. Haec dum aetatis suae undecimum annum ageret, virginitatis votum emisit ducta virginis benedictae beatae Mariae exemplo. Quam, cum votum emitteret, rogabat attentius, ut sibi dignaretur filium suum Jesum dominum nostrum in sponsum adhibere. Cum autem pervenisset ad aetatem XII annorum, parentes ejus nescientes votum constituebant eam nuptui tradere. Quod virgo audiens capillos radicitus incidit et iis votum suum revelavit. Hoc facto vigiliis et orationibus, jejuniis multiplicibusque bonis operibus die noctuque vacabat, adeo ut fama ejus inciperet circumquaque diffundi. Agens autem XV annum, ipsi tantisper obdormienti apparuit beatus Dominicus praedicatorum ordinis dux et pater inclytus eique suasit, ut habitum suae religionis, hoc est de poenitentia ejusdem patris beati Dominici reciperet viveretque secundum ejus ordinis instituta, et ipsa libenter perfecit et habitum requisivit et cum devotione accepit et in eo usque ad mortem cum maxima poenitentia et admirabili abstinentia et austeritate perduravit. Qui modus vivendi fuit approbatus per pontificem maximum et in dies multae personae nobiles et devotae ipsum profitentur. Nihil enim huic virgini sanctius nihilque dignius in rerum natura visum est quam Jesu Christi domini nostri praecepta et vitam aeternam omnibus persuadere. Ciborum frugalitate cum abstinentia tanta utebatur, ut etiam per plures menses solo corpore salvatoris et nullo alio cibo recrearetur. Disciplinis durissimis se affligebat usque ad sanguinis effusionem, infirmantibus maxima cum caritate serviebat, aliquando propriis et necessariis vestimentis se exuebat et ea pauperibus erogabat. Propter quod a domino meruit etiam in hac vita invisibili veste tegi. Cum semel uni pauperi tribuisset chlamydem, cumque objurgaretur a familiaribus, quod vestem necessariam sibi tribuisset alteri, virgo benigne respondit: vestimento carere possum, misericordia nequaquam. Quandam vero sororem sui ordinis infirmam et impatientissimam ejusque famae atque morum praestantiae detrahentem, ita humiliter toleravit et servivit, quod mirabile est credendum. Quanta autem erga animarum salutem caritate movebatur, ex multis ejus operibus liquide apparet. Nam cum quidam nobilis Perusinus, qui capitali sententia a Senensi senatu plectendus erat, dolore mortis affectus a Jesu Christo domino nostro animum penitus averteret et a nullo posset ad poenitentiam revocari, hujus virginis exhortatione conversus ad cor more christianorum se Christo recommendans patienter mortem sustinuit. Fuit enim maxima sapientia praedita, litteris lepidissimis, quae nunc exstant, testantibus; insuper dicta sanctorum afflante sancto spiritu ita dilucidabat, ut etiam ipsos summos theologos superaret. Nam cum semel duos peritissimos viros theologos, alterum minorum, alterum vero eremitarum haberet contra se alacriter disputantes, adeo eos publice vicit, ut illi divinam virginem non humanam crederent. Quamobrem

postmodum innocentissimam vitam deinceps aggressi sunt eoque in proposito ab hac luce migrarunt. Apud Gregorium XI et apud Urbanum VI pontifices maximos luculentissime peroravit, prophetiae etiam spiritum inter caetera suae virginitatis insignia consecuta est. Signis autem atque miraculis quamplurimum fuit a Deo privilegiata. Nam matrem propriam impoenitentem mortuam ad vitam suis precibus revocavit, spiritus malignos ex corporibus obsessis expulit et multa alia per eam suam sponsam dominus est operatus. Tandem, cum Romae esset a domino evocata, cum sciret sibi diem mortis imminere, discipulos discipulasque longa oratione ad suum invitata sponsum consolata est atque ad bene sancteque vivendum omnes hortata, denique in illum prorumpens versiculum: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum, innocentissimam animam emisit anno aetatis suae XXXIII, salutis autem nostrae MCCCLXXX. Ad cujus corpus accedentes a diversis infirmitatibus curabantur. Sepulta est autem in ecclesia sanctae Mariae super Minervam honorifice et a Pio secundo pontifice summo anno MCCCCLXI sanctarum virginum catalogo adscripta. Haec, Catherina virgo, monimenta laudis, quae tuis laeti, Dei sponsa, sacris hoc quodam pacto modulamur omnes, perfer Olympo. Si satis digne nequeant referri, adnuas nobis veniam, precamur, non sumus tanti ingenii, fatemur, optima virgo. Quas fuit dignas modulatus numquis virginum laudes, quis in orbe toto? feminae invictae peritura numquam carmina pande. Praedita exemplis Catherina caris moribus praestans, sapiens abunde, temperans, fortis quoque, justa, prudens aethera scandis. Quem latex virtus facinusque clarum, quo nequit dici sanctius per orbem, vulnerum formam miserata Christi exprimis ipsa. Nam brevis moestae miseraeque vitae et malis cunctis penitus refertae fortiter spernens quaeque sidera adisti. Unde cum tempus properat ipsum, quos sacros artus cineresque busto linqueres, coelos aditura flentes ipsa docebas. Sic sacrum Christi venerata corpus hostiam libans lacrymis abortus dixeras cunctis documenta vitae voce suprema. Sic ad sedes regni faciat transire superni virgo fovens meritis nos Catherina suis. Amen.

CAP. CCXXXII. (203.)

De sancto Vincentio confessore sacri ordinis praedicatorum.

Beatus Vincentius clarissima Hyspaniae civitate Valentia ex Ferrariorum antiqua honestaque familia duxit originem. Quantus autem et qualis futurus esset, duplici indicio matri ostensum est. Primum fuit, quod, cum mater ejus singulos filios, quos genuerat, non sine magna uteri molestia gestasset, Vincentio gravida oneris molestia carebat et tanta erat ei ventris agilitas et corporis robur, ac si praegnans non fuisset. Alterum fuit, quod, cum de eodem gravida foret, tamquam latrantis canis voces ex utero suo emitti saepius audiebat. Cum autem a multis Dei servis et praesertim a Valentino episcopo peteret, quid hujusmodi latratus significarent, responsum est ei, nihil aliud fore, nisi quod esset infantem paritura, qui suo tempore futurus esset verbi Dei praedicator, tam doctrinae quam vitae integritate ac famae celebritate in tanto terrarum orbe clarissimus. Nato denique infante et quodammodo divino praesagio ei nomine imposito, postquam attigit aetatem, quae litteris et moribus informari potuit, mirum imo, dum brevi tempore clarius evasit tam morum elegantia quam peritia litterarum. Tantae religionis erat, quod inter saeculares Valentiae nemo erat

qui eo saepius ecclesiarum limina frequentasset aut avidius praedicatorum doctrinam audiisset vel crebrius jejunasset. Proborum hominum vestigiis inhaerebat, pravorum vestigia devitans, pauperibus ac miseris corde compatiebatur, facultatum suarum portionem administrans. Posteaquam vero coelesti rore perfusus agens decimum octavum annum attigit, sub regula et institutis fratrum praedicatorum vivere sumtoque habitu singularissime legere studuit sancti patris sui Dominici gesta, ut illa imprimis intelligeret, in quibus suum ducem esset imitaturus. Deinde ob ejus virtutes mirificas et eximiae sanctitatis nomen effugere non potuit, quo minus per duos annos summum pontificem sequeretur essetque confessor suus et magister sacri palatii. Denique apud Avenionem ei gravissimis febribus occupato dominus Jesus Christus mira quadam claritate coruscans apparuit mittens eum ad se evangelizandum per universas occidentis regiones maxime ut nuntiaret judicii diem temporibus nostris esse propinquum, et post multa, quibus Christum consolatus est et instruxit, extendens manum maxillam ejus leviter tetigit in signum singularis familiaritatis. Quo discedente ab eo ex lectulo surrexit sanus moxque se succinxit, ut Christi domini nostri legationem diligenter exsequeretur. Peragratis autem Galliarum et Hyspaniarum locis universis verbum Dei ubique disseminando pervenit ad Italiam discurrensque ab quibus Lombardiae civitatibus venit ad regem Granadae et verbum Dei praedicans magnam multitudinem Saracenorum convertit. Sanctus vero Vincentius suis precibus multa miranda fecit et miracula dominus per eum operatus est et in patria Tolosana et in variis locis. Nam Tolosae cum mulier lunatica filium peperisset, divisit eum et coxit, vir autem ejus cum lacrymis portavit ipsum ad sanctum Dei. Ad cujus preces filium suscitavit reservatis insigniis in corpore usque ad mortem in signum miraculi. Illud non est praetereundum, quod actum est in civitate Illardensi provinciae Aragoniae. Cum enim praedicasset omnesque meretrices convertisset ad Deum indeque recedens societas, quae eum comitabatur, videns lenones earum meretricum armatos contra sanctum Dei, et quam citius insinuare festinant. Quibus dixit: isti sunt lenones earum, qui quaerunt me interficere, sed praecedatis me et ego vos sequar. Appropinquantes autem illi arma contra sanctum Dei parant. Vir sanctus signo crucis se muniens dixit: per signum crucis de inimicis nostris libera me, domine. Illico armis depositis in terram se prosternunt veniam petentes et mirantur omnes de servo Jesu Christi. Cum enim Benedictus XI. papa et ordinis sui, videlicet praedicatorum, vellet eum cardinalem facere, ex sua humilitate renuit sciens illud verum, quod ponitur dist. IV. c. ult.: quicunque primatum desiderat in terra, inveniet confusionem in coelis. Omnem sane dignitatem refutavit, verborum ejus fructus tantus fuit, ut flagitiosorum hominum innumeram multitudinem *ad Deum* converterit; contra Judaeos copiosus acerque praedicator fuit, scripturarum aenigmata, quantum homini fas est, eisdem reserans. Propter quod in diversis Hyspaniarum locis supra viginti et quinque millia ex ipsis ad verae fidei cognitionem baptizari fecit: Saracenorum etiam octo millia cum sancta praedicatione traxit; discordes, quoscunque invenit, non prius deseruit, donec concordes faceret; inter caetera vero spiritus sancti dona linguis variis loqui promeruit. Nam cum multis et diversis populis materna lingua praedicaret, ab omnibus et singulis distincte intelligebatur, ac si singulorum lingua praedicasset. Et habuit etiam donum prophetiae: cum enim praedicaret Valentiae, avunculus papae Calixti dictus Ferrandus eduxit parvum Calixtum ad eum, ut vir *Dei* sibi suam daret benedictionem. Cui sanctus Vincentius ait: mittamus hunc puerum ad scholas, quia magnus adhuc erit; in ecclesia videlicet erit papa, qui me honorabit. Quia ipse fuit, qui eum postmodum canonizavit. Etiam de illo, qui caput sui fratris ab eodem interfecti sub chlamyde ferebat, credens habere caput vituli, praedixit eum amori jubente justitia. Omnibus amabilis, venerabilis, gratus et carus pater erat orphanorum ac pupillorum, viduarum defensor, pauperum et miserorum optimus consolator. Receptis demum ecclesiasticis sacramentis agens annum septuagesimum octavum coram positus fratribus et orantibus sui ordinis et illustrissima ducissa Britanniae obdormivit in domino anno

MCCCCXVIII. Sepultus est autem ad Vannones coruscans variis signis. O Vincenti, praedicator veritatis et doctor maxime, quem angelorum cum ordinibus triumphantem felices animae prosequuntur, nos fove tuis precibus sublimes in regnis coelestibus. Amen.

CAP. CCXXXIII. (204.)

De sancto Annemundo archiepiscopo et martire.

Dilectus Deo et hominibus sanctus Annemundus Lugdunensis archipraesul et inclytus martir ex illustri prosapia ducens originem inter aulicos Dagoberti Francorum regis nutritus fuit, sed eorundem evitans consortia viam mandatorum Dei cucurrit, qui ob vitae sanctimoniam ad Lugdunensis urbis archiepiscopatum meruit promoveri. Is itaque pontificali decoratus infula omnibus cum regni incolis tum peregrinis pergratus exstitit, quod nonnulli procerum aegre ferentes eum quasi regni eversorem laesae majestatis criminis apud regem accusaverunt. Quam ob causam ab episcopali sede exulavit. O maledicta invidia, per te Abel justus occiditur, per te Johannes baptista decollatur, per te Jesus Christus filius Dei verus crucifigitur, per te divus praesul Annemundus apud regem accusatur. Sed vir Dei omnia aequo ferens animo elemosinis, jejuniis, vigiliis et orationibus ceterisque pietatis operibus cum clero semper instabat. Fuit enim martirium hujus gloriosi praesulis beati Annemundi et sua passio similis passioni salvatoris domini nostri Jesu Christi in quinque. Primo in traditione; fuit nempe, ut testatur sanctum evangelium, dominus noster traditus propter invidiam: sciebat, inquit Pylatus, quod propter invidiam tradidissent eum. Sic beatus Annemundus accusatus est et mortuus. Secundo fuit similis in inimicorum dilectione; salvator noster in cruce expansus omnium ferme dolorum immemor oravit ad patrem pro suis inimicis ita dicens: pater amantissime, pater benignissime, ex corde exoro, ignosce iis, quia nesciunt, quod faciunt. Beatus Annemundus sic oravit pro suis persecutoribus et malis. Tertio in sancta oratione Christus Jesus sciens horam sui transitus oravit ad patrem, ut suos, quos dilexerat, custodire dignaretur. Sic gloriosus martir sciens mortem suam vicinam esse, ad orationem fugit, et cum civitas esset circumdata cohorte ex mandato principis, divinis celebratis mysteriis ad suum populum ait: quaeso vos, fratres mei, et omnes, ut si in aliquo vos offenderim atque quicquam violenter abstulerim, non indigne feratis, sed remittatis pacifice, quoniam neminem vestrum gravare volui. At illi unanimiter responderunt: numquid, pastor bone, nobis ingratus exstitisti? a minimo enim usque ad maximum tuis beneficiis relevatos atque ditatos esse censemus. Tu nostra indulge facinora, et pro nobis Dei clementiam, petimus, exora. Et fidelibus dans benedictionem oravit, ut Deus dignaretur populum suum praeservare. Quarto judicis praesentatione ostenditur similitudo, quia dominus ante judicem Pylatum praesentatus fuit, nam victoriosus pontifex Annemundus ad eos, qui eum quaerebant, accessit. Quibus salutatis dicens iis: pax vobis, furore repletus tyrannus cum sua turba dixit: volumus, ut ad praesentiam regis protinus venias. Et eductus ab inimicis pergunt Matisconem et visitato episcopo ad territorium Cabilonense veniunt. Quidam vero sanctus sacerdos eum visitando animavit ad tolerantiam passionis, ut angelus in horto salvatorem nostrum animavit. Quinto est similis in finali consummatione, nam expleto die nox vicina successit, in qua vir Dei post longas

60 *

orationes et psalmorum jubila fatigatus ex itinere expositum in strata refecit corpusculum. Et cunctis humanis absentibus duo sunt submissi viri nequitia pleni, sanctum Dei virum gladio necaverunt et palma martirii beatus est coronatus. Consummato autem martirio sanctum corpusculum a Dei famulis defertur, Araris vehiculo ad suam Lugdunensem civitatem remeavit, in sua ecclesia cum maximo honore sepulturae traditus est et sepultura decentissima cum magnis miraculis ad fidei probationem ostenditur.

CAP. CCXXXIV. (205.)

De sancto Firmino episcopo et martire.

Fuit tempore Dyocletiani et Maximiani in urbe Yberiensi, quae alio nomine vocatur Pampilonia, senator in ordine primus, nomine et opere Firmus, qui filium suum nomine Firminum honesto presbitero tradidit divinis litteris imbuendum. Qui Firminus beatus annorum decem et septem in sanctitate et doctrina proficiens ac pro Honesto jam Sellae praedicans ab ipso ad Honoratum episcopum Tolosanum missus est, ut ab eo ordinatus episcopus Christum Jesum omnibus gentibus praedicaret. Quo facto Firminus episcopus rediens ad Honestum magistrum suum anno aetatis suae XXXI relictis omnibus ad Gallias properans Andegavis villam venit ibique anno et mensibus tribus multos praedicando convertit et Belluacum contra Valerium praesidem pugnaturus pro fide salvatoris perrexit. Unde multoties flagellatus usque ad mortem Sergii successoris Valerii in carcere clausus fuit. Sed tunc a populo solutus ibidem praedicavit et baptisatis omnibus ecclesiisque constructis inde Ambianis perrexit et in XL diebus tria millia hominum baptizavit. Haec audientes Longulus et Sebastianus praesides ab urbe Trevirensi ad Ambianensem veniunt urbem et jussu eorum convenientibus cunctis sanctum Firminum coram se graviter accusatum, dum firmissime confiteretur Christum dominum, timens praeses seditionem populi beatum jussit in carcere decollari. Faustinianus autem senator, qui eum receperat, domumque ejus cum eo ad gratiam baptismi advocaverat, corpus ejus nocte rapiens in suo cimiterio sepelivit, nequam vero praeses Sebastianus post modicum a civibus Belluacensibus occisus est. Hujus gloriosi sancti passio celebratur septimo cal. Octobres.

CAP. CCXXXV. (206.)

De sancto Lazaro episcopo et discipulo domini.

Lazarus interpretatur a Deo adjutus et signat poenitentiae vitam in die salutis, hoc est in die poenitentiae. Quando quidem poenitentibus verus sol justitiae illuxit, auxiliatur tunc Deus et adjuvat conferendo gratiam suam, justificando in hoc mundo et vitam aeternam in alio.

Sanctus Lazarus ex nobili et regali progenie cum Maria Magdalena et Martha sororibus suis sumserunt originem, Syro patre et Eucharia matre nati sunt, a beato Maximino discipulo domini baptizati sunt, Lazarus autem partem urbis Hierusalem possidens operam dabat militiae. Qui quantum fuerit dilectus a domino nostro Jesu Christo, secretarius ejus beatissimus Johannes cap. XI descripsit dicens, quod erat quidam languens Lazarus, miserunt autem dictae sorores ad dominum dicentes: domine ecce, quem amas, infirmatur; Jesus autem mundi salvator respondit: infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei et ut glorificetur filius Dei per eam. Et post suis ait discipulis: Lazarus noster amicus dormit, sed vado, ut a somno excitem eum. Cum autem ad locum accessisset et sorores sancti Lazari cum maximis lacrymis eum adorassent, querulose dicendo haec: domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, ad locum accessit et beatum Lazarum jam quatriduanum mortuum suscitavit. Post ascensionem domini cum gravis esset christianorum persecutio, Judaei prodere sanctum Lazarum cum suis sororibus et christianorum magna copia cupientes in navi absque remis posuerunt, divino vero nutu et angelo regente veniunt ad Massiliam. Praedicans vero Christum salvatorem nostrum primus episcopus Massiliensis exstitit et ipse post laudabilem vitam et totius patriae conversionem tertio decimo imperii Claudii anno secunda morte migravit ad dominum. Hujus quippe sanctissimi viri Lazari reliquiae apud urbem Massiliam praecipuo venerantur obsequio. Ejus festivitas XVI cal. Januarii devotissime celebratur.

CAP. CCXXXVI. (207.)
De sancta Clara.

Gemine admirabilis Clara vocabulo et virtute de civitate Assisii claro satis genere traxit originem beatoque Francisco primo concivis in terris postmodum conregnans in excelsis. Pater ejus miles et tota utroque parente progenies militaris, domus abundans, mater vero ejus Ortulana dicta est. Cum autem praegnans esset ipsius sanctae futurae et ante crucifixi imaginem in ecclesia pro salubri partus expeditione devotius exoraret, audivit vocem dicentem sibi: ne paveas, mulier, quia quoddam lumen salva parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit. Quo edocta oraculo natam in baptismo Claram nominari voluit. Adhuc infantula libenter extendebat manus ad pauperes et de abundantia domus suae supplebat inopias plurimorum egentium, proprio corpusculo delicata subtrahebat cibaria, sub vestibus autem pretiosis et mollibus ciliciolum gerebat absconditum et mundo exterius florens Christum Jesum interius induebat. Denique suis eam nuptui dare volentibus nunquam acquievit, sed virginitatem suam domino committebat. Hinc rumor bonitatis ejus coepit in populo divulgari. Audiens autem sancta puella post multarum injuriarum latratibus monasterium sanctum instituit, pauperum dominarum ordinem inchoavit et in alto reclusorio post XLII annos frangit sui corporis alabastrum, ut domus ecclesiae repleatur fragrantia unguentorum. Spargitur paulo post opinio sanctitatis virginis Clarae, festinant virgines ejus exemplo servire Christo domino. quae sunt maritatae, castius agere satagunt, nobiles et illustres amplis contemtis palatiis alta sibi monasteria construunt atque pro Christo filio Dei in cilicio et cinere vivere magnam gloriam ducunt. Mater filiam, filia matrem invitat ad Christum, soror sorores allicit, cara manens Clara toto clarescere mundo incipit et laudum titulis praeclara refulget. Haec gloriosa beata Clara sui ordinis lapis primarius

ac nobile fundamentum in fundamento humilitatis virtutum omnium fabricam ab ipso principio studuit collocare, carnem per crebra jejunia macerabat, orationi instabat, saepissime ad orationem prostrata terram infundit lacrimis osculisque demulcet, ut semper suum dominum Jesum Christum tenere manibus videretur. Lacrymanti semel profunda nocte adfuit angelus tenebrarum in forma nigri pueruli, dicens: ne tam ploses, quia caeca fies. Cui cum illa responderet: caecus non erit, qui Deum videbit, confusus ille discessit. Cum in Assisium hostilis semel furor irrueret et ipsis portis exercitus appropinquaret Saracenorum, gens pessima sanguinem semper sitiens christianorum, in claustrum virginum influxerunt. Liquescunt dominarum corda timoribus et ad matrem sanctam Claram referunt fletus suos, quae se infirmam impavida corde ad hostium agmen duci jubet et ante hostes poni, praecedente eam capsa argentea, in qua erat sacramentum eucharistiae. Cumque se totam in oratione substravisset, Christo domino cum lacrymis ait: placet, mi domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus enutrivi, manibus tradi paganorum? custodi, domine, has famulas tuas, quas ipsa in praesenti articulo custodire non possum. Vox quasi puerilis de propitiatorio ad aures ejus intonuit dicens: ego vos semper custodiam. Mi domine, addidit illa, et hanc civitatem, si placet, protege, quae nos pro tuo amore sustentat. Et vox ad eam: gravamina sustinebit, a meo munere defenditur. Tunc surgens Clara flentes confortat dicens: fidejubeo pro vobis, filiolae, quod nihil mali patiemini. Nec mora: statim canum illorum repressa pavescit audacia et per muros, quos ascenderant, descendentes ocius exeunt orantis virtute turbati. Et post multorum sanationem et exhortationem et sacramentorum sumtionem in domino quievit.

CAP. CCXXXVII. (208.)

De sancto Philiberto confessore.

Sanctus Philibertus, cum esset bonae indolis adolescens, regi Francorum Dagoberto nuntiatus advocatur in palatium receptusque est in ordinem nobilium et eorum consortium. Qui sub aureo baltheo Deum valde diligens postmodum praefulgentibus vitae suae meritis cathedram subiit Rothomagensis ecclesiae. Cum autem esset Philibertus annorum viginti, divina praecepta audiens elegit discipulus Christi domini Jesu fieri agnitoque Dei milite Agili nomine, qui praeerat Resbacensi coenobio, illuc veniens comam deposuit omnibusque suis in elemosinam erogatis jugum domini suave recepit. Ubi cum multo religionis et abstinentiae culmine cresceret, ita ut viris perfectioribus imitabilis fieret, antiquus hostis invidens pulsare animum coepit, ut ampliora edulia sumeret. Nam cum quadam nocte fuisset cibo refectus, ille ventrem ejus palpare et dicere: modo hoc est bene. Tunc ille inimici jacula cognoscens rigorem abstinentiae coepit triplicare et contra arma tyranni Dei auxilium implorare. Cumque singulis noctibus ecclesiam frequentaret, in tribus contra ipsum tentationibus dirus anguis exarsit, nam ursi specie eum intra ecclesiam tentavit primum terrere et nocte alia de ferro candelabri visus est eum transfigere et nocte tertia ostium ecclesiae expansis brachiis voluit prohibere. Sed omnia ejus machinamenta beatus Philibertus expulit virtute divina per sanctae crucis praesidium. Cum autem beatus Agilus obiisset in domino, fratrum consensu sanctus Philibertus regiminis curam suscepit et domum sibi traditam strenue gubernans nullius personam excipere, inventa vitia radicitus exstirpare, cum quidam ex fratribus assumta rebellione sanctum Dei de ecclesia praesumserunt extrahere

Sed ultrix manus domini hoc impunitum non pertulit, nam unus ex iis ictu fulguris interiit, alius etiam more Arii in sterquilinium omnia intestina ejus deposuit indignamque vitam indigna morte finivit. Postque constructionem coenobiorum et miraculorum multorum operationem et post labores immensos pro domino felicem exitum fecit.

CAP. CCXXXVIII. (209.)
De sancto Anselmo episcopo.

Anno domini millesimo LXI floruit gloriosus archiepiscopus Cantuariensis sanctus Anselmus. Hic fuit ex confinio Longobardiae et Burgundiae oriundus; litteris traditus didicit et in brevi multum profecit, necdum XV aetatis suae annum contigerat, cum jam, qualiter vitam suam secundum Deum instituere posset melius, mente tractabat. Expleto autem aliquo tempore patriam egressus, cum in transcensu montis cujusdam fatigatus corpore deficeret, vires suas juvenis mandendo reparare tentabat. Neque enim tunc illuc, quo vesceretur, praesto erat. Quod minister ejus videns doluit, et ne forte quid edendum in sacculo eorum haberetur, diligenter investigare coepit et mox contra spem in eo nitidissimum invenit panem. Quo illo refectus et recreatus est et viae incolumis redonatus et factus monachus religioni per omnia serviebat. Quidam enim ex antiquioribus fratribus, qui vetere odio plurimum erat infestus beato Anselmo nec poterat eum ullatenus respicere, simplici oculo infirmitate pressus ad extrema est deductus. Cumque fratres in meridie in lectis ex more quiescerent, ipse in domo infirmorum jacens coepit miserandas voces emittere et quasi quorundam horrendorum adspectum subterfugere, pallens et tremens vultum suum delitescendo hinc inde commutare. Territi fratres, qui aderant, quid haberet, quaerebant. At ille: geminos immanes lupos inter brachia sua me tenere compressum et guttur meum impressis dentibus jamjam suffocare videtis, et quid mihi sit, quaeritis? Quo audito quidam ex iis ad beatum Anselmum concitus pervenit et ei singula patefecit. Tunc ille in secretiorem locum orationis secedens et post ad domum, in qua infirmus erat, ingrediens levata manu signum crucis edidit dicens: in nomine patris et filii et spiritus sancti. Ad quod factum statim aeger conquievit et exhilarato vultu intimo cordis affectu Deo gratias agere coepit et beato Anselmo, quia malignos spiritus expulit. Et inde monuit paterna demum auctoritate absolutum, et dixit, hora, qua fratres surgerent ad nonas, praesenti vita decessurum. Quod et factum est. Quadam die, cum esset in via, occurrente sibi quodam monacho brevi, quid consilii de hospitio sibi ferret, interrogavit. Qui respondit: habemus non longe hospitium, sed non est, quod nobis et fratribus apponatur praeter panem et caseum. At ille subridens ait: ne timeas vir bone, sed cito praecede et misso rete in vicinum amnem statim invenies piscem, qui sufficiet omnibus nobis. Ille mandato accepto praevolans nuntiat piscatori, qui ad ridendum potius, quam ad tentandum, quod dicebat, fore praenuntians tandem a fratre coactus contra spem rete jecit et illico truytam insolitae magnitudinis cum quodam alio pisciculo cepit. Scripsit gloriosus Anselmus monologium, item soliloquium, de sancta trinitate, de veritate, de processione spiritus sancti, de casu dyaboli, de peccato originali, de incarnatione verbi, cur Deus homo, et multos alios libros devotissimos, et potissime hanc orationem: terret me vita mea, nam diligenter discussa apparet mihi aut peccatum aut sterilitas velut infructuosa, et si quis fructus in ea invenitur, aut est simulatus aut imperfectus aut aliquo modo corruptus. Quid ergo

restat mihi, nisi ut in tota vita mea plorem totam vitam meam? Certus sum de me, quia peccata mea merentur aeternam damnationem, certior, quia poenitentia mea non sufficit ad satisfactionem, certissimus, quia misericordia tua superat omnem offensionem. Fac ergo, domine, mecum misericordiam et concede mihi ex gratia tua omnium peccatorum meorum remissionem, quia meritum meum misericordia est, o domine Deus. De invocatione filii sic ait: domine Jesu Christe redemtio mea, misericordia mea, salus mea, te laudo, tibi gratias ago quamvis multum impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes dignae devotionis, sed sicut potest conari, tibi persolvit anima mea etc. Postque laudabilem vitam introivit ad veram requiem praestante domino, cui est honor et laus in secula seculorum. Amen.

CAP. CCXXXIX. (210.)

De sancto Eligio episcopo.

Beatus Eligius in territorio Lemovicae urbis fuit oriundus patre Eucheria, matre vero Torrigia natus. Quem cum mater adhuc haberet in utero, vidit in somnio aquilam volantem super lectum suum et se tertio inclamantem et e, nescio quid, promittentem. Quae quum ex voce aquilae evigilasset, perterrita nimis coepit cogitare de somnio, quid hoc esset, cumque postea in partu periclitaretur, mandaverunt ad quendam sanctum virum, ut veniret et oraret pro ea. Qui cum venisset, ait ei: ne timeas, mater, quia puer iste sanctus erit et magnus in ecclesia Dei. Cum autem esset juvenis, fecit eum pater suus ab aurificibus erudiri, et cum jam sciret totam illam artem, in Franciam venit et cuidam artifici, qui faciebat opera regis, se conjunxit. Quodam tempore cum rex perquisivisset, quis sibi sellam de auro et argento faceret pulcherrimam, respondit ei magister sancti Eligii, se invenisse artificem, qui regi faceret, quidquid vellet. Et accipiens a rege auri magnam massam, tradidit sancto Eligio, qui ex eodem pondere fecit sellas duas pulcherrimas et deferens unam regi, alteram vero retinens penes se. Quam cum omnes mirarentur, rex eum copiose remunerat. Tunc Eligius alteram protulit et regi praesentavit dicens, quod de residuo auri alteram fecisset, et rex amplius stupefactus quaesivit ab eo, quomodo ex eodem pondere ambas facere potuisset. Bene, inquit, ex gratia Dei. Et excrevit fama ejus in curia regis. Diligebat autem in tantum pauperes, quod, quidquid poterat, etiam usque ad nuditatem suam iis erogaret. Postmodum electus est beatus Eligius ecclesiae Noviomensi post Acharium ejusdem urbis antistitem. Singulis diebus XII pauperes et cum ipsis hora congrua reficiens, dans aquam, manibus panem et omnia, quae erant necessaria, conferens. Sunt autem haec sepulchra, quae auro, argento et gemmis fabricavit, Germani, Severini, Piationis, Quintini, Luciani, Genovefae, Columbae, Maximiani, Juliani et praecipue beati Martini Turonensis episcopi, Dagoberto Francorum rege praebente impensas et mausoleum beati Dionysii martiris miro opere auro et gemmis decorato. Mortuus est autem gloriosus praesul anno vitae suo LXX. Qui cum anno revoluto de suo loco transferretur, ita pulcher et incorruptus inventus est, ut semper in tumulo vixisse videretur, et quod mirabilius est, barba et capilli tempore obitus sui mirum in modum crevisse in tumulo videbantur. Quomodo autem per eum fuerit inventum beatum corpus beati Quintini, sequitur. Clericus quidam nomine Mauritius, saepius jactare solebat, se et martiris locum noscere et eum locum sine mutatione invenire posse. Quod cum auditoribus probare gestiret, facti sui periculum aggressus est. Sumto ergo ligone dum pavimentum basilicae

martiris violare praesumsisset, manubrium ligonis infixum suis manibus adhaesit. Quod cum nec dimitti nec auferri posset, coeperunt manus computrescere vermibusque scaturire. Qua poena mulctatus sequenti die miserabiliter finivit vitam. Hinc tantus pavor in cunctis excrevit, ut nemo post hunc, quamvis probatissimae vitae fuerit, praeter sanctum Eligium Noviomensem episcopum hujusmodi negotium tentaret praesumere. Is quippe pontifex sanctus praefati martiris coepit frequentare locum unum et divina doctus revelatione triduanum jejunium cum lacrymis peragens et attentius orans in loco, ubi nulla suspicio habebatur, quod ibi corpus inveniretur, sanctus manibus effodere coepit et corpus sacrum invenit. Quo terebrato tantus odor cum immani lumine ex eo prodiit, quod etiam ipse pontifex prae splendore luminis et fragrantia odoris vix sustinere posset. Tunc sanctus Eligius corpus lacrymis deosculans posuit in loco dignissimo ad laudem summi Dei et sanctorum ejus.

CAP. CCXL. (211.)

De sancta Radegunde regina Franciae.

Sancta Radegundis natione barbarica fuit patre rege Berengario. Quae cum exiisset ut solava de patria, venit in sortem Lotarii regis. Cum autem eam Suessionis direxisset, ut reginam erigeret, illa evitabat pompam regalem, ne saeculo cresceret. Sed cui etiam debetur humana gloria, non mutatur aeterna. Nupsit ergo terreno principi, non tamen separatur a coelesti, ac dum sibi accessisset saecularis dignitas, plus se inclinavit voluntas, quam permitteret dignitas, timensque, ne adeo degradasset, cum mundi gradu proficeret, se cum sua facultate elemosinae dictavit. Nam cum aliquid de tributis accideret, ex omnibus, quae venissent ad eam, ante dedit decimam, quam recepit; deinde quod supererat, dabat monasteriis, et quo ire pede non poterat, misso munere circuibat. Item nocturno tempore, cum reclinaret cum principe, rogans se pro humana necessitate velle consurgere et se levans, egressa cubiculo tamdiu ante secretum orationi incumbebat jactato cilicio, ut solo calens spiritu jaceret, gelu penetrata tota carne ferme praemortua. De qua regi dicebatur, habere se magis jugalem monacham quam reginam. Diebus vero quadragesimae satis est scire, qualiter rexerit se, inter vestes regias singulariter poenitens. Igitur appropinquante jejunii tempore ad religiosam monacham nomine Piam mittebat, ut sanctum propositum illa dirigeret et cilicium mitteret. Quod sancta induens ad corpus per totam quadragesimam subtus vestem regiam portabat in sarcinam. Si autem rex deesset, quis credat, qualiter se orationi infunderet, qualiter se tamquam praesentem Christi Jesu pedibus alligaret, et quasi repleta deliciis sic longo jejunio satiaretur in lacrymis, cui despecto ventris edulio Christus dominus erat tota refecta, et tota fames erat ei in Christo illud, quod pietate agebat, sollicita. Porro praedictae sanctae Radegundis mens intenta ad Christum Pictavis inspirante et cooperante Dei gratia monasterium sibi per ordinationem praecelsi regis Lotarii construxit, in quo gaudens ingressa est, ubi et perfectionis ornamenta conquireret et magnam congregationem puellarum Christo nunquam morituro sponso aggregaret. Quae electa abbatissa et jam constituta tam se quam sua omnia ejus tradidit potestati, ex proprio jure nihil sibi reservans, ut post vestigia Christi curreret, expedita, ut tantum plus sibi augeret in coelo, quantum sibi subtraxisset in saeculo. Languidis et caecis non cessabat ipsa cibos cum cochlearibus porrigere, mulieres variis leprae maculis perfusas comprehendens in amplexu osculabatur, in eo eos toto in Deo diligebat affectu,

recedentibus praebebat auri vel vestimenti solatia. De officiis autem monasterii nihil sibi placuit nisi servire prima. Post tot labores quas sibi poenas intulerit, ipsa vox, quae refert, perhorrescit. Quadam vice translatos sibi circulos ferreos diebus LX collo vel brachiis innexuit et tres catenas inferens, circa corpus dum alligasset astricte, inclusit durum ferrum caro tenera succrescens, et transacto jejunio cum voluisset sub cute clausas catenas extrahere nec valeret, non tamen hoc factum est absque magna sanguinis effusione. Exstant ejus praeclara miracula, quorum narratio longa esset, et apud Deum est maximi meriti et tandem fideliter a Deo est remunerata in coelo. Hujus sanctae transitus recolitur idibus Augusti. Quaedam ejus famula, quae ausu temerario in cathedra beatae virginis sederet, praesumsit, quod percussa ardebat; tribus diebus clamabat: domina Radegundis peccavi, male egi, ignosce mihi, refrigera mihi membra. Et post multas orationes et populi exaudita est et sanata.

CAP. CCXLI. (212.)

De sancto Servatio episcopo.

Beatus Servatius in quarto gradu attinens Christo Jesu natus fuit in Armenia ex patre et matre Judaeis. Hic sede vacante in Tongris civitate Teutoniae ordinatione divina per angelum de Hierusalem perductus Tongris et ibidem ordinatus episcopus per eundem. In lingua materna intelligebatur ab omnibus, quando spiritualia tantummodo pertractabat, sed a nullo penitus intelligebatur nisi per interpretem, quando de cura temporalium agebat. Vir ipse sanctus post receptionem dominici corporis ipso die nullo corporali cibo utebatur, ciborum suorum reliquiis leprosos mundabat, aqua lotionis manuum suarum infirmos curabat, infirmi quocunque tactu manuum vel pedum suorum continuo sanabantur. Ejectus autem de Tongris propter malitiam inhabitantium venit Trajectum, ubi excidium Galliarum per Hunnos futurum divina revelatione cognovit. Episcoporum autem Gallicorum rogatu pro venia impetranda apostolorum limina petiit. Cui sitienti in via fontem dominus aperuit et angelus scyphum pretiosum attulit. Eo equidem Romam intrante campanae omnes sine humano adminiculo pulsatae sunt. Tandem eidem oranti a domino revelatum est, iram Dei in populum propter eorum scelera confirmatam, Trajectense tamen oppidum, quod ipsum pie exceperat, servaretur. Reversus igitur populum ad poenitentiam exhortans, dum divina celebraret, angelus ab dextris altaris eidem suum obitum nuntiavit. Qui statim post missam adstante populo elevatis in coelum oculis in domino feliciter obdormivit et statim cunctis videntibus velamen sericum super corpus ejus angelicis manibus est delatum. Gaudes igitur, o gloriose praesul; nunc cum Christo domino exoramus, ut tuis sanctis precibus efficias, ut cum eo et tecum in aeternam laetemur. Amen.

CAP. CCXLII. (213.)
De corona domini nostri Jesu Christi.

Non miretur orthodoxorum quispiam, si jucunda dominicae coronae sollemnitas diem hanc expendat in laudibus redemtoris nostri Jesu Christi, quia, si haec corona capiti salvatoris ad poenam et ludibrium in die parasceues fuerit applicata, tamen quia dies illa non est gaudii, sed moeroris, quoniam membra capiti compatiuntur, differtur. Interim haec gratulabunda festivitas, in qua recolimus salutem nostrae animae, siquidem de spinarum semine propagatam, ideo aeterno regi gloriae devota laudum cantica fideles solvant. Hodie pro corona dominica coronat regem omnium corona contumeliae, cujus nobis opprobrium coronam confert gloriae, de spinarum aculeis Christi corona plectitur, qua ministris tartareis mundi potestas colitur, corona Christi capitis sacro perfusa sanguine poenis solutis debitis reos purgat a crimine. Miro enim modo dejectio capitis obtinuit veniam et gratiam corpori et percussó vertice solidata sunt membra. Synagoga siquidem mater Christi secundum carnem noverca se exhibens affectu crudelitatis et effectu nostrum Salomonem corona spinea coronavit. Pudeat ergo sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorioeum exhibetur peccatorum nostrorum spinis circumdatum, pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. Coronat enim Judaea regem eorum serto spineo, stat inter spinas lilium vernans cruore roseo spinarum culpae nescium, spinae punctum aculeo. Scripsit namque Johannes evangelista: exivit Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum, et quasi pugil noster in armis vestimentis rubeis apparet. Exeamus ergo ad eum egredientem extra castra improperium ejus portantes, aerumnam ejus nostram reputantes et dicamus cum David: confixus sum in aerumna mea, dum configitur spina. O felix spina, cujus aculei guttis rubent roris sanguinei, vires frangunt regis tartarei, seras pandunt regni siderei. O spinarum gloria, quae tot nobis praestant remedia. O decus ecclesiae, gloriosa spina, sertum regis gloriae, mundi medicina, praesentis angustiae dulcor et resina! te laudantes hodie serves a ruina. Quod praestare dignetur Jesus Christus pro nobis passus. Amen.

CAP. CCXLIII. (214.)
Vita et conversatio sancti Romani abbatis.

Vir Dei Romanus a pueritia monachus disciplinis monasterialibus eruditus est. Assuescebat enim adhuc puerulus crebris subdere colla jejuniis, sanctis interesse assidue vigiliis et in tenero corpusculo senum cruces ac mortificationes nitebatur adhuc in annis juvenilibus experiri. Jam vero transcursis adolescentiae metis cum ad robur virilis evasisset aetatis, ex omni parte in virtutum studio probatus spectabilis habebatur a Deo, ut suo exemplo multos ad contemtum saeculi ac desiderium sancti propositi provocaret. Quodam itaque tempore, cum sanctus recolendus Benedictus spretis saeculi artibus abjurataque mundi gloria eremum peteret, hunc, de quo loquimur, sanctum obvium habuit, qui,

quo tenderet, ab eo inquisivit. Cujus cum desiderium cognovisset, et secretum tenuit et adjutorium impendit eique sanctae conversationis habitum tradidit et, in quantum licuit, ministravit. Vir autem domini ad destinatum locum perveniens in artissimo specu se abdidit tribusque annis excepto beato isto Romano monacho hominibus incognitus mansit. Qui beatus Romanus non longe sub Deodati patris regula degebat, sed pie ejusdem patris sui oculis furabatur horas et quem sibi ad manducandum subripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem vero specum a beati Romani cella iter non erat, quia celsa desuper rupes eminebat, sed ex eadem rupe in longissimo fune religatum Romanus panem deponere consueverat. In qua etiam reste parvum tintinnabulum inseruit, ut ad sonitum tintinnabuli vir Dei cognosceret, quando sibi alumnus ejus panem praeberet, et cryptam exiens eum acciperet. Et licet antiquus hostis ejus caritati invidens tintinnabulum fregisset, ut eum vel sic a caritate retraheret, pius tamen et religiosus a Deo dilectus beatus Romanus minime cessavit, quin modis congruentibus et semper ministraret usque ad tempus scilicet illud, quo divinae placuit voluntati, eum a labore suo liberare et ipsum, cui serviebat, mundo declarare. Interea autem cum gravissima persecutionis procella per totam Italiam ac paene per omnem Romani imperii terram insurgeret, Gothis, Alanis et Vandalis flammis et ferro cuncta consumentibus, vir domini Romanus non cessabat deprecari dominum, ut suam respiceret ecclesiam, quam sibi suo acquisierat sanguine, sed eam in fide nominis sui conservaret illaesam. Propterea audit sibi juberi a domino, ut relicta Italia ad Gallias tenderet et verbi divini pennam longe lateque spargeret ac sanctae conversationis exempla cunctis praeberet. Commonetur etiam nequaquam esse formidandum auxilio praeveniente divino, prosperum fore iter et mercedem fidelis servi erogantis conservis mensuram tritici a domino recepturum. Igitur hoc spiritus sancti accepto responso pater Romanus convocatis fratribus sic eos allocutus est: fratres et amici mei, dulce lumen oculorum meorum maximumque pignus mei amoris et gaudium, audite me Christi servum, sanctae fraternitatis vestrae commilitonem et socium. Cernitis, quibus mundus malis premitur, quibus cladibus perurgetur, ubique enim luctus, ubique pavor et plurima mortis imago; non haec casu, sed manifestissima Dei ira contingunt. Peccatis enim hominum Dei patientia exacerbata versa est in furorem, mansuetudo est in severitatem mutata a Deo, ut mirum sit, quod adhuc tolerat leviora peccatoribus inferens, quam merentur, et non sicut quondam Sodomitas et Gomorreos, ita nunc sceleribus plenam terram imbribus exurat fulmineis. Cum haec ita sint, fratres, non debemus de mundi percussionibus dolere, quem scimus ipsi suis percussionibus interire. Vita enim alia a Christo promissa est, cujus duratio inconvulsa atque immobilis permanet finis ignara, doloris nescia, in qua gaudium est et epulatio, ubi beata immortalitas et immortalis beatitudo, ubi aeterna securitas et secura regnat aeternitas. Hanc exspectantes adversa secali non debemus pavescere, sed magis appropinquantem nostram redemtionem exhilaratis cordibus exspectare. Me si Deus meo voto agere et secundum meum velle vivere sineret, optaveram, sanctissimi fratres, vobiscum omnia saeculi discrimina perferre, quaecumque prospera, quaecumque adversa contigissent, in tolerato vobiscum robore sustinere et simul patienter vivere simulque delectabiliter mori. Sed quia non est in hominis potestate via ejus, sed in illius, qui magna tranquillitate disponit omnia, quaeso, ne me retinere velitis. Deus praecepit, ut pergamus ad Gallias, parere debemus, eundum est; vos oro, ut mei benigne memores sitis, quia et ego, dum spiritus hoc luteum inhabitando vasculum vegetaverit, vos in corde meo et in visceribus meis, prout fas est et decet, semper habebo. Deus autem omnipotens vos sancta sua custodia circumvallet atque a praesenti saeculo nequam ereptos salvos faciat in regnum suum coeleste concedatque mihi exiguo et humili vos in illa beata vita sine confusione videre. Haec dicens beatus pater Romanus et valefaciens iis profectus est ac relicta Italia Galliam ingressus pervenit tandem in pagum Antissiodorensem in locum, qui fons rogus appellatur, ubi aliquanto tempore commo-

ratus favente domino monasterium statuit ibique domino auxiliante plurimos a saeculi vanitate conversos ad quietem et sobriam conversationem monitis simul et exemplis provocatos adduxit. Quo loco habetur basilica ejus nomine titulata, quam miraculorum, quae per eum dominus ad laudem nominis sui operatur, privilegio nobiliter insignivit. Tempore autem vitae suae expleto beatissimus Romanus Dei omnipotentis famulus post gloriosam et plenam virtutibus vitam, post innumeram multitudinem vitae aeternae acquisitam ac miraculorum multorum perpetrationem consummato viriliter monasticae professionis curriculo et dudum exoptato transitu felici coelestia captans, terrena derelinquens pridie calendas Martii migravit ad dominum. Sepultus vero est in ipsa sua basilica a fratribus suis et in eodem loco beati viri corpus per aliquot annos digna veneratione servatum est. Verum quia inconveniens et damnosum erat, sacratissimi corporis thesaurum diu in loco minus celebri minusque noto latere, crescente fidelium devotione corpus beati viri de loco primariae sepulturae ad urbem Antissiodorum et in ecclesia sancti Amatoris honorifice conditum est. Postremo denique post aliquot annos cum odis ac lampadibus ac divinorum hymnorum melodia ad coenobium beati Germani ejusdem urbis quondam pontificis miraculis coruscantibus deportatum est atque honorifice collatum est per gratiam domini nostri Jesu Christi, cui sit honor et gratia per infinita saeculorum saecula. Amen.

Dresdae, typis Caroli Ramming.

ERRATA.

Pag. 298 lin. 31 dele: v e t u l a et lege: v i t u l a.
- 589 - 31 - g e m i n a s s e t et lege: g e r m i n a s s e t.

imon Magus and the ram. (7 a. i.) 371
(cf. Mayo tale, ram magien.)

ero's pregnancy inf. 376
conceived as he thinks, a frog }
introduced into his drink. }
Vomits it inf. 27.12 / 88
cf. Conception of }
Cu-Chulaind. }

Magnus, mors mundi. 433

. Martin's sleeves. (a. f.) 746